



Mihi Don. Hilarioni Rancati
dono traditus ab authore



MAGISTRI
COELESTINI BRVNI

De Venusia Neap. Ord. Eremitarum S. Augustini, ac Sacri Theologorum Collegij Doctoris

QVODLIBETICARVM DISPVTATIONVM
PARS PRIOR THEOLOGICA.

In qua, vel particulares Authoris, Theologus, opiniones inueniet: vel aliorum sententias, particulari modo, explicatas, seu confirmatas: vel opposita particulari medio impugnatas: tandem, ferè, in singulis, aliquid proprium, & particulare.

Cum duplici Indice: altero Titulorum: altero rerum.

AD REVERENDISSIMVM PATREM MAGISTRVM
HIPPOLYTVM MONTIVM FINALENSEM,
Totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Generalem optimum.



NEAPOLI, Typis Iacobi Gaffari. MDCXXXXI.

SVPERIORVM LICENTIA.

En labor (liber meus)
Labere tu liberè labor;
Illum adi,
Qui ſemper nouit librare labores;
Nemini officit, proficit vniuerſis,
Nec deficit vlli.
Cuius
Dexteritas in agilibus, Prouidentia in Aeconomicis,
Prudentia in Politicis
Glorioſum reddidere, reddentq; illum per ſecula mundo.
Cui
Nil addit Natiuitas; nil reddit Affinitas:
Nam genus, & proauos, & quæ non fecerat ipſe.
Vix ſua bona putat:
Sed ſolus, vt Sol,
Et ſibi, & Agnatis, & Antenatis
Sufficit vnus ipſe.
Quem
Nec Diuitiæ capiunt, nec Deliciæ rapiunt,
Nec Dignitas eripit, nec tumor diripit;
Nec inflat ſcientia, nec opprimit Inuidia,
Nec liuor deprimit,
Vnus vel ipſe ſuperat.
Quo Duce
Tutus volitabis oras Vrbis, & Orbis;
Euitabis iras Ariſtarchorum, atq; Momorum;
Perlitabis Aras Magnetum, Magnatum.
Cuius
Ad Scythas, ex Afris; ad Indos, ex Iberis
Dignum eſt Omen illabi, diffluere, fluitare;
Nullibi non Numen attolli;
Terrarum quocunq; peruolare Nomen.
Qui
Nec præmitur Muneribus, nec grauatur Oneribus,
Nec ſuperbit honoribus;
Sed Orbis Auguſtinenſis incumbit otio, & negotio,
Non ſuccumbit.

Vera norma morum; sera patens amorum;
Ad seria datus: ad Glorias, ad imperia natus;
Ad vtilitatem Reipublicæ sculptus;
Satus est ad res maxumas.
Vnus ille Mundo deerat
HIPPOLYTVS MONTIVS,
Mentis capacior altæ,
Et qui dominari (Magnes cordium) in corda valeret;
Ortus in Arcto est;
Arcens Arcturos, fugans Oriones;
Felix, alter Arion,
Maior, quam cui possit Fortuna nocere.
MONTIVM liber adi
Generalem Indefessum, Indeflexum,
Inconcussissimum, Incorruptissimum:
Et qualem Generalem? Ideam Generalium,
Muneris splendorem, Accessionem Dignitatis,
Pietatis Normam, Humanitatis Formam,
Gaudium Filiorum, Gladium Impiorum,
Præmium virtutis.
In moderandis Lyceis, Regendis Prouincijs,
Nullo non Aeuo mirabilem.
In pertractandis vniuersa Religionis negotia,
Nullo satis tempore commendabilem;
Et in summo Gubernio, spectatum nunquam satis.
Nullis latebris inuoluta,
Omnis sordidæ ignara repulsæ,
Intaminatis, omni plaudente Theatro,
Micante splendoribus,
Iuppitris sola Diphthera,
Diuo Graffio, & amico,
digna notari,
Vel solius Ageronæ, Harpocratisq; celebrari facundia;
Virtute fulgentem.
Quem
Tanti facit Supremum caput Ecclesiæ

VR-

VRBANVS VIII.
Vt eius Probitati, Fidei, Prudentiæ nixus,
(& meritò nixus)
Ipsius Athlanticis humeris
Vniuersam Eremitici Cœli molem,
Semel,atq; iterum admouerit,applicuerit;
Sic, vigilanter consopitus,
Animo conquiescens.
Perge igitur liber, illum adi
Delicium Principum, Beneficium Populorum,
Omnium Plectri sufficiens argumentum:
Augustiniadis sceptri indeficiens fulcimentum.
Illum
Tuum (labor meus) Augustum appella.
Illum
Interpella (mei cordis soboles) Mæcenatem tuum.
Inuoca Protectorem.
Excedit ipse solus
Ptholomeos,Lysandros, Vespesianos,Carolos,
Pios,Seueros,Borsos, Ferdinandos, Alphonsos,
Magnificentia, Munificentia,Beneficentia.
Officijs, Beneficijs.
Qui
Ita in literis cultos est Mœcenatis æmulator,
Vt, si viueret Mœcenas,
Aemularetur HIPPOLYTO.
Ad quem
Memento,sic perpetuò clames:
COELESTINVS BRVNVS,
Quem admirabilis Disciplina tua non horruit Discipulum,
(Et si non sectatorem; saltem,Admiratorem:)
Bonitas Incomparabilis Filium non exhorruit;
(Licet parum Paterni lucratorem Amoris:
Multum, saltem,Aemulatorem:)
Vnde,
Si non sectando;si non lucrando,
Fortè,& quod Discipuli perdidit,& quod erat Filij:
Tu

Tu
Quod est Magistri, & Patris,
Nequaquam amisisti.
Ipse idem COELESTINVS
Qui,
Iam, Iam, totum se tibi vouit,atq; deuouit,
Iterum se tuo mandat Imperio;
Commendat Patrocinio,
Te solum sibi Patronum asciscit.
Meq; eius Animæ, diù elaboratum
Qualemcunq; laborem
In perpetuum Obsequij testamentum:
In æternum Reuerentiæ testimonium:
In sempiternam, licet exiguam,tesseram seruitutis;
Vitibus amputatis, corde illibato,
Actica fide,
Immortali tuo Nomini libat,
Tuo Numini nuncupat, dicat, & sacrat.
Eya ergo
Pater, Præceptor, & Pastor Humanissime,
Qui parua,atq; humilia,
Ne dùm Animi immensitate tui:
Sed,vel ipso Nomine,magna efficis, tollis, extollis;
Exiguum munus hoc,
Eximiæ Virtutis tuæ monimentum,
Tuo effice grato tutamine magnum;
Et quod Magnitudini tuæ cuncta sint modica,
Tibi gaude;
Et in æternum Vale.

Admodum Reuerendo, ac doctissimo

P. M. ÆGIDIO CONSONIO MEDIOLANENSI

Totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Procuratori Generali dignissimo.

Frater Cœlestinus Brunus sal.

QVicquid otij hucusquè mihi sidera præstitere, id ferè totum in hisce meis consumpsi Quodlibeticis Disputationibus conscribendis, tuo præsertim acquiescens consilio (Adm. Reu. Pater) quod quidem tanti facio, quanti debeo, debeo autem plurimi. Hinc plurimum quoque Tibi debere noui labores hos meos, propterea quod ad ipsos toties, hac Quodlibetica Methodo (vtpotè quæ scribendi libertati accommodatior) prosequendos, suasisti mihi: tametsi, nc lautissimo, ac intuitui purgatissimo tuo, longè alij, quàm tu censebas, & optarem ego, videantur, maximè vereor; puderet etiam; nisi, quantum sua cuiq; placeant, animaduerterem: dicente Nasone, De Ar. lib. 1.

——*Nulli non sua forma placet.*

Et similiter Tullio, *Suum cuique pulchrum.* Symmacho verò subscribente, *Iudicii firmitatem frangit affectus.* Tusc. lib. 5. Ep. 72. lib. 1. Quamobrem nouerint vniuersi, velim; tuquè, præcipuè, consideres, quod, licèt humillimi Ingenioli mei, inuolucribus inornatis amictus, vulgaribus crepundijs circumtectus, fœtus iste quodammodo sit informis, quippecui, quodam id contingit infortunio, quo poterat nihil infelicius euenire; nihilominus tamen (forte sua) e Patrem, authoremquè (saltem in genere moris) recognoscit suû: sicquè, vt tuum, non commendare, non adamare non poteris; quantumuis, ea ex parte, qua meus, nulla prorsus laude condignum. Si quid verò præ se commendationis ferre videbitur, id eò scias accidisse, quia & tuus; nec non & etiã Reuerẽdissimi Patris nostri HIPPOLYTI MONTII FINALENSIS meritissimi Generalis soboles existimandus, pariterq; dicẽdus est iste labor: quamquã enim (titulis fateor innumeris) quẽ in te vno singulatem, ac præcipuum collocauit, erga me quadragenarium, non minuisse modo, verum & penitus aboleuisse, visus est aliquibus, amorem: Filium tamẽ, atquè Discipulum me negare non poterit. Noui peruersæ, sed amoris zelotipiæ inter nos venenum, diffidij Fratrum cupidis apparuisse diffidium; idquè, potissimùm, delicias meas in Patris pectore deliniisse; sed, vt liuidi liuore tabescant, en hæc pagella, meo nomine, confitetur, & longè tua merita digniora, & meritò tantum Patrem, se totum, vt ita dicam, tradidisse tibi; cui idcircò paterni amoris cedo primitias. Dum autem maior, dum maximus es, obsecro, vt minorem, vt minimum, saltem, in domo Patris recognosce, dilige fratrem: mercenarium non dixi, quoniam expertus sum satis, satisquè probaui, intus adhuc esse in Patris pectore qui interuenit & exortat, affectum, vrgetiquè Patris viscera iterum filium genitura per veniam. Id quod me tunc obtinuisse fatebor, tunc amplexibus, tunc anulo, tunc prima stola, tunc saginato vitulo mihi frui concessum putauero, cùm hosce labores, nõ tantùm tibi, sed, per te, simul Patri nouero iucundos, & immensi, priscæ suæ erga me disciplinæ Ocani, agnitos vt alumnos, vt gnatos, benigno vultu respectos. Qua demum spe, sicut sum vehementer animatus, ita quoquè, vt diu vtrilquè, & mundo viuat ipse; diuquè mihi & tu, omnis vitæ deprecor authorem.

Ad Lectorem.

EN, tandem, tandiu expectatum prodit Opus in lucem: sed vtinam non prodiret, ne quando pudeat, atquè pęniteat prodijsse. Diu in tenebris sibi licuit, consulto, laterè, & perpetuo (fateor) decuisset potius, quàm hodiè tormento luminis cruciari: nam assueti tenebris lucem non ferunt. Manifestum id in Cerbero æternæ addicto nocti; qui tam dire, dum primis taugeretur Tytani radijs, visus est augi, vt Herculeis vinculis penè disruptis, vi maxima contenderet in patrias refugere tenebras, dicente Seneca.

Senec. in Herc. fur. Act. 3.

———vidit vt clarum Aethera,
Et pura nitiui spatia conspexit Poli,
Oborta nox est, lumina in terram dedit,
Compressit oculos, & diem inuisum expulit,
Aciemquè retrò flexit, atquè omni petit
Ceruice terram,

Id quod etiam Plutonis euenit Quadrigis, Claudiano canente.

Claud. lib. 2. De rap. Proserp.

———longa solitos caligini pasci
Terruit Orbis equos, pressis basere lupatis,
Attoniti meliore polo, rursusquè verendum
In Chaos obliquo certant temone reuerti.

Verum enim verò longa licet caligine pastus sit labor hic meus (candide Lector) non immani tamen martyrio se sentiet, luci expositus, cruciari, si protectionis tuæ vmbra benignissima fulciatur: sub quam sicut lætabitur prodijsse, sic nec suas expectet repetere noctes. Porrò si Quodlibeticæ nomenclationis placuit auspicijs potiri, id factum scias, vt quemadmodum liber in sentētijs, ita libertate frueretur in ordinè. Prior autem hæc Pars Theologica se primò periculis exhibet examinis; prospicit reliqua per cancellos. Si hanc perhumaniter exceperis, exiliet altera illicò, illecebrarũ inuida sororis: sin secus, in suis perpetuò tenebris delitescet. A tua igitur humanitate (benignissime Lector) hæc solamen expectat, illa lucem. Vale.

Ad sacræ Theologiæ cupidum
Sacræ Theologiæ Lector F. Gaspar Bizzaccarus Romanus in Collegio S. Augustini Neapolis Studentium Magister.

Qui mare cælestis sophia vis currere tutus,
Nauiter his folijs edita verba lege.
Sit licet obsessa duplici tua cimba Caribdi,
Firmiter optatum læta tenebit iter.
Mille licet resonent Austri, Boreæquè procellis,
Omnibus à scopulis vndiquè tutus eris.
Est pater illorum ventens Palinurus Olympo,
Quomodo cælestis nesciat ille vias?
Hoc duce doctrina breuiter petit anchora portum,
Per minimos apices optima quæq. docet.
Non etenim voluit blaterans implere pagellas;
Sed grauidis voluit vocibus esse breuis.
Seligit vt pisces rediens piscator arena,
Sic bona selegit dogmata, falsa secans.
Vtquè cibum mater liquido dat lacte puello,
Sic methodis planis aspera cuncta dedit.
Gemmarum pretium velut in se continet aurum,
Sic succinctus reliquos hic liber iste capit.
Omnibus in studijs noctuquè, diuquè legetur,
Non etenim melius terra volumen habet.

Idem ad Auctorem.

Hostibus è victis alter sibi nomina sumpsit,
Fortiter è gestis nomen & alter habet.
At tibi cælesti quæ cælsica scripta recudis,
Laude magis celebri nomina prisca nouant.
A cælis etenim promis dum dogmata sumpta,
Te Cælestinum nemo vocare negat.
Dent igitur cæli cælestia sæcula viuas,
Cætera ne cælis cælica scripta pios.

IN ADM.R.P. MAGISTRI COELESTINI BRVNI
planè cœleste opus
D.FELICIS DE IANVARIO S.T.DOCTORIS.
Tetrastichon

Non nisi cœleste est, cœlesti luce coruscum
Quod Cœlestinus dat tibi,lector,opus.
Si legis,ipse etiam cœlesti hac luce frueris,
Quæ tibi cœlestum pandet ad alta viam.

Fratris Cœlestini Sinagra Auersani Augustinensis; Sacræ Theologiæ Professoris.

Authoris Alumni, Accad. Nocturni.
Aeternis Calestini Bruni Glorijs.

COELESTINVS BRVNVS.

Anagramma purum.

EN TV ROS, NVBES LVCIS!

Aspicis, vt cœlum,fœcundis roribus,effert
In flores herbas,cunctaquè luce beat?
Sic per te proprias fundens sapientia vires,
Te scribente pluit, tequè docente nitet.
EN TV ROS;NVBES LVCIS:Contestor,& ipse,
Dum,me tam segnem,rore,nitore iuuas.

Eiusdem Epigramma.

Rostra per & cathedras celebratus voce diserta,
Temporis insidijs,insidiatur adhuc,
Perpetuis BRVNVS committit nomina chartis,
Gloria ne calami sit memorata minus.
Munera suggessit Paulus suauissima lingua,
Promeret vt nullus lactea verba magis.
Exacuit calamum Doctor Carthagine natus,
proderet vt nullus scripta operosa magis.
Hoc,inter calamum,& vocem,discrimen obortum:
Attrahit hac populos,terret at ille Sophos.

b ELO-

E L O G I V M

Quicunque lecturus accedis ,
Si bellissimo saltem non effulges ingenio,
recede.
Tecum quippe dedignatur loqui
Ingeniorum Ingenium, & magnæ mentis officina
COELESTINVS;
Quem etiam erubescentem videres,
nisi BRVNVS esset.
Nil tibi cum illo conuenit ,
Qui
Sicut fulmen portat in lingua, sic flumen deriuat è calamo ;
Obrueret te flumine, vt exanimat fulmine ;
Recede .
Si verò tibi pectus Intelligentiæ ferax,
Ingredere secretioris Sapientiæ Sacrarium,
Vbi
Quot dicta, tot oracula; tot stupores , quot verba.
Vide tamen,
Ne dum intus existis, eò superbias .
Quod æterņs tantæ Doctrinæ radijs,
Cælum terramquè penetres :
Dedecet lectorem efferri,
Vbi nouerit Auctoris certantem cum eruditione modestiam.
Egressus tandem
Augustinianæ Reipublicæ gratias habe,
Quæ
Talem tibi Virum educauit ,
De quo dubites
AN MORTALIS SIT.
Hæc
Pellente reuerentia, & dictante conscientia,
Io: Augustinus Galuanellus à C.S.P. Bononiensis Augustinianus.
Sacræ Theologiæ Professor, & Academicus Nocturnus
Præmonenda censebat .
Fruere .

Theologo Præclarissimo, Verbi Dei Proclamatori Celeberrimo, omnium simulachro virtutum , *Cælestino Bruno*, Almi Neapolitani Sacrorum Theologorum Collegij Doctori : Maximi Augustini, eiusque superæ Sapientiæ Alumno.

D.A.S.T. tanti viri meritorum admirator, obseruantiæ ergò .

EPIGRAMMA.

Aurea quis docto fundit de pectore dicta ?
Et quis diuinas promit ab ore dapes ?
Dogmata quis Christi mundo dignissima pandit?
Et nostra, optato vulnere, corda ferit ?
Quis nostros animos superas extollit ad arces ?
Et facit Æternum mente videre Deum?
Calamo quis sophiam sophos? quis Calica sophus?
Naturæque sagax abdita quæque docet?
Quisque ligat dictis, innodat pectora factis,
Mentibus est lumen, Auribus estq; melos?
Quis populis dicens, populos succendit amore,
Et facit, vt crebris fletibus ora rigent?
Angelus, aut Cæli celsa descendit ab Aula
Aut Cælestinus (credite) Brunus erit.
Cedite Doctores Calamo, vocique ferete:
Non tulit hac Aetas, non feret vlla parem.

Hùc lector appelle;
Et dum cæleſtia,admirando,legis,
Authorem venerando,comes eſto Gloriæ,
Quæ
De ſuo euolat ſublimi ſolio;
Vt carmine Idalio colat
COELESTINVM BRVNVM
Cæli Auguſtinenſis,inter ſidera, Phæbum;
Inter Alites, Iouis Alitem;
Inter Theoſophos,eruditiſſimum,
Inter Proclamatores,doctiſſimum;
Et inter doctiſſimos, eruditiſſimosq;
Luminare præfulgentiſſimum.
Cuius
Ingenij acumen,Eloquentiæ flumem,
Supera penetrat,Irrigat Infera,
Platones concutit,obruit Demoſthenes.
Quem
Venus ſuſcipit vlnis,dum lac Venuſia præparat,
Leuante Lucina.
Calliopes germen Separat,Parthenope.
Vrbs gratè reparat Albanorum,Roma;
Roborat Iberia.
Sed docet ipſe,voce,& calamo,
Heſperus alter,
Heſperias,Europam,Orbem;
Immò nec eius capit nomen Mundus:
Capient,dumtaxat,ſi dilatentur Empirea.
Qui
Mundum ipſe capit,capit Cœlum,& Cœlica.
Hic,
Vt Iuuentas,dederat Iuuentæ Logicas:
Moralibus, & Campſoribus, cambia,
Dediſſet naturalia,& abſtractiora;
Sed adeò vulgauit calamus;
Vt nil famæ addidiſſet prælum;
Nunc
En ſupera QVODLIBETA pandit;
Bono,& dono quolibet,cęlitus sè monſtrans prędîtum.
Conſule tù lector Facultatum muſas,
Vel Ariſtarchum conſule;
Nam COELESTINVS Muſarum dilectus Alumnus
Non timet Ariſtarchos.
Cælebrent COELESTINVM Panhormi,Senæ,
Inſubriæ;Bononiæ,Venetiæ,Romæ,
Parthenopes, Orbes,
Quos,vel orator inflammat,vel Doctor inſtituit;
Vel,Scriptor illuminat,vel Rector informat.
Cælebrent Sacræ Purpuræ
Quâti COELESTINVM faciât? quę ambiunt à cõſilijs
Quibus cunctis
Si petas, quis COELESTINVS BRVNVS?
Centuplici,Echo,voce reſonabit,
VNVS.
Hinc eius fælicisſimis meritis,
Et omnium plauſibus emeritis excitatus
Fulgentius de Arminio Auguſtinianus
Et ſi in Academia Nocturnorum, infelix
Ob tanti tamen plauſibilem viri felicitatem
Exultans(vtinam feliciter)
Hæc dicit.
Cætera,Fama.
Gaude.

PERQVAM R·P·MAGISTR·

F·COELESTINO BRVNO

Augustin. Familiæ Iubari Augustiss.
Theologorum
Doctori, Ductori,
Peripateticorum Præclarissimo,
Concionatorum Præstantissimo,
Germano Sacrarum Literarum Interpreti,
Ingenio Cultissimo, Peregrina Eruditione
Ornatissimo,
Neruosa Eloquentia; vel Græco Demostheni
Comparando,
Vitæ Synceritate, Morum Suauitate
Conspicuo,
Calami Doctrina Famigerato,
Non tam Imitabili Regendis Prouincijs,
Quam Admirabili,
Maiorum Eccles. Infularum
Iure Optimo Meritissimo,
Quē Cella ferè Cœlū penè Cœlestē reddidit
Cœlestinum.

Flauius Ventrilia I.C.Acad.Parthenopeus.
Sapientissimo Sopho
Deuotionis ergo.
D. D.

APPROBATIONES.

OPVS Quodlibeticum Theologicum Admodum Reuerendi Patris Magistri Cælestini Bruni Neapolitani, viri inter Theosophos eruditissimi, inter Europeos admirādi, inter Augustinıadas sapientissimi (quod *Prima pars Theologica Quæstionum Quodlibetalium* vocatur) addiscendi studio, impellente, & Reuerendissimi Patris nostri Generalis iussione exigente, diligenter perlegi, ac sedulò euolui. In eo omnia ita adamussim concinnata, ita affabrè disposita, ita apprimè elaborata inueni, vt nihil doctius, nihil solidius, vberius nihil à Philaletheis desiderari queat. Antiqua è tenebris eruta, recentia rationibus obfirmata, omnia denique labore exacta continet Opus istud, vt Viro COELESTI non indignum, sed vndequaque respondens circumspiciatur. Opus itaque cœleste magis, quam terrenum (absit verbo assentatio, vbi veritas adest) sedulis studiosis profuturum, magnam Hesperiam decoraturum, Augustinensem eremum illustraturum, vt Typorum vmbris lucem afferat, sicq; in lucem prodeat, lucis vsura perpetim petiturum approbo, atque commendo.

Ego Magister Frater Gabriel Foscus Anconitanus Coeremita, in Aureliano Athenæo Neapolitano Magister, Regens, ac studiorum Præfectus.

OPVS (*Quodlibeticarum Disputationum Pars prior Theologica*, inscriptum à grauissimo, atq; sapientissimo Patre Sacræ Theologiæ Magistro Fratre Cœlestino Brunō ordinis Eremitarum S. Augustini elucubratum, iussu Reuerendissimi Patris Magistri Fratris Hippolyti Montij eiusdem ordinis Generalis, ego infrascriptus, non cursim, sed maturè potius, maxima cum iucunditate (illud enim iam præsolabar), atq; vtilitate nō modica perlegi: Nec in eo Sacræ Doctrinæ, aut bonæ Philosophiæ repugnans quidquā deprehendi; Immo totum, Doctrina solida, claritate mirabili, Sacræ Scripturæ interpretatione germana, Sacrorum Conciliorum explanatione consona, SS. Patrum placitis, difficultatibus passim, ex proprio labore, ac ingenio excogitatis, nouis obiectionibus, & argumentis cum dissolutionibus profundis refertum, & tanto Authore dignum reperi. Quarè vt in publicum prodeat, & non solum Typis, sed etiam æternitati emandetur, & ab omnibus, magno prætio, ac præ manibus habeatur in commune bonum, dignissimum iudico. Datum Neapoli in Conuentu S. Ioannis ad Carbonariam.

Frater Ioannes de Vbaldis Sigillensis studij S. Io: ad Carbonariam Regens.

Magister Frater Hippolytus Montius Finalensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis.

Reuerendo Nobis in Christo Patri Magistro Cælestino Bruno Neapolitano *eiusdem ordinis, ac voti. S.*

VT opus, *Quodlibetica Theologica* inscriptum, à te elucubratū, & à Patribus per Nos deputatis recognitum, & approbatum, Typis dare possis, harum vi literarum, & nostri muneris porestare, quantum ad Nos spectat, & seruatis seruandis, licentiam impertimur. Datum Romæ 13. Octobris 1640.

Frater Hippolytus Montius Generalis S. Augustini.

Nostri muneris firmata sigillo.

Regiſtr. lib. 4.

Ex mandato Eminentissimi , & Reuerendissimi Domini D. FRANCISCI S. R. E. Cardinalis Boncompagni Archiepiscopi Neapolitani.

EGO Felix de Ianuario S.T.D. in Archiepiscopali Congregatione sancti Officij Consultor, ac librorum Censor Deputatus, Quodlibeticales Theologicas disputationes Ad.R.P.F.Cælestini Bruni Ordinis S.Augustini S.T.M. ac Diuini Verbi Concionatoris eximij summa cum voluptate legi; & tantum abest, vt in illis quidquam repererim ortodoxæ fidei, vel bonis moribus repugnans, quin omnia mira styli, qua facilitate, qua felicitate pertractata deprehendi, quibus doctissimus Auctor, tum ad sacræ Scripturæ arcana penetranda, tum ad Sanctorum Patrum, ac Theologorum primæ sedis scripta intelligenda, clarissimam addit lucem, vt qui latentes Theologicas veritates, tam illustri pratensa face non vident; me iudice, nihil videant. Quamobrem illas, ad Doctorum omnium, siue vtilitatem, siue iucunditatem, vt quamprimum typis euulgentur, dignissimas censeo. Datum Neap. Idib. Ianu. 1641.

Ita censeo.

Felix de Ianuario S.T.D. Deputatus,

M.F. Dominicus Grauina Ord. Præd. Curiæ Archiep. Theol.

Imprimatur.

Alexander Lucianus Vic. Gen. Neap.

INDEX

INDEX TITVLORVM QVODLIBETORVM,

DISPVTATIONVM, ET CAPITVLORVM.











QVODLIBETVM QVINTVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.



QVODLIBETVM SEXTVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

APPENDIX LOCVPLETISSIMA

QVODLIBETVM SEPTIMVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

QVODLIBETVM OCTAVVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

Cap.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.

DISPVTATIO SEXTA.



QVODLIBETVM NONVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

Cap.

DISPVTATIO SECVNDA.

QVODLIBETVM DVODECIMVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

QVODLIB. DECIMVMTERTIVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

Cap.

Cap.



QVODLIB. DECIMVMSEXTVM.

DISPVTATIO SECVNDA.



QVODLIB. DECIMVMSEPTIMVM.

DISPVTATIO SECVNDA.



QVODLIB. DECIMVMOCTAVVM.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.

DISPVTATIO SEXTA.

DISPVTATIO SEPTIMA.

QVODLIBET. DECIMVMNONVM.

QVODLIBETVM VIGESIMVM.

FINIS.

QVODLIBETVM PRIMVM.

De Sacra Doctrina.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum Sacra Doctrina dicenda sit scientia?

CAPVT PRIMVM.

Quid intelligamus per Sacram Doctrinam?



§. I.

1 

IVNIORES omnes apud Diuū Thomā 1. part. q. 1. art. 1. versant, An præter naturales facultates sit necessaria aliqua alia doctrina? cui quæstioni duplici conclusione satisfacit D. Thom. quarum Prima est. ***Necessarium esse ad humanam salutem consequendam, doctrinam quandam per reuelationem esse de multis, quæ hominis intellectum excedunt.*** Secunda est: ***Necessarium esse, præter scientias lumine naturali acquisitas, esse doctrinam per reuelationem de his, quæ lumine naturali inuestigari possunt.*** Pro quibus conclusionibus adnotat Caiet. ex eodem D. Thom. 1. cont. gent. cap. 3. Duo esse genera cognoscibilium de Deo, principalitèr; quędam, quæ de per se excedunt lumen rationis; & sic, non nisi per reuelationem cognoscibilia; vt, Deum esse trinum; & obiectum beatificæ visionis &c. & de his intelligit primū dictum ex positis: quædam verò demonstrabilia, & per lumen rationis cognoscibilia, & sine reuelatione; licèt non ità benè, vt per reuelationem; cuiusmodi sunt; Deum esse, esse vnū, esse immortalē, &c. & de his intelligit D. Thom. in 2. dicto.

Præter scientias naturales, necessariam sacram doctrinam.

Duo genera cognoscibilium de Deo.

2 Item adnotat, Ly, *(necessarium)* in primo dicto, sumendum esse simplicitèr: in secundo verò ad bene esse; itaut sensus illarum conclusionum sit; quod supernaturalia mysteria, quæ humanam mentem excedunt, nullo alio modo queunt intelligi, nisi per doctrinam reuelatam: at vero ad habendam notitiam de Deo, quod sit; quod sit vnus, immortalis, &c. licèt aliquo modo, & à paucis scientificis ea possit haberi per lumen naturale: tamèn ad hoc, vt perfectè, & à multis ea intelligantur, necessaria est doctrina sacra, per reuelationem acquisita.

Mens D. Th. ex Caiet.

§. II.

3 EX his desumunt occasionem disputandi, quid intelligat D. Tho. per illam doctrinam sacram, ad humanā salutem necessariam? vbi alij, fidem; alij, Theologiam, sanctum Doctorem intelligere fatentur; Nām, vt benè notat Pater Montagnolius ibi; licèt habitus principiorum, & habitus conclusionum sēper, & formalitèr, & realitèr distinguātur: tamèn habitus principiorū necessario concurrit ad habitum conclusionum: adeo quod completa scientiæ cognitio; idest; Discursus, ex vtroque habitu necessariò perficiatur, vndè nō inconuenit, nomine Scientiæ, appellari, nō solùm cognitionem

Montagnol.

Habitus principiorū concurrit ad habitum cōclusionum.

nem præcisam conclusionum, sed etiam principiorum. Quamobrem diuidi solet scientia, in cognitionem præambularem; idest, principiorum; & cognitionem scientificam formalitèr conclusionum. Cumque habitus Fidei, sit habitus principiorum Theologiæ, ex quibus ipsa Theologia suas infert conclusiones, vt ex dicendis clarius patebit: non incongruè Doctores, per scientiam, seu doctrinam sacram & reuelatam, intelligunt, nedùm ipsam Theologiam, verumetiam fidem.

Habitus Fidei, est habitus principiorum Theologiæ.

4 Sed petes, quo pacto Theologia dici poterit scientia reuelata? Respondeo; duplicitèr aliquid posse dici reuelatum: Primò formalitèr, & in se ipso: Secundò virtualitèr; idest, in suis principijs; verbi gratia; formalitèr reuelatū est nobis, quod *Deus est homo*: virtualitèr autem, quod *est Risibilis*: hoc enim, quod est, *esse Risibilem*, cōtinetur necessariò in hoc principio, quod est, *esse hominem*; Fides est formalitè, & in se ipsa doctrina reuelata, cùm omninò rei euidentiam excludat: at Theologia dicitur doctrina reuelata virtualitèr; idest, in suis principijs: cum enim conclusiones Theologicę deducantur per necessariam consequentiam ex principijs Fidei, dicuntur reuelatæ in principijs, & sic virtualitèr tantum, non formalitèr, & in se ipsis; aliàs spectarent immediatè ad solum habitū Fidei.

Quō Theologia dicitur scientia reuelata, & quo pacto non reuelata.

§. III.

5 Vndè summoperè adnotanda est exacta Theologiæ Diffinitio, seu Descriptio, quam annuit Haccher. 1. par. disp. 1. §. alterum est, nempè: *Habitus intellectualis acquisitus, inclinans, & mouēs intellectum ad assentiendum conclusionibus, quæ ex principijs reuelatis, ac creditis per euidentem consequentiam deducūtur*. Dicitur Primo Theologia, *habitus intellectualis acquisitus*, vt intelligamus, eam non esse per se infusam scientiā, & à Deo formalitèr reuelatam, sed studio, & industria humana, frequentatis actibus Theologicis comparari. Dicitur Secundò *inclinare, & mouere intellectum ad assensum conclusionum*, vt distinguatur ab habitu Fidei, qui proximè inclinat ad assensum principiorum. Tertio dicuntur *conclusiones, ad quarum assensum mouet, deduci ex principijs reuelatis, ac creditis*, siuè vtrumque reuelatum, & de fide sit; idest, ambæ præmissæ sint de fide, & reuelatæ: siuè vna tantùm ex præmissis sit reuelata, & de fide: altera cognita euidētèr lumine naturali; vtitur enim Theologia sæpissimè ad colligendam conclusionē Theologicam, altera præmissarū nota lumine naturali; non quidē vt principio proprio, sed vt peregrino, & extraneo, quod præmissæ propriæ, ac reuelatæ subseruit, & ancillatur, dùm eam ad conclusionis deductionem applicat. Quarto demum dicitur *Deductio hæc debere fieri per euidentem consequentiā*: Nàm quantumuis certa sint in aliquo discursu principia, & cōsequens: nisi ratio consequētiæ sit necessaria, & nobis euidens; non potest, vi talis discursus, maior gigni notitia, quàm opinatiua, & probabilis: Theologia autē certior esse debet omnibus scientijs naturalibus.

Nota diffinitionem Theologiæ ex Hacchero.

6 Nos ergò cū de sacra Doctrina disputamus, non intelligimus Fidē, sed solā Theologiā, quæ, modo dicto, dicitur reuelata doctrina virtualitèr: cum formalitèr sit acquisita: & pariter sacra dicitur; tum quia de Deo, rebusque diuinis, ac sacris disceptat: tùm etiā quia nititur principijs sacris; vtpotè, à Deo reuelatis.

Solā Theologiam intelligimus per sacram Doctrinam.

CAPVT II.

In quo varia scientiæ vsurpationes proponuntur, & quæ nam sit scientia propriè sumpta?

§. I.

1 Recolenda est doctrina, quā nos tradidimus in Logica disput. 1. prohem. not. 5. vbi docuimus, scientiā aliquādo sumi pro quacunq; lata, & cōmunissima cognitione; quo modo, quicquid cognoscimus, dicimur scire. Aliquando strictius pro cognitione clara, & euidenti rei simplicitèr necessariæ per suam causam: de qua locutus est Arist. 1. poster. c. 2. vbi definiens, Scire, inquit: *Scire autē arbitramur vnumquodq; simplicitèr, sed nō sophistico modo, qui est secundū accidens, cū causam existimamus cognoscere, propter quā res est, quoniā illius causa est, & non cōtingit aliter se habere*. Ex quibus verbis collige cū Scoto in primo, in princ. q. quartæ litteralis; & cū Fauent. ibid. disp. 6. c. 1. n. 1. §. secundū autem Arist. quatuor esse cōditiones veræ scientiæ, & in vigore sūptæ,

Definitio scientiæ ex Arist.

Quatuor cōditiones veræ scientiæ.

Prima

Prima est, quod scientia sit cognitio certa, idest sine vlla dubitatione, & deceptione; Secunda est, quod sit de obiecto necessario, quia de contingentibus non datur sciētia. Tertia est, quod sit causata à causa habente euidentiam apud intellectum habentē scientiam. Quarta, quod hæc causa sit applicata cognito, siue scibili per discursum syllogisticum: dùm enim dicit Arist. *Quod scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa*; tradit certitudinem cognitionis, euidentiam causæ, & syllogisticam demonstrationē; at sic dicat Arist. Scientia est cognitio rei per causam proximam, & immediatam, ità euidenter intellectui, vt omninò certus sit intellectus, quod talis causa est causa talis rei. Illa enim par: *quoniam illius est causa*, denotat intellectum debere cognoscere euidentèr, illam causam esse causā talis effectus, quod sit per applicationem discursus syllogistici causæ ad effectum; ex quo oritur, quod scientia est cognitio certa absque dubitatione, & quod est causata à causa euidenter nota intellectui, & applicata ad cognitū per discursum syllogisticum. Secunda conditio, scilicèt, quod sit de obiecto necessario, habetur in vltima particula diffinitionis in illis verbis, *& non contingit aliter se habere*: hæc enim significat sciētiam esse infallibilem, & simul obiectum, de quo est, esse necessarium; etenim hæc simul manere non possunt, quod scientia sit infallibilis, & necessaria, & tamèn obiectum sit contingens, & variabile.

2 Ex his conditionibus veræ scientiæ, illa quarta, nempè, *quod scientia sit cognitio causata per discursum syllogisticum à causa ad scitum*, includit imperfectionem tàm ex parte scientiæ, quàm ex parte intellectus: ex parte quidem scientiæ; siquidem est effectus æquiuocus; omnis autem effectus, qui æquiuocè procedit à causa æquiuoca, vt ipse Fauent. ait loco supra citato, imperfectior est sua causa. Quod verò sit effectus æquiuocus, patet; quia causatur à cognitione principiorum, quæ est intellectus, & est euidentior, & notior, quàm scientia conclusionum, iuxtà illud Arist. 1. post. c. 2. *Propter quod & vnumquodque tale illud magis tale*. Et quod etiam includat imperfectionē ex parte intellectus, est certum, quia includit potentialitatē ex parte intellectus recipientis; etenim intellectus, qui per discursum syllogisticum acquirit aliquam nouam notitiam, supponebatur prius denudatus tali notitia, licèt haberet prius notitiam principiorum per habitū intelligentiæ, ità Fauent.

Quarta conditio includit imperfectionē, & ex parte scientię, & ex parte intellectus, ex Fauent. quicquid sit de illa propositione *omnis effectus æquiuocus imperfectior est sua causa*; quæ à nobis alibi examinanda est.

Aristot.

§. II.

3 Ex dictis colligo, scientiam verè, & propriè sumptam, esse effectū demonstrationis: Demonstratio autem diffinitur ab Arist. 1. post. cap. 2. *Quæ est ex veris, primis, seù immediatis notioribus, prioribus, & causis conclusionis*. Quā definitionem communitèr recipiūt omnes Philosophi, & subdit Arist. quod sine his conditionibus, syllogismus quidem erit: Demonstratio autem non erit: non enim faciet scire.

Corollarium

Quid Demōstratio.

4 Ex qua definitione inferre etiam licet, principia Demonstrationis debere esse clara & euidentia; nàm fieri non potest, (vt optimè Hacchetus tract. 1. disp. 1. not. 3.) vt aliqua præmissa sit prima & immediata, quin eo ipso etiam sit euidens, vel enim actu immediata est: & sic est per se nota: vel virtute, & sic, vt ingrediatur syllogismum demonstratiuū, ex per se notis demonstrata esse debet: quoniā, vt inquit idem Arist. ibidem: *non scit, nō habens demonstrationem ipsorum*. Omnis autem propositio, vel per se nota, vel ex per se notis demonstrata, clara est, & euidens.

Principia Demonstrationis clara, & euidentia. Hacchet.

Aristot.

5 Vbi etiam illud est summoperè adnotandum, quod subdit idem Aristot. *oportere illum, qui scit, cognoscere rem non aliter posse se habere*. Quarè non satis est ad rationē scientiæ, vt principia demonstrationis sint alteri euidentia: sed debent esse euidentia illi ipsi, qui demonstrationem, vel scientiam habet: intelligi enim non potest, quomodò per notitiam, & claritatem in alio existentem possit immediatè, & naturalitèr causari scientia aliqua in mente alterius.

Principia demōstrationis debēt esse nota illi, qui scientiam habet.

Aristot.

CAPVT III.

De Theologia Dei, Beatorū, & de ea abstractè sumpta.

§. I.

1 In triplici intellectu considerari potest hæc sacra doctrina, quæ Theologia dicitur, & est notitia de Deo; nempè in intellectu di-

uino, Comprehensorum, & Viatorum. Per intellectum Comprehẽsorum intelligimus, tàm intellectum eorum, qui ex nostris ad patriam euolarunt, quàm Angelorũ. Quantum ad Theologiã, quę est in intellectu Diuino, dici proculdubio poterit aliquo modo scientia, quoad tres tantùm conditiones ex illis quatuor assignatis cap.2. num.1. nàm vt sic considerata, est notitia certa absque vlla dubitatione, est insuper de obiecto necessario; & est suo modo ab Essentia Diuina, quæ est notissima, & euidentissima intellectui diuino. Ast non reperitur in tali notitia quarta, & vltima scientiæ conditio, nempè, quod sit per discursum syllogisticum; siquidem, vt dictum est eod. cap. num.2. cognitio, quæ est cum discursu syllogistico includit imperfectionem potentialitatis in intellectu habente talem notitiã; quod non est dicendum de intellectu Diuino; imò neque de ipsa Theologia in se ipsa considerata, præscindẽdo ab hoc, quod sit in aliquo intellectu; quo pacto solet etiam considerari à Theologis, vt videre est apud Fauent. disput.6. cit. Hackerum disput.1. Montagnol. hic §.2. *docet hic sanctus Doctor*, Val. q.1. punct.3. & alios.

Qũo Theologia Dei possit scientia nuncupari.

2 Et idem dicendum autumo de Theologia Comprehensorum, posse, nimirum dici scientiam, quoad easdem tres conditiones; licèt Scotus citatus à Fauent. conclus.2. velit, posse etiam dici scientiam, quoad quartam conditionem de discursu syllogistico; credunt enim Scotistæ Angelos, & Beatos posse discurrere.

Quid de Theologia Comprehensorum. Quid sentiat Scot.

§. II.

Contra Scot. nota Cõprehensore non discurrere. D.Thom. Dionys.

3 Coeterũ, (vt optimè docet D.Tho. 1. par. quæst.58. art.3.) hoc nullo modo est concedendum; tùm quia Dionys. cap.7. de diu. nom. ait: quod Angeli, (& idem de Beatis) non congregant diuinam cognitionem à sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad ista specialia simul aguntur. Tùm Secundo, nàm intellectus abstractus in Patria vno aggressu penetrat, quæ intellectus corpori concretus, ob imperfectionem sui luminis, & specierum, quas à rebus, medijs phantasmatibus, exigit, indigentiam longa circuitione, dum ex vna notitia in aliam deuenit, comprehendit. Tum Tertio, quia qualis est differentia inter corpora superiora, & inferiora respectu suarum naturalium perfectionũ; talis est differentia (inquit D.Thom. loc. cit.) inter intellectum humanũ, & Angelicum, respectu intellectualiũ perfectionum; Sed inter corpora cœlestia, & inferiora hæc est differentia, quod corpora inferiora per mutationem, & motum adipiscuntur vltimas perfectiones: corpora verò cœlestia statim ex ipsa sua natura, suam vltimam perfectionem habẽt; ergò pari modo, sicut inferiores intellectus, scilicet hominum in via, per quendã motum, scilicet, per discursũ intellectualis operationis, perfectionẽ, & cognitionem veritatis adipiscuntur: dùm scilicet ex vno cognito in aliud procedunt: ità intellectus Angelici, & Beatifici, absque aliquo motu, & discursu, statim in cognitionem veritatis perueniunt: Maior propositio huius syllogismi probatur à Diuo Thoma, nàm Angeli, sicut & animæ Beatorum, cœlestes mentes à Dionysio dicuntur, & ideò comparantur ad nostrum intellectũ, dùm sumus in via, vt cœlestia corpora ad inferiora; Tùm tandem Quarto, quia intellectus, qui statim in cognitione principij inspiciunt, quasi notas omnes conclusiones consequentes, non cognoscunt discurrendo; sed intellectus Angelorum statim in ipsis principijs naturalitèr cognoscunt, & inspiciunt omnia quæcunque in eis cognosci possunt: ergò non cognoscunt discurrẽdo: maior patet; quia si nos in principio cognito videremus, & cognosceremus omnes cõclusiones cognoscibiles per tale principium, profectò absq; aliquo discursu cognosceremus: Minor vero probatur, quia propter hoc Angeli intellectuales dicuntur (inquit D.Thom. in corpore art. cit.) quia, scilicèt, etiam apud nos, ea, quæ statim naturalitèr apprehenduntur, intelligi dicuntur: vndè & intellectus dicitur habitus principiorũ, & ex opposito, nos, qui veritatis cognitionem per quendam discursum, & ratiocinationẽ acquirimus, rationales dicimur. Ratio autem quare Angelus vnico intuitu in principio cognoscat omnes conclusiones, quæ in ipso cognosci possunt, & nos hoc non possumus, est: quia Angeli habent plenitudinem luminis intellectualis: nos verò nõ ità, si eam namque haberemus, statim in primo aspectu absque discursu virtutem principiorũ comprehenderemus, intuendo quicquid ex eis syllogizari posset: cum autem anima nostra est in Patria, fruitur tali luminis plenitudine.

D.Thom.

Dionys.

D.Thom.

4 Quod

§. III.

Obiectio. Solutio ex D.Thom.

4 Quod si obijcias: Angelos cognoscere vnum per aliud, cum cognoscant creaturas per verbũ; ergo discurrũt. Huic obiectioni per optime satisfacit S.D. dicens, discursum motum quẽdam nominare, omnem autem motum esse de vno priori in aliud posterius; vnde discursiua cognitio attenditur, secundum quod ex alio prius noto deuenitur in cognitionem alterius posterius noti. Si autem in vno inspecto simul aliud inspiciatur, sicut in speculo inspicitur simul imago rei, & res; nõ est propter hoc cognitio discursiua; & hoc modo docet, Angelos & Beatos cognoscere res in verbo. Discursus ergò non consistit in hoc, vt videatur vnum per aliud; sed in hoc, quod vnum videatur per aliud, & post aliud.

In quo consistat discursus.

Not. ex D. Tho. contra Scot. & Vasq.

5 Pro qua doctrina est summoperè adnotandum in sententia D. Thomæ, quod inter antecedens & consequens, in esse cognito, vel semper actu adest mora temporis, saltem imperceptibilis; vel si non adest, nata est adesse. Et ideò negatur discursus in mẽtibus Beatorum, quia vel simul tempore omnia cognoscunt in re, vel natæ sunt cognoscere; nec vna cognitio causat, nec apta est causare aliam ad veritatis cognoscendæ complementum, quod est contra Scotum in 2. dist. 7. q.1. & partim etiam contra Vasq. p.1. disp.222. cap.2.

§. IV.

Obiectio difficilis ex Scot. & Fabent.

6 Quod si cum Scoto in prohem. 4. sent. vbi disputat, An Theologia sit scientia, & cum Fauent. disp. illa 6. cit. dicas: Quidditas subiecti, puta, lineæ, cõtinet virtualiter omnes veritates, quas potest facere notas intellectui, apto nato pati à tali obiecto, ergo in quocunque lumine quidditas subiecti videatur, semper videtur & cognoscitur cum tali continentia, & veritates ipsius ex ipsa quidditate producuntur, & emanant, ergò siue illa quidditas videatur lumine naturali, siue supernaturali, & in essentia Diuina, sẽper potest notas facere veritates in se conclusas. Tunc subsumunt: Omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid prius naturaliter notum, causatur per discursum; sed veritates theologicæ causantur in intellectu Beato, & Angelico ab essentia diuina, & ab alijs quidditaribus visis in essentia Diuina, tanquã ab obiecto continẽte virtualiter illas veritates, prius naturaliter noto, ergo cognitio veritatum theologicarum in Beatis fit per discursum.

7 Hoc Scotistarum argumẽtum facile soluitur, si aduertas cum Caier. super illum art.3. quæst.58. Discursum esse effectum se tenentem ex parte intellectus, magis, quàm obiecti, quoniam de omnino simplicissimo obiecto viatoris discurrit, puta, de Deo; & ideò quantumcunq; obiectũ in se habeat vnde causet discursum, & intellectus sit mobilis ab obiecto, & illud cognoscatur in se ipso, non sequitur hic effectus, qui est discurrere, nisi in intellectu apto discurrere, & sic imperfecto, vt statim in quod quid est viso non penetret virtutem eius.

Not. 1. ex Caiet.

8 Item certum esse debet, ad rationem discursus, non sufficere, quod veritas vnius causetur à veritate alterius, imò nec hoc requiri, vt patet in discursu à posteriori: sed exigi, quod cognitio vnius causetur ex cognitione alterius in illo intellectu; quod locum habere non potest, quando vna, & simplici cognitione vterquè cognoscitur, cum idem esse non possit secundum rem causa sui ipsius.

Not. 2.

§. V.

9 His adnotatis, patet responsio ad obiectionẽ Scotistarum, illam currere tantum, quando obiectum virtualiter continens illas veritates, se offerat cognoscendum intellectui imperfecto, qui aptus est illo modo pati; non autem intellectui perfecto in patria; & ratio est, nam licet mox oblata causa aliqua menti Angeli, in ea omnia eius cernat effecta, & licèt causa sit causa effectus, & hoc optimè norit huiusmodi intellectus, nihilominus cognitio, quam habet Angelus talis causæ, non est sibi causa cognitionis, quam habet effectus eiusdem causæ, quod discursum expostulare, modo dicebamus, sed vno, eoque simplo intuitu, ac notitia, Angelum, & causam cognoscere, & effectum, & quomodo ab ea causa ille causetur effectus: Non ergò discurrere dicuntur illæ Beatæ mentes, cognoscẽdo aliquid esse causam rei, dummodo talis cognitio causæ non sit ipsis causa cognitionis effectus: ita videtur etiam respondere P. Raphael Ripa q. illa 58. in notar. super art.3.

Solutio obiectionis Scotistarum.

Raphael Ripa.

10 Et huc tendere videtur doctrina D.Thom.

D.Thom. D.Thom. in respons. ad 2. eiusdem art. vbi ait, aliquem syllogizare,duobus modis stare posse; vno modo, tanquàm syllogismum cognoscens: alio modo, vt syllogizet, ad hoc vt in cognitionem veritatis ignoræ, per syllogismum perueniat: qui primo modo syllogizat, non est necesse, quod discurrat, benè tamen discurrere dicitur, qui secundo modo syllogizat: Angelus autem syllogizare potest, tanquam syllogismum cognoscens, videt enim effectus in causis, & causas in effectibus, non tamen cognitionem veritatis ignotę acquirit syllogizando ex causis in causata, & ex causatis in causas.

11 Quarè in forma præfato argumento Scotistarum (quicquid sit de principali) sic posset fieri satis, Respondendo ad maiorem propositionem subsumpti; quod aliquid esse prius naturaliter notū, stat dupliciter, primò, ita vt cognitio illius prioris sit causa cognitionis posterioris, & sic vera est illa maior propositio: secundò, ita vt illud prius, tantum ordine naturæ dicatur prius ab intellectu notum, vel ratione ordinis, & connexionis obiectorum, quo pacto dicimus, Deū ipsum in priori signo cognouisse solem, eiusquè virtutem, seu potentiam illuminandi vniuersum: in secundo verò, ipsam illuminationem: non tamen hinc licet inferre, Deum discursum habuisse in tali cognitione; nam cognitio solis, eiusquè virtutis, non fuit Deo causa cognoscendi illuminationem: & hoc modo intellecta maior illa propositio, falsa est, & sic minor illius syllogismi, hoc secundo modo intelligenda est ad summum, non primò. Vnde patet falsitas consequentiæ. (Respondetur in forma argumento.)

12 Neque valet obiectio de Dęmonibus, qui multa norunt per experientiā, ex Isid. lib. 1. de summo bono: cum tamē cognitio experimentalis sit discursiua; ex multis enim experimentis fit vnum vniuersale, ex secundo post. text. vlt. & 1. metaph. tex. 7. Nam optimè etiam respōdet ad hanc obiectionem D.Tho. quod experientia in Angelis, & Dœmonibus dicitur, secundum quandam similitudinem, prout scilicèt cognoscunt sensibilia, pręsentia tamē, absquè omni discursu. ita ad tertium. Quare concludimus, Theologiam in intellectu Angelico, & Beato deficere à ratione rigorosæ scientiæ, ob defectum illius quartæ conditionis. (Obiectio Isid. Arist. Solutio ex D.Th.)

§. VI.

14 SEd quid dicendum de Theologia; vt sic, & secundum se considerata; præscindendo illam ab omni intellectu? Nonnulli respondent, non posse dici verè scientiam, ob defectum secundę conditionis, in qua dicitur, quod sciētia debet esse de obiecto necessario: Theologia autem nedum de veritatibus necessarijs est, sed etiam de contingentibus; vt sunt articuli de Incarnatione, & Creatione rerum omnium ad extrà. Vnde Scotus ait, Theologiam posse tripliciter considerari; vel præcisè, pro ea parte, quæ est de necessarijs, vel pro ea parte, quæ est de contingentibus: vel tandem quatenus vtramque partem comprehendit: & docet, Theologiam his vltimis duobus modis sumptam, deficere à ratione sciētiæ, etiam ob defectum illius secunda conditionis; non autem primo modo acceptam, (An Theologia abstractè sumpta sit scientia propriè dicta. Pars negans. Sententia Scoti.)

14 Cęterum (vt verum fatear) inania mihi videntur hæc omnia. Nam illa distinctio de Theologia de necessarijs, contingentibus, & de Theologia comprehēdente tàm necessaria, quam contingentia, proculdubio poterit omnibus alijs facultatibus applicari: nulla enim facultas est (vt arbitror) in qua non sint aliqua necessaria, & aliqua contingentia, vt discurrenti per omnes artes, & scientias facilè patebit. (Occurritur Scoto.)

15 Quarè melius posset responderi, quantum ad hanc cōditionem; ad rationem scientiæ sufficere, quod obiectum primarium sit necessarium, & æternum, quicquid sit de obiectis secundarijs (vt nos latè docuimus in proh. nostræ Logicæ) Cumq; primarium Theologiæ obiectum sit Deus, ens summè necessarium, & independens: & quicquid consideratur in Theologia consideretur per ordinem ad Deum, tanquàm ad primarium obiectum; non obest, quod multa sint secundario considerata in Theologia, quę sunt contingentia. Quarè non deficit Theologia à ratione scientiæ, ob defectum illius secundæ conditionis. (Destruitur fundamentū Scotistarum.)

16 Neque dicas, quod ideo deficit, quia agit de singularibus, de quibus haberi non potest scientia: agit enim de gestis Abrahā, Isac, Iacob, & de ipso Deo, qui quoddam singulare etiam est. Nàm respondere possumus, primò cum D.Th. q. 1. ar. 2. ad 2. sacram doctrinam, excepto Deo, non agere principaliter de reliquis singu- (Obiectio. Solutio 1. ex D.Th.)

singularibus, sed illos ab ea introduci; tū in exēplum vitæ, sicut in moralibus; tùm ad declarandum authoritatem virorum, per quos ad nos reuelatio diuina processit, super quam fundatur sacra Scriptura, seu doctrina.

2 solutio. 17 Vel secundo & facilius; ideò Aristotelem statuisse, de singularibus non posse haberi sciētiam: quia, inquit, singularia esse corruptibilia, & contingentia: de contingentibus autem, & corruptibilibus non est scientia; at si detur singulare aliquod æternum, & incorruptibile, poterit de eo esse scientia: talis est Deus, qui est obiectum primarium huius sacræ doctrinæ: reliqua verò singularia, de quibus in argumento, sunt obiecta secundaria, quę siuè sint corruptibilia, siuè incorruptibilia, parum obest scientiæ. Non ergò sufficiēs est ista ratio amouēdi Theologiam è classe scientiarum.

Statuitur verior sentētia Theologiam abstractè sūptā esse verè scientiam. 18 Quarè meo videri dicendum est, quod si sumatur Theologia, ita abstractè, nulla ratio poterit adduci, quæ illam à ratione veræ scientiæ excludat: ea enim in primis est cognitio certa, & sine vlla dubitatione, vt certum est; est de obiecto summè necessario, nempè Deo; non repugnat ei euidentia, vt patet in Theologia comprehensorum. Nec tandem illi repugnat discursus, vt patet in Theologia viatorum: vndè ergò non poterit veræ scientiæ potiri nomine, & ratione? Quod si Thomistę sic considerarent sacram doctrinam, optime quippè docerent, illam esse sciētiam. Cæterum quia ipsi loquuntur etiam de Theologia viatorum; reliquum est, grauiorem hanc examinemus difficultatem.

CAPVT IV.

Adducuntur rationes, quibus probatur, Theologiam Viatorum esse scientiam.

§. I.

Quędā opinio refertur. 1 Non est cur immoremur in recensenda opinione illa, quam refert, & optimè refellit Gerardus noster Senen. in 1. q. 3. prol. ar. 4. nimirum, Theologiam nostram esse scientiam quidem, sed consequentiarum: Nàm si de ratione scientiæ est (inquiunt illius opinionis authores) firma adhæsio eum euidentia; cum in Theologia inueniatur tantum talis adhæsio firma cum euidentia, quantum ad consequentias: non enim de articulis deductis haberi potest euidentia (vt est certum) sequitur, Theologiam esse tantum scientiam consequentiarum.

2 Inaniter, inquam, & sine fructu in hac sentētia immoraremur: verum enim est, discursus theologicos esse euidentes quoad nexum terminorum, & formæ regulas; tamen huic euidentiæ consequentiarum nō adhæret Theologus, vt Theologus, sed vt Logicus, cuius munus est cognoscere formæ syllogisticæ veritatē. Reijcitur.

3 Hac ergò opinione omissa, ad Thomistarum sententiam veniamus. Hi communiter censent, Theologiam verè esse scientiam. Notat autem Ripa q. 1. ar. 2. dubit. 1. c. 1. Thomistas loqui de Theologia, non vt dicit totam reuelatam cognitionē; cum nemini ignotum sit, principiorum non esse scientiam; sed respectu adiuncto ad conclusiones: non quidē ad eas, quæ, nexu incerto, ex principijs inferuntur; istarum enim sola est opinio; neque ad eas ita deductas, vt ipsæ etiam, vel fidei principia, vel certè de fide sint: harum enim fides est, non scientia; sed ad eas, cū fidei principio, vel principijs, certo vinculo colligatas; cum tamen ipsæ nō proximè ad fidem pertineant; harum siquidem verè est, inquit, Theologia. ita etiam Canus lib. 12. de locis Theologicis in fine cap. 2. Et sic dumtaxat de Theologia, quæ in nobis est, tum secundum se, tum qua ratione in nobis est: sub istam cadere, ait, difficultatem. Nos tamen tantum de Theologia, prout in nobis est, in præsenti disceptamus: non enim reuocamus in controuersiam, sed pro certo supponimus; Theologiam, secundum se consideratam; & sic, in abstracto, esse verè scientiam, prout in calce præcedētis cap. breuiter diximus. Opinio Thomistarum. Nota ex Rip. Cano.

§. II.

4 Probant autem primò suam sententiam Thomistæ nonnullis Sacræ Scripturæ locis, in quibus videtur sacra doctrina appellari sciētia. Ita Hier. 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascent vos scientia, & doctrina.* Luc. 11. *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clauem scientiæ.* Sap. 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum.* Prima ratio Thomistarū.

ctorum. Et Sap.7.*Ipse dedit mihi omnium, quæ sunt,veram scientiam.* Et alibi passim eodem modo scriptura loquitur;Vnde S.P.Aug.14.de Trin. cap.1.& 12.c.14. nostram Theologiam sciẽtiam appellat, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; & idem habetur apud alios Patres.

5 Secũdò probatur ratione,qua vtitur Bannes super illum ar.2. dub.1. Habitus Theologiæ est virtus intellectualis: sed non est Intellectus, qui dicitur ab Arist. habitus principiorum 6.Ethic. cum potius sit habitus conclusionum,deductarũ ex articulis fidei, & alijs principijs eiusdem. Neque est Prudentia, quia non versatur circa agibilia hic,& nunc. Neque ars,cum non sit factibilium ratio, ergo necesse est dicatur sapientia, & scientia.

6 Tertiò alij probãt:nã si aliquid obstaret,quominùs Theologia esset sciẽtia, id maximè esset, quia non procedit ex principijs euidentibus: hoc autem non obstat;tùm quia euidentia non est de intrinseca ratione scientiæ;cuius essentia in eo tantum posita est, vt procedat ex principijs certis,& indubitatis,per bonã consequentiam; tum quia, etsi principia Theologiæ non sint euidentia Theologo Viatori, sunt tamen euidentia Deo, & Beatis; quod indicat D.Thom. cum ait, *Principia nostræ Theologiæ esse euidentia lumine superioris scientiæ, Dei, scilicet, & Beatorum.* Quod autem huiusmodi euidentia sufficiat ad rationem scientiæ, ipsemet D.Thom. ostendit exemplis scientiarum subalternatarum, quæ sunt verè, & propriè scientiæ:cum tamen procedãt ex principijs notis in scientia subalternãte, vt videre est in littera art.

D.Thom.

7 Et confirmatur hæc ratio:nam quãdo dicitur ab Arist. quod scientia debet esse ex principijs notis, & euidentibus; vel intelligit,quoad nos;vel in se,siuè natura. non primum, quia tunc Metaphysica non esset scientia: quia procedit sæpè ex principijs euidentibus ex se, & natura sua:non autẽ quoad nos: vt cum demonstrat,quod *Deus est æternus*, per hoc medium, *quia est immutabilis: & quod omnia mouet,quia est primum mouens*: ergò secundo modo:at principia Theologica: vt, *quod Deus est trinus*; quod *Pater intelligendo generat Filium*,&c.sunt in se,& natura sua euidentissima;ergò conclusiones deductæ ex illis sunt perfectissimo modo scitæ:& habitus constans ex illis, vel mouens ad assentiẽdum illis,est propriè scientificus.

Cõfirmatio.

§. III.

8 Quod si aliquis dicat: Quod principia aliarum scientiarum nota nobis fiunt à posteriori, & per effectus; non sic ista principia Theologica. Solutio.

9 Contra: hinc habetur,quod non est necessaria conditio intrinseca principiorum,quod in se sint euidentia; quia euidentiam mutuant ab aliqua re externa;ergò licet principia Theologiæ non habeant internam euidentiam, hoc nihil impedit,quin possint esse principia sciẽtiæ: quia etiam illa habent euidentiam externam, scilicet,per reuelationẽ Dei, qui est ipsa veritas. Replica.

10 Quartò probatur ex Henrico Gãdau.quodl.12.q.2. Nam datur in Theologis medium quoddam lumen inter lumen gloriæ, & lumen fidei,exercitio ipsius fidei comparatum, quo euidenter cognoscũt principia, & assertiones fidei, ac proindè etiam conclusiones, quas indè euidenti consequentia deducunt: ergò nil Theologiæ deest, quominùs verè, & propriè sit scientia. probatur antecedens: Nàm alioquin fieri non posset, vt Theologi maiorem, & perfectiorem haberent cognitionem rerum credibilium, quàm rudiores Catholici. Henr.

11 Vbi nota,quod hic Doctor sustinet (teste Fauent.q.3. prol.1. sent. disp.6. cap.2.) quod licèt Theologia, quatenus procedit ex principijs sola fide creditis, non sit scientia; tamen quia putat,principia fidei,scilicet,articulos,posse euidẽter fieri notos per exercitium,& studium ipsius fidei: ex hoc capite dicit,nostram Theologiam esse propriè scientiam: ita etiam refert Hacchet. q.illa 1.supra cit. Nota quid sentiat. Henric.ex Fauet.

12 Quintò probat Frãciscus de Marchia,citatus à Greg. nostro Arimin.1.q. prol.ar.4. & Ocham. q.3. Articuli fidei, qui sunt principia Theologiæ nostræ, sunt euidentes:ergò,&c. probatur antecedẽs: Nàm deducuntur omnes huiusmodi articuli ex per se notis: innituntur enim huic medio necessario; *Omne reuelatum à Deo est verum: sed omnes articuli fidei sunt reuelati à Deo: ergo veri:* Principia autem scientiæ, tunc sunt euidentia,cum vel sunt per se nota, vel saltem ex per se notis deducta. Hacchet. Francisc. de March. citatus à Greg.& Ocham.

13 Tandem probant 6. Arist. 1.post. c.2.inquit, *Principiorum scientia esse sciẽtiam, vel notitiam maiorem scientia*: at principia Theologica cognoscuntur notitia, Arist.

titia, quæ est maior sciētia: sciuntur enim fide diuina, quæ exuperat omnem notitiam humanam: ergo, &c.

Cōfirmatur. 14 Et confirmatur, quia pro tanto ad scientiam requiritur euidentia, vt intellectus firmiter adhæreat veritati: sed fides facit magis fortiter intellectum nostrum adhærere veritati, quam quæcunque naturalis notitia: ergo scientia innitens illi est magis propriè scientia, quā quæcunq; scientia naturaliter inuenta. Hæ sunt potissimæ rationes, quibus Authores huius sententiæ nituntur.

CAPVT V.

Quomodo differat scientia à fide?

§. I.

Distinctio inter fidem, & scientiam. 1 ANtequam quid nobis, vt verisimilius sentiēdum in hac controuersia aperiamus; nonnulla explicanda sunt, necessaria satis, non minus, quam scitu dignissima: & primo loco pondetanda est distinctio, communiter recepta, inter Fidem, & Scientiam: Quod scilicet, *Fides sit cognitio sine discursu alterius partis determinata, propter authoritatem dicentis*: ita vt, de ratione Fidei sit assensus sine discursu; cum iam supra c. 2. diximerus, de ratione Scientiæ, esse assensum cū discursu. Quod autem id sit de Fidei ratione, potest facilè explicari, simulatque probari; quia actus Fidei Diuinæ solū innititur authoritati dicentis, non autem bonitati consequentiæ; cum discursus innitatur consequentiæ bonitati. Et iddem dici de fide humana, quæ etiam pro motiuo habet authoritatem dicentis, non bonitatem illationis.

2 Quod etiam, & alia ratione confirmari potest: quia facta aliqua demonstratione ex tribus propositionibus de fide, potest fidelis assentiri tertiæ propositioni de fide, & dubitare de rectitudine illationis: an scilicet rectè sit illata ex præmissis talis propositio? ergò assensus fidei non innititur ratiocinationi, nec discursus aliquid conducit ad motiuum assentiendi; si quidem in prædicto casu, fidelis, formaliter, vt discurrens, dubitat; vt fidelis, tamen, authoritate dicentis du-ctus, certo, & sine hæsitatione assentitur.

3 Vbi illud summoperè aduotandū; discursum sumi dupliciter posse: primò omninò formaliter, quatenus præmissæ illius sunt rationes assentiēdi conclusioni; bonitasque illationis in causa est, vt conclusioni assentiamur. Secundò modo potest sumi materialiter, & quasi vehiculum (vt sic dicam) trahens motiuum, & rationem assentiendi; dicentis, scilicet authoritatem, vt illam, non ex vi discursus, aut ratiocinationis, sed fidei ductu, applicem assensui conclusionis: quo secundo modo, motiuum assentiendi non est bonitas illationis; discursusque omninò per accidens se habet ad motiuum assentiendi. Discursus formaliter, & materialiter sumitur.

§. II.

4 DIcō ergò, quod aliquando, vt cognoscamus, conclusionem esse de fide, & à Deo reuelatam, discursus potest deseruire, vt vehiculum trahens nobis dictis authoritatem; quam licet simplici cognitione possemus percipere, aliquādo etiam cognitione discursiua percipimus, vt in tali syllogismo. *Omne, quod Deus dixit, est infallibiliter verum; Sed Deus dixit, se esse trinum, & vnum: ergo Deus est trinus, & vnus.* Vbi huic propositioni; *Deus est trinus, & vnus*; quia Deus dixit, assentior, licèt discursiuè, in sensu dicto, applicem hoc motiuum conclusioni. In quo casu, assentiendi ratio non est discursus; sed motiuum, est authoritas Dei dicentis. Quando ergò dicimus, fidem esse cognitionem sine discursu; sensus est: fidem esse assensum veritatis determinatæ, cui ex motiuo obscuro, & authoritate dicentis, assentimur, non ex vi nostri discursus. Quo pacto discursus poterit fidei inseruire.

5 Verum tamen est, quod licet actus fidei formaliter non dicat discursum, in sensu explicato: ad illius tamen actum antecedere potest discursus: euidentia enim credibilitatis, quam habent misteria nostræ fidei, plures includere potest discursus: quatenus ad eredendum potest quis antecedenter duci, ex magnitudine miraculorum, quæ facta sunt in confirmationem fidei. Circa quod elegantet inquit Aug. *Si facta sunt miracula, grande miraculum; si nō sunt facta miracula, maius miraculum, quod sine miraculis tot homines credidissent ea, quæ repugnabant sensibus.* Quod etiam quidam Vates vulgariter explicuit dicens, Ad actum fidei potest antecedere discursus. Aug.

Dantes.

S'il mondo si conuerte al Christianesmo,
Diss'io, senza miracoli, questo anco
E tal, che gli altri non son il millesmo.

Quæ ducunt ad credendũ. 6 Potest igitur quis duci ad antecedenter ad credendum ex miraculorum magnitudine; ex tot Martyrum sanguinis effusione: Ex sanctitate doctrinæ Euangelicæ, & eam profitentium: ex conuersione tot gentium ad fidem: circa quæ omnia possunt fieri plures discursus, qui antecedenter nos ducánt ad fidei professionem: formalis tamen ratio assensus fidei, solum est Diuina authoritas, & ita potest esse actus fidei, adhuc sine illis discursibus: rusticus enim, fidei habitu firmatus, plures elicit actus fidei diuinæ sine illis ratiocinationibus.

Formalis assensus fidei sola diuina authoritas.

Obscuritas pertinet ad fidem. 7 Ex dictis facilè colliges, ad fidem pertinere obscuritatẽ: cognoscere enim propter dicentis authoritatem, non est cognoscere rem clarè in se, sed cum obscuritate, quia id, cui assentior, in se clarè non video: sed solum dicẽti credo, Quod adeo verum est, vt etiam si sit euidentia in attestante; id est, etiam si euidenter videam attestantem non posse mentiri, adhuc potest manere fides de re, ab illo dicta, cui assentior: quia licet in attestante sit euidens, in se semper est obscura; & intrinseca (vt sic dicam) connexio prædicati cum subiecto, in se mihi clara non est: ita ferè communiter Theologi in materia de fide. Nec est sermo de connexione formali, seu de consequentia, sed de connexione materiali, & de consequenti. Sed maior difficultas est, quomodo hæc obscuritas conueniat fidei nostræ? Hanc tamen dilucidabimus capite sequenti.

Cum euidẽtia in attestante, adhuc potest remanere fides.

CAPVT VI.

An obscuritas sit de intrinseca ratione fidei?

§. I.

1. opinio. 1 Nonnulli volunt, non esse de intrinseca ratione fidei obscuritatem, sed comitari ipsam, ratione materiæ, de qua est; Cum enim fides nostra sit de articulis, qui demonstrari non possunt, nec de eis haberi clara scientia potest; ideò sequitur, quod notitia, habita de illis per fidem, sit enigmatica, & obscura; & sic consequenter docent, quod si accipiatur fides, secundum istam specialem materiam, habet repugnantiam cum scientia, ratione enigmatis concomitantis ipsam; si tamen accipiatur secundum proprias rationes formales, nullam habet oppositionem cum scientia.

2 Sed melius alij cum nostro Gerar. q.4. prol. ar. 1. asserunt, enigma, & obscuritatem esse de intrinseca ratione fidei: sicut enim se habet opinio ad formidinẽ; ita fides ad enigma; nam sicut opinio distinguitur essentialiter à sciẽtia per hoc, quod est habitus incertus, & dubius: sciẽtia verò, certus, excludens formidinem: ita etiam fides, suo modo, distinguitur essentialiter à scientia per hoc, quod est habitus enigmaticus, & obscurus: scientia verò è contra, habitus euidens, & clarus: Sed opinio includit formidinem in eius ratione formali, & de intrinseca ratione eius non compatitur secum scientiam in eodem, & respectu eiusdem; Si enim formido non esset de intrinseca ratione opinionis, tũc, cum per eam solam distinguatur à scientia, sequeretur, quod non distingueretur à scientia essentialiter, sed accidentaliter tantum; ergò & fides includit enigma in sua ratione intrinseca, & essentiali.

Gerard. Senen. Enigma de intrinseca ratione fidei

3 Sed si dicas pro Aduersarijs non leue argumẽtum; quod opinio distinguitur à scientia, non ratione formidinis, sed ratione medij probabilis. Scientia enim facit adhærere medio necessario: opinio autem medio probabili; immo videtur, quod formido magis sit opposita opinioni; nam quanto plus augetur opinio, tãto formido magis minuitur, in tantum quod Arist. 7. ethic. inquit. Nonnullos ita firmiter suis opinionibus adhærere, sicut alij demonstratiuis conclusionibus.

Obiectio.

Arist.

4 Respondeo tamen, quod si opinio facit adhærere per medium probabile, necessario sequitur, quod illa adhæsio sit ei intrinseca, & per consequens, dubia, & cum formidine; idẽ enim est in opinione, adhæsionem esse per medium probabile, & ipsam esse formidolosam, & incertam. Cum verò additur, quod si augetur opinio, minuitur formido: Dico, quod si consideretur opinio, in quantum stat intrà propriam speciem, sic minuitur simul cum ipsa formidine; quia non potest inueniri in propria specie sine formidine; Si autem consideretur opinio, pro vt aliquando in scientiam diuertit, sic ipsa dicitur augeri, quo magis ad euidentiã accedit; & ex consequenti ad scientiam;

Solutio.

Formido de intrinseca ratione opinionis.

& for-

& formido tunc dicitur minui: sed hoc est impropriè dictum; quia tale augmentum nõ competit ei, in quantum opinio est: sed in quantum est via ad vlteriorem habitum alterius speciei; puta, scientiæ; Et ideò illi, qui adhærent opinionibus suis, sicut conclusionibus demõstratiuis, non vtũtur opinionibus; sed, per errorem decepti, vtuntur eis, vt sciẽtijs. Vndè non est mirum, si eis adhæreant sine formidine; putant enim scientiæ adhærere, non opinioni: qui verò vtitur opinione, verè iudicans, & credens, opinionem esse, necessariò cum formidine adhæret.

5 Formido ergò est de intrinseca ratione opinionis; & sic, ratione formidinis, essentialiter à scientia differt opinio. Et eodem modo, fides ab eadem scientia distinguitur per obscuritatem. Quæ nullo pacto dicenda est, priuatio quædam annexa fidei (vt nonnulli ex Aduersarijs volunt) cum potius nil aliud sit, quàm ipsemet fidei habitus, qui essentialiter est quidam habitus enigmaticus, & obscurus; sicuti, formido in opinione nil aliud est, quam ipsamet opinio, quæ essentialiter est quidam habitus formidolosus: sicuti in scientia, certitudo, nil aliud est, quam ipsamet scientia essentialiter, quæ est quidam habitus certus.

§. II.

6 ADde in corroborationem eiusdẽ veritatis: quia si obscuritas non esset de intrinseca ratione fidei, sed esset tantum quædam priuatio euidentiæ; sequeretur, quod lumen fidei posset transferri ad esse enigmatico ad esse clarum: non enim repugnat subiecto apto nato ad habendum formam, qua actu priuatur, transferri de priuatione ad illam formam; nõ potest autem transferri ad esse clarum: quia iddem lumen, quod nobis prius seruiebat in via, prout habebat esse enigmaticum, posset nobis deseruire in patria absque alio lumine, prout habet esse clarum, quod est absurdum.

Fidẽ, & sciẽtiam nõ posse esse in eodem intellectu. 7 Ex dictis collige, scientiam, & fidem non esse compatibiles in eodem intellectu, respectu eiusdem obiecti; sicut incompatibile est in eodẽ subiecto, obscurum cum claro. Quod potest sic suaderi; nã de ratione obiecti fidei est, quod sit non visum; fides, inquit, Apost. *Est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Vbi glosa ait, *Quod fides facit subsistere in anima nostra, quæ non videntur*: de visis enim non est fides, sed agnitio: At de ratione obiecti scientiæ est, quod sit apparens, & euidens: Tũc sic: Data vtraque hac ratione in intellectu, vel ille intellectus tenderet in obiectum per fidem, tanquam in non visum, vel tanquam in visum: non hoc secundũ: nam sequeretur, illum habitum esse rationem videndi obiectum: fides autem non est ratio videndi, cum non sit habitus visiuus. Si verò dicatur, quod tenderet in ipsum, tanquam in non visum, habetur intentum, cum per scientiam intellectus tendat in obiectum, tanquam in visum: visum autem, & non visum, implicat, esse in eodem, respectu eiusdem.

Paul.

Glo.

8 Adde, ad minus negari non posse, scientiam, & fidem opponi secundum perfectionem, & imperfectionem: & sic, non se compati ad inuicem in eodem, quia perfectum, & imperfectum, secundum iddem genus, non stant simul in eodem.

§. III.

9 DIces primò; formam substantialem, & formam accidentalem, in genere formæ, differre ab inuicem, sicut perfectum, & imperfectum; & tamen optimè compatiũtur se in eodem subiecto. 1. obiectio.

10 Respondeo, hoc non esse simile, quia illæ formæ non sunt in eodem propter iddem: sed vna, vt det esse substãtiale, & simpliciter: altera verò, vt det esse accidentale, & secundum quid: assensus autem fidei, & scientiæ, si ponantur in eodem subiecto, erũt propter iddem, pura, propter inclinationẽ in iddem obiectum. Solutio.

11 Dices secundo. Si quis audiat à Peritis, Lunam esse maiorem terra: in tali casu adhærebit huic veritati, solum propter authoritatem dicentium: quod si processu temporis acquirat medium demonstratiuum eiusdem veritatis, huiusmodi assensus concordabit cum priori, qui erat per solam fidem: ergò ambo assensus, fidei, scilicet, & scientiæ, non sunt incompatibiles. 2. obiectio.

12 Et confirmatur: Nam quando duo assensus sunt eiusdem rationis, quicquid est compossibile cum vno, est etiam cõpossibile cũ alio: sed assensus, per authoritatem procedens, est eiusdem rationis cum illo, qui est per demonstrationem acquisitus, & sequitur authoritatem præceden- Cõfirmatur.

cedentem: non enim illam euacuat, sed confirmat, & facit, vt facilius credatur authoritati dicentis: ergo pari ratione scientia claræ notitiæ confirmabit rationes formales fidei, quæ sunt, assentire authoritati dicentis, & sic ratio formalis sciētiæ, quæ est, assentire per demonstrationem, non habebit repugnantiam cum ea.

Respōdetur ad argumentum principale.

13 Ad argumentum principale Respondeo: quod licèt authoritas præcedēs concordet cum demonstratione subsequente, quantum ad vnam Veritatē conclusam; non tamen concordat cum ea, quantum ad vnum modum concludendi eam; imò, è contrario, concluditur veritas, per authoritatem generantem fidē, & per demōstrationem visa; & perfectus assensus sciētiæ necessario euacuat illum imperfectum assensum enigmaticum fidei.

Respondetur ad Confirm.

14 Ad confirmationem dico, quod assensus per demonstrationē procedens, necessario euacuat illum, qui procedit per authoritatem, si sit respectu eiusdem. Cum autem dicitur, quod ille assensus scientificus facit, vt facilius credatur authoritati dicentis: Dico, quod verum est, respectu alterius propositionis, de qua non dum habetur Demonstratio; respectu tamen illius, de qua Demonstratio habetur, omnis credulitas excluditur.

§. IV.

Concluditur contra Alex. Bonau. Dur. Henr. Suar. Didac.

15 Concludimus ergò contra Alex. 3. q. q. 47. memb. 3. Bonau. in 3. dist. 24. q. 2. articulorum, Dur. q. 5. prol. & in 3. dist. 31. q. 4. Henric. quodl. 8. q. 14. & alios nonnullos ex antiquioribus Scolasticis, quos sequi videtur Suar. 3. p. super q. 9. ar. 3. & diffusè in tract. de fide lib. 3. & aliquo modo etiam Pater Didacus à Iesu in quæstionibus super Post. Arist. in sua Logica disput. 18. q. 4. non posse esse simul & semel, de eodem, in eodem intellectu, scientiam, & fidem.

Habens habitum fidei omnium articulorū potest habere actum scientiæ de vno, vel altero illorum.

16 Nec modo negamus, habentem fidei habitum, virtualiter se extēdentem ad omnes fidei articulos, etiam eos, qui lumine naturali cognosci possunt: posse habere actum scientiæ de vno, vel altero ex his articulis, qui alias sub illo habitu fidei comprehendebantur; verbi gratia; sub habitu fidei cōtinetur virtualiter hic articulus: *Deus est vnus*. Et rusticus per solam fidem credit, Deum esse vnum: Scientificus autem hanc veritatem scientificè cognoscit, lumine naturali. Ast quatenus stat talis veritas sub actu naturalis notitiæ, & euidentiæ, non dicitur reuelata, sed naturalis; nec; vt sic, pertinet ad fidem, sed potius ad scientiam: & perueniens ad huiusmodi cognitionem, capere minimè possū, quo pacto poterit, circa eādem propositionem exire in actum fidei: vbi enim adest claritas, & euidētia, cessant omninò ineuidentia, enigma, & obscuritas fidei. Dicetur tamen eadem propositio contineri virtualiter in habitu fidei: nam talis naturæ est habitus ille supernaturalis, vt, si alias non habeatur clarior notitia de illa, vel alia propositione huiusmodi, is sufficiens lumen est, diuinitus infusum, sub quo videri possit, seu intelligi veritas illa, obscurè tamen, & enigmaticè. Ast vbi maior adest, & euidens notitia, ineuidens illa, & obscura euacuatur, & cessat: sicuti in præsentia luminis solis, nil confert lumen candelæ; licet de se hoc etiam sufficiēs sit, domum illuminare, non tamen ita clarè, sicut Sol.

§. V.

17 Sed dices, quomodo potest euanescere fidei habitus, adueniente habitu scientiæ, cum fides nō destruatur, nisi per hæresim? Ad hoc, Philosophico modo, proportionato tamen virtuti Theologicæ, Respondendum est: sicuti enim, si sermo esset de habitu fidei humanæ, responderemus, quod adueniente scientia de aliqua veritate, cuius tantum fidem humanam habebam antea, euacuaretur, non totus habitus, sed aliquis gradus extensionis ipsius: cum is habitus intendatur, & remittatur, ita vt illa qualitas, quæ antea proximè se extendebat, etiam ad inclinandum intellectum ad assensum obscurum illius veritatis, iam nō amplius constitueret proximè illum intellectum in actu primo, nec inclinaret ad huiusmodi assensum; ita proportionabiliter de fide diuina dicendum est, quod licèt nullo modo destrui possit, cum cōsistat in indiuisibili, & non habeat gradus acquisitos, sed infusos tantùm: adueniente tamen scientia de aliqua veritate, cuius anteà solum habebam fidem, dicitur euacuari fides, in ordine ad eandem veritatem, ex eo dumtaxat, quia iam nō amplius proximè inclinat intellectum ad assentiendum eidem veritati, vi authoritatis diuinæ: nec illum in actu primo proximè dicitur constituere, respectu illius veritatis,

ritatis, non negando, quod illa veritas adhuc contineatur virtualitèr in fide, remotè tamen, & radicalitèr, modo explicato.

Not. 18. Vbi aduertendū est, quod de Deo dupliciter loquimur: vel quatenus est finis naturalis, prouidens omnibus rebus naturalibus, vt per media naturalia ipsū naturalem finem valeant assequi: & hoc modo haberi potest de eo naturalis sciētia; sicuti & de omnibus propositionibus, quæ de ipso, sic considerato, fiunt; qua scientia habita, cessat Fides diuina, modo exposito: vel quatenus est finis supernaturalis, prouidens omnibus rebus supernaturaliter, vt per media supernaturalia rationalis creatura suum finem supernaturalem consequatur; & hoc modo nulla ratione haberi potest de Deo sciētia; sed tantum Fides. Qui plura de hac impossibilitate cupit, legat Gerardum q. 4. prol. 1. sen. art. 1. 2. & 3. & Logicos 2. Post. nobis enim dicta sufficiunt ad ea, quę dicenda sunt: non enim præsentis est loci ex professo, rem hanc discutere.

CAPVT VII.

An Theologia Viatorum dici possit subordinata Theologiæ Dei, & Beatorum? vbi nonnulla de subordinatione scientiarum.

§. I.

1. QVoniam Thomistæ communiter fatentur, nostram Theologiam esse sciētiam subalternatam scientiæ Dei, & Comprehensorum; vt pateat quantum habeat hæc opinio probabilitatis, breuiter dilucidemus, quid sibi velint hæc nomina; nimirum, sciētia subalternās, & scientia subalternata? & quid requiratur ad subalternationem scientiarum? Et quantum ad Primum, optimè quidèm præ cæteris, Logica Mexicana Patris Ruuij primo post. c. 10. de subordinatione scientiarū, docet ex Arist. eodem fœrè modo philosofandum esse de scientijs subalternatis, quo 2. perhier. Aristot. & Summulistæ loquuntur, de propositionibus subalternis: sicut enim illæ dicuntur subalternæ propositiones, quę cōstant ex eodem prędicato, & eodem subiecto; vna tamēn collocatur sub altera, & superior est vniuersalis, inferior verò particularis: ita, ait, esse quasdam scientias, quarum vna versatur circà rem aliquam vniuersalem; alia verò circà rem particularem, sub ea contentam. Assignatq; exemplū, de Geometria, quæ versatur circa lineam; & Perspectiua, quæ versatur circà lineam visualem: item de Aritmetica, quæ versatur circà numerū, & Musica, quæ versatur circà numerum sonorum. Et sic scientiā illam, quæ versatur circà rem vniuersaliorem, dicit, appellari subalternantem, siue continentē: eam verò, quæ versatur circà obiectum particulare, seù minus vniuersale, quam superius, dici subalternatam, siuè contentam; sicuti propositio vniuersalis dicitur subalternans, particularis verò subalternata. Et quia huiusmodi explicatio clara est, & accommodatissima, ideo de ea contenti, ad conditiones requisitas ad subalternationem scientiarum accedamus.

Ruuius. Nota de sciētijs subalternis. Aristot.

2. Ad quatuor eas videtur reduxisse Caiet. in tract. de subalternat. scient. quas enumerat Ruuius. Prima, quod subiectū vnius contineatur sub subiecto alterius. Secunda, quod subiectum inferioris includat subiectum superioris, & addat suprà illud aliquam differentiam accidentalem. Tertia, quod differentia, quam addit, non sit propria passio eiusdem subiecti. Quarta, quod principia scientiæ inferioris probentur à priori, & per causam à scientia superiori. Caietanus. Ruuius. Conditiones acquisitæ ad subalternationem scientiarum.

§. II.

3. CAeterum breuius, & facilius eas omnes ad duas tantùm reducendas, peroptimè, iudicamus cum Hacchero 1. p. tract. 1. disp. 1. §. *Colligi tertio potest.* Prima est, q̄ subalternata addat differentiam accidentalē omnino, subiecto subalternantis, qua ita determinetur, vt valear cognosci per scientiam distinctam ab ea, per quā iddem subiectum cognoscitur, secundum se sumptum, & sine tali determinatione. Ita Musica addit numero, de quo (secundū se consideraro) agit Aritmetica, esse sonorum. Et Perspectiua addit lineę, cuius consideratio spectat ad Geometriam, esse visua'e. Dixi, (talem differentiā debere esse omninò accidentariā:) nam si esset, vel essētialis, vel propria passio talis obiecti, ad eandem sciētiam omnino eius tractatio pertineret: Haccher. Prima conditio.

eius-

eiusdē enim facultatis est agere de obiecto, speciebus, & proprietatibus obiectis vt docet Arist. 1. post. tex. 43. & 4. metaph. text. 4.

Aristot.

4 Vnde non placet id, quod Soncin. 4. metaph. quæst. 9. docuit, nimirum, differentiam, quam addit subalternata sciētia super obiectum subalternantis, esse propriam ipsius passionem: & sic visuale, non esse accidens commune, respectu lineæ: sed propriam passionem ipsius: cū linea quantitas sit, & quantitas sit per se sensibilis, ex Arist. 2. de anim. & ex consequenti, linea per se visibilis.

Quædā Sonc. opinio non placet.

Aristot.

5 Hoc inquam displicet: nàm (vt optimè vidit Caiet. loc. cit.) Perspectiua dicitur esse subordinata, & subalternata Geometriæ, ex eo quod addat esse visuale, suprà eius obiectum, quod est, linea: itaque non addit talem differentiā suprà lineā, præcisè, in ratione lineæ, vt sic: Sed quatenus linea est obiectum Geometriæ; Tunc sic: Geometria, cum sit scientia Mathematica, debet abstrahere ab omni sensibili materia; ergo agit de obiecto suo; nempè, linea, prout ab omni sensibili abstrahit materia: ergo, esse visuale, cum sit quoddam esse sensibile, non poterit vllo negotio esse propria passio lineæ, quatenùs est obiectū Geometriæ: quicquid sit de linea, in ratione quantitatis sensibilis: non enim sub ista ratione præcisè cōsideratur à Geometra.

Refellitur. Caietan.

§. III.

6 Ceterū, quia Sonc. id docuit, conuictus quodam argumento facili, ac communi; nempè; quod si differentia illa esset omninò accidentaria, non faceret vnum per se cum illo obiecto, sed potius vnum per accidens, conflatum ex duplici ente in actu; & per consequens, scientia, quæ ageret de tali ente per accidens, non esset vna per se, sed per accidēs; cum debeat quælibet scientia suam vnitatem per se ab obiecto sumere.

Argumētum quo Soncin. cōuictus fuit.

7 Ideo Not. est, quod obiectum, sic determinatum per illam differentiam, sumi potest dupliciter: Primo, prout includit & obiectum, & differentiam illam per modum aggregationis cuiusdā; quo pacto, cum non habeat vnam naturam, & essentiā, nèc vnam diffinitionem, nec determinatas passiones, quæ de eo probari possint; proculdubio erit vnū quid per accidens, & vt sic non poterit esse obiectū alicuius scientiæ. Secundo modo sumitur, prout includit vnū alteri subordinatum, vel cum ordine ad alterum; itaut vnum sit determinatum per aliud; Aliud verò determinās; & hoc pacto erit vnum per se, licèt non secundum entitatem, tamèn secundùm ordinem. Quę vnitas sufficiens est, vt valeat diffiniri, & per se considerari ab vna sciētia: & vt determinatæ passiones possint de eo probari in tali scientia.

Not. bene.

8 Ex quo sequitur, obiectum subalternatæ non distingui accidentalitèr, sed per se, & essentialitèr, ab obiecto subalternantis; nam illa conditio, quæ additur, licèt sit accidēs, respectu obiecti subalternātis, & accidentalitèr illud afficiat, sicut quodlibet aliud commune accidēs: tamèn quatenùs ad obiectū scientiæ subalternatæ pertinet, taliter ad vnum esse contrahuntur, & vniuntur, vt per se cum tali accidenti coniugatur obiectum. Ex. gr. esse visuale, vetum est, quod sit accidens lineæ, sumptæ, prout est obiectum Geometriæ: quia accidentalitèr illi aduenit omninò; Cęterum, prout pertinet ad obiectum Perspectiuæ, linea per se cū visuali coniungitur: quia Perspectiua per se considerat lineam, cum ordine ad visuale; vel prout determinatam per talem conditionem.

Obiectū subalternatæ distinguitur ab obiecto subalternantis.

9 Secunda conditio ad hoc, vt vna scientia dicatur alteri subalternata, est; vt principia subalternatæ contineantur sub principijs subalternantis; itaùt, vel à subalternante probentur, vel resolui debeāt in principia subalternantis; principia siquidèm cuiuslibet scientiæ fundantur in natura subiecti; cumque subiectum subalternatæ subdatur subiecto subalternantis, sequitur manifestè, quod etiam principia subalternatæ principijs subalternantis subdantur. Vnde Arist. 1. Post. cap. 10. docet, scientiam subalternatam non demonstrare *propter quid res sit*, sed tantum, *quod* seù *quia sit*; quoniam ipsa non probat principia sua, sed ea accipit demonstrata à scientia subalternante; & communis loquendi cōsuetudo obtinet, ibi incipere scientiam subalternatam, vbi desinit subalternans, quia conclusiones subalternantis sunt principia subalternatæ.

Secunda cōditio.

Aristot.

§. IV.

10 His positis, videamus, an hæ conditiones reperiantur in nostra Theologia respectu scientiæ Dei, & Beatorum,

Theologia nostra nō est subalternata.

rorum, ad hoc vt valeat dici ſcientia ſubalternata ſuperiori Theologiæ? Et in primis prior conditio deficit, cum nulla appareat talis differentia accidentalis, quã obiectum Theologiæ Viatorum addat obiecto Theologiæ ſuperioris. Illnd nãq; quod Caiet. ait, nempè, addere, eſſe reuelatum; omninò videtur impertinens, ſi quidèm conditio addita ab obiecto ſciẽtiæ ſubalternatæ debet eſſe ratio obiecti cogniti; hoc autem, quod eſt, eſſe reuelatum, concurrit tantùm ex parte principij ad aſſentiendũ articulis Fidei; ideò enim ijs aſſentimur; quia credimus, à Deo eſſe reuelatos; ergò nequit eſſe ſufficiens ad complendum illam priorem conditionẽ. Vbi illud etiam aduertendum eſt, conditionem accidentariam non debere eſſe præcisè rationem, ſub qua obiectum cõſideratur, ſed quę ipſa conſideretur; ideſt, debet ſpectare ad obiectũ in eſſe rei, non tantùm in eſſe obiecti, præcisè; de qua diſtinctione videatur idem Caiet. art. 3. Not.

11 Neque poſterior videtur adeſſe conditio; quia noſtra Theologia non accipit concluſiones à Theologia Dei, & Beatorum, vt ijs, tanquàm principijs, ad concluſiones ſuas, vtatur; quod patet; Nàm ad hoc, vt aliqua ſcientia dicatur accipere concluſiones ab alia, neceſſe eſt, vt illa, à qua tales accipit concluſiones, ſit habitus diſcurſiuus; illa enim dicitur concluſio, quæ per diſcurſum infertur; ſed Theologia Dei, & Beatorum nõ eſt diſcurſiua (vt ſupra vidimus cap. 4.) ergo &c. maior patet, aliàs omnes ſcientiæ eſſent ſubalternatę habitui principiorum. Quare ad hoc vt duæ ſcientiæ dicantur, altera ſubalternata, altera ſubordinans, ſeù ſubalternans, vtramque, neceſſe eſt, habitum eſſe diſcurſiuũ, & eam ob rem diximus nos ſupra num. 9. ſcientiam ſubalternatam incipere, vbi definit ſubalternans, & concluſiones ſubalternantis eſſe principia ſubalternatæ.

Exponitur mẽs D. Tho. de ſubordinatione Theologiæ Molin. Vaſq. Ban.

12 Et licet hoc videatur eſſe contrà D. Thom. vt in explicatione illius art. 2. videre licet; tamèn ſi rectè expendatur Sancti Doctoris mens, certè ipſum aliter ſentire, & nobis potiùs ſuffragari apparebit apertè. Vt enim optimè adnotant Recentiores; Molina ibi diſp. 3. Vaſq. diſp. 6. cap. 2. Ban. diſp. 3. ad tertium: nunquam Angelicus docuit, Theologiam eſſe ſubalternatam ſcientiæ Dei, & Beatorum, propriè, & in rigore loquẽdo; ſed ſolum, ſimilem eſſe ſubalternatis, in hac conditione, quod ſicuti ſubalternatæ procedũt ex principijs, quæ ſibi plenè nota non ſunt, ſed ſubalternantibus; ita Theologia procedit ex articulis Fidei, quorum plena notitia à Theologo non habetur, ſed à Deo, & Beatis per viſionem.

CAPVT VIII.

In quo ſtatuitur; noſtram Theologiam non eſſe verè, & propriè ſcientiam, philoſophicè explicatam: benè tamèn eſſe ſcientiam, explicatam theologicè.

§. I.

1 HIs omnibus præmiſſis, facilè erit principi quæſito ſatiſfacere; Vnde dico Primò; Theologiam noſtram nullo modo dici poſſe ſcientiã, præſsè ſumptam. Ita maior pars Doctorum, tùm antiquorum, tùm etiam recentiorum, quos referunt Vaſq. Mol. & Val. ſuper illum art. 2. Cuius aſſertionis probatio liquet ex dictis; vel enim nomine ſcientiæ vti volumus, ſecundùm quod cõmunitèr omnes Philoſophi vſi ſunt; vel ad libitum noſtrum. Si Secundo modo, pari ratione poſſemus dicere, quod in Deo propriè ſit ira, odium, pœnitentia, &c. poſſemus enim ad libitum hos affectus diffinire, & explicare, itaùt valeant Deo etiam conuenire. Si primo modo, ergo cum Philoſophi non agnouerint aliam ſcientiam, niſi quæ ſit iuncta cum euidẽtia principiorum, & conſequentiarum, & Theologia noſtra procedat ex reuelatis tantùm, & obſcurè cognitis, dicendum eſt, non eſſe propriè ſcientiam pręſsè, & in rigore ſumptam. 1. concluſio. Vaſq. Molin. Valent.

2 Nec valet dicere cum Hiſpalenſi q. 1. prol. not. 3. Theologicas cõcluſiones eſſe euidentes, licèt colligantur ex principijs obſcuris Fidei; Hoc enim falſum eſt; nam concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem, (vt diximus in noſtra parua logica:) cũ effectus perfectior ſua cauſa eſſe nequeat: Vnde cum principia, & præmiſſæ ſint obſcuræ, obſcura neceſſario erit cõcluſio, etiàm ſi altera ſit euidenter nota, dummodo altera ſit reuelata, & ineuidens. Quod ſi Hiſpalenſis loquatur Obiectio Hiſpal. Solutio.

quatur de euidentia conclusionis, sub ratione consequentiæ: non facit ad rem; cũ hoc pertineat ad Logicum, non ad Theologum; nunquàm tamen verum erit, Theologicas conclusiones, sub ratione consequentis, euidentiam habere, & esse euidenter notas.

3 Dico Secundo: licèt Theologia nostra non sit verè, & propriè scientia, Philosophicè explicata, & sic in rigore Philosophico vsurpata, posse tamen dici scientiam, explicatam Theologicè; & sic per quandam accomodationem. Hoc dictum probant authoritates omnes S.S. & Sanctorum Patrum, quæ sacrã doctrinam hanc, scientiam nuncupare videntur. Pro qua assertione Not. quod vbi Philosophi requirunt, in scientia, euidentiam, vt vidimus suprà cap. 2. Theologi requirũt tantum certitudinem, & immutabilitatem; Cumque ea, quæ in Theologia traduntur, sint omni certitudine certissima, & immutabilissima, quemadmodum sunt articuli omnes nostræ Fidei, cõsequitur Theologiam esse scientiã, theologicè explicatam, non philosophicè, & hac distinctione solues innumera Aduersariorum obiecta, ab authoritate desumpta.

2. conclusio.

Not. de scientia Theologicè, & Philosophicè sũpta.

§. II.

4 Potest etiàm vtrumque dictum simùl, & alia confirmatione roborari, sic; Scientia propriè, & in rigore dicta, qualem diximus esse eam, quæ à Philosophis explicatur, non potest simul esse cum fide, vt vidimus supra cap. 5. num. 7. Sed sic est, quod nostra Theologia innititur Fidei: cum procedat ex articulis Fidei, & ex propositionibus, ex sacra Scriptura desumptis, quæ non sunt euidentes nobis, sed per Fidem dumtaxat creditæ; ergo nequit esse sciẽtia, philosophicè explicata. Et aliàs cum habeat certitudinem maiorem quacunque alia scientia naturali, seu humanitus adinuenta, (vt omnium concors est Doctorum sententia (videatur Gerard. q. illa 3. prol. art. 4.) quæ certitudo sufficit ad scientiã Theologicè sumptam; consequitur, illam huiusmodi esse, & sic scientiam per accommodationem.

Confirmatur

Gerard.

5 Neque valet dicere, principia nostræ Theologiæ habere euidentiam in Theologia Dei, & Beatorum, cui nostra est subalternata; Tum quia vidimus, nostram Theologiam non dici propriè subalternatam illi superæ scientiæ, ob defectum conditionũ subalternationis; Tum etiam quia (prout ex Arist. docuimus supra cap. 2. num. 5.) non satis est ad rationem scientiæ, vt principia demonstrationis sint alteri euidentia: Sed debere esse euidentia illimet, qui demonstrationem vel scientiam habet: Itelligi enim nequit, quomodò per notitiam, & claritatẽ in alio existentem possit immediatè, & naturalitèr causari scientia aliqua in mente alterius, in qua eadem non sit claritas, & euidentia, imò obscuritas, & in euidentia. *Non enim scict non habens demonstrationem ipsorum principiorum*, inquit Arist. vbi supra.

Obiectio.

Solutio.

Arist.

Arist.

CAPVT IX.

In quo ponuntur quædam corollaria, notatu digna.

§. I.

1 Antequàm Thomistarum fiat rationibus satis, collige ex dictis; Primo, Theologiã, quatenùs in Deo est, & Beatis, propriùs esse dicendam sapiẽtiam: ait Fauent. q. 3. proh. disp. 6. cap. 1. §. vlt. resolutè ponit Scotus, & probat ipse; quia sapientia est de altissimis causis, habet euidentiam, & certitudinem; est de necessarijs, & comprehendit omnem perfectionem cognitionis: amplectitur etiam cognitionem contingentium, eo modo, quo fieri potest; at Theologia quoad necessaria, est de obiecto necessarijssimo, perfectissimo, & altissimo: habet euidentiam, & certitudinem infallibilẽ, quoad contingentia, in obiecto Theologico, nempè Essentia Diuina; & non habet euidentiam mendicatã ab alijs prioribus; sed ipsa est immediatè nota; vnde potius assimilatur intellectui principiorum, quam scientiæ conclusionum, & sic iure poterit proprius dici sapientia.

1. corollar.

Fauent.

2 Collige Secũdo, Theologiam Viatorum differre ab illa Beatorum: Primo, ratione status, & ineuidentiæ, quæ est conditio viæ; vnde indiget reuelatione, quæ conditio accidentalitèr se habet, respectu Theologiæ, vt sic. Quarè asserit Caiet. Theologiam nostram, & Beatorũ se habere, sicuti perfectum, & imperfectum: nostra enim, ratione dictæ conditionis,

2. corollar.

Caiet.

tionis, imperfecta est; illa verò, ratione luminis, perfecta; ficut homo puer, & adultus. Secundo, tône modi cognofcendi: noftra enim, difcurrendo tendit, & ad difcursũ inclinat; illa verò, fine difcurfu.

3 Differt etiam noftra Theologia, fumpta præcisè, quatenus in nobis eft, à Fide, ficut habitus conclufionum ab habitu principiorum: Diximus enim fuprà, habitum principiorum Theologiæ, quatenus eft in viatoribus, effe Fidem: at vero fi loquamur de Theologia, vt fic, tùm fecundum fe, & abftractè fumpta, tum prout eft in Deo, & Beatis, nullam prorfus habet à Fide dependentiam.

3. corollar.

An hęc Theologia perfeueret in Cœlis.

Not. Gab. Caiet. Hifp. Pau.

4 Et hinc collige Tertio, refponfionem ad illud dubium, quod agitari folet à Scholafticis; An hæc Theologia perfeueret in Cœlis in nobis? Ad quod Gabr. in 3. dift. 31. q. vnic. & Caiet. fuper illud Pauli 1. Cor. 13. *fiuè fcientia deftruetur*. & Hifpal. q. 1. prol. art. 4. ad quartũ, afferunt, noftram Theologiam non perfeuerare in Patria; quia vifio excludit omnem ineuidentiam Theologiæ, ficut & Fidei, & fic vtramque neceffario ceffare in Cœlo.

§. II.

Obiectio. Hieron.

Solutio.

5 QVod fi eis objiciatur illud Hieron. in prol. Bibliorum, *Eam fcientiam addifcamus in terris, quæ in nobis perfeueret in Cœlis*: Refpondent, Hieronymum non intelligere de habitu, fed de alio actu, & de notitia magis clara, quæ fuccedit poft hanc vitam in habente hic Theologiam.

Caiet. mutat fententiam.

Bonau. Dur. Palud. D. Th.

6 Cæterum Caietan. 1. par. q. 1. art. 2. mutat fuam fententiam, & firmitèr tenet, eandem perfeuerare, & in Cœlis; ita etiã Bonau. in 3. dift. 31. ar. 2. & ibi Dur. quęft. vlt. Palud. q. 1. & D. Thom. 1. par. q. 89. art. 5. ad primum. Et ad argumentũ Pauli 1. Corint. 13. *fiue fcientia deftruetur*; vbi videtur afferere, quod hęc fcientia fit deftruenda: Refpondent, loqui de fcientia myfteriorum, quã habemus per Fidem; cum enim de intrinfeca ratione Fidei fit obfcuritas, & in patria omninò deftruetur obfcuritas, confequitur euidentèr, neque ipfam Fidem remanere.

7 Alij addunt, quod rectè dici poteft, fœrè, aliquo modo, etiam noftram Theologiam in Patria deftruendam; quantũ, fcilicet, ad modum; quia tunc non erit conuerfio ad phantafmata in fpeculatione, ficut eft in via: & fic erit diuerfus modus fpeculandi, & cognofcendi. Item deftrueretur imperfectio, quam habet modo, ratione conditionis ftatus; nimirum, illa ineuidentia, & fic perfeuerabit eadẽ fcientia, perfectior tamèn.

Quomodo dicatur remanere in Cęlo noftra Theologia.

8 Quæ doctrina mihi vifa eft aliquãdo vera; Aft re melius ponderata, verius dicendum puto, non remanere eandem, vniuocè: benè tamèn analogicè; ideft, nõ fub eadem omninò ratione; cum de ratione fcientiæ noftræ, (prout fupra adnotauimus cap. 1. nu. 5.) fit, inclinare, & mouere intellectum ad affentiendum conclufionibus, quæ ex principijs reuelatis, per euidentem confequentiam deducuntur; Et licèt reuelatio, & difcurfus per accidens fe habeant refpectu Theologiæ, vt fic, & abftractè fumptæ; tamèn, prout eft in nobis, funt conditiones, vel effentiales, vel ad minus propriæ: Cumque in Patria nulla harum conditionum permaneat; non videtur effe eadem in fpecie, & vniuocè, Theologia Beatorum, & viatorum. Erit ergò eadem analogicè: quia cum Theologia fit fcientia de Deo, & hoc quod eft, fcire Deum, & noffe illum, primo & perfectius, Comprehenforibus cõueniat, qui clarè, & intuitiuè Deum norunt; imperfectius autem, & quafi fecundariò, viatoribus, qui vidẽt in ænigmate, & obfcurè, difcurrendo, & per reuelationes, multoties per ipfofmet Comprehenfores fpiritus, nobis factas; confequitur, Theologiam Beatorum, & viatorum effe eandem fcientiam, analogicè: vel ad fummum, fi velis, eandem in genere, non in fpecie.

§. III.

4. corollar.

9 COllige Quarto, quod licet Theologia noftra nõ fit propriè, & in rigore fcientia, prout dictum eft; tamèn ad habitum fcientiæ pertinere potius, quam ad quemcunque alium ex enumeratis ab Arift. nam etfi deficiat à ratione rigorofa fcientiæ, ob defectũ euidentiæ: hoc ideo eft, quia agit de rebus excedentibus captũ humanæ mentis, in via; licèt certioribus nobis, rebus omnibus, quas euidenter cognofcimus per fciẽtias propriè dictas; cum certitudo Theologiæ fit maior quacunq; alia, habita ex fcientijs humanitus adinuentis: fiquidèm in fuo affenfu maiorem habet immutabilitatẽ, & ratione rei cognitæ, quæ eft ipfa prima veritas, omninò immutabilis; & ratione medij, per quod fit talis cognitio, quod eft authoritas eiufdem veritatis primæ,

quæ mentiri non potest, & cui subesse nõ potest falsum: & ratione luminis, quod est Fides, quæ adeò immutabilis est, vt sub ipsa videri non possit, nisi verum. Hanc autem scientiam non nouit Arist. quod si nouisset, forsan non requisiuisset ad rationem omnis scientiæ, propriæ dictæ, euidentiam: dummodò tantam certitudinem, ac firmitatem habuisset: legite Canum lib. illo 12. de locis cap. 2. supra cit.

Canus.

CAPVT X.

In quo soluuntur obiectiones Thomistarum, posita cap. 4.

§. I.

1 Restat in hoc vltimo cap. soluere rationes, quibus probare nituntur Aduersarij, nostram Theologiam esse verè, & propriè scientiam. Et Primo, ad primam, deductã ex authoritatibus, iam patet ex dictis, quid dicendum sit; nam illæ omnes concludunt de scientia, non phisicè explicata, & in rigore philosophico sumpta; sed theologicè. Neque displicet illa Scotistarum distinctio, qua vtitur Fauent. de scientia 6. Ethicorum, & de scientia 1. Poster. Arist. enim, (vt vidimus cap. 2.) diffinit 1. poster. scientiam, strictè sumptam; & sic ad illam requirit euidentiam: at 6. Ethic. cap. 6. & 7. alio modo scientiam describit, dicens; esse habitum oppositũ opinioni, & suspitioni, quo determinate verum dicimus. Vbi tantùm diffinit scientiam, largo quodam modo acceptam. Et vsurpando scientiã in hoc sensu, inquiunt Scotistæ, Theologiam esse scientiam de 6. Ethic. non verò de 1. Poster. quia excludit suspitionẽ, & habet determinatam, & certissimam veritatem de suis conclusionibus, nõ tamèn euidentiam.

Ad Primum Thomist.

Fauent. Arist.

2 Vbi autem dicitur Sap. 7. & alibi. *Ipse dedit mihi omnium, quæ sunt veram scientiam.* non est sumendum Ly (*veram*) in sensu, quo nos dicimus, non esse verè, & propriè scientiam: sed dicitur sacra Doctrina vera scientia: quia agit de rebus, quæ verè ad nostram salutem, & vltimum finem faciunt: cum reliqua, quæ à scientijs naturalibus traduntur, parũ, aut nil prorsus cõducant ad animæ salutem.

Sap.

Vnde Salom. Omnem aliam notitiã rerum creatarum, vanitatem existimat.

§. II.

3 AD Secundum argumentum Banes, iam diximus cap. præcedẽti num. 9. Theologiam nostram spectare ad habitum scientiæ; eam verò, quæ est in Patria, ad habitum sapientiæ.

Ad Secund.

4 Ad Tertium, iam dictum est, tùm cap. 2. tùm etiam cap. 5. & 6. euidentiam esse de intrinseca ratione sciẽtiæ, propriè dictæ. Cum autem dicitur, quod principia Theologiæ sunt euidẽtia Deo, & Beatis. Inane quoddã effugium Aduersariorum est; tùm quia nostra Theologia non est subordinata scientiæ Dei, & Beatorũ; tùm etiam quia nõ potest dici sciens, qui non habet demonstrationem eorum, quę dicitur scire. Tùm Tertio, quia non satis est ad rationem scientiæ, quod principia demonstrationis sint alteri euidentia; sed debent esse euidentia illi ipsi, qui demonstrationem, vel scientiã habet; alioquin etiam opinio posset dici scientia, si principia, quæ opinanti probabilia sunt, Angelis v. g. sint euidentia. Vt opinio circa materiam Cœli; an scilicet Cœlum sit compositũ ex materia, & forma? Angelis pars vera euidens; est nobis autem tantũ per syllogismum topicum, est probabilis.

Ad Tertium.

5 Ad confirm. Respondet Fauent. disp. illa 6. cap. 2. §. ad secundum: Aristotelem intellexisse, præmissas debere esse euidentes semper, quoad nos. Sed, esse euidẽtes, quoad nos, bifariam contingit: Primo, cum procedimus à causis, & principijs, quæ nobis nota sunt, ad effectus: Secundo, cum procedimus ab effectibus, qui noti sunt nobis, ad causarum notitiam: & vtrobique semper proceditur à notioribus nobis: nihilominus tamèn, cũ procedimus à causis ad effectus, processus hic dicitur processus à notis, natura; Cum verò procedimus ab effectibus ad causas, dicimur procedere à notis nobis; quia causæ, cum sint vniuersales, & remotiores à nostris sensibus, dicuntur notæ natura; effectus autem ex eo, quod sunt nostris sensibus propinquiores, dicuntur notiores nobis Scientiæ humanę, & præsertim Metaphisica, multoties procedunt ex notis natura; sed omnia ea principia euidentiam habent, vel in se, ex terminis; vel ex sensibilibus per experientiam: quod non potest dici de principijs Theologicis.

Ad confirm. Fauent.

6 Ad

§. III.

Ad repl. 6 AD id, quod cõtra hoc obijcitur, Respondet idem Fauent. talem esse principijs necessariam euidentiam, quæ ea vera omninò esse notificet intellectui, qualis illa euidentia proculdubio est, quæ deducitur ex sensibilibus, & experimento. Cæterum ea notitia, quæ prouenit ex reuelatione, & authoritate alicuius, non causat in intellectu principiorum euidentiã; itaùt verè, & proximè videat prædicatum iungi subiecto; sed solùm gignit fidem, & credulitatem, longè alterius generis ab ea, quæ requiritur ad scientiam proprie dictam.

Ad Quartum 7 Ad Quartum, nullo modo concedendum est, lumen illud mediũ ab Henrico somniatum. Ad cuius probationem, dico; sine tali lumine confictò, posse vtique saluari, Theologos habere perfectiorem cognitionem rerum credibilium reliquis omnibus catholicis rudioribus; & ratione exercitationis ingenij: vel quia sũt alijs instructi sciẽtijs, quæ vim acuunt intelligendi; imo & ipsamet Theologia, quæ scientia quædam est, modo explicato, tradens perfectiorem quandam notitiam, per discursum, eorum, quorum reliqui habent simplicem, dumtaxat, Fidei lucem; facit enim, vt ex principijs creditis, conatu quodam, & industria, conclusiones deducamus.

Ad Quintum 8 Ad Quintum, negandum absolutè est; articulos Fidei esse euidẽtes: id enim falsum est. Ad cuius probationem Respondetur, quod ex illo syllogismo, *Omne reuelatum à Deo est verum &c.* tantũ potest inferri; articulos Fidei esse veros: non tamèn euidentes, vt deberet probare argumentatio; nàm licèt euidens sit, *Omne reuelatum à Deo esse verum*; cum Deus sit prima veritas, & mentiri nulla ratione queat: minor tamen nempè, *Articulos Fidei esse à Deo reuelatos*; non est nobis euidens: assentimus enim per Fidem, quod articuli Fidei sint nobis reuelati à Deo: Vnde cum conclusio debeat partem sequi debiliorẽ, non erit euidens, sed benè certa, certitudine maxima. Et licèt adhùc haberemus euidentiam illius minoris, (prout nonnulli Scholastici fatẽtur, Apostolos habuisse,) nihilominùs tamèn ineuidens esset, in se, ipsa conclusio; in attestante solum euidens; idest, quia euidenter scio, Deum sic reuelasse, ideò credo, verissimàm esse illam propositionem: non tamèn illius veritatem agnosco, ex connexione prædicati cum subiecto, quod requiritur ad euidentiam in se. Et suo loco dicam, posse optimè consistere Fidem cum tali euidentia in attestante: cum longè maiorem, & in se, scientia requirat; Euidentia etenim in Attestante dicitur euidentia credibilitatis, non scientiæ.

9 Ad vltimum tandèm Dicimus; nil concludere contrà nos; Arist. enim dum ait, (*principiorum scientia esse scientiam, vel notitiam maiorem scientia;*) nil aliud voluit, nisi, principia scientiæ demonstrari demonstratione à priori, vel à posteriori. Et sic principiorũ erit scientia: vel debere esse nota lumine naturali, & sic cognosci per propriũ habitum, qui dicitur intellectus, quæ cognitio est maior cognitione demonstratiua. Cum subditur, (*Sed principia theologica cognoscuntur notitia, quæ est maior scientia,*) Si sermo fit, quantum ad certitudinem, concedo; si verò quantum ad euidentiam, nego; quia notitia, qua cognoscuntur principia Theologiæ, nempè, *Fides*, licet certior sit quacunque alia certitudine; nullã tamen habet euidentiam. Quare consequentia concludit tantum de scientia, largè sumpta, vt explicatum est. Ad vltimum. Arist.

10 Ad Confirm. Respondetur, requiri euidentiam ad scientiam, vt sciens dicatur rem cognoscere in se ipsa, ex connexione terminorum. Et cum subditur, *quod Fides facit fortitèr adhærere veritati*: Distin. in se: & nego, ratione Attestantis, & sic concedo: Et negatur absolutè consequentia, si loquatur de scientia in rigore, iuxtà dicta. Et hæc dixisse sufficiant de prima hac disputatione. Ad confir.



DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum Sacra hæc Doctrina Practica ſit: An verò ſpeculatiua?

CAPVT PRIMVM.

Vnde habeant habitus & actus, quod ſint practici, vel ſpeculatiui.

§. I.

1 SVperuacaneũ eſſet hoc loco repetere doctrinam de Praxi, quã tradidimus in Logica diſput. 1. ſec. 2. vbi Praxis, & Practici, ſatis clarè naturam explicuimus; & Scoti Diffinitionem, quam de Praxi aſſignat, adeò controuerſam inter Doctores, defendimus. Et qui plura in fauorem eiuſdem diffinitionis deſiderat, adeat Fauent. q. 3. prol. diſp. 9. vbi prolixè illam examinat; Nos enim, quia hic non magni momenti rem eſſe cenſemus, magis neceſſaria diſcutiamus, ea, qua fieri poterit, breuitate, ac facilitate.

Fauent.

Habitus dicitur practicus, vel ſpeculatiuus ab actu; actus verò ex fine.

2 Supponendum ergo eſt: Habitum dici practicum, vel ſpeculatiuũ ab actu, ad quem inclinat; certum enim eſt, quod huiuſmodi rationes practici, & ſpeculatiui, ab actibus redundant in habitus; & ſic primò ſunt in ipſis actibus. Actus verò dicũtur practici, & ſpeculatiui, ex fine; prout annuit Ariſt. 3. de anim. cap. 10. dicens, *practicum, & ſpeculatiuum fine differre*. Sed duplex eſt finis, intrinſecus, & extrinſecus; ſeù operis, & operantis. Non eſt ſermo de fine extrinſeco, ſeù operantis: vt ſic, enim, etiam Metaphiſica poſſet reddi practica; vt ſi quis eam addiſceret lucri cauſa &c. Eſt tamèn ſermo de fine intrinſeco proximo, & ipſius actus, ad quem actus ipſe ex ſe tendit. Vnde quando actus pro fine habet veritatem, præciſè, & vltimatè; eſt actus ſpeculatiuus; quando vero, pro fine, habet opus, practicus profectò eſt. Dixi, *vltimatè*, nàm, vt adnotaui in Logica, loco ſupra citato. Omnis ſcientia, etiam practica, tendit ad veritatem; non tamèn, tanquam ad finem vltimatum; ſiquidem adhùc vlterius ordinat illam veritatis cognitionem ſcientia practica; ad opus, nempe; Et ſic opus erit proprius ipſius finis; ex quo deſumitur ratio practici, vel ſpeculatiui in actibus.

Ariſt.
Duplex finis, intrinſecus & extrinſecus.

Omnis ſcientia tendit ad veritatem.

§. II.

3 QVibus liceat etiam addere cum Dur. q. 6. prol. quod ratio huius differentiæ, radicalitèr prouenit ab obiecto; vt enim docet Ariſt. 6. Ethic. cap. 1. & ſeqq. & lib. 1. magn. Moral. cap. 33. Obiectũ ſpeculatiuæ notitiæ eſt id, quod non eſt in poteſtate noſtra, nèc poteſt aliter ſe habere: vndè fit, notitiam ſpeculatiuam ex ſe non reſpicere opus; ſed ſiſtere in contemplatione, dumtaxat, veritatis obiecti ſui. Practica vero, ex ſe, dicitur dirigere voluntatem ad operandum circà obiectum ſuum: & hoc fit, (vt optimè Haccherus tract. 1. diſp. 2.) quando non ſolùm apprehendit veritatem illius, ſed etiam bonitatem, & eam voluntati repreſentat; Qua ſibi propoſita; præſcriptis etiam medijs, & modo operandi; voluntas, aut mouetur ad praxim, ſeù exequtionem obiecti, à notitia practica intenti, ſi praxis ſit actio propria voluntatis: aut ad illam mouet potentias executiuas ſuo ſubiectas imperio, ſi ſit actio alterius potentiæ.

Dur.
Ariſt.
Haccher.

CAPVT II.

In quo percurſis breuiter nonnullis Scholaſticorum minus probabilibus opinionibus, elicitur probabilior.

§. I.

1 POſitis his, quæ diximus ſuperiori capite, facilè eſt decernere, An Theo-

Theologia practica sit, an verò speculatiua? omnino parcentes, parum, seu potius nihil vtili aliquorum Theologorum, tum ex antiquioribus, tum etiam ex recentioribus prolixitati. Ast ne cæci penitus, & aliorum prorsus ignari sententiarum proceda mus, eas omittendo, percurrere non displiceat.

Sententia Scoti.

2 Et in primis omittimus Scoti placitum q.4. prol. *§. Ad quæstionem igitur Respondeo*, & *§. Secundus articulus*; vbi docet, Theologiam, ea etiam parte, quæ circa Deum, & veritates necessarias versatur, in nobis esse scientiam practicam; in Deo, omnino speculatiuam: Sic etiam ea parte, quę versatur circa contingentes veritates; si sint opera nostra, in nobis esse practicam; in Deo verò, circa omnes veritates contingẽtes, esse speculatiuam: & sic nostram Theologiam solum esse practicam.

3 Verùm quid sentiendum de scientia Dei: an scilicet practica sit, vel speculatiua? non est præsentis loci, sed cum de Dei scientia agitur 1.p.q.14.art.16. vbi D.Thom. ex professo discutit, An scientia Dei de rebus sit speculatiua? & docet, scientiam, quam de se ipso habet, esse omninò speculatiuam: De omnibus verò alijs extra se habere scientiam, & speculatiuam, & practicam: speculatiuam quidem, quãtum ad modum; quicquid enim in rebus nos speculatiuè cognoscimus, diffiniendo, & diuidendo; hoc totum Deus multo perfectius nouit. De his verò, quæ potest quidem facere, sed secundum nullum tempus facit, non habere practicam scientiam; secundum quam practica sciẽtia dicitur à fine; vt sic enim solum eam habet de his, quæ secundum aliquod tempus facit.

D.Thom.

Deus habet scientiã practicã, & speculatiuam.

4 Vbi etiam illud asserit, quod licet mala ab eo non sint operabilia, tamen adhuc cadunt sub cognitione practica ipsius: sicut & bona: in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea: sicut & ægritudines dicuntur cadere sub scientia practica Medici, in quantum, per artem suam, eas curat: ita D.Thom. loc. cit. de scientia Dei; vbi etiam Recentiores omnes eandem disputant quæstionem. Quid autem habeat probabilitatis, vel falsitatis Scoti opinio, in quantum de Theologia, quæ in nobis est, loquitur, ex dicendis patebit.

Quomodo mala cadant sub scientia practica Dei

D. Th.

§. II.

5 Secundò loco omittimus, & eam sententiam, quam refert Dur. q.6. prol. num.7. eorum, qui docebant, Theologiam nostram esse speculatiuam simpliciter: non quia non versatur circa opera: sed quia omnis scientia denominationem, simpliciter, sumit ex fine præcipuo: & hunc, esse fatẽtur in nostra Theologia, Beatitudinem nostram, quæ in speculatiua notitia sita est. Alia sententia relata à Dur.

6 Quæ sententia reijcitur ex eo: quia scientia dicitur speculatiua, vel practica ex actu (vt cap. præcedenti diximus) qui si fuerit practicus, etiam si ad Beatitudinem disponat, vt ad finem consequendũ, erit practica; & si speculatiuus, erit speculatiua; cumque in Theologia sint, & actus practici, & speculatiui; cõsequitur, non esse simpliciter speculatiuam. Reijcitur.

7 Tertio omittimus aliorum etiam placitum, asserentium, Thologiam neq; practicam esse, neque speculatiuam: sed affectiuam: hoc est, quæ ordinatur ad mouẽdum affectum: cum præcipuus eius finis sit, ad Dei amorem excitare: quem præcipuè Theologia considerat. Enim verò, vel ly (affectiuum,) idem est cum practico; vel parum à practico differt: mouere namque affectum ad amorem, est ad praxim ordinare. Cum autem Philosophi dicunt (vt nos adnotauimus in Logica) intellectum extensione fieri practicum: hoc prorsus docere videtur: nullo etenim alio modo fieri potest practicus intellectus, extensione; nisi cum mouet aliam potẽtiam ad operandum opera rectæ rationi consona (vt ibi) Quarè Aegid. noster, licèt aliquantulum videatur huic sententiæ adhærere 4.p.prol.q.1. tamen non negat, esse practicam, & speculatiuam Theologiam nostram: & docet hæc tria illi conuenire; affectiuum, practicum, & speculatiuum; de qua sententia aliqua dicam infrà.

Alia sententia.

Reijcitur.

Quomodo intellectus fiat extensione practicus.

Aegid.

8 Tandem omissis, & alijs opinionibus aliorum opinantium, Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam: nõ tamen secundum eundem habitum, sed secundum diuersos: Credunt enim, esse vnam scientiam, sed plures habitus: seu non esse simplicem qualitatem. Contra quam sententiam satis disputatum est in Logica disp.1. sect.1. vbi probaui contra eos, qui fatebantur (Logicam esse vnam scientiam; non tamen vnum simplicem habitum, simplicemquè qualitatem) id omnino repugnare. Aliorũ opinio.

9 His

§. III.

1. conclusio cum D.Tho. 9 His ergò omnibus prætermissis: Dicendum primò existimo cũ D.Thom. Hanc sciẽtiam, vnam, eandẽq; simul esse practicam, & speculatiuam. Ita cum S.D.Thomistæ omnes, præsertim Recẽtiores, quos sequitur Vasq. hic disp. 8. cap. 6. necnon & Haccherus loco cit. Vasq. Hacch. Cuius ratio facile desumi, ac colligi potest ex dictis in 1. cap. sic: Esse practicum, & speculatiuum in sciẽtijs desumitur ab actibus: sed Theologia inclinat ad actus practicos, & ad speculatiuos; ergo verè illi conuenit vtraque ratio: maior patet ex superius dictis. minor probatur; ratio practici, & speculatiui in actibus (prout etiam dicebamus) desumitur ex fine, & radicaliter, ex obiecto; is enim dicitur actus practicus, qui vel mouet ad praxim, vel est ipsa praxis, seu operatio: ita vt habeat pro obiecto opus ipsum. Speculatio verò, seu ille actus dicitur speculatiuus, qui sistit in cõtemplatione solum veritatis obiecti sui: sed Theologia habet actus vtriusq; rationis: nam assensus huius conclusionis, *In Christo sunt duæ voluntates*, est speculatiuus, qui deducitur ex præmissis eiusdem ordinis sic, *Vbi sũt duæ naturæ completæ, ac perfectæ, ibi sunt omnes proprietates illarum naturarum, atque perfectiones necessariæ: Sed in Christo sunt duæ naturæ, Diuina, & Humana, ambæ completæ, & perfectæ; ergò in Christo sunt etiam omnes proprietates, & perfectiones illarũ. Sed vna ex præcipuis perfectionibus ipsarum, cùm sint ambæ intellectuales, est voluntas; ergo in Christo sunt duæ voluntates*. Cumque hoc discursu non moueamur ad opus aliquod, erit prorsus speculatiuus. Sic etiam assensus huius conclusionis, *Est diligendus proximus*, est practicus, cui assentit Theologus hoc discursu, *Omne quod præcipitur à Deo, faciendum est; sed Proximi dilectio præcipitur à Deo, dicente nobis. Diliges Proximum tuum; Ergo Proximus à nobis est diligendus*. Ex his omnibus sequitur, Theologiam simul esse practicam, & speculatiuam.

§. IV.

2. conclusio D.Thom. 10 Dico secundò: Theologia est eminenter practica, & speculatiua; hoc dictum est S.D. in corp. ar. 4. Et prob. Hæc scientia est quædam impressio sciẽtiæ Dei: sed Dei scientia, vna existens, est eminenter practica, & speculatiua; quia eadem sciẽtia, & se ipsum contemplatur Deus, & operabilia à se, & modum etiã, quo illa debet operari; ergò, &c.

11 Præterea: hoc est vniuersaliter verum; vt quæ in inferioribus sunt diuisa, & distincta; in superioribus inueniantur vnita, & coniuncta: vt calor, & siccitas in igne sunt distincta, in Sole inueniuntur coniuncta. Et in Politicis, potestates, quę in inferioribus reperiuntur distinctæ, in Rege sunt coniunctæ, & vnitæ: & sic de reliquis: ergo eadem ratione practicum, & speculatiuum, quæ in scientijs inferioribus inueniuntur, seorsim, & separata, in hac nostra scientia, quæ est superioris ordinis, inueniuntur coniuncta.

12 Addo in cõfirmationem eiusdem dicti, quod Fides, donum scientiæ, & sapientiæ, sunt eminenter practica, & speculatiua; ergo & hęc scientia. pat. conseq. quia illa dona ministrant principia huic scientiæ; Antecedens verò est D.Thom. 2.2. q.4. art.2. ad vltimum, & q.8. art.3. & q.9. ar.3. & q.45. ar.3. & est sententia D.P. Augustini 12. de Trin. vbi ait, *Quod superior ratio intendit, & in conspiciendis rationibus æternis, & consulendis*. In quantum dicit, *conspiciendis*, dicit esse speculatiuam: Et in quãtum dicit, *consulendis*, indicat esse practicam. D.Thom. D.P.Aug.

§. V.

3. conclusio D.Tho. 13 Dico tertiò cum eodem D.Thom. Nostra Theologia magis est speculatiua, quàm practica. Probatur primò, ex ipsius nominis ratione; nam idem est, Theologia, ac sermo, seu ratio de Deo; ergo eius proprium, ac præcipuum munus est, Dei naturam, ac proprietates contemplari, & inquirere. Cumque hoc ad speculari pertineat, cõsequitur, &c.

14 Secundò probatur ex obiecto huius scientiæ, quod est Deus: Hoc obiectũ non est quid à nobis operabile: ergo scientia de illo principalius est speculatiua, quàm practica.

15 Tertiò: scientia, quæ considerat rerum naturas, mediante naturali lumine, speculatiua est; etsi ex illa possint regulæ ad operandum assumi: Ergò à fortiori, Theologia, quæ, mediante supernaturali lumine, cõsiderat, ac speculatur Dei naturam, ac proprietates, erit etiam magis speculatiua.

16 Sed

Petitio. 16 Sed petes: Vnde huic scientiæ hoc proueniat, quod cum hoc, quod est, esse speculatiuam, sit etiam practica? Respondeo. Respõdeo, quod ex eius eminentia, quia cum eius obiectum sit vltimus finis humanæ vitæ, & ex fine sumantur regulæ ad operandum, conformiter ad illum, hinc prouenit, quod etiam sit directiua operis, & practica.

§. VI.

4. conclusio. 17 Dico quartò. Non est inconueniẽs asserere; ne dùm esse practicam, & speculatiuam eminenter hanc scientiam, sed adhuc posse dici practicam, & speculatiuam formaliter; ita Vasq. loco cit. disp. 9. c. 3. Pro cuius explicatione, notanda est quædam ipsiusmet Vasq. non iniucũda doctrina, quam etiam adducit Hacchet. ad primam obiectionem; nimirum, quod practicũ, & speculatiuum duobus modis vsurpari possunt. Primò, vt rationes, & differentiæ adequatæ habituum: vt dum vnus habitus habet pro obiecto, vel fine obiectiuo, ipsam operationem, seu directionem ad opus, seu praxim; alius habeat solam sui obiecti contemplationem pro fine obiectiuo (seclusa omni ratione praxis) Et hoc modo si considerẽtur speculatiuum, & practicũ, erunt proculdubio differentię essentiales faciẽtes essentialiter, & specificè differre illos habitus. Et ita Metaphysica dicitur habitus speculatiuus; Prudẽtia verò practicus. Ratio autem huius est; quia specifica habituum distinctio, præsertim, desumitur ab ordine ad obiectum formale, (vt ex dicendis infra manifestè patebit.) sed practicum, & speculatiuum, pro adæquatis rationibus sumpta, diuersa obiecta formalia constituunt formaliter: cum valde diuersum obiectum sit operatio, eiusve directio, à nuda contemplatione veritatis; ergo diuersos etiam habitus efficiunt. Et hinc est, quod scientiæ particulares, vnam, vel aliam rationem respicientes, adæquatè semper specie distinguantur; quia finis, & modus procedendi, in obiectum refunditur; ipsumque efficit formaliter diuersum.

Vasq.

Not.

Hacchet.

Practicum, & speculatiuum duobus modis vsurpatur.

Primo modo sunt differentiæ essentiales habituũ.

Secũdo modo qualiter se habeant practicũ, & speculatiuũ. 18 Secundò considerari possunt, vt rationes inadæquatæ, & in aliqua ratione obiectiua superiori; ac proinde vtrũq; comprehendente, conuenientes & vnitæ; & ita habitum quidem arguunt vniuersaliorem, non tamen specie distinctum, quia vniuersaliter, ratio obiectiua, sub qua comprehenduntur, vnica est, ac proindè vnum in specie constituũt habitum.

§. VII.

19 Hoc adnotato, nõ erit modo difficile positam probare conclusionem. Nam si aliquid inconueniens esset, maximè quia speculatiuum, & practicum, cum sint differentiæ essentiales habituum, distinguunt specie ipsos habitus; sed hæc ratio in nostra Theologia non currit; ergo, &c. patet minor, quia tunc hæ differentiæ sunt essentiales, & distinguunt essentialiter habitus, quando sunt adequatæ habitibus, & sunt differentiæ vltimæ illorum (vt etiam optime docet Pater Suar. 2. tom. metaphys. disp. 44. nu. 43.) sed in Theologia sumuntur inadequatè; vel (si velis cum P. Suat.) prout sunt differentiæ quædam subalternæ, abstrahentes ab adequato, & inadequato (non enim Theologia nostra, vt sic, habet præcisè pro obiecto, vel fine obiectiuo, opus, in quantum opus; seu operabile, in quantum operabile, nec speculabile in quantum speculabile.) ergo benè poterunt, absque aliqua inconuenientia, illæ duæ rationes cõuenire formaliter Theologiæ: illæ nãque duæ rationes esse possunt, sub vna ratione, subalternæ, & subalia, vltimæ; iuxta varias conuenientias, & differentias, quę inueniuntur in rebus. Possunt ergò duæ scientiæ in hoc cõuenire, quod vtraque agat de re operabili, vt sic: differre verò, quia altera adequatè (cum Vasq. & Hacchet.) agit de illa operabili re, seu tantum de illa: altera verò, non adequatè, sed superiori, & vniuersaliori modo. Vel si malueris vti distinctione Suar. nimirum, quod practicum sumi potest, vel vt abstrahit ab adęquato, & inadæquato; & vt sic est tantùm differẽtia subalterna; vel vt diffinitur, & limitatur ad habitum adæquatè practicum, & sic est differentia vltima; & idem proportionaliter de speculatiuo; Illæ ergò differentiæ non causant diuersitatem essentialem, nisi vt vltimæ sunt; & vt sic nunquam coniunguntur in eodem habitu: vt autem sunt subalternæ possunt coniungi; quia eadem res potest habere differentias subalternas constituentes genera, inter se non subalternatim posita; ita Suar. loc. cit. vbi etiam hanc nostram conclusionem tuetur.

Probatur cõclusio.

Suar.

Vasq. Hacch.

Suar.

§. VIII.

Conciliatur 2. concl. cũ 4. 20 Sed non erit absrè, secundam cum quarta conclusione concordare, nam etsi videantur ad inuicem repugnãtes, non tamen ita sunt; Vnde notandum est, quod bifariam, aliquid dici potest habere aliquam rationem eminenter: primò; ita vt idem sit eminenter, ac virtualiter, & non formaliter. Secundò; ita vt idem sit, ac excellenter, & non formaliter præcisè. Theologiam ergo eminenter esse speculatiuam, & practicam, intelligo in secunda conclusione, non primo, sed secundo modo. Quemadmodum Deus, licèt dicatur eminenter sapiens, non perinde inferre licebit, illum non esse etiam formaliter sapientem; ast non formaliter solum, & præcisè, sed formaliter modo excellenti.

Duobus modis dicitur aliquid tale formaliter. 21 Vnde colligitur etiam, quod aliquid dicitur tale formaliter duobus modis; Primò præcisè, idest secundum illam determinatam rationem; sicut Sapientia creata est formaliter præcisè Sapientia, non iustitia. Secundò formaliter eminenter, idest, modo excellentiori, & altiori, & indeterminatè ad illa alia: sicuti diuinam Sapientiam, certum est, esse eminenter formaliter sapientiam; cum etiam sit iustitia, & aliæ perfectiones.

Quo pacto Theologia dicatur formaliter practica, & speculatiua. 22 Igitur, Theologiam, dicimus in quarta conclusione, esse formaliter practicam, & speculatiuam altiori, & excellentiori modo, non eminenter præcisè; quemadmodum dicitur Sol eminenter, & non formaliter calidus, nec formaliter præcisè, quemadmodum dicitur manus calida, solum formaliter; sed formaliter eminenter, & excellenter. Et sic illæ duæ conclusiones non aduersantur ad inuicẽ;

D. Th Caiet. Montagn. Et hanc esse mẽtem D. Thomæ, & Caiet. docet Montagnol. in hoc ar. §. Tertiò.

CAPVT III.

Quid sentiendum de sententia fundatissimi Aegidij Romani.

§. I.

Not. circa sent. Aegid. Columnæ. 1 Docuit Aegid. noster, Theologiam esse propriè affectiuam. Circa quam sententiam, Notandum est; quod in illa, aliqua vera sunt; aliqua verò, quia procedunt ex fundamẽtis, oppositis fundamentis nostris, alibi de Praxi, positis, ideò in nostro modo dicendi, quem sequimur iam, non concordant cum sententia nostra.

Quatenus placeat Aegid. sentẽtia. 2 In primis, verum est id, quod docet in corpore quæstionis vnicæ quartæ partis prol. nempè, per sacram Doctrinã, & intendi bonam operationem; cum finis moralis sit actio, & ipsa nonnulla de moribus determinet. Item intendi speculationem, cum de summe speculabilibus tractet: Et tandem intendi Dilectionem, cum præcepti finis sit Charitas. Tum etiã nobiscum cõuenit, dum in fine corporis, quærens: Vtrùm sit magis practica, quàm speculatiua? Respondet, magis esse speculatiuam, quam practicam; quia visio Diuina magis respicit, & principaliter, Beatitudinem, ad quam ordinatur omnis nostra cognitio, & potissimè sacra pagina, quam faciat operatio.

3 Ast dissentimus, in quantum ipse docet; quod ex eo, quia Charitas est simpliciter finis sacræ paginæ (cum vbique in ea intendatur, vt principalis finis:) ab ea determinari debet. Et quia Charitas est in affectu, non intellectu: Intellectus autem diuiditur secũdum speculatiuum, & practicũ: Theologia nec speculatiua, nec practica propriè dici debet, sed affectiua; quia ad affectionem principaliter inducit.

4 In quo dicto iam patet, quod fundatissimus Doctor non conuenit nobiscum in diffinitione Praxis: Si quidem illam ponit in intellectu, & non in voluntare. Præterquamquod diximus in Logica, quod quando intellectus mouet voluntatem, vel ordinat ad opus, siue elicitum, siue imperatum, tunc practicus dicitur extensione, & operatio, seu actio voluntatis, ad quam eliciendam mouet affectum, praxis dicitur. Et sic non distinguimus nos ly, affectiuum, à practico; cũ practicum non solùm intelligatur à nobis opus operatum ad extra, vel à potentijs externis, sed etiam ipsum voluntatis opus, siue amoris, siue piæ affectionis sit, siue fruitionis.

§. II.

5 Quare, vt facilè satisfiat fundamẽtis Argentinæ nostri, præsertim. Argentin. q. 4. prol. qui hanc sententiam satis ægregie defendit, quatenus militant contra nos; & etiam rationibus efficacissimis

Quid requiratur vt actus sit in rigore practicus.

simis fundatissimi Doctoris; Notandum est, quod ad hoc, vt actus aliquis sit propriè, & in rigore practicus, ex quo (vt diximus) refunditur hæc denominatio in habitum, nō est satis, quod ex ipso sequatur praxis; etiam si naturali quadam consequutione ex illo fiat: si quidem etiam ex ipsa speculatione poterit praxis oriri, seu moueri affectus: & sic nulla sanè esset cognitio speculatiua. Ipsa enim Physica scientia, & Metaphysica, quæ, omnium sententia, speculatiuæ omninò dicuntur, practicæ quoque, iure optimo, nūcupari possent, seu affectiuæ: nam speculatio eorum, quæ ab ijs scientijs considerantur, mouere potest affectum, & amorem rei cognitæ; cum ex perfecta speculatione possit oriri perfecta delectatio (teste Arist. 10. ethic. c. 7. & 8.) necesse ergo est, quod actus intellectus versetur circa praxim, tanquam circa obiectum, cogitando qualiter talis actio, aut operatio fieri debeat, aut possit. Vt cū aliquis cogitat, qualiter est statua faciēda? vel ædificium construēdum, quomodo bonum sit amare, vel odio habere.

Arist.

§. III.

Obiectum operabile potest cadere sub notitiam speculatiuā. D.Th.

6 Imo nec istud quidem, vt sic, sufficit; nam etiam obiectum operabile, & praxis ipsa cadere potest sub speculatiuā notitiam; vt docet D.Thom. infra q. 14. art. 16. De scientia Dei; quatenus tendit ad factibilia, quæ nullo tamen tempore sunt facienda: illam, nimirum, esse speculatiuam, de obiecto tamen operabili: & sic idem D.Thom. q. 14. de verit. ar. 4. & in 3. dist. 23. q. 2. ar. 3. quæst. 2. docet aperte, non esse aliquam practicam notitiam, seu affectiuam, ex eo quod moueat affectum ad amorem rei cognitæ; sed ex eo, quod respiciat ipsammet operationem, & praxim; & hoc esse, inquit, notitiam proxime dirigere ad praxim, affectusq; mouere; cum remote etiam dirigere dicatur speculatio, quando illam sequitur amor. Et sic intellectio simplex, & incōplexa propriè non poterit dici practica, seu affectiua; vt Vasq. docet ex Ocham. q. 4. prol. ar. 2. qui ponitur q. 10. in ordine. Greg. q. 5. ar. 2. Capreol. q. 2. ar. 5. cōcl. 5. & ex alijs. Quæ doctrina est intelligenda; ita vt ad rationem practicæ notitiæ, seu affectiuæ requiratur, nedum versari circa obiectum practicum, & circa praxim; sed etiam, quod versetur peculiari quadā ratione, qua dirigat ad opus proximè. Quod iddem est, ac dicere; ad notitiam affectiuam, seu practicam requiri, quod tendat per se ad mouendum affectum, seu ad praxim, & modo affectiuo, seu practico, & operabili. Et hoc manifeste docere voluit D. Thom. loc. cit. ex q. 14. vbi ait, *si ædificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinās ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit, quantum ad finem, speculatiua consideratio; tamen de re operabili;* Vnde colligit, duplicem posse esse notitiam speculatiuam; alteram simpliciter; vt ea, quæ est speculatiua, & ex obiecto, & ex modo; quando videlicet proceditur tantum speculando obiectum omninò speculabile; quod, scilicèt, non sit factibile à nobis (vt dictum est supra) alteram vero tantum secundum modum; vt est illa, quæ tendit ad obiectum operabile: tamen modo speculatiuo, (vt dictum est.)

D.Tho.

Intellectio simplex non est propriè practica. Vasq. Och. Greg. Capreol.

D.Tho.

Qua ratione solui possunt argumenta.

7 Ex his facile erit vnicuique respōdere omnibus fundamentis sententiæ, asserentis, Theologiam esse affectiuam: Cum enim asserunt eius Doctores, scientias denominari debere à fine præcipuo, qui in Theologia est dilectio, & amor, ad quem in cunctis suis actibus mouet affectum; Dicendum est, prout supra, Habitus non denominari immediatè, nisi ex actibus, actus autem ex fine, quem ipsi ex se intendunt. Cùmq; in Theologia sint actus, qui omninò speculatiue se habent circa Deum, eius naturam, & attributa, &c. quæ omninò obiecta speculabilia sunt, secundum se; & actus, qui secundum se ordinantur ad mouendum affectum ad praxim, ad amorem, &c. licet ex perfecta contemplatione obiecti summi sūmè speculabilis oriatur dilectio, & amor ipsius Dei; Non licet tamen indè inferre, illos actus non esse merè speculatiuos: alios verò affectiuos, seu practicos. Et sic, Theologiam esse simul habitum speculatiuum, & practicum. Et hæc de ista disputatione dixisse sufficiat.



DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum Theologia sit vna scientia, & quodnam obiectum illius?

CAPVT PRIMVM.

In quo refertur Illustrissimi Caiet. sententia de multiplici obiecto formali, & à quo scientia suam vnitatem desumat?

1 Rauissima, ac difficillima est hæc Disputatio, in qua nonnulla metaphysicalia discutienda sunt; vnde deuenire possimus in notitiam principis difficultatis. Ast pro intelligentia tituli primo notandum est. in sententia D.Thom. quod in qualibet sciẽtia considerare possumus plures Habitus, sine quibus perfectè sciẽtia nequaquã esset: huiusmodi sunt, Habitus principiorum; Habitus opinionis; Habitus declarandi, & probandi principia; & denique Habitus deducendi conclusiones, in quo tantum essentialiter consistit sciẽtia. Hic tamẽ conclusionum Habitus dicit intrinsecam, & essentialem connotationem ad Habitum principiorum, in quibus deducendæ conclusiones virtualiter continentur; & sine quibus nequaquam eas deducere posset; licèt ab inuicem omnino distinguantur realiter, & essentialiter. Titulus autem quæstionis non quærit: An in Theologia sint plures Habitus inter se distincti, qui omnes ad ipsam spectent, vel vt origo illius, vel vt adminicula? An verò sit tantum vnicus habitus? Sed: Vtrũ sit vna, vel plures sciẽtiæ? Et si vna scientia: An vna in specie specialissima? prout sẽtit Angelicus Doctor: ex eo, inquiens, quia sub vna ratione formali omnia considerat. Et si ita sit: Quæ nam sit hæc formalis ratio, vnde huiusmodi athomam vnitatẽ nostra Theologia desumit?

1. not. D.Tho. Plures habitus in qualibet scientia.

Explicatur quæstionis titulus.

D.Tho.

§. II.

2 CAeterum ne in æquiuoco laboremus, primò loco discutiendum nobis est; quotuplex sit obiectum formale, siue ratio formalis? vt sciamus, à qua formali ratione talis vnitas in scientijs desumatur? Quare secundo loco notanda est vetus quædam S. Doct. doctrina q.18. de verit. ar.1. & 3. vbi docet, triplex esse obiectum formale. Primum dicitur obiectum formale, *in quo*, huiusmodi est species intelligibilis, in qua, tanquam in obiecto formali, videtur obiectum materiale. Secũdum dicitur obiectum formale, *per quod*: & tale, inquit D.Thom. dici potest speculũ, per quod aliud videmus. Tertium tandem est obiectum formale: *sub quo*: & tale est lumen, sub quo videtur obiectum: & ab hoc obiecto formali, tertio desumitur, (inquit ipse) vnitas in habitibus, & scientijs.

Quotuplex sit obiectum formale in scientijs.

Not.2. D.Tho.

3 Verum quia non videbatur exactè explicata distinctio hæc; aliquid aliud addit acutissimus Caiet. 1.p. super ar.3. q.1. & ait, Duplex adhuc esse obiectum formale, alterum *Quod*; & alterum, *Quo*, vel *sub quo*. Obiectum *quod* formale illud est, quod terminat primò, per se, & formaliter actum, vel Habitus, vel Potẽtiæ; & est ipsa res obiecta potentiæ, induta tamẽ aliqua ratione formali, qua reddatur quid congruum, potius respectu vnius, quàm alterius potentiæ; vt coloratũ, respectu visus, quod terminat actum videndi, dicitur obiectum formale *quod*; vt pomum, exempli gratia: non vt cunq; sumptum; nam vt sic, posset esse obiectũ omnium sensuum indifferenter, sed pomum, quatenus tali, vel tali colore præditum est: qua ratione tantum potentiæ visiuæ terminat actum; Vnde color dicitur ratio formalis, *qua*, à Caiet. est enim, quæ dat ipsi rei, vt possit sentiri à visu, & non ab odoratu, vel tactu. Obiectum autẽ formale *sub quo*, seu potius ratio formalis, *sub qua*, est modus tendendi in obie-

Doct. Caiet.

Obiectũ formale *Quod*.

Obiectũ formale *sub quo*

obiectum formale *quod*: vt *abstractio à materia intelligibili* est ratio formalis *sub qua* Metaphysica considerat ens, vt ens; quod est suum obiectum formale quod. *Abstractio à materia sensibili* est ratio formalis *sub qua* Mathematicæ. & *Abstractio à materia singulari*, est ratio *sub qua* Physicæ.

4 Ratio formalis, *qua*, dicitur à Caiet. ratio formalis obiecti, vt res quædam est; seu ratio rei obiectæ; quæ primò terminat actum, ex qua fluunt passiones subiecti, & quæ est medium in prima Demonstratione; vt est *entitas* in Metaphysica, *Quantitas* in Mathematica, & *Mobilitas* in Physica. Ratio verò formalis, *sub qua* dicitur ab illo, Ratio formalis obiecti, vt obiectum est; vel in genere scibilis; vt est. Abstractio, in supra enumeratis scientijs.

Probatur distinctio proposita.

§. III.

5 SVfficientia autem huius distinctionis rationum formalium assignatur à Caiet. Quia de obiecto sciẽtiæ possumus bifariam loqui, vel quatenus talis res est, præcisè; & sic necesse est, assignemus ei rationem formalem, per quam constituatur in tali esse rei; Vel quatenus obiectum est, & scibile, cum isto addito; & sic oportet assignetur ei ratio etiam formalis, per quam constituatur in tali esse speciali obiecti, & scibilis: Quemadmodum (inquit) Obiectum sensus est in duobus generibus; scilicèt sub passibili qualitate, & sub sensibili; aliæ namque sunt differentiæ, & species passibilis qualitatis; & aliç sensibilis; illius namque species sunt, *sonus, color, odor*, &c. illius verò *visibile, audibile, odorabile*, &c. Illius differentiæ sunt constitutiuæ rerum obiectarum; istius differentię nil possunt in rebus obiectis. Illæ constituunt subiecta; istæ passiones. Vnde 2. de Anima: Visibile ponitur prædicatum per se, in secundo modo perseitatis; quod idẽ est, ac propria passio coloris. Et quemadmodum distinctio, & multiplicatio sensuum non attenditur secundum quamcũque diuisionem sensibilis qualitatis: sed solùm (secundum illum) in illis quinque, ex quibus fluit Diuisio per se sensibilis, in eo, quod sensibile; per proprias scilicèt differentias ipsius sensibilis; puta, taliter immutatiuum esse sensus, &c. quoniam sensus dicitur diuidi secundum diuisionem sensibilis, in quantum sensibile. Ita obiectum scientiæ est

Arist.

in genere entis & in genere scilibis. Ita quod hæc duo genera, alijs, & alijs differentijs proprijs diuiduntur in proprias species; Entis enim differentiæ propriæ sunt constitutiuæ entium in suis generibus realibus; sicut, esse per se, constituit substantiam: Et, esse in alio, accidens (vt ipse Caiet. exemplificat) Scibilis autem differentiæ propriæ nil ponunt in ipsis entibus; Vnde illæ intrinsecè constituunt subiecta; istæ constituunt, quasi passiones eorum; quandoquidem, & scibilitas passio est entis. Et propterea illa sola entis diuisio diuersificat habitus scientificos, quæ infert propriam diuisionem scibilis, vt scibile est, per proprias differentias ipsius scibilis, quæ penès diuersitatem modi abstrahẽdi à materia sumuntur 6. met. 6. met.

6 Ita quod primò diuiditur ratio entis (inquit Caiet.) in, *entitatem*, simpliciter, *quantitatem, mobilitatem, & Deitatem*; & ex hoc fluit alia diuisio scibilis, in scibile per lumen metaphysicale; idest, medium illustratum per abstractionem ab omni materia; & per lumen Mathematicum. i. medium illustratum immaterialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili. Et per lumen physicum obumbratum; idest, medium obumbratum materia sensibili; illustratum autem ex separatione indiuidualium conditionum, & per lumen diuinum; idest, medium diuino lumine fulgẽs, quod scibile Theologicum constituit.

7 Habet igitur obiectum scientiæ duplicem rationem formalem; alteram quidditatiuam sibi, vt res est; alteram denominatiuam sui simpliciter; quidditatiuam vero sibi, vt est sub genere scibilis; quod est, esse sub genere obiecti; quoniã scibile species est obiecti. His positis, infert vnitatem, ac diuersitatem in sciẽtijs, & habitibus desumendas esse ex ratione formali *sub qua*, seu in genere scibilis, & obiecti: non à ratione formali in genere rei, & *qua*.

Vnitas scientiæ sumitur à ratione formali.

8 Placuit totam hanc Caiet. doctrinam hic ad verbum afferre; nõnulli enim volentes eam ad pauciora redigere verba, reddunt potius illam obscuriorem, quam illustrent. Vbi autem adeò præcipue à proprio Præceptore statuitur sententia, nefas est, eam diuersis referre verbis: Vnde multoties accidit, ex varia opinionum, ac doctrinarum citatione, ipsarum etiam sensus mutari.

CAPVT II.

Quid Author sentiat de hac Caiet. speculatione?

§. I.

1 Acutissimus proculdubio Discursus iste Illustrissimi Caiet. & satis iunioribus plausibilis semper extitit. Cæterum, secundum dicendi modum, quem alibi sectati sumus, & hic prosequemur: aliqua in eo non displicent nobis; sed aliqua neque placent. Placet summoperè distinctio illa rationum formalium, *Qua* & *sub qua*, siue in genere rei, & entis, & in genere scibilis, & obiecti; eaq; satis eruditè, atque clare ab eius traditur, ac explicatur authore; & sic non est necesse, vt quid aliud addatur ad dicta.

Quatenus placeat sententia Caiet.

2 Verum displicet primò id, quod circa explicationẽ distinctionis dicitur; nimirum, per rationem formalem, *Qua*, constitui obiectum in esse rei, at per rationem, *sub qua*, in esse obiecti. Et ratio quæ me mouet ea est: Ratio formalis *Qua* ex ipso Caiet. est illa ratio, quæ primo terminat actum, siue Habitus, siue Potentiæ; & ex consequenti, facit, vt res obijciatur potius tali potentiæ, vel habitui, quam alijs v.g. color, est ratio, Quæ primò terminat visionem, & facit vt paries sit potius obiectum potentiæ visiuæ, quam tactus, auditus, &c. ergo ratio *Qua* non constituit rem, quæ obijcitur in esse rei præcisè; sed etiam in esse obiecti, essẽtialiter. Patet consequentia: Nam illud dicitur essentiale constitutiuum alicuius in esse tali, quo posito, & omni alio, saltem per intellectum, præciso, & circumscripto, statim intelligitur illud in tali esse cõstitutum; & quo ablato, etiam si alia ponantur, non intelligitur esse constitutum in esse tali: Sed posito colore in pariete, & quocunque alio sublato per intellectum, eo ipso intelligitur paries constitutus proportionatum obiectum potentiæ visiuæ, quæ primo ad colorem terminatur: & ablato colore, & positis quibuscunquè alijs, nullo pacto paries erit obiectum talis potentiæ; ergo per colorem, qui dicitur à Caiet. Ratio, *Qua*, constituitur essentialiter paries in ratione obiecti.

Primum in quo displiceat.

§. II.

3 Secundo loco displicet, & id quod Caiet. docet nempè; Rationem formalem *sub qua*, nil ponere in ipsis rebus obiectis. Contra quod assertum sic insurgo. Non potest intelligi, quod res aliqua transferatur ex vno esse generico, vel quasi generico, in aliud contractius, nisi per aliquam essentialem differẽtiam partialem, ipsi rei super additam, quæ cõtrahat illam, ex communiori esse ad specialius, v.g. Non posset animal, vt sic consideratum, contrahi ad aliud esse specialius, nisi per specialiorem essẽtialem differentiam contrahatur ad illud; nempe, per rationalitatem, ad esse Hominis: Rugibilitatem, ad esse Leonis, &c. quod si nil prorsus ei superaddatur, semper remanebit in suo illo esse generico, & vniuersaliori. Quod si illud superius, & vniuersalius fuerit Analogum, ad minus debet contrahi per aliquem modum ei superadditum, ac illud contrahentem ad specialius esse (excepto, ab hac maxima, ente, quod cum sit de conceptu intrinseco & quidditatiuo rerum omnium, nil excogitari potest, quod possit illi superaddi, per quod contrahatur ad sibi inferiora, nisi expressiores conceptus, prout docuimus in ante prædicam.) ergò si ratio formalis *sub qua* nil addat rei, quæ obijcitur, nisi tantum denominationem extrinsecam, semper remanebit in eodem esse, quod prius habebat ex ratione formali *Qua*.

Displicet 2.

§. III.

4 Ex his colligere licebit; Rem, quæ obijcitur Potentiæ, indutam ratione formali *qua*, esse iam sufficientèr constitutam in ratione obiecti talis potentiæ, essentialitèr, seù radicalitèr. Per rationem verò formalem *sub qua*, constitui formalitèr in ratione obiecti talis potentiæ. Quod dictum non videtur satis alienũ ad eadem Caiet. doctrina, inquit enim ille. ***Rationem, qua, primo terminare actum potentia; & ex ea fluere passiones, & proprietates subiecti, & esse medium in prima demonstratione; vt color, v.g. primo terminat visionem, & ex hac ratione prouenit, esse visibile, quod est propria passio colorati, &c.*** Ergo constituit essentialiter esse coloratum, in esse colorati, & ex consequenti, essentialiter in esse obiecti visiuæ potentiæ; radicalitèr tamẽn. At visi-

Corollarium

visibile, quod est propria passio, & ratio *sub qua*, constituit formaliter coloratum in ratione obiecti.

Explicatur amplius.

5 Explicatur à pari. Ignis constituitur essentialiter radicaliter in esse calidi à suamet substantia, & essentia; at verò à calore, qui est propria ipsius passio, dicitur constitui formaliter in tali esse. Ita homo constituitur in esse intellectuali essentialiter, & radicaliter, per animam rationalem, quæ est principium radicale intellectionis, & à qua dimanat intellectus: & per ipsum intellectum constituitur homo formaliter in esse intellectuali. Quod si Deus de potentia absoluta separaret, vel corrumperet in aliquo homine intellectū; adhuc ille homo intellectualis diceretur: non tamen formaliter, sed essentialiter, & radicaliter; vt nos in nostra Logica docuimus cap. de proprio. Ità prorsus, per rationem formalem *qua*, tanquàm per essentiam, constituitur res essentialiter, & radicaliter in esse obiecti talis, vel talis scientiæ, vel potentiæ; & per rationem, *sub qua*, constituitur formaliter, tanquàm per propriam passionem dimanantem ab illa ratione *qua*; quod inferius explicabitur clarius.

Ratio sub qua non est extrinseca denominatio.

6 Hæc autem propria passio, dimanans à tali ratione formali *qua*, non est tantùm extrinseca Denominatio; cùm potius videatur esse intrinseca formalis. Hoc enim, quod est, *esse visibile*, in colorato, non prouenit ei ex aliqua extrinseca forma, sed ex hoc, quod intrinsecè coloratum est, talis denominatio resultat in illo. Aliud enim est dicere, esse visū; & aliud est, esse visibile: esse visum, etenim, denominatio quidem est à visione, existente in Animali, & non in re visa, & sic, extrinseca: at, esse visibile, etiam nulla potentia visiua existente, conuenit colorato. Sic etiam, esse intelligibile, seu scibile conuenit vero.

7 Nec tamèn ideo sentio, hoc, quod est; esse visibile, seu intelligibile, vt sic, & formaliter, aliquid reale esse in obiecto, distinctum ab ipsa obiecti entitate; sunt enim huiusmodi passiones ex his, quæ transcendentales potius nuncupantur; vt passiones entis, quæ non distinguuntur realitèr ab ipso ente; & sic, esse visibile, nil aliud entitatiuè dicit, quam, esse coloratum; tantum formalitèr, & secundum denominationem (intrinsecam tamen) differunt.

§. IV.

8 Tertio loco displicet id, quod asseritur à Caiet. nempè, totam scientiæ vnitatem desumendam esse ab vnitate rationis formalis; non quidèm in genere entis, sed in genere scibilis, & *sub qua*. Hoc enim videtur apertè pugnare cum Aristotelicis dogmatibus. Quod ostendit Pater Vasq. disp. 7. cap. 3. Arist. enim 5. met. cap. 15. ex professo docet; scientiam non referri ad scibile, vt scibile est; sed scientiam terminari ad rem ipsā, quæ scitur: & visum ad colorem; & hoc modo debere diffiniri: Et probat: quia, alioquin iddē bis diceretur, hoc est, esset quædam inutilis repetitio. *Tertio displicet.*

9 Fusius autem iddemmet Vasq. hoc prosequitur disp. 104. c. 2. vbi impugnans sententiam Gabrielis, dicentis, potentiā Dei vocari omnipotentiam; quia potest omnia possibilia; vocans possibilia, non quia ex se, antequàm referantur ad ipsā omnipotentiam, possibilia sint; sed quatenùs cùm ea comparantur; nam possibile dicitur, quod à potentia fieri potest. Et sic asserit, oportere simùl esse potentiam, & possibile, prout est possibile; eo quod mutuo inter se referantur. Vndè censet; nullum esse absurdum, si omnipotentia, per possibile; & possibile, per omnipotentiam, diffiniatur, atque in eorum diffinitionibus circulus committatur: Neque enim (inquiens) circulus est inutilis, cum vnum relatum per aliud, & è contra diffinitur; veluti, enim, pater dicitur, qui habet filium: & filius, qui habet patrem.

§. V.

10 Hanc sententiā impugnans Vasq. adducit superiorem doctrinam Arist. 5. met. vbi volens ostēdere, quo pacto quædam dicuntur referri ad aliud, quia alia prius ad ipsa referuntur, à quibus denominationem accipiunt, ita ait. *Mensurabile, scibile, & intelligibile, eo quod aliud ad illud dicitur.* hoc est, ideò hæc omnia relatè dicuntur ad aliud, quia prius ad ea alia dicuntur. *Vasq. Arist.*

11 Et subdit Arist. rationem dicens. *Nàm intelligibile significat, quod eius est intellectus; non est autem intellectus ad aliud, cuius intellectus est: id enim profectò bis dictum esset.* hæc Arist. Et iddem est, ac si diceret; ideò vocari aliquid intelligibile, quia circà illud versari potest intellectus; Intellectus autèm non refertur

tur ad intelligibile, vt intelligibile formaliter; quia diceretur etiam referri ad id, cuius est intellectus: & sic idē bis diceretur; hoc est, fieret repetitio inutilis, cū definitū in ipsa definitione repeteretur.

12 Subdit etiam Arist. eandē doctrinam de visu dicens: *Similiter & visus cuiusdam est visus, nō cuius est visus; (& si verū est hoc dicere) sed ad colorē, illo vero modo idē bis diceretur, quod visus est, cuius est visus*. Quæ verba sic exponuntur à Vasq. itaut dicat Arist. Visum non dici referri ad id, cuius est visus, nempè ad visibile; Sic enim diffinitur visibile, sicut intelligibile. Vbi refutat modū quendā interpretandi Arist. Commentatoris, & Aphrodisei, asserentium, illis verbis: *cuius est visus*; intelligi ab Arist. subiectum visus. Quam interpretationem amplectitur etiam Rub. cap. de Ad aliquid, loco infra citando. Et tamen non videtur menti Arist. consona; nec enim esset absurdum dicere, huiusmodi relatiua bis referri, idest, ad duo; nempè ad obiectū, & subiectum: nec hoc aliquid faceret ad rem. Intelligit ergo Arist. illis verbis, obiectū, sub formali determinatione visibilis; & sic ait, Visum dici ad aliquid: nō ad id, cuius est visus, quasi dicat, non dici ad visibile formaliter; tunc enim iddem bis diceretur, per repetitionem diffiniti eiusdem in diffinitione (vt dictū est) sed referri ad colorem. Non abs re, etiam ponit, per parethesim, ea verba: (*Et si verum est hoc dicere*), quia verè dicimus, visus est ad visibile, eo quod est ad colorē, qui dicitur visibilis; sed non rectè per visibile diffinitur, neque ad illud, prout visibile formalitèr, refertur.

Comment. Aphrodis.

Rubius.

13 Cæterum vt hæc omnia facilius intelligantur (& meam, quam in hac retueor sententiam, clarius aperiam; non erit inutile, ea, qua fieri poterit breuitate, metaphisicalem illam examinare per difficilem satis, ac controuersā quæstionem; De termino formali Relationis; an scilicèt sit altera relatio, vel aliqua ratio absoluta? quæ solet etiam à recentioribus Logicis pertractari, cap. de Relatione, à Suar. autem 2. tom. suæ met. disp. 47. sect. 16. vbi quædam supponenda sunt, quæ ad difficultatem faciunt, vt ad præcipuum punctum deueniamus examinandum.

Examinatur quæstio, an relatio refe- ratur ad quid absolutū, an verò ad terminum relatiuum.

CAPVT III.

De termino Relationis, in quo nonnulla satis necessaria supponuntur, ac scitu dignissima, ad propositā difficultatem, quasi præambula fundamenta.

§. I.

1 VT nil aliundè cogamur in hac disputatione mēdicare, & ex proprijs procedamus fundamentis, proposuimus dilucidandū. An relatio habeat pro termino quid relatiuum, vel potius quid absolutum? quod necesse est scire, si capere velimus, vtrum scientia sumat suam vnitatem formalem adæquatè ab vnitate rationis formalis, *sub qua* præcisè; vel à ratione formali, *qua*? Sed ne omnia in controuersiam redigantur, supponamus aliqua, tanquam vera.

2 Et Primo suppono, quod in relatiuis tria præsertim consideramus. Subiectum, nempè, fundamentum, & relationem. Subiectum est res ipsa, quæ denominatur relata à relatione: vt, in relatione *Patris*: Homo ille, qui dicitur *Pater*, est subiectum. Fundamentum verò est ratio, aut medium, per quod consurgit in subiecto Relatio; vt *potentia generandi*, in qua fundatur relatio *Paternitatis*; eo modo, quo in nostra Logica docuimus. Et tandèm Relatio ea dicitur, per quam formaliter dicitur *Pater ad Filium*, referri, & est ipsa *Paternitas*. 1. Suppositio.

3 Ex his tribus, certum est, subiectū non dici terminum Relationis, nisi valdè remotè, & terminum materialem dumtaxat, de quo non loquimur in præsenti, sed benè de fundamento, & Relatione ipsa, ratione quorum, subiectum dicitur proximè potens relationem terminare. Ex his autem duobus, Fundamentum, est quid absolutum formaliter, vel ad minus se habet per modum absoluti: nec potest fundamentum denominare subiectum relatum formaliter, sicuti ipsa Relatio denominat. Quare id, quod petit hæc quæstio est; An terminus relationis, qui terminat ordinem alterius extremi correlati, sit subiectum indutum præcisè de- Sensus quæstionis.

nomi-

nominatione fundamenti, præscindendo à denominatione formalis relationis: an vero sit necesse, vt induat formaliter denominationem ipsius relationis formalis, ita vt Pater, in quantum Pater, dicatur terminare relationem Filij: An verò sufficiat, quod homo ille, qui filiū habet, terminet filij relationem, per hoc solum, quod potentiam habeat generandi, vel generet ipsum, vel quicquid tale fundamentum sit? Nec aliquid facit hic quæstio illa, Vtrum fundamentum, & terminus realiter distinguantur, vel ne? quodcunque enim dicatur, eadem est quæstio.

§. II.

2. Suppositio Suar.

4 Secundo suppono, hic tantum nos loqui de Relatione reali, non rationis: Ast, quod de reali decisum erit, proportionaliter facile poterit relationi rationis accommodari: Relatio igitur realis non est per se intenta in rebus (vt optimè Pater Suar. disp. cit. sect. 6.) & sic nō dicitur habere propriè aliquam finalem causam, propter quam sit producta in rerum natura relatio: licèt possit aliquo pacto dici esse propter suum formalem effectum, vel propter suum terminū. Sic etiam nulla interuenit efficiens causa, quæ efficienter eius productionem attingat; nisi velimus, eisdē causis efficientibus relationem tribuere, quæ fundamentum, ac terminum producunt; nam per se, non fit, neque producitur relatio, sed tantùm resultat, vel formaliter consequi dicitur, positis fundamento, & termino. Simili modo, nec possumus Relationi causam formalem propriam, & phisicam assignare; siquidem ipsa quædam forma est; & sic potitur sua quidditate, & ratione formali metaphisica; quæ, in ordine, & respectu vnius ad aliud, sita esse videtur. Benè verum est, quod terminus potest aliquo pacto dici participare quādam formæ rationem, respectu relationis; quatenus specificans est. Propriua tamen potitur Relatio causa materiali, cuius munus complēt subiectum, & fundamentum.

Suar.

Arist. 3. Suppositio.

5 Tertio loco suppono, Relationum genera distingui ab Arist. 5. met. cap. 5. entitatiuè, ex distinctione fundamentorum. Agens enim ipse de *Ad aliquid*, reducit omnia relatiua ad tria genera, iuxta triplex fundamentum, seu rationē fundandi Relationem. Primi generis relatiua (inquit ipse) esse earum relationū, quæ in vnitate, vel multitudine fundantur. Ex eo enim, quod aliqua duo conueniunt in qualitatibus, dicuntur similia; si in qualitatibus disconueniant, dicuntur dissimilia; vt duo parietes albi; vel alter albus, alter alio colore affectus. Et ex eo, quod aliqua duo in eadem quantitate conueniant, vel disconueniant, dicuntur æqualia, vel inæqualia; vt duo homines æqualis, vel inæqualis staturæ, &c. Et ex eo quod duò indiuidua sint eiusdē substātiæ, vel essentiæ; vel diuersæ, dicuntur fundare Relationem identitatis, vel diuersitatis; prout nos docuimus in Logica.

Relatiua primi generis.

6 Secundi generis relationes, docet, fundari in Potentia agendi, vel patiendi; vel in actionibus earum, siuè præteritis, siuè præsentibus, siuè futuris: Vt calefaciens, & calefactum; calefactiuum, & calefactibile; calefacturum, & id, quod calefaciendum est. Et ad hoc genus communitèr reducunt Relationem Patris ad Filium. Sed quid sentiendum de his Relationibus, quæ in actione præterita, vel futura fundantur, parùm pro nunc refert; id tamēn exactè explicuimus cap. de Relatione in Logica. Relatiua secūdi generis.

7 Tandem Relationes tertij generis (inquit) fundari suprà mensuram; idest, suprà adæquationem vnius rei ad aliam, quæ reperitur in Potentijs, Habitibus, scientijs, & virtutibus, cum suis obiectis; in quantum ad omnia se extendunt, quæ sub obiectis proprijs cōtinētur: Et ad nil aliud, quod sub eis nō cōtineatur; ex qua adæquatione, dicuntur obiecta mensura illarum; & illæ dicuntur mensurabiles ab eisdem obiectis: Tales sunt relationes Scientiæ ad scibile: Potentiæ ad possibile: Visus ad visibile, &c. Relatiua tertij generis.

8 Et hoc tertium genus Relationum distinguitur à duobus præcedentibus (vt ex D. Thom. not. Ruu. cap de Ad aliquid quæst. 13.) quod Relationes primi, & secundi generis, sunt reales, ex parte vtriusque extremi: itaut, in duobus extremis duæ sint relationes, quarum vtraque suū extremum denominat formalitèr, vt in Patre, & Filio, est relatio Paternitatis, & Filiationis: illa denominans formalitèr, & realitèr Patrem: ista, eodem modo, Filium. Sic etiā similitudo inter duos parietes albos, vel æqualitas &c. At vero in relatione tertij generis, solùm vna Relatio realis reperitur, à qua vtrunque extremum denominatur; alterum quidē denominatione formali, reali, & intrin- Distinctio inter illa D.Th. Ruuius.

secè:

seca: alterum verò solum denominatione extrinseca; vt in scientia,& scibili, solùm reperitur vna Relatio realis, per quã scientia dicitur formaliter mensurabilis; & per eandem denominatur obiectum mensura eiusdem scientiæ; sed denominatione solùm extrinseca. Et ideò relationes primi, & secundi generis, dicuntur mutuæ, tertij verò, non mutuæ.

§. III.

Ratione probatur.

9 Ratio autem huius mutuitatis, & non mutuitatis in his generibus esse potest; quia extrema Relationum tertij generis non sunt eiusdem ordinis, sed diuersi; & ideò, licet vnum ad aliud ordinetur realitèr per intrinsecam relationem: non ordinatur tamen aliud ad illud: sed solùm dicetur tale à relatione reali alterius; vt scientia, & potentia ordinantur ad propria obiecta, quæ secundum se absoluta sunt, nec pertinēt ad ordinem scientiarum,& potentiarum; quarè ex se ordinantur ad easdem scientias, & potentias; & ideo non habent relationem realem intrinsecam, à qua denominentur mensuræ; sed solùm denominantur à relationibus earum; itaut eo ipso, quod scientiæ, & potentiæ denominantur formalitèr mēsurabiles, per obiecta, à proprijs relationibus realibus, obiecta ipsa, ex se absoluta, consequantur denominationem extrinsecam relatiuã mensuræ, ab eisdem relationibus. Quod secus est in duobus prioribus generibus, vt de se patet.

Ex Arist. D.Thom.

10 Et hoc voluisse Arist. 5. met. c.15. docet D.Thom. ibidem lect.17. & 1.par. q.13.art.7. Vbi ait, Relatiua primi, & secundi generis esse talia, quia referuntur ad aliud: Sed Relatiua tertij generis, non quia referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa. Quod asseruisse, docet, non propter vtrumque extremum: (nam Sciẽtia,& Potentia, etiam tales dicuntur, quia referuntur ad obiecta:) sed propter alterum tantùm; nempè, propter ipsum obiectum, quod non dicitur scibile, nisi quia scientia versatur circa ipsum. Vnde, hoc non fuit aliud, quàm dicere; has relationes non esse mutuas; sed vnam pro vtroque extremo deseruire, & vtrumque denominare; formalitèr quidèm vnum, alterum verò extrinsecè. Fere totum hoc suppositum mutuauimus ex Ruuio loco citato.

Ruu.

§. IV.

11 Caeterum differentia hæc, quam adducit ex D.Thom. inter Relationes tertij generis,& Relationes primi, & secundi, est intelligenda eo modo, quo nos infra dicemus, nēpè, Relationes tertij generis esse omnes non mutuas, ex propria ratione formali sui fundamenti; At verò in reliquis aliorum generum; & si aliquæ etiam reperiantur non mutuæ (vt ostendam) illud est per accidens, & non pronenit à formali ratione fundamenti proprij.

D.Thom.

Declaratur differẽtia relationum.

12 Quare dico; huiusmodi Relationes non mutuas proprias esse tertij generis iam expositi; itaut per se, & quasi ex propria ratione sui fundaméti, inueniantur solum in tertio genere. Non tamèn negandum est, in alijs generibus reperiri etiam aliquas relationes non mutuas; saltem materialitèr, ex peculiari ratione alicuius subiecti, seù extremi: Ita Pater Suar. disp.47.cit.sect.15.nu.8. Assignatq; huius dicti, quoad priorem partem, rationem à priori, ex peculiari modo specificationis, quam habent Habitus, Potentiæ, & similia, ad obiecta sua: Nam talis specificatio solum consistit in habitudine, quam ex natura sua habent ad obiecta, secundum quam ei commensurantur: obiectum verò in hoc nullam habet causalitatem propriam: sed rationem termini specificãtis: nam licèt alioqui possit esse mouens, aut actiuè, aut finalitèr; tamèn, vt extremum huius relationis, sub nulla harum rationum consideratur, sed solum, vt est id, cui talis res commensuratur: sub hac autem ratione ipsum non concurrit, vt ordinabile ad aliud: sed solùm, vt id, ad quod aliud ordinatur; Et ideò, ex vi talis rationis fundandi, non oritur relatio in vtroque extremo, sed in solo illo, quod alteri commensuratur; Hac ergo de causa relationes tertij generis, ex propria ratione formali sui fundamenti, non mutuæ sunt. In alijs autẽ hoc non reperitur, id est, quod sint non mutuæ, ex propria ratione formali sui fundamenti, vt discurrenti facile patebit.

Relatio non mutua propriè spectat ad tertium genus.

Suar.

13 Quod si aliquæ sint non mutuæ, (vt in secunda parte dicti asserebamus, posse proculdubio esse:) id solum est, ob peculiarem naturam, vel conditionem alicuius rei: quo pacto (docet probabilior Theologorum sententia) est relatio, quæ reperitur inter Deum, & Creaturã, in ra-

In primo, & secundo genere aliquæ relationes nõ mutuæ sunt.

in ratione causæ, & effectus, quæ videtur pertinere ad secundum genus. Sic etiam Relationes similitudinis, vel dissimilitudinis, & aliæ huiusmodi, quæ etiam esse possunt inter Deum, & creaturas. Gradus enim intellectualis in Deo, Angelis, & Hominibus, licet dicat quandam vnitatē analogam; sufficiens tamen est ad fundandam relationem similitudinis. Sic etiā relatio vnionis inter Verbum, & Humanitatem, ad primum, vel ad secundum genus spectat, & aliæ similes; quæ tantùm ex parte vnius extremi reales sunt; & sic, non mutuæ; quod prouenit, quasi ex materiali re, aut subiecto, vel quasi subiecto relationis. Etenim si formalitèr solùm consideremus in Deo, quatenùs causa est prima rerum omnium, rationē potētiæ, & actionis, poterit vtique, vt sic, esse sufficiens ad relationem mutuam; tamen in Deo, propter eminentiam suæ entitatis, relatio illa est non mutua; sicuti reliquæ relationes distinctionis, similitudinis, vnionis &c.

§. V.

Ocham. Gabriel. Duran. Gregor.

14 HOc videtur esse contra Ocham. in 1. dist. 30. Gabr. quæst. 5. Dur. q. 3. Greg. dist. 28. q. 3. ar. 1. & alios ponentes has, & alias relationes reales in Deo; eo fundamēto, quod relatio realis nil rei addit subiecto, seu alteri rei, quæ per eam referri dicitur; sed, vel est denominatio ex concomitātia extremorū, vel est ipsamet res absoluta, quæ, coexistente alia, per se ipsam illam respicit, propter aliquod vinculum, vel aliquam connexionem inter eas innentam; Vnde fit, vt relatio realis possit absque vlla imperfectione aduenire alicui de nouo, quia aduenit sine additione vlla reali, & intrinseca, & sine compositione: & consequentèr etiam sine vlla dependentia in aliqua re intrinseca: sed ad summum in tali modo denominationis: Solum autem hæ imperfectiones possunt hic excogitari; ergo excluditur omnis imperfectio; & aliOqui in Deo cōcurrunt omnia necessaria ad relationem: nàm est vera causa efficiens creaturæ: & habet veram potentiam, & actionem circa illam; ergò, posito altero extremo, erit in Deo vera relatio realis.

Quare in Deo non admittantur relationes reales ad creaturas.

15 Cæterum, si vera hęc essent, & relatio realis nil rei adderet supra id, quod refert, non esset aliquod absurdum, in Deo aliquam relationem realem, in ordine ad creaturas, admittere. Ast, quia nos in Logica oppositū statuimus; nempè, relationē realem, realitèr modalitèr ad minus, distingui à suo fundamento, ideò non admittimus in Deo reales relationes ex tempore. Vbi not. quod non abs re dixi *(ex tēpore)* in ista enim Theologica quæstione, qua Theologi de hac re disputant sub his verbis: ***An nomina, quæ Deo tribuuntur ex tempore per relationem ad Creaturam, dicant in Deo relationem realem, vel rationis tantum?*** Supponunt ferè communitèr, aliqua nomina, quæ videntur importare relationem ad Creaturam, dici de Deo ex æternitate, quæ interdum dicuntur importare respectum liberum, interdum verò simplicitèr necessarium, seu naturalē; vt Scientia, Potentia, & similia, dicunt respectum naturalem, & necessarium; Prędestinatio autem, Prouidentia, & scientia visionis, (quæ dicitur scientia libera, ex eo quia supponit actum voluntatis liberæ,) dicunt respectum liberum; seu, non naturalem: quia, absolutè loquendo, possent Deo non conuenire. Et de his relationibus, si sermo sit, certum est, illas non esse reales in Deo; siquidem ex æternitate non habent reales terminos. Ni velimus cum illis Theologis asserere, qui aiunt, respectū Scientiæ, & Potentiæ etiā in Deo esse reales: transcendentales tamèn: & ideò posse esse independentes ab existentia termini, & non esse variabiles, neque accidentales, sed de intrinseca substantia Dei. Quod non est contra nos; licet hic modus dicendi non placeat Suar. disput. cit. num. 15. de qua re nil ad præsentē quæstionem: Sufficit namque nobis, quod huiusmodi relationes non sint reales accidentales; & ex consequenti, nec mutuæ. Et de his relationibus non disputatur in tali quæstione; sed de quibusdam respectibus, qui includunt existentiam termini, qui propterea dicuntur Deo ex tempore conuenire, quia creaturæ, quæ sunt termini talium respectuum, non existunt, nisi ex tempore; vt sunt Relationes Creatoris, Domini, & similes aliæ. Et de his, iam diximus, nec esse mutuas ex parte Dei, sed tantùm, secundum dici.

Suar.

§. VI.

1. Corollariū cōtra Nominales Greg.

16 COllige ex his Primò: nō rectè docuisse Gregor. in 1. dist. 28. q. 1. & nonnullos alios Nominales, asserentes, nullam esse relationē non mutuam. Sentiunt

tiunt enim, eodem modo referri scibile, & sensibile, ad scientiam, & sensum, sicuti sensus, & scientia referuntur ad ipsa; cum non magis dicatur scičtia, alicuius scibilis scientia, quam scibile alicuius scientię scibile; quæ correlatiua denominatio nō est per intellectū conficta; sed ex rebus ipsis orta. Tum etiam, quia in scibili est verum fundamentum relationis: quod enim obiectū scibile sit, aut intelligibile, habet fundamentum in ipsis rebus, & in realibus proprietatibus earum: lux enim visibilis est, quia est talis naturæ, secundū quam habet vim sic immutandi potentiam: & res immaterialis, quia spiritualis est, dicitur actu intelligibilis.

17 Verum primū horum est expresse cōtra Arist. vt supra vidimus cap. preced. qui, inquit, *scibile referri ad scientiā, quia scientia refertur ad illud*; quasi dicat, tota ratio, & causa, quare scibile, sensibile, & huiusmodi correlatiuè cōcipiantur à nobis, est, quia scientia, sensus, &c. referūtur realitèr ad illa; non autem, quia ea verè, & realiter dicātur referri, nisi tantum per intellectum. Vbi notat Pater Suar. nu. 13. sect. cit. Scibile posse dupliciter denominari; primo, merè terminatiuè, & quasi passiuè; secundo, correlatiuè ad scientiā. Primo modo denominatur extrinsecè ab ipsamet reali scientia; atque ita, talis denominatio non est per intellectum conficta, sed realis, eo modo, quo nos, (agētes disp. de ente rationis.) De Denominationibus extrinsecis, docuimus, parietē realiter dici visum ab oculo, si sumatur talis denominatio passiuè; nàm verè, & realitèr oculus parietem videt; sic, cum scientia verè, & realitèr versetur circa suum obiectum, denominatione passiua, verè, ac realitèr denominatur scibile, seu potius, scitum: sed non consistit in hoc correlatio. Secundo verò modo si sumatur denominatio scibilis; idest, pure correlatiuè ad scientiam: illa tantum est per intellectum, qui ad explicandā illam relationem, quam scientia dicit idipsum scibile, cōcipit illud, vt correlatiuū scientiæ.

Soluitur primum argumentū Arist. Suar.

Suar.

18 Secundū etiam, quod docet Greg. nempè, in scibili esse verum fundamentū reale, realis relationis; non est consonum modo dicendi, quem nos sequimur: nàm licet in ipso obiecto scibili sit aliquod fundamentū, ob quod aptum sit sciri, vel intelligi; tamèn illud fundamentum, præcisè consideratum in ratione mensuræ, non accipitur, vt aliquid ordinabile ad aliud; sed solum, vt terminus, vel obiectū, cui aliud commensuratur: & ideo dicitur in illo non esse fundamentum relationis; non quia nil reale sit in ipso; sed quia in illa re nulla est ratio fundandi relationē; quod requiritur ad fundamentum relationis, formalitèr de illo loquēdo, vt vidimus in nostra Logica, & Suar. docet disput. illa, sect. 7.

Soluitur secundum, Gregor.

Suar.

§. VII.

19 Collige Secundo, neque Illustrissimum Caiet. rectè docuisse 1. par. q. 13. art. 7. vbi, licet admittat relationes non mutuas: ait tamèn, adhuc in illis vtrumque correlatiuum esse reale, & realitèr, mutua relatione, referri; eam assignans differentiam inter mutua, & non mutua relatiua; quod in mutuis vtrumq; refertur per intrinsecam relationem: in non mutuis autem, alterum, per intrinsecam habitudinem referri: alterum verò per relationem realem, existentē in alio, à qua habet alterum extremum, licèt extrinsecè, quod possit realitèr dicere habitudinem ad illud, quod per intrinsecam relationem refertur; verbi gratia; scientia intrinsecè ad scibile dicit relationem realem: & per eandem, existentem intrinsecè, & realitèr in scientia (non per aliquid ipsi scibili inhærens) dicit scibile realem relationem ad ipsam scientiam.

2. Corollariū cōtra Caiet.

20 Verum capere minimè possum; quid nàm sit in scientia, ratione cuius, faciat scibile ad se realiter referre? cum tota ratio scientiæ sit, circa scibile versari; & inde non habeat, per se loquendo, illud ad se ordinare: non enim potest intelligi, ab eadem omninò relatione scientiæ, quę scientiam sub hac denominatione afficit, posse *scibile*, scibile denominari realitèr; sunt etenim denominationes diuersarum rationum, scientiæ, scilicet, & scibilis, in diuersis subiectis. Et si id verum esset, non esset maior ratio in his relatiuis, quàm in reliquis: & sic eadem filiatio, in filio existens, denominare posset intrinsecè filium, illumque intrinsecè ad patrem referre; & similitèr posset ipsū patrem extrinsecè denominare Patrem; & illū realitèr ad filium referre. Hoc autem (vt fateor) ab ipsomet Caiet. absurdum iudicabitur; siquidèm vna, & eadem forma in specie vnum habet formalem effectum realem; cumque relatio quædam forma sit, cuius formalis, & realis effectus est, referre realitèr vnum ad aliud;

ad aliud;sequitur,non posse vnam, & eãdem relationem duos modos referendi diuersarum rationum habere.

Soluitur instantia quędam.

21 Neque valet,si adducatur instantia de motu, qui omninò,iddem in re:ob diuersos tamen respectus ad agens,& passum,vtrumque denominat; passum,scilicèt,intrinsecè, cum in passo subiectetur (prout & nos dicimus 3.phys.) Agens verè extrinsecè. Nãm non est simile exemplum,cum in mutatione sit vera, & transcendentalis habitudo ad principium, à quo manat,& ad passum,quod immutat: &ideo est in ea maximum fundamẽtum, ad hoc,vt intellectus valeat distinguere actionem,& passionem,ad modum duarum formarum accidentalium. Ast in scientia nullum est fundamentum ad distinguendas, etiam secundum rationem, relationes diuersarum relationum; licèt possit terminatiuè, & passiuè,modo exposito, tantùm realitèr obiectum denominare scibile. Concludimus ergo, dari huiusmodi relationes mutuas,& non mutuas,modo exposito.

CAPVT IV.

In quo assignata differentia inter relationes Diuinas, & Creatas; statuitur,omnes relationes creatas terminari ad Quid absolutum.

§. I.

Prima sententia.

1 HIS omnibus pręhabitis:dubium esse potest, tàm de Relatiuis mutuis, quàm de non mutuis: an scilicèt terminentur ad terminum absolutum, vel ad terminum relatiuum? In qua re (omissis reliquis) varij variè sensere: Caietan.enim 1.part.quæst.13.ar.7. Fonseca 5.meth.q.4.sect.4.& alij volunt, tàm mutua, quàm non mutua debere necessariò terminari ad correlatiua, formaliter, vt etiam relatiua sunt.

Caiet. Fonseca.

2. Alij, Relatiua mutua debere terminari ad correlatiua formaliter; non mutua verò ad terminum absolutum; & sic relationem in communi (docent) terminari ad terminum, abstrahentem ab Absoluto,& Relatiuo. Ita Ferrar.2.cont. Gent.cap.11.Ninph.5.met.d.4. Deza Hispal.in 1.dist.3.q.1.not.1.Ruuius q.7.de Ad aliquid,Cosmus Alamannius Mediolanens.in sua 1.par.sum.phylos.ex doctrina D.Tho.cap.de Aliquid, at.7.

Ferr. Niph. Ruu. Alaman.

3. Alij tandem,& melius,vniuersaliter fatentur,omnia relatiua, tàm mutua, quàm non mutua terminari debere ad Quid absolutum, non autem ad Relatiuum.

3. sententia.

4. Vbi in primis non est par ratio (vt contendit Ruuius) de Relationibus diuinis;Pater enim,certũ est, Quod refertur ad Filium,& è contrà; prout realiter distinguuntur; Relatio namque realis non est,nisi inter extrema realiter distincta: ergò vterque terminat relationem alterius,vt realiter ab eo distinctus; quia relatio realis non potest esse eiusdem ad se ipsum realiter; nec ad se ipsum terminari; sed Pater, & Filius in diuinis non distinguuntur realiter,nisi per solas relationes oppositas; ergò nec refertur vnus ad alterum; nec alterius terminat relationẽ, nisi per relationem,igitur vt relatiuus,nõ vt absolutus.

Relationes Diuinæ terminantur ad relatiuum. Ruu.

5. Id autem,quod aliqui docẽt,quod licèt in diuinis Personis nil realiter distinguat,nisi relatio;& ideò relatiuum, secũdum se,terminet:tamen, vt à nobis accipiuntur Diuinę Personę, possumus in illis distinguere fundamentum Relationis ab ipsa relatione, & concipere illud,per modum absoluti; & sic per ipsum, ita cõceptum, poterit vna persona terminare relationem alterius:ex gr. in Filio, possumus cõsiderare generationem passiuam, à qua dicitur genitus,per modum rei absolutæ, tanquam fundamentum filiationis; & per illam terminabit Filius relationem Paternitatis,non per filiationem; & pari modo;Pater, per generationem actiuam,sic etiam consideratam.

Effugium aliquorum.

6. Hoc inquam dictum, (quod non displicet Suar. sect. 16. ad vltimam rationem;) friuolũ omninò est (vt optimè Ruuius:) Tum quia in Diuinis, non solum Paternitas,& Filiatio sunt relationes, sed etiam generatio actiua,& passiua dicunt formaliter relationem,alias distingui realiter non possent; sicut certum est,distingui: Vbi enim in diuinis non obuiat relationis oppositio,omnia sunt vnum. Tum etiam,quia,licet à nobis,imperfectè intelligentibus,concipiãtur generatio actiua, & passiua,per modum absoluti, cum tamen sint relatiuæ: nihilominus,secũdum se-

Impugnatur Suar. Ruu.

se, nil habêt absolutum: relationes autem terminantur, secundum se: non vero vt concipiuntur à nobis, si sint reales, quomodo sunt Diuinæ, & sic necessario ad relatiuum terminantur.

§. II.

Ratio disparitatis inter diuinas, & Creatas relationes, quoad fundamentũ.

7 Vndè vera ratio disparitatis inter Diuinas, & Creatas relationes: quare illæ terminentur semper ad Quid relatiuum: Creata verò non; est: quia relationes diuinæ sunt subsistentes, & substantiales, & sic non habent aliud fundamentum, præter se ipsas, per quod possit vnum relatiuum terminare relationem alterius. Sed relationes creatæ sunt accidentales; & ideò præsupponunt aliud accidens, vel quid aliud absolutum, tãquam fundamentum, quo medio, consurgunt; & per tale fundamentum potest vnum relatiuum alterum terminare.

Fundamentũ vnius relationis est ratio terminandi aliam.

8. Vbi illud cum Suar. obseruandum est, quod nos dicimus, fundamentum huius relationis esse rationem terminandi correlationem eius: Quod verum esse debet in omnibus relationibus, tàm creatis, quàm Diuinis; & sic, cum fundamenta Relationum creatarum sint absoluta, vt absoluta terminant: Ast quia fundamenta relationum Diuinarum sunt omninò relatiua: (sunt enim, vt diximus, ipsęmet relationes, quæ se ipsis fundantur) sequitur, quod Diuinæ terminentur ad terminos relatiuos.

Soluitur oppositio Aduersariorum. Ruu.

9. Collige hinc, inualidã esse Ruuij oppositionem, contra positam disparitatem, dicentis; Hoc quod est, Relationem esse subsistentem, aut inhærentem; substantialem scilicèt, aut accidentalem, nõ pertinere ad rationem formalem Relationis, aut relatiui; sed esse quid materiale; Relationes verò, aut Relatiua mutua, ex ratione formali talium Relationum, & relatiuorum, habere mutuam oppositionem, formaliter includentem vtramq; rationem referendi, & terminandi; & hãc eamdem esse in Diuinis, & in creatis; & sic eandem esse in vtrisque terminandi rationem, sicut eadẽ est ratio referendi.

10 Nil inquam hęc obiectio obest; nos enim non confundimus rationem terminandi cum ratione inhærendi, vel non inhærendi; nec loquimur de subiecto relationis; quod pertinet ad *esse in*: seu ad materiale ipsius; sed loquimur præcisè de ipso termino, qui pertinet aliquo modo, (vt dicam infra) ad rationem formalem relationis, & ad *esse ad*; Et dicimus, ideo relationes Diuinas necessario terminari ad terminos relatiuos formaliter; quia nil esse potest ex parte terminorum talium relationum, quod habeat rationem absoluti: Sed quicquid est in illis, relatiuum est. At verò Relationes creatas ideo terminari ad quid absolutum: quia in termino talium Relationum est tale absolutum, quod est fundamentum relationis, existentis in tali termino, distinctum ab ipsa relatione, saltè modaliter; & sic ad illud absolutum, & non ad respectiuum formaliter relationem creatã terminari; propter rationes paulò post adducendas.

§. III.

Prima conclusio.

11 Dicamus ergo primò: Relatiua nõ mutua proculdubio terminantur ad quid absolutum. Ita ferè communiter Doctores, exceptis his, quos recensuimus pro prima sententia, & paucissimis alijs. Probatur hoc dictum, quia Relatio, quam dicit scientia v.g. ad scibile, est relatio realis, (vt manifestum est, & Arist. docet 5. met. tex. 20.) ergo terminus, ad quem talis relatio terminatur: debet esse realis: non enim relatio realis esse potest, nisi inter extrema realia: sed in scibili nulla est relatio realis, sed tantum rationis, prout dictum est; ergo terminus relationis non mutuæ nõ est quid relatiuum, sed absolutum: scibile enim realiter quid absolutũ est, vt ex supradictis satis liquet. — Arist.

Confirmatur

12 Et confirmatur; quia, præter entitatem absolutam termini; tantum possumus distinguere in ipso termino, vel extrinsecam denominationem, à qua extrinsecè terminus dicitur; Quæ, vel potest sumi passiuè, & sic erit realis, vel formaliter, ita vt concipiatur ad modum alicuius formæ inhærentis subiecto, (iuxtà dicta in logica, Disp. de ente rationis,) & sic est Relatio quædam rationis, qua per intellectum mutuò refertur: Sed ad nihil horum, præterquam ad absolutam termini entitatem potest terminari relatio illa realis scientiæ, vel visus &c. Tùm quia extrinseca vtraq; illa denominatio posterior est illa reali relatione; (ideo enim terminus extrinsecè denominatur talis, quia relatio realis terminata est ad ipsum) Tùm quia, si relatiuè sumatur relatio illa rationis, non adest ibi sufficiens entitas, vt queat realem relationem terminare; cum relatio

realis

realis realem terminum exposcat: Ergo necessario ad absolutam entitatem ipsius termini terminabitur omnis nō mutua relatio.

§. IV.

Secunda cōclusio.

13 Dicamus secundò, Iddem omninò censendum de relationibus mutuis; nempè, non terminari ad aliquid relatiuum formaliter, sed potius ad terminum absolutum. Ita & optimè Scot. in 1. dist. 30. q. 1. vbi Lichetus, & alij Scotistæ hoc iddem defendunt; Hanc eandem sententiam planè sequutus est Capreol. q. 1. art. 2. ad tertium. Item Sonc. 5. met. q. 30. ad secundum, Sotus cap. de specie. Suar. 2. tom. met. disput. cit. sect. 16. per totam; Pater Didac. cap. de ad aliquid 2. par. disp. 14. q. 1. & alij.

Capreol. Sonc. Sot. Suar. Didac.

14 Quod dictum solet multifariam à Doctoribus probari; sed omissis facilioribus rationibus, & quæ facilè possent etiam enodari ab Aduersarijs; Illud primo probo cum Suar. ex primo dicto sic: Id non dicitur esse de formali ratione alicuius rei, quo impedito, vel sublato, vel saltem per intellectum præciso, remanet adhuc res cum sua completa ratione formali; sed relatio realis, quæ est in scientia, perfectissima relatio est, quantum est de se, & formaliter completa relatio, secundum omnem rationem formalem relationis realis, & tamen non terminatur ad terminum formaliter relatiuum, sed absolutum; ergo, terminari ad terminum relatiuum, non est de ratione formali relationis realis, sed per accidens se habet, quod relatiuus sit ille terminus; & ex consequenti, formaliter terminabitur omnis relatio, etiam mutua, ad terminum absolutum. Quod si talis terminus sit fundamentum alterius relationis realis, non facit ad rationem formalem termini, sed tantum concomitanter se habebit relatio illa; ratione mutuitatis.

Probatur 1. Suar.

15 Secundò Prob. Cōissimum aixoma Philosophorū est: *q̄ posito fundamento, & termino, statim resultat realis relatio,* & non alias: Ergo terminus vnius relationis nequit esse altera relatio. Probatur conseq. Tum, quia mutuæ relationes sunt simul natura, ergo vna non antecedit aliam; Tum etiam, quia vna relatio non consurgit Ex positione alterius: illa enim particula (*ex*) dicit antecessionem naturæ, & originis; vna autem relatio non ducit originem ex altera, neque eam antecedit, natura: Ergo, cum dicitur Relatio resultare ex fundamento, & termino, positis in rerum natura; sensus indubitatus est, positionem fundamenti, & termini antecedere debere ipsius relationis resultantiam: sed quod antecedit relationem, non est relatio, sed quid absolutum; ergo ipsum terminabit, & non relatio.

Probatur 2.

16 Tertiò probatur: Similitudo huius, v.g. albedinis, illam refert ad id, cui similis est: Sed albedo non est similis similitudini alterius albedinis: sed ipsi alteri albedini: ergo ad illam refertur per relationem; Sed id, ad quod refertur, dicitur terminus: ergo terminus relationis, albedo est, non similitudo, & ex consequenti illud absolutum, non verò relatio. Probatur 3.

17 Et fortius confirmatur in relatione dissimilitudinis; Homo, & Æquus dicūt inter se relationem diuersitatis, ergo vnum terminatur ad alterum, vt diuersū in natura: sed non dicuntur extrema hæc esse diuersa in ipsa relatione diuersitatis, imo hæc est eiusdem rationis in vtroq; sed in ratione specifica, & absoluta substantiæ, Ergo ad illud absolutum alterius, quod est à suo esse diuersum, terminatur relatio diuersitatis. Confirmatur

18 Confirmatur etiam, Pater respicit suum filium, vt effectum à se productū: sed ipsa entitas absoluta est, quæ à Patre producta fuit, non autem filiatio: hæc. n. nec per se producitur, nec à Patre, sed ab ipsa entitate filij resultat; ergo terminus relationis absolutus est. Confirmatur

19 Vbi illud animaduertendum, quod relatio aliqua, tàm mutua, quàm non mutua, poterit vtique terminari ad aliam relationem, vt v.g. Scientia de diuinis Relationibus, vel de aliqua similitudine; vel relatio inter duas Paternitates, &c. Proculdubio ad ipsasmet relationes, huiusmodi & similes relationes referuntur. Cæterum illæ relationes terminātes, in talibus casibus, non se habent formaliter, sed materialiter; & sic, licèt in se relationes sint; tamen, prout terminant, sumuntur potius, per modum rerum absolutarum (vt optimè etiam aduertit Suar. num. 13. & 14.) & eodem modo sumitur relatio in omni extremo, & termino mutuæ relationis; cum enim Pater referatur ad Filium, non dicitur ad Filiū, formaliter sumptum, referri, & præcisè quatenus correlatiuum est Paternæ relationis; itaut relationes ipsæ inter se referantur, & ad se ipsas ad inuicem tendant; Notandum.

Suar.

Sed

Sed Patris relatio tendit ad Filium,materialiter sumptum;idest,ad fundamentū filiationis; vbi filiatio respicitur à Paternitate, per concomitantiam tantum, ita iddem Suar. nu. 23.

CAPVT V.

In quo soluuntur obiectiones Ruuij contra secundum dictum cap. præcedentis.

§. I.

1. argumentũ Aduersar. Ruu. Arist. 1 Contra secundum hoc nostrū dictum,de Relationibus,nõnulla obijcit P. Ruuius: & primò obijcit authoritatem Arist. cap. de Ad aliquid, vbi agens de termino relationis,& docens, qualis esse debeat,ait; *quod si assignetur seruus alicuius, & circumscribatur ab eo,cuius est seruus; hoc quod est, esse dominum, non amplius ille seruus ad talem hominem referretur: Si quidem Dominus non est,* ergo vult Arist. Relationem serui terminati ad illum hominem,non vtcumque sumptum,sed quatenus Dominus est, & sic cum expressa relatione dominij.

Soluitur. 2. Sed facilè responderi potest ad hunc locum Arist. verum esse, seruum nõ referri ad substantiam illius hominis,præcisè, cuius est seruus, independenter à quacunque aliqua peculiari ratione; sed ad ipsum hominem, quatenus est fundamentum relationis dominij. Et sic optimè P. Didacus §. pro solutione argumentorum: notat,quod licet in relationibus mutuis,terminus formaliter sit,Quid absolutum; debet tamen esse fundamentaliter respectiuus: debet enim fundare relationem aliam, per quam,iterato,respiciat suum correlatiuum,& sic relatio mutua refertur ad terminum formaliter absolutum; fundamentaliter tamen relatiuum. Vndè optimè Aristot. inquit loco citato, quod si tollamus ab illo homine, qui seruum habet,omnem rationem dominij;idest,tàm formalem, quàm fundamentalem,solo relicto homine, secundũ esse suum absolutum omninò,iam seruus non posset ad illum referri:quia in tantũ refertur,in quantum ille homo est fundamentum alterius relationis; cum relatio serui sit mutua.

Didac. Not.

Arist.

3. Adducit secundo loco Ruuius Porphyrium, qui diffinit genus per speciem. Sed de hac authoritate non est curandum; Tum quia aliter nos Porphyrij Prædicabilia diffiniuimus: Tum quia illa diffinitio accidentalis est,& imperfecta; vt optimè Fons. vel cũ Burleo dicas, errasse Porph. nam non benè vnum relatiuum per aliud diffinitur, ob nonnulla vitia,quæ cõmitti possent in talibus diffinitionibus. Et præsertim,cũ loco termini alicuius,in diffinitione positi, liceat talis termini, seu nominis diffinitionem ponere; vt in diffinitione hominis, quæ est, *Animal rationale*,loco *Animalis* possum assumere ly *viuens sensibile*: quod est eius diffinitio; & sic *Hominem* diffinire: *Viuens sensibile rationale*: si ergò vnum relatiuum per aliud formaliter diffinitur, iddem per se ipsum diffiniretur,& cõmitteretur circulus manifestus in diffinitione: & sic ignotior, vel ad minus æquè ignota manebit diffiniti natura. Vt si diffinias Patrem per filium formaliter, sic, *Pater est, qui est ad filium*, loco filij licebit assumere eius diffinitionem, nimirũ, *qui est ad Patrem*. vnde sic patrem diffinitemus, *Pater est, qui est ad eum, qui est ad Patrem*; quo nil absurdius: Tum quia iddem Pater,qui diffinitur,in ipsa diffinitione reperitur: Tum quia ignotum per ignotius diffinitur, vel per æquè ignotũ saltem. Tandem cum Pater per filium diffinitur,& filius per Patrem,idd em per semetipsum diffiniri videtur: vt patet: quod est cotra Aristot. 5. met. cap. 13. vbi ait: *Non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est: iddem enim profectò bis esset dictum*. & 1. poster. c. 3. eundem reprobat circulum in Demonstratione.

Secundum Argumẽtum impugnatur. Ruu. Porph. Fons. Burl.

Arist.

§. II.

4 AD hęc Respondet Ruuius q. illa 7. in dub. pro solutione argumẽti, §. *Ad argumentum igitur* Quod cum dicitur, loco nominis, in diffinitione positi, licere diffinitionem eius ponere, distinguendum est: quia, vel id quod ponitur in diffinitione, est pars intrinseca diffinitionis,& tunc, docet, licere; si verò nõ ponatur, nisi tanquam additamentum extrinsecum, non licere. Cumque vnum relatiuum non ponatur in alterius diffinitione, tanquam pars diffinitionis, sed tanquam additamentum extrinsecum, in ordine ad Quod, sumitur differentia relationis; propterea nõ licere loco eius ponere

Nõ satisfacit euasio. Ruu.

ponere eius diffinitionem. Assignatq; huius doctrinæ rationem: quia pars diffinitionis est pars essentialis diffiniti, secundum propriam naturã illud componens. Vnde iddem est, ꝙ ipsa ponatur, vel eius diffinitio, continens naturam propriam. Ast, quod ponitur tanquam additamentum, non est pars diffinitionis, aut diffiniti; nec illud componit, sed solum extrinsecè terminat, aut respicit; quod non potest præstare per suam diffinitionem, sed per se; quia per se respicitur ab alio, & per se ei opponitur relatiuè; queàdmodum vnum contrarium per se opponitur alteri; & per se expellit illud à subiecto, & nõ per propriam diffinitionem. Quod considerans Arist. 6. topic. c. 12. inquit; *Relatiuum, in diffinitione alterius positum, diuersum esse à se ipso, extra diffinitionem, aut secundum se sumpto.* Quod dictum ita esse intelligendum (docet Ruu.) quia in diffinitione non ponitur secundum se, sed solum, vt extraneum additamentum. Præterea in diffinitione non ponitut, tanquàm relatiuum, sed tanquam terminus; ideo nõ licet ponere diffinitionem eius; vt relatiui; vt terminus verò solum habet extrinsecam denominationẽ, quasi eius, in quo finitur relatio alterius.

Arist.

Ruu.

§. III.

Impugnatur 1.

5 VErum hoc effugium inane est, contra quod, sic primo insurgo: nam, vel relatiuũ essentialiter diffinitur, quando in eius diffinitione ponitur terminus; vel tantum accidentaliter: certum autem est, essentialiter diffiniri; cum non possit aliter diffiniri; ergo terminus est pars intrinseca, & quidditariua diffinitionis relatiui, & non extera; alias posset, sine eo, quod poneretur terminus, assignari: quod nemo concedet: patet consequentia: quia omnes partes diffinitionis essentialis, (vt ex nostris Summulis constat) sunt quidditariuæ, & intrinsecæ talis diffinitionis.

Confirmatur

6 Præterquam quod clarum est, terminum in diffinitione relatiui poni loco differentiæ; cum per ordinem ad illud relatiuum suam speciem sumat: ergo non ponitur præcisè, & solum, vt additamentum extrinsecum: sed, vt pars præcipua diffinitionis; alias, ablato termino, nil essentiale tolleretur à diffinitione, sed remaneret completa, & exacta essentialis diffinitio: hoc autem patet, non ita esse: nam si à diffinitione Patris tollatur terminus, nempè, filius, nulla posset alia assignari essentialis, & completa Patris diffinitio. Quomodo autem terminus dicatur intrinsecus diffinitioni, dicam in calce huius cap. n. 18.

7 Secundo insurgo sic: quia, siue sit additamentum, siue quicquid velit Ruuius; adhùc ratio ab eo assignata inualida est; non enim ostendit, cur non liceat termini diffinitio assumi pro ipso termino in diffinitione relatiui: Etenim ad cognitionem naturæ diffiniti relatiui, oportet etiam cognoscere terminum, per quẽ diffinitur; ergò, quo clarius ponatur terminus in tali diffinitione relatiui, eo perfectius eius natura cognoscetur: sed clarior habetur notitia de termini natura, per eius diffinitionẽ, quàm per se ipsum: ergo si pro ipso termino ponatur eius diffinitio in diffinitione relatiui, hoc non solum absonum non erit, sed potius satis consonum. Impugnatur 2.

8 Quod autem ait: (*terminum per se respicit ab alio, & non per suam diffinitionem, & sic necesse esse, ipsum per se poni in diffinitione relatiui, & non per eius diffinitionem*) non minus inane est; nam materia, & forma, secundum proprias entitates, dicuntur componere ens naturale; & non per earum diffinitiones; & tamen in diffinitione compositi naturalis, possumus optimè earum diffinitiones assumere; vt si dicamus: *Naturale ens, quod constat ex primo subiecto, ex quo aliquid fit, cum insit, &c. & actu substantiali incompleto actuante, & perficiente, &c.*

§. IV.

9 QVod si dicas: huiusmodi esse partes intrinsecas Physicas; & sic benè posse earum diffinitiones pro ipsis assumi. Tunc infero primò: ergo hoc, quod est, terminum respici per se, & non per suam diffinitionem; nil facit ad hoc, vt eius diffinitio valeat assumi in diffinitione relatiui. Euasio. Impugnatio.

10 Secundo; in diffinitione Accidentium etiam ponitur subiectum, vt quid additum, & extraneum; & tamen eius loco, in diffinitione accidentis, optime potetit assumi diffinitio ipsius; ergo neque hoc, quod est, esse partem intrinsecam, vel quid additum, facit ad rem, &c. Patet antecedens, nam benè quis *Gratiam* diffiniret sic: *Habilitas quædam supernaturalis, dãs primum esse supernaturale actui corporis physici organici, &c.* vbi loco 2. impugnatur eadem euasio.

Anima,

Anima, quæ est subiectum *Gratiæ*, & non est pars intrinseca ipsius, sed quid additum; imò non recipit gratiam, secundum suam diffinitionem, sed secundum se, & propriam entitatem Physicam; optimè ponimus diffinitionem eius, quæ est (ex Arist.) *Actus corporis Physici*, &c. ergò inania sunt omnia, quæ congerit Ruuius in responsione posita.

11 Addo, quod authoritas Arist. 6. Topic. ab eo adducta, facit manifestè pro nobis; quando enim asserit Arist. *Relatiuum, in diffinitione alterius Relatiui positum, diuersum esse à se ipso extra diffinitionem, aut secundum se sumpto*, nil aliud vult, nisi quod relatiuum in diffinitione non sumitur formaliter, vt relatiuum, sed tantùm fundamentaliter; & sic potius, vt terminus absolutus: At verò extra diffinitionem, & secundum se, & propriam rationem, est formaliter relatiuum. Confirmatio Arist.

§. V.

3. argumentũ ex Ruu. 12 TErtiò potest ex Ruuio, contra nostrum secundum illud dictum, obijci sic: Oppositio relatiua reperitur inter Relatiua, vt relatiua sunt formaliter; sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit vtramque rationem, referendi, & terminandi; ergo vtrumque officium exercent relatiua per Relationes, & non per fundamenta absoluta. Probatur minor. Mutua oppositio consistit in hoc, quod relatiua mutuo se respiciant; & relationes sint rationes mutuo se respiciendi: sed, mutuo se respicere, est quodlibet respicere aliud, & ab eo respici; ab eo autem respici, est terminare Relationem eius: ergò in mutua oppositione includitur essentialiter vtrumque officium, referendi, & terminandi: & ex consequenti, vtrumque exercent Relatiua, per relationes, & non per fundamenta; quia per Relationes, & non per fundamenta, habent formalem oppositioné. Quod argumentum euidenter conuincere, credit Ruuius.

Pro solutione Notandum. 13 Verùm in illo multa confunduntur. Pro cuius solutione, Notandum est, In oppositione relatiua mutua, aliud requiri, ex vi oppositionis relatiuæ; aliud verò, ex vi mutuæ; Ex vi oppositionis relatiuæ, præcisè, solum requiritur ordo subiecti ad terminum absolutum; & quod subiectum, media relatione respiciat; & terminus, secũdum suum esse absolutum, quasi in actu secundo, respiciatur, denomineturque, extrinseca denominatione, terminus. Ex vi verò mutuæ, vt sic, requiritur (vt sic dicam) aliud respicere, & aliud respici; id est; quod extremum, quod antea erat terminus, media alia relatione, actiuè respiciat; & extremum aliud, quod media relatione respiciebat, nunc per absolutam suam entitatem, quæ antea erat ratio fundandi, respiciatur. Itaq; in relatione mutua, sicut sunt duæ relationes, ita sunt duæ oppositiones relatiuæ, & duo (vt sic dicam) respicere, & duo respici; respicere exercetur relatione; & relatio est ratio respiciendi actiuè; respici verò exercetur media entitate absoluta; ita vt, id, quod in vnoquoque termino est ratio fundandi propriam relationèm, sit ratio terminandi alteram correlationem.

§. VI.

14 HOc adnorato, facilè respondetur proposito argumento: negando illam maiorē propositionem, quam Ruu. non probat, sed illam supponit, vt certam: nihilominus nos falsum omninò existimamus; *Oppositionem relatiuam reperiri inter relatiua formaliter*, Diximus enim in superiori not. ex vi oppositionis relatiuæ, vt sic, solùm reperiri ordinem subiecti ad terminũ absolutum, & quod subiectum, media relatione, respiciat, & terminus, per suam absolutam entitatē, respiciatur, quasi in actu secundo. Quod patet manifestè in relationibus non mutuis; etenim non minus oppositio relatiua est inter scientiam, & scibile; quam inter Patrem, & Filium, in ratione oppositionis relatiuæ, præcisè: & tamen scibile est quid absolutum, etiam in sententia Ruuij. Ex quo sequitur, oppositionem relatiuam, vt sic, præcisè, non necessario reperiri inter extrema relatiua formaliter, prout ipse videtur supponere in illa propositione, quam non probat. Probat autem Ruu. minorem propositionem, quam nos libenter concedimus, nimirũ, *mutuam oppositionem relatiuam includere vtramque rationem, referendi, & terminandi*. Ast negamus absolutè illam consequentiam, qua dicitur, *vtrumque officium exercere relatiua per relationes, & non per fundamenta absoluta*. Licet enim quælibet oppositio relatiua, etiam non mutua, exerceat vtramque rationē, referendi, scilicet, & terminandi: non tamen vtramque, per relationem (vt diximus.) Solutio. Ruu.

mus.) In Relatiuis autem mutuis duplicatur oppositio relatiua; itaut exerceatur per relationes duplicatum respicere: sed duplicatum respici, seu terminari exercetur per entitates absolutas. Negamus ergo, quod Relationes sint rationes mutuo se respiciendi: si, nomine mutui respectus, intelligat Ruuius, tàm respicere, quàm respici: si verò, nominè respectus mutui, intelligat tantùm mutuum respicere; seu, respectum vtrumq; actiuũ: certum est, apud nos, per relationes mutuo se respicere: Ex hoc tamèn non valet inferre, terminari ad relatiuum; sed potiùs manifestè patet, terminari ad entitatem absolutam, iuxtà dicta.

3. Probat etiam de simultate cognitionis, & diffinitionis: quia relatio perfectè cognoscitur, cognito fundamẽto, & termino; & aliud non requirit; Ergò si terminus vnius relationis non est alia relatio, non pendet vna in cognosci ab alia; & per consequens, non cognoscuntur simùl necessario. Item, ob eandem causam, in diffinitione relationis, solum ponitur terminus formalis; quia totum esse relationis est ad suum terminum; ergo si terminus vnius relatiui non est aliud relatiuum, sed aliquid absolutum, non diffinitur vnum relatiuum per aliud; et è conuerso; quod est, esse simul diffinitione. Probat de simultat. cognitionis, & diffinitionis.

CAPVT VI.

In quo soluitur quoddam nõ facile argumentum contrà iddem dictũ, Patris Alamannij.

§. I.

Argumentum Alaman. 1 Cosmus Alamannius cap. 4. num. 2. citatus in corpore eiusdem art. proponit, contrà eandem nostram sententiam, populare quoddam argumentum; &, primo intuitu, satis difficile. Relatiua sunt simul natura, cognitione, ac diffinitione (vt docet Arist. cap. de *Ad aliquid*,) Arist. sed, nisi vnum relatiuum formalitèr ad alterum relatiuum, vt sic, terminaretur; nullo horum modorũ possent dici esse simùl; ergo &c. Probatur minor, Et primo, de simultate naturæ: quia si Pater, v. g. non terminatur ad filium, vt filius est formalitèr; sed tantum, vt est hic homo genitus ab ipso; sequitur, quod Pater, vt pater, non sit simùl natura cum filio, vt filio, formalitèr, sed cum hoc homine, vt ab eo genito; Sed hic homo priùs natura est genitus ab alio, quam habeat relationem filiationis ad ipsum: quia filiatio est proprietas resultans in homine genito; Ergo pater, vt pater, erit prior natura, quàm sit filius, vt filius. Probat de simultanea natura.

Confirmatur 2. Confirmatur, quia relatio, vt relatio, non pendet, nisi ex fundamento, & termino; ergo si formalis terminus non est altera relatio, per se non pendet ab illa, nec requirit illam; ergò, ex se, est prior natura illa.

§. II.

4 PRo solutione huius argumenti, quod vere aliquam difficultatem videtur præseferre: Notandum est; terminum relationis posse bifariã cõsiderari: & in actu primo; & in actu secundo. In actu primo, quando intelligitur esse sufficienter constitutus, ad hoc, vt valeat relationem alterius correlatiui terminare; & vt sic, semper est natura prior ipsa relatione; si enim verum est, prout est verissimum, quod, *posito fundamento, & termino, consurgat relatio*; iam relatio supponit fundamentum, & terminum posita, à quibus necessario pendet; itaut non possit vllo pacto, nisi ea ponerentur, consurgere: & non posset non consurgere, illis positis. Vbi adnotandum, quod illud iddem, quod dicitur sic terminus, respectu relationis alterius correlatiui; dicitur fundamentum, respectu relationis, quæ in ipso consurgit, qua respicit mutuo suum correlatiuum, à quo respicitur, vt terminus. Terminus in actu secundo, tunc est, quando actu terminat relationem illam: & terminus, vt sic terminans, formalitèr constituitur, per extrinsecam denominationem à relatione, quæ in illum tendit: Vnde, illa posita, denominatur sic, & illa ablata, desinit esse, hoc modo, terminus, nil intrinsecum ommittendo; vt per se notum est. Pro solutione notãdum. Terminus in actu primo. Terminus in actu secundo.

5. De termino in actu secundo sentit Suar. num. 25. nõ esse, natura, posteriorem ipsa relatione, quam terminat: sed omninò simùl natura; nàm relatio, sinè alia causalitate, solùm, quia extrinseca sua essentia respicit terminum, illum denominat terminantem. Assignatquè exẽplum de visione, & pariete viso, dicens, Doctrina Suar.

 fine

sine aliqua causalitate vera, visionem denominare rem visam, ex eo solum, quod est cum tali intrinseca habitudine: vnde, sicut non prius natura est, quàm habeat illam habitudinem, ità non priùs natura est, quàm denominet obiectum v.sum.

Non placet. 6. Cæterum doctrinam hanc capere nõ valeo; nã ordo prioritatis, & posterioritaris naturę est ordo dependentię; ergo omne id, quod quocunque modo dicitur ab alio verè dependere, necessariò, in quantum pendet ab eo, posterius natura est illo (vt ipse met Suar. docet num. 19.) Sed sic est, quod si denominationes extrinsecę, tàm termini adhuc terminantis, quàm visi in patiete, dependent omninò verè à relatione, & à visione; ergo relatio, & visio, in quantum respiciunt terminum, & obiectum, illaquè denominant, necessariò erunt priora natura ipso termino terminante actu, & re nisa. Maior est certa, ex communi omnium consensu. Minor probatur: Illud dicitur ab alio verè depẽdere, quod resultat ad positionem illius, & non aliter resultaret; & quod desinit ad desitionem eiusdem; sed ita se habẽt huiusmodi extrinsecę denominationes termini terminantis, visi &c. vt patet, ergò &c.

Præcluditur euasio. 7. Neque valet dicere; quod vna relatio resultat, ad positionem alterius; vt relatio filij, ad relationem patris: & tamen non dependent ad inuicem, sed sunt omnino simul natura (vt dicam statim.) Nàm hoc falsum est, quod, scilicet, Relatio Patris resulret ex positione alterius Relationis; nempè, filij, vel è contra: cum vtraq; omninò, simul natura resultet, ex positione fundamenti, & termini; Vndè sicut fundamentum & terminus priora natura sunt ambabus relationibus; quæ consurgunt ex positione illorum; ità Relatio, & visio priora sunt ipsis denominationibus, quę consurgunt ex positione illorũ; siuè intercedat vera causalitas, siuè non, quod parum refert, dummodo adsit dependentia aliqualis causalitatis; nam non video, negari posse aliquam formalem causalitatem, respectu illarum denominationum; maximè si sumantur passiuè, & realiter (modo supra explicato:) cum enim paries dicitur visus, visus se habet, vt forma extrinseca, respectu talis denominationis. Concludo ergò, extrinsecam illam termini terminantis, seù in actu secũdo, denominationem, posteriorem natura esse ipsa relatione, à qua denominatur.

§. III.

8 HIs præsuppositis, facile erit soluere argumentum Alamannij. Respondetur ad argum. Alaman. Respondeo ergo in forma; concedendo maiorem; & negando sequelam minoris. *Quod, scilicet; nisi vnum relatiuum formaliter ad alterum relatiuum, vt sic, terminaretur, relatiua non essent simul, &c.* Et ad primam probationem, de simultate naturę; Respondeo, negando sequelam maioris, in qua dicitur, *Si Pater, vt Pater non terminatur ad filium, vt filius est formaliter, sequitur, quod Pater, vt Pater, nõ sit simul natura cum filio, vt sic, sed cum hoc homine, vt genito ab eo.* Nam hic homo, vt genitus, cum sit fundamentum relationis filiationis, & terminus relationis Paternitatis, vtraque relatione est natura prior: ex illa communi regula, *posito fundamento, & termino, consurgit relatio.* Vndè relatio dicitur habere dependentiam ab vtroque; & ex consequenti, est posterior natura vtroque. Etsi sumamus hunc hominem, (qui dicitur Pater) vt generantem, & hunc (qui dicitur filius,) vt genitum, habent etiam inter se ordinem prioris, & posterioris (vt de se patet:) nã generans prior natura est genito.

Quomodo relatiua sint simul natura. 9 Quando autem dicuntur *Relatiua esse simul natura, &c.* verissima propositio est: sed aliud est dicere, *Relatiua sunt simul natura, &c.* Aliud verò, *relatiuum est simul natura cum suo termino, formaliter sumpto*: hoc secundum falsum est, quomodocunque sumatur terminus, siue in actu primo, siue in actu secundo: nam in actu primo, est semper prior, vt patet; in actu vero secundo, est posterior, iuxta dicta. At prima propositio est vera, & intelligenda est de vtroque relato, sub formali ratione relati. Et sic, licet Pater, vt Pater, terminetur ad hunc hominem, vt à se genitum, sub ratione absoluta, formaliter; & hoc sufficiat ad rationem terminationis præcisè; & sub illa ratione absoluta, terminus sit prior natura, & ipso Patre, formaliter sumpto; & ipsa actuali relatione, qua respicitur à Patre: (si terminus in actu primo sumatur iuxta dicta:) tamen hoc certum est, quod Pater non prius natura respiciet talem terminum, quam in ipso sit filiatio; non quia sit necessaria talis filiatio, ad hoc, vt terminus terminet Patris relationem; sed propter simultaneam concomitantiam, ratione mutuæ relationis, omninò necessariam.

10 Imo addo, quòd si vna relatio esses

set terminus alterius, propter hanc eamdem rationem, non possene esse simul natura: patet: nam terminus (vt explicuimus) prior natura est eo, quod ad ipsum terminarur, & ipsamet relatione, quæ cõsurgit, positis fundamento, & termino; & sic illa relatio, quæ se haberet, vt terminus, prior natura esset alia relatione: vt si filiatio terminaret relationem Paternitatis; omnino Filiatio prior natura esset Paternitate: non enim Paternitas consurgeret, nisi posita filiatione, quæ esset terminus eius.

Retorquetur argumentum.

11 Dicuntur ergò Relationes, quando mutuę sunt, esse simul natura, (vt optimè Suar, num. 24.) quia cum resultat vna ex fundamento, & termino, resultat altera omninò concomitanter, absque vllo ordine prioris, & posterioris inter se, & hoc est, esse simul natura. Quæ simultas non fundatur in habitudine earum inter se, sed in connexione necessaria, quam habent in fundamento, & termino: quia neutra insurgere potest, nisi posito suo fundamento, & termino; & illis positis, vtraq; statim, ac simul, necessario consurgit; & illis ablatis, vtraq; statim, ac simul, necessario desinit.

Quomodo relationes sunt simul natura. Suar.

§. IV.

12 AD confirmationem, concedo antecedēs, & pariter primam partem consequentiæ; qua dicitur, *ergò si formalis terminus non est altera relatio, per se non pēdet ab illa*, quod adeò verum est, vt si oppositum fateretur, nimirum, *vnam relationem ab altera pendere*, eo ipso, propter eamdem rationem dependētiæ, non posset inter illas esse aliqua naturę simultas; Vbi enim est dependentia, ibi est necessarius ordo naturæ prioris, & posterioris. Secunda verò pars eiusdem consequentiæ, qua dicitur, *neque requirit illam*, distinguēda est, non requirit illam, tanquam conditionem spectātem ad rationem formalem terminandi; & sic vera est; nō requirit illam, vt quid necessarium ad rationem mutuæ relationis, concomitanter tamen; & sic falsa est: quare pariter vltima consequentia negatur.

Respondetur ad confirmationem.

13 Ad secundam probationem de simultate cognitionis. Respōdeo, côcedēdo antecedens, & primam etiam consequentiam: negamus tamen secundam. Verum enim, est cognitionem perfectam relationis pēdere à notitia termini: cum namq; totum esse relationis desumatur per ordinem ad terminū, necessario termini notitia acquiritur. Verum etiam est, vnam relationem non pendere incognosci ab alia; relatio .n. Patris non pendet in cognosci à cognitione relationis filij; alias huiusmodi relationes non essēe simul cognitione; vbi enim adest qualiscunque dependentia vera, ibi necessario est ordo prioris, & posterioris (vt diximus.) Vnde, si relatio Patris penderet in cognosci à cognitione relationis filij, prior natura esset cognitio relationis filij cognitione Paternitatis.

De simultate cognitionis relationum. Solutio.

14. Ex his autem concessis, nō sequitur id, quod argumentum nititur inferre, *nempè; ergo illa duæ relationes non cognoscuntur necessariò simul*: aliud enim est, simul vtrumq; cognosci; aliud verò, vnius cognitionem dependere ex cognitione alterius; hoc posterius falsum est; imò si verum esset, tunc potius sequeretur, non esse cognitione simul, vt probauimus; prius verò omninò verum est; Eodem namque modo, quo supra diximus, ambas relationes simul prorsus consurgere ex positione fundamenti, & termini; dicimus, ambarum notitiam simul haberi, supposita cognitione fundamenti, ac termini.

§. V.

15 VBi notandum est, non esse necesse cognoscere terminum, sub omni ratione, qua cognoscibilis est, ad hoc vt cognoscatur relatio; aliàs, ad cognoscendum relationem seruitutis Creaturæ ad Deū, necesse esset, & cognoscere ipsum Deum, sicuti est, & ex consequenti, ipsum comprehendere. Sed sufficere cognoscere ipsum terminum, secundum illam rationem, qua talem relationem dicitur terminare; Et quo perfectior talis ratio cognoscitur, eo perfectior notitia de relatione habebitur. Quare, ad cognoscendam relationem seruitutis ad Deum, sufficit cognoscere, saltim in cōmuni, in Deo esse superiorem quandam potestatem super creaturam, ratione cuius potest, aut illi pręcipere, aut de illa, suo arbitrio, disponere. Et quanto amplitudo huius potentiæ magis fuerit cognita, tanto perfectius cognoscitur, qualis sit illa seruitus.

Sub qua ratione oporteat agnoscere terminum relationis, vt ista cognoscatur.

16. Hanc autem Dei potentiam, sufficit quis cognoscat, abstractiuè, ab effectibus: hæc enim potentia sola est ratio, propter quam dicitur Deus terminare

F 2 talem

talem relationem seruitutis creaturæ; ad quam rationem, nec ipsa Dei natura, nec eius aliquod attributum, per se, & formalitèr sumptum, pertinent: sic etiam, ad hoc, vt cognoscatur relatio Patris, non est necesse, quod cognoscatur filius, secundum hanc rationem formalem, qua filius est, præcisè; neque secundùm eam, qua animal rationale est; neque secundũ eam, qua Philosophus est, &c. quia nulla harum rationum pertinet ad rationem termini formalitèr: sed solùm sufficit cognoscere, esse genitum ab ipso Patre, secundùm quam rationem; præcisè, & formaliter, dicitur terminare Patris relationem, iuxtà dicta.

§. VI.

17 Eodem modo respondendum est ad probationem, de simultate Diffinitionis: conced. antecedens, & eriã consequẽtiam, quo ad illam partem, qua asseritur; *ergo si terminus vnius relatiui nõ est aliud relatiuum formaliter, sed aliquid absolutum, non diffinitur vnum relatiuum per aliud*, verissimum, inquam, hoc est: probauimus enim suprà, nullo pacto posse vnum relatiuum per aliud formaliter diffiniri. Negatur tamen alia pars eiusdem consequentiæ, in qua dicitur; *quod, esse simul diffinitione sit, vnum relatiuum per aliud diffiniri*: Nàm (vt optimè Pater Suar. num. 34.) in tantum possunt relatiua esse simul diffinitione, in quantum sunt simul cognitione; cum diffinitio nil aliud sit, quam quædam clarior de diffinito notitia, & cognitio. Quando autem ferè communiter dici solet, vnum relatiuum per aliud diffiniri; hoc dictum intelligendum est, itaut iddẽ sit; *per aliud*; *ac, ad aliud*: Relatiuũ enim diffinitur per ordinem ad aliud; idest, ad terminum; Vel, per aliud diffinitur, non formalitèr, quatenus relatiuum est; sed fundamentalitèr, quatenùs terminat diffiniti relationem, & fundat alteram relationem correlati.

De simultate diffinitionis relationum.

18. Ex dictis collige, terminum, modo explicato, esse aliquo modo de essentia, seu quidditate relationis; non quod ipse terminus sit quid intrinsecum ipsi relationi; cum potius, secundùm se, quid extrinsecum sit; sed quia cum totum esse relationis desumatur per ordinẽ ad terminum; nèc possit esse relatio; imò, nec cognosci; & per consequens, nèc diffiniri, quin ipse terminus supponatur, cognoscatur, ac in eius diffinitione ponatur, sit, vt dicatur esse de quidditate ipsius.

Corollariũ, quomodo terminus sit de quidditate relationis.

CAPVT VII.

In quo redditur ad doctrinã Caiet. de multiplici ratione formali obiecti, quid in re hac Author sentiat? & vndè tandèm vnitas in scientijs sit desumenda?

§. I.

1 Occasione accepta ab illa subtilissima speculatione Caietani, de obiecto, sub ratione formali, *qua*, & *sub qua*: non inutilitèr disputauimus de termino Relationis; cùm enim ipse sentiat, (præsupposita superiori sua doctrina) scientiam sumere suam vnitatem à ratione formali *sub qua*; hoc est, à suo obiecto; non sub quacunque ratione considerato: sed sub ea, qua scibile est formalitèr, secundùm talem præcisè denominationem, secundum quam, ipsum obiectũ ad scientiam refertur; vt veritas huius Caiet. sententiæ pateret, fieretquè obscuritas illius distinctionis dilucida, operæprętium iudicaui, propositam difficultatem examinare, quæ, nedum hic nobis proderit; verum, & passim, in hisce nostris quæstionibus quodlibeticis.

2. Præsuppositis ergo his omnibus, quę in superioribus capitibus diximus, & probauimus; facillimum erit colligere, quid sentiendum de illa Caiet. distinctione rationum formalium; Vbi adhuc notandum volo. Aliud esse loqui, de obiecto scibili: aliud de obiecto scito. Obiectum autem (vt in superioribus dixi) bifariã potest scibile dici, & radicalitèr, & formalitèr, eodem prorsus modo, quo dicebamus de homine, qui bifariam potest intellectualis considerari; & radicalitèr, & formalitèr; Radicalitèr, per animam ipsam rationalem; & sic, per principium essentiale; formalitèr, per ipsam potentiã intellectiuam. Sic ens per rationem sibi intrinsecam, & essentialem, qua ens est, & verum, dicitur scibile radicalitèr, & essentialitèr; ex quo dimanat, tanquam ipsius passio, hoc quod est, esse scibile

Notandum.

bile formalitèr,& magis proximè. Vtroque modo, certū est, obiectum, vt scibile, antecedere ipsam scientiam: primo modo, dicitur obiectum, radicalitèr tamen: secundo modo, obiectum, iàm cōstitutū in actu primo,& proximo: licet, adhùc primo modo, dicatur in actu primo constitutum: sed tamèn magis remotè; sicuti paries colore affectus, dicitur esse constitutus obiectum visus, & radicaliter visibile, in actu primo remoto: quatenùs tamèn visibilis formalitèr, intelligitur cōstitutus in actu primo proximo: quæ omnia præcedunt, in aliqua prioritate, tendentiam potentiæ, vel habitus in talia obiecta. Ast, esse visum, vel scitum, est denominatio quædam extrinseca, resultans ex ipsa tendentia potētiæ visiuæ, vel scientiæ in ipsa obiecta; & sic huiusmodi denominationes, sunt, natura, posteriores dicta tēdentia (vt iàm diximus de termino relationum in actu primo,& secundo.)

Iudicium de sententia Caiet.

3. Quo notabili posito, certè, (vt verum fatear,) mihi videtur Caiet. (cum *de scibili, vt scibile est* loquimur,) loqui potius de obiecto scito; nàm cum ipse dicat; hoc quod est, esse scibile, vt scibile, esse denominationem extrinsecam; nisi de denominatione sciti loquatur, quæ extrinseca est; falsū omninò asserit; nàm (prout dixi) vtramque Denominationē *scibilis*,& radicalem,& formalem, intrinsecam esse;& vtramque, ipsa scientia, aliqua prioritate, esse priorem;& sic neutrā, propriè, & in rigore dependere ab ipsa scientia: Nàm id, quod dependet ab alio, posterius natura debet esse eo, a quo dependet. Et propter eandem rationem, si de tali denominatione sciti, sub nomine scibilis, loquatur Caiet.& dicat, eam esse rationem formalem *sub qua*, & ab illa sumere scientiam suam vnitatem specificam, nemo non videt, quantum aberret à via veritatis; cum nil possit suum esse specificum, ac proindè, suam vnitatem mendicare ab eo, quod posterius natura est illo;& potius, quod ab illo dependet in esse, & conseruari: sed illa denominatio sciti, posterior natura est ipsa sciētia, & terminatione eiusdē scientiæ ad obiectum; & totalitèr ab illa in suo esse, & conseruari dependet: (nàm in tantum res dicitur scita, in quantum scientia versatur circà illam:) ergò non poterit sciētia suam vnitatem specificam sumere à tali denominatione.

Vnitas scientiæ non sumitur à denominatione sciti.

§. II.

4 Quod autèm ità sentiat Caiet. videtur etiā affirmare Vasq. disp. 7. cap. 3. dum contrà hanc Caiet. sententiam disputans; postquam adduxisset Arist. authoritatem 5. met. cap. 15. qua asserit (*scientiam non referri ad scibile, vt scibile est; nec visum ad visibile, vt visibile est*,&c.) Addit,& rationem dicēs: *Quoniam prius est, scientiam terminari ad rem scitam, vt obiectum, quam quod res denominetur scibilis*,&c. Ex quo antecedenti, infert contrà Caiet. ergò habitus scientiæ, aut facultas aliqua non habet vnitatem specificam ex ordine ad rem, sub illa ratione, quæ dicitur, *sub qua*; Et est extrinseca denominatio: sed ex habitudine ad rem ipsam,& obiectum, secundum quidditatem,& naturam illius. — Vasq. Arist.

5. Ex qua ratione videtur manifestè colligi, quod Vasq. intellexerit, Caiet. loqui de denominatione sciti, quæ posterior est ipsa terminatione scientiæ,& quę est denominatio extrinseca, proueniens ex eo, quod scientia terminetur ad ipsum obiectum (ni velimus, ad libitum, vti terminis:& sic sumit Caiet. pro eodem, scibile,& scitum, Er hoc, quod est, esse scitum, videtur docere, esse rationē *sub qua*, vnde sumit (*scibilem ipsum*,) suam vnitatem specificam scientia. — Vasq.

6. Et certè videtur etiam ipse Arist. eodem modo loquutus; cum 5. met. negat, scientiam referri ad scibile, vt scibile est; ni velimus, quod, illa reduplicatione, (*vt scibile*,) intelligat relationē rationis, quam in scibili fingit intellectus, in ordine ad scientiam, quocunque autem horū modorum intelligatur illud *scibile*, nullo prorsùs modo dare potest vnitatem specificam scientiæ. — Arist.

7. Iam, de denominatione extrinseca, hoc probatum est, cum posterior sit. Iddem probo, de relatione rationis, ex superiori tradita doctrina de Relatiuis. Relatiua omnia, tàm mutua, quàm non mutua; & præcisè, non mutua, sumunt suam vnitatem specificam ab ordine, quem dicunt ad terminum, in quantum ipsorum terminus est: Sed terminus cuiuscunque relationis,& relatiui, formalitèr sumptus, vt terminus est, non est quid respectiuum, siue reale, siue rationis illud sit, sed entitas omninò absoluta ipsius ipsius termini, in quantum terminus est: ergò relatiua sumunt specificam vnitatē ab ordine, quem dicunt ad ipsam abso-

Relatio rationis in scibili nō potest dare vnitatē scientiæ.

lutam

lutam termini entitatem,& nō ab aliqua relatione,siue existente, siuè ficta in ipso termino. Sed scientia est relatiuum non mutuum, & tertij generis: ergo nequit scientia specificationem, & entitatem specificam desumere à relatione rationis,quàm intellectus fingit in scibili: sed ab ordine,quem dicit ad ipsum scibile, prout quid absolutum est.

§. III.

8 Quare(quicquid sit de mente Caier. quæ talis esse videtur; & quicquid de difficili doctrina hac,de ratione formali, *qua*, & *sub qua*, eo modo, quo ab ipso traditur, & explicatur;quæ certè obscura nimis est,si aliter ipse intelligat illas rationes formales,à modo,statim à nobis explicando.) Mihi videtur dicendum; quod in obiecto scibili hæc omnia possunt considerari; Videlicet, *ipsa res*, quæ dicitur scibilis, præcisè,& secundùm se; præscindendo à quacunque alia ratione; vt in obiecto philosophiæ naturalis,*corpus*,vt sic.Secūdò,*res scibilis*,vt sic,specificatiuè, & radicalitèr;in quo esse,essentialitèr constituitur, & intrinsecè, per propriam entitatē; eo enim ipso, quo ens est, & verum: scibile, & intelligibile est,ex sua natura, & differentia essentiali;vt in obiecto philosophiæ naturalis, *corpus mobile*, in quo esse,constituitur intrinsecè,per propriam naturam, quæ principium est motus. Tertiò,*res scibilis, in quantum scibilis est*, cum ista reduplicatione;quo pacto dicitur formaliter scibilis,per propriam passionem,dimanantem ab illa essentia; seu à re, secundo modo considerata, scibili: Scibilitas enim,& intelligibilitas,&c.passiones sunt entis. Et in obiecto philosophiæ est,*corpus mobile,inquantum mobile*:nàm vt docui 1.phis. ly *mobile* bifariā vsurpatur;vel pro radice; quo, pacto est quid essentiale; vel formalitèr, & sic est propria passio corporis naturalis. Sic ly *scibile*,pro radice sumptū, est de intrinseca ratione entis: formaliter tamèn, erit eius propria passio. Vltimò tandèm,hoc quod est,*esse scitum*,quod est denominatio omninò extrinseca.

Quę in obiecto scibili sint consideranda.

9. Ex his (omissa hac vltima denominatione) certum est,rem,ipsam, quæ dicitur,*scibilis*, vt in prima consideratione,esse obiectū omninò materiale scientiæ;& sic, posse dici materiam,circà quā; sicuti *corpus*, vt sic, diximus in phisicis, esse obiectum omninò materiale phisicæ;& nulli dubium est, à tali obiecto nō sumere scientiam suam specificam vnitatem,cum possint, & aliæ scientiæ circa illud versari.

Obiectum omninò materiale scientiæ.

10. *Rem scibilem*, vt sic, secundo modo consideratam,certum etiam est,esse obiectum formale scientiæ: sed dicitur formale, *quod*; in quo esse,essentialitèr constituitur per scibilitatem, sumptam pro radice, quæ dicitur ratio formalis, *qua*; & per hanc, nō constituitur scibile, in esse entis, præcisè, (vt sentit Caiet.) sed certè constituitur in esse obiecti formalis,*quod*;nam *scibile*,in ista consideratione, est id, quod terminat primo relationem scientiæ, & ad quod ipsa scientia tendit, tanquàm ad suum propriū obiectum formale *quod*.

§. IV.

11 Caeterum, ratio,propter quam scientia tendit ad scibile, est; *quia scibile est*, cum ista reduplicatione supra rationem formalem: non autèm supra ipsam rem, omninò materialitèr sumptam.Sicuti ratio,quare phisica agit de corpore mobili; non est, quia *corpus est*;Sed,quia *mobile*, cum ista reduplicatione,& formaliter; Et sic *scibilitas* hæc, secūdùm quam obiectum formale, *quod* scientiæ,dicitur formalitèr scibile potest dici,siue ratio formalis *sub qua*,siuè *propter quam*,siuè ratio tendendi; Sūt enim termini ad placitum,adinuenti à Doctoribus ad significādum munus, quod præstat talis ratio; Et quia ea est, propter quam scientia tendit ad obiectum suum formale,*quod*: potest dici,ratio, *propter quam*; vel,quia est ea, sub qua ratione considerat scientia tale obiectum; ideò potest dici,ratio *sub qua*. & sic de cæteris nominibus,quæ ad libitum imponuntur.

Ratio, propter quā scientia tendit ad scibile.

§. V.

12 Dico ergo summatiè, scientiam sumere suam vnitatem specificam, radicalitèr, à suo obiecto formali, *quod*; formalitèr tamèn, ab eodem obiecto formali *quod*, cum reduplicatione rationis formalis, *propter quam*, vel *sub qua*;quod est dicere; scientiam sumere suam vnitatem,radicaliter, ab ipsa re,scibili;quæ,vt sic,dicitur esse obiectum formale,*quod* scientiæ;nam scientia primò, & principalitèr,ad ipsam rem scibilem ter-

A quo scientia sumat suā vnitatē specificam.

terminatur; & ipsa res scibilis, est, quæ primò terminat relationem scientiæ; tamen, quia eam terminat, non quatenus res talis est: sed potius, quatenus scibilis est, reduplicatiuè, hinc fit, quod dixerim, suam vnitatem formalem specificam sumere scientiam, formalitèr, á scibili, in quantum scibile est; vel quatenus substat rationi formali, *sub qua*; seù, *propter quã*. Quæ omnia, sic explicata, suppositis dictis, non indigent probatione. Hanc nostram sententiam videtur tenere Vasq. locis citatis, in quibus, optimè Caiet. impugnat; Item hoc iddem apertius amplectitur Montagnol. in Defensionibus Angelicæ Theologiæ, in hac materia; dum volens satisfacere obiectionibus Vasq. contrà Caiet. Notat, quod in obiecto considderatur ratio, dupliciter; vna, quæ attingitur ab habitu; & dicitur, *qua*, & obiectum, *quod*; altera, *qua*, vel *sub qua* attingitur id quod consideratur; quæ etiam dicitur, obiectum *quo*; Ipsa ratio, *qua*, vel obiectum, *quod*, est duplex; vna est materialis; puta, ipsa essentia rei absoluta, vt sic; altera est formalis; puta, diffinitio, vel essentia rei, quatenùs stat sub ratione, *sub qua*. Cæterùm, ratio *sub qua*, oritur à ratione *qua*, radicalitèr: priùs enim res est cognoscibilis, fundamentalitèr, tali modo; quam sit formaliter talis modus, secundùm se: tamèn, formalitèr denominatur res, talitèr, cognoscibilis à tali modo, &c. Et post pauca, subdit; quod *scibile*, & *visibile*, vel accipiuntur fundamentalitèr, & sic, sunt essentialia, vel differentiæ essentiales, constituẽtes obiectum formale scientiæ, ac Visus; vel sumuntur formalitèr; & sic sunt differentiæ accidẽtales, vel denominationes, supponentes obiectum constitutum, & specificatum, essentialitèr, &c.

Vasq.

Montagn.

§. VI.

13 QVo notabili posito; Respondet obiectioni Vasq. quam desumit ex Arist. 5. met. vbi ait, *scientiam non referri ad scibile, vt scibile*, &c. dicens; Arist. ibi loqui de scibili, & visibili, secundo modo, formalitèr; nos autem, primo modo, fundamentalitèr. In respõsione ad confirmationem, ait; prius sciẽtiam terminari ad rem; idest, rationem, *qua*, formalem; & sic, ad scibile, fundamentalitèr, quam denominetur scibile, secundo modo, vel formalitèr. Tandèm, ad obiectionem, factam à Vasq. desumptam ex D. Tho. in corpore art. vbi ait, *visum terminari ad colorem*, &c. Respondet; visum specificari à colore, non materialitèr, vt ens est; sed formalitèr, vt visibile, fundamentalitèr sumptum; licèt formalitèr sit denominatiuũ, &c. Ex quibus omnibus; colligo, hunc authorem, doctrinæ D. Tho. Defensorem, omninò nostræ sententiæ fauere; imò, dum vult Caiet. defendere, prorsus oppositum docet, vt satis patet.

Arist.

D.Thom.

14. Concludimus ergò; scientiam, radicaliter, sumere suam vnitatem formalem ab ipso obiecto formali, *quo*. Ratio autèm huius vnitatis formalis, est ipsa ratio formalis, *qua*. Et sic communiter, rationi formali tribuitur, propriùs, talis vnitas; ea enim est, quæ constituit rem in esse obiecti, essentialitèr; formaliter verò, eam habere ab eodem obiecto formali, quatenùs scibile est, formaliter.

Summa doctrinæ superius positæ.

15. His omnibus, sic in genere præhabitis; necesse est tandèm, specialiter, deueniamus ad resolutionem nostri præcipui quæsiti; quo quærebamus, *An Theologia nostra sit vna scientia*? Verùm nullo pacto id præstare possumus, nisi habita prius notitia obiecti Theologiæ; & sub qua ratione tendat ad illud? Si enim ostẽdemus, vnicum esse obiectum formale illius, vnicumque, in specie athoma, rationem formalem tendendi; manifestum erit, Theologiam vnitatem habere specificam.

CAPVT VIII.

In quo referuntur variæ Doctorũ opiniones, circà obiectum Theologiæ.

§. I.

IN primis; non est cur immoremur, circà subiectum materiale Theologiæ; illud enim est, ipse *Deus*; sicuti Philosophiæ, est, *Corpus*: Metaphisicæ, *Ens*; sed sermo erit, tùm de ratione formali, *qua*, constituente *Deum*, in ratione obiecti Theologiæ; tum etiàm de ratione *sub qua*; seù *propter quam*.

Obiectum materiale Theologiæ.

2. Item supponamus; non quæri hic à nobis, de illa supersubstantiali Theologia, quam de se ipso habet Deus: cum certum

De nostra tantùm Theologia quæritur.

certum sit, illius suptæmæ scientiæ adæquatum obiectum, esse eiusmet Diuinā Essentiam, qua Diuina Essentia est; sed tantum quæri, de Theologia nostra, & Beatorum: quantum enim ad obiectum formale, *quod*, existimo, Beatos, ac Viatores conuenite; licet disconueniant in lumine, seu in ratione formali, *sub qua*.

1. Sententia. 3. His breuitèr adnotatis: in hac re, sunt varia Doctorum placita, quæ videri possūt apud Iuniores diffusè; præsertim, Vasq. Disp. 10. qui cap. 2. refert sententiā Glosæ Cassiodori init. psal. & Hugon. de S. Vict. in prol. 1. lib. de Sacram. cap. 2. qui volunt, subiectum Diuinarum scripturarum esse opera Restaurationis Humanæ; nempè, Incarnationem, & Sacramenta; siuè, quæ præcesserunt; siuè, quæ postea sequuta sunt. Item, sententiam Alex. qui prima pat. quæst. prima mem. 3. asserit, materiam Sacræ Scripturæ assignari posse, & secundum essentiam; & sic, ait, esse *Deum*; & secundum operationem; & sic, vult, esse, opus restaurationis; Et secundū virtutem; & sic, ait, esse ipsum Christum; ac proindè, totam materiam Theologiæ, esse substanciam Diuinam, cognoscēdam per Christum in opere reparationis; Et aliæ huiusmodi sententiæ minus probabiles referuntur ab alijs, quæ communiter parui fiunt à Doctoribus.

Vasq. Cassiod. Hugon. Dist Alex.

§. II.

2. Sententia Dur. 4 Aliæ verò cōmunius circūferūtur; vt est illa Dur. q. 5. prol. qui distinguit Theologiam, in Habitum, quo assentimur ijs, quæ traduntur in Sacra Scriptura; quo pacto, nō distinguit Theologiam à Fide. Item, in Habitum defensiuum, & explicatiuum eorum, quæ docēt Fides, & Sacra Scriptura. Et tandem, in Habitum deductiuum, ex suis principijs, Theologicas conclusiones. Et statuit, actum meritorium esse subiectum Theologiæ, in prima consideratione. & tertia: Deum verò esse subiectū eiusdem Theologiæ, secundo modo consideratæ; non sub ratione absoluta, qua Deus est, sed qua Saluator.

5. Sed certè omninò voluntaria est hæc opinio, quæ optimè refellitur à Faenent. q. 3. prol. disp. 4. cap. 3. num. 16. & à Vasq. cap. 3. & præsertim, quantum attinet ad actum meritorium (etiam gratis admissa illa distinctione Dur.) nullo pacto potest dici subiectum. Id enim dicitur subiectum, cui cætera omnia tribuuntur: actui autem meritorio non tribuuntur mysteria fidei, & Theologiæ: Mysteria namque Trinitatis, Incarnationis, &c. non respiciunt actū meritorium; etiamsi, credere huiusmodi misteria, meritorium sit; imò potius, ipsi Trinitati, quæ nobis credenda proponitur, tribuitur ipse actus meritorius; cum sit Author illius, finis, & obiectum; ergo, quocunque modo consideretur Theologia, non poterit habere, pro subiecto, meritorium actum. Quid autem sentiendum sit de eo dicto Dur. quo asserit, *Deum, sub ratione Saluatoris, esse obiectum Theologiæ, secundo modo consideratæ*; Ex his, quæ pro nostra sententia dicemus, facilè colligi poterit. Fūdamenta Dur. omnia procedunt ex falso illo fundamento, de Distinctione Theologiæ in tot habitus, & friuola sunt.

Faenent. Vasq. Vasq. Arist.

§. III.

6 Alia sententia, refertur, esse D. Bonauent. & aliorum, asserentium, subiectum esse, Christum, cum duabus naturis, & cum omnibus membris misticis; & tandèm, cum his omnibus, quæ ad Christum, vt sic, spectant; Quæ sententia latè impugnatur a Scoto q. 3. prol. q. laterali 2. *& ex prædictis apparet*; Contra quā tamen, illud sufficiat obijcere; quod, si vera esset, non pertinerent ad Theologiā hæ propositiones: *Pater generat; Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, Deus est omnipotens, immensus, &c.* nam nulla veritas pertinet ad scientiam; nisi sit de subiecto primo; vel de parte subiectiua; vel integrali; vel essentiali eius; vel de aliquo attributo subiecto essentialiter; Sed, nec Pater, nec Spiritus Sanctus, nec Trinitas sunt Christus; nec pars aliqua Christi, subiectiua, vel integralis, vel Essentialis; nec sunt aliquod attributum Christo essentialitèr; Ergo; si Christus est subiectum Theologiæ, illæ veritates non pertinebunt ad hanc scientiam. Minor patet; nàm Christus est Persona Verbi, vnita hypostaticè naturæ humanæ; At Pater non est Christus, in quantum homo; quia, in quantum homo, est Creatura; nec in quantum est Verbum; quia Verbum non habet vllam huiusmodi partē subiectiuam, vel essentialem, vel integralem; Ergo; &c. Adde, quia ex tali sententia sequeretur, Christum priorem esse Patre, ac Spiritu Sancto; ac Patrem, & Spiritum Sanctum habere attributionem ad Christum: subiectum, enim, est prius reli-

3. sententia Bonau. Scot. Impugnatur.

quis

ſiquis omnibus, quæ in ſcientia conſiderantur.

4. Sentent. Magiſt. 7. Magiſt. in 1. diſt. prima videtur ſẽtire, ſubiectũ eſſe, Res, & Signa; Sed certè, nimis commune eſt ſubiectum hoc; cum complectatur omne ens. Theologia autem non eſt de omni re.

5. ſent. Varr. 8. Guilel. Varro docuit; eſſe Deum, ſub ratione Boni; Qui dicendi modus, ſi ſumat rationem boni, formalitèr, quatenùs formalitèr diſtinguitur à reliquis rationibus, quæ de Deo dicuntur; falſa eſt; cum ſub illa non comprehendatur ratio veri, & reliquæ, quæ etiam ſpectant ad iddem obiectum. Si autem ſumat illam, prout identificatur cum eſſentia, coincidit cum ſententia Thomiſtarum, infra ponenda.

§. IV.

Sententia D.Thom. 9 PRincipaliores tamèn dicendi modi, in re hac, ſunt D. Thomæ, & Aegid. (Scot namque videtur, in ſenſu, conuenire cum D.Tho. licet diſcrepet in illa Diuiſione Theologiæ, Neceſſariorũ, & Contingentium.) Eſt ergo D. Thom. ſententia, & ferè omnium Recẽtiorum, quos & Haccherus, & Vaſq. etiam ſequũtur: Hi omnes volunt, ***Obiectum adæquatum Theologiæ eſſe Deum, non ſub aliqua ratione peculiari; ſed ſub ratione abſoluta Deitatis.***

10. Probãt Thomiſtæ primo. Iddem, & ſub eadem ratione, eſt ſubiectum ſcientiæ, & principiorum ſcientiæ; ſed articulorum fidei, qui ſunt principia Theologiæ, Deus, ſecundùm rationem abſolutã, eſt ſubiectum; ergo & ipſius Theologiæ.

2\. 11. Secundò, Ratio ſubiecti debet, aliquo modo, continere omnes veritates, contentas in ipſo habitu; ſed hoc non poteſt in Theologia aliqua ratio ſpecialis: ergò.

3\. 12. Tertiò, Ratio abſoluta Deitatis, eſt prior omni ratione contracta: Ergò, ſi Deus eſſet ſubiectum, ſub ratione aliqua contracta, in Theologia, oporteret dari aliam ſcientiam, priorem illa, quæ Deum, ſub tali ratione abſoluta, conſideraret.

4\. 13. Quartò, Deus, ſub ratione abſoluta, eſt obiectum Theologiæ Beatorũ: ergo & noſtræ; patet conſequen. ex Pſal. ***Sicut audiuimus, ſic vidimus in Ciuitate Domini virtutum;*** Antecedens probatur; Tum, quia, aliàs appetitus Beatorum maneret incompletus; Tum ſecũdo, quia cognitio Beatorum eſt intuitiua; & ſic, terminatur ad Diuinam eſſentiam, ſecũdùm propriam exiſtentiam, & non ſecũdum aliquam rationem contractã; Tum tertio, quia ex D.P. Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 8. tom. 3. ***hoc eſt plenum gaudium noſtrum, frui Trinitate, ad cuius imaginem facti ſumus.***

14. Quintò, nobiliſſima ſciẽtia debet ſubiectum ſuum conſiderare, ſub omni ratione nobiliſſima; ſed ratio Deitatis abſoluta eſt nobilior quacunque ratione ſpeciali; ergo, &c. Aliæ etiam adducũtur; ſed hæ potiores ſunt. 5.

§. V.

15 SEntentia verò noſtri Aegid. prima par. prol. q. 3. & aliorum, ex Aegidiana præſertim ſchola, eſt; quod ***Deus ſit ſubiectum, ſub aliqua ſpeciali conditione, & ratione; ſcilicet, quatenus eſt principium noſtræ reſtaurationis, & conſumatio noſtræ glorificationis.*** Rationes, quibus hæc ſententia ſtabilitur, ſolum tendunt ad probandum, non poſſe ſubiectum Theologiæ eſſe, Deum, ſub illa abſoluta ratione, præcisè; Nàm, ſi eam ſententiam deſtruant; itaut conuincãt, debere, Theologiæ ſubiectum, eſſe Deum, ſub aliqua ſpeciali ratione; ſiue talis ratio nominetur, hoc, vel illo nomine, non erit contrà intentum principale Aegid. (vt infrà dicam) licet ipſe eam rationem exprimat, nomine Glorificatoris, & Reſtauratoris noſtri. Sententia Aegid.

16. Poteſt autem hæc ſententia ſic primo probari. Si Deus, ſub ratione abſoluta ſuæ Deitatis, eſſet ſubiectũ Theologiæ noſtræ; tunc, Scientia Dei, & noſtra eſſent eiuſdem ſpeciei; Patet: nàm cum habitus ex obiectis ſpecificẽtur, ſumptis ſecundùm ſuas rationes formales; illi erunt eiuſdem ſpeciei, qui circa iddem verſantur, & ſub eadem ratione; Cum igitur Deus, ſub abſoluta ratione Deitatis, ſit obiectum adæquatum ſcientię ſuę; & ſub eadem ratione, ſit & noſtræ; ſequitur, eiuſdem eſſe rationis vtramque ſciẽtiam; hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Rationes pro illa. Prima ratio.

17. Secundò, in eſſentialiter ordinatis, ſecũdùm excedens, & exceſſum, nunquam id, quod eſt adæquatum habitui excedenti, erit adæquatum patiter, & exceſſo: ſed ſcientia Dei, & noſtra ſunt eſſẽtialiter ordinatæ, ſecundùm excedens, & exceſſum; ergò non poteſt eſſe, reſpectu eiuſdem, iddem obiectum adæquatum; Secunda ratio.

Et sic, Deus, sub illa ratione absoluta, sub qua, est obiectum adæquatum scientiæ ipsius, non poterit esse nostræ.

Tertia ratio. Tertio probatur, ex Aegid. Si Deus, sub illa cõmuni, & ampla ratione, qua Deus, & non sub aliqua consideratione speciali, esset subiectum in nostra Theologia; sequeretur confusio in præcipuis scientijs: Patet; nàm, Deus, qua Deus, est cognoscibilis, non solum per lumen Theologicum; sed etiam per Philosophicum; continet enim, vt sic, & rationes, lumini naturali absconditas, & rationes, lumini naturali manifestas, vt patet; ergo, circa iddem obiectum adæquatum, & formale, poterunt versari Metaphisicus, Phisicus, & Theologus: Hic speculans rationes supernaturales; illi verò, naturales, eiusdem omninò obiecti formalis; quod absurdum est; ergo, &c.

§. VI.

Vltima ratio 19 Qvod autem illa formalis ratio debeat dici, ratio Restauratoris, & Glorificatoris; quasi, secũdatiò, probat Aegid. quia sub illa ratione, principalitèr, subiectum consideratur in scientia, sub qua eius cognitio, principalitèr, intẽditur; Sed in Theologia, principalitèr, cognoscere Deum, intendimus, vt nostrum Restauratorem, & Glorificatorem; ergo, &c.

Intentum Aegid. 20. Cæterum (Vt dixi) præcipuum intentum Aegid. est, docere, obiectum Theologiæ non esse, Deum, vt sic; sed sub aliqua consideratione peculiari; vt optimè aduertit etiam Argent. noster. q. 1. prol. ar. 3. §. *Aduertendum tamen*. Cum enim ipse Argent. ar. 1. dixisset, pro sua sententia, Deum esse subiectum Theologiæ, sub ratione speciali, & non sub ratione absoluta, siuè abyssali; quam rationẽ specialem, fatetur, non posse sufficienter describi, ob defectum vocabulorum; tamèn ipse sic eam nititur explicare, dicẽs, obiectum Theologiæ esse, *Verum summè diligibile, vt proportionatum rationali animæ, nondum perfectæ per habitum luminis gloriæ.*

Argent. explicat mentẽ Aegid. 21. Vbi ponit ly, (*Summè diligibile*,) consequenter ad ea, quæ docet, de eadẽ Theologia; nimirum, neque practicam esse, nec speculatiuam, propriè; sed affectiuam; cum eius præcipuus finis sit Dei dilectio. (vt habet q. 4. ex doctrina eiusdem Aegid.) Addit tamèn ar. 3. cit. quod, quantum ad rationem subiecti Sacræ Theologiæ, non intendit deuiare ab Aegid. qui; licet per alia verba prædictã veritatem expresserit; iddem tamèn credit, dicere voluisse; cum per rationẽ specialem fateatur, Aegidium non intendere, nisi restrictionem in obiecto illius abyssalis rationis, superius nominatæ; Et, cum quandoque, rationem obiecti huius scientiæ explicando, ponit nomen Glorificatoris, &c. ait Argent. non esse Aegid. curæ de tali nomine, cum ipsemet quandoque dicat, non posse nos nomen aptum inuenire, quo talem rationẽ specialem sufficientèr exprimamus; sed per nomen *Glorificatoris*, dicit, intendere, quod ratio prædicta nominari debet in ordine ad finem, ad quem nos ducit illa scientia; qui finis est, Gloria vitæ æternæ; Vndè colligit, eos, qui impugnant Aegidium, magis laborare contrà nomen illius rationis specialis, quàm contrà intẽtionem fundatissimi Doctoris.

22. Vtraque hæc sententia, si nil aliud, præter hoc, intendat, poterit facilè conciliari; si benè vtriusque Authoris mentem interpretemur. Quare, aliquibus conclusionibus, meum placitum explicabo; iuxtà ea, quæ dicta sunt de rationibus formalibus, *qua*, & *sub qua*, quibus ad concordiam has discordes reducam sententias.

CAPVT IX.

Author quid de obiecto adæquato Theologiæ sentiat, eiusq; rationibus formalibus, aperit; conciliatq; Diu. Thom. & Aegid. sententias, & concluditur vnitas Theologiæ.

§. I.

1 Dico primo, Deus constituitur obiectũ formale, *quod* Theologiæ, radicalitèr, & essentialitèr, per suammet essentiam Diuinam; qua Deus est; itaut, concipiamus ipsam Deitatem, & essentiam, tanquàm rationem formalem, *quæ*, constituentem essentialitèr, & radicalitèr Deum, in ratione obiecti formalis 1. Conclusio.

Theo-

Theologiæ, tàm comprehẽsorum, quàm viatorum; Hoc dictum probant omnes rationes Thomistarum; nec aliud eorum sententia videtur docere; vt ex verbis ipsiusmet Sancti Doctoris colligere licebit; nec hoc negabunt Thomistæ.

2. Conclusio. 2. Dico secundò. Ad rationem obiecti formalis Theologiæ, formaliter sumpti, non sufficere rationem, *qua Deus est*, præcisè, & absolutè; sed necessario assignandam esse aliquam aliam rationem, *propter quam*; seu, *sub qua*; per ordinem ad quam sumatur formaliter adæquata ratio formalis obiecti specificatiui, formaliter, Theologiæ. Hoc dictum probant argumenta adducta in fauorem sententiæ Aegidij; & euidenter colligitur hoc assertum ex his, quæ supra docuimus, de rationibus formalibus cõstituriuis obiecti.

§. II.

Conciliatur cũ sententia D. Thom. 3 Quæ conclusio nequaquã pugnat cum sententia D. Th. nam, præter Deum, etiam assignat ipse ar. 3. *Reuelabilitatem*, pro ratione formali, *sub qua*; ergo etiam ipse sentit, obiectũ formale Theologiæ non esse, *Deum*, vt sic. Sed sub aliqua speciali ratione; quod intendit Aegid. Et sic hæ sententiæ videntur tantùm ludere vocabulis, quantum ad hoc meo videri, & esse, vsque modo, de solo nomine quæstio.

3. Conclusio. 4. Verum, de ratione, *sub qua*, Dico tertiò. Ratio Saluatoris, seu Glorificatoris, non videtur sufficienter explicare hãc rationem formalem; probatur; quia, vel Ratio Saluatoris, & Glorificatoris, dicit tantùm respectum illum rationis, quem ex tempore tribuimus Deo; vel dicit ipsam Dei naturam, & essentiam; vel dicit ipsum Christum, sub vtraque natura, per quam saluati, & liberati sumus, & per quem glorificabimur. Non potest dicere respectum rationis; cum ille aduentitius sit Deo, & per nostrum intellectum tantùm, & ei in tempore conueniens. Non tertium, nempè, Christum, modo explicato; alias coincideret cum sententia, superius refutata, Bonauẽturæ: ergo necessè est, quod dicat ipsam Dei naturam, & essentiam; quam, diximus, esse rationem formalem, *qua*. Et sic alia quærenda est ratio *sub qua*.

4. Conclusio. 5. Dico quarto. Hoc quod est, *esse reuelatum*, vel *reuelabile*; non potest esse ratio sufficiens, ad explicandam rationẽ formalem *sub qua*. Patet: quia, quocunq; modo intelligatur hęc reuelatio, tantùm comprehendit sub se, formaliter, articulos fidei, qui assumuntur in Theologia, vt principia; non autem includit conclusiones Theologicas, merè Theologicas, prout à nobis deducuntur per discursũ, & non cadunt, formaliter, sub fide; cum non sint formaliter reuelatæ. Quare illa ratio reuelabilitatis est ampla nimis, conueniens etiam fidei.

§. III.

5 Dico quintò. Videtur sufficientius posse explicari ratio hæc, (si sermo sit de Theologia Beatorum,) per ly, *in quantum cognoscibilis est ab intellectu creato, per lumen supernaturale clarum*, quale est lumen gloriæ; (Si autem sermo sit de Theologia Viatorum,) explicari potest per ly, *in quantum cognoscibilis est ab intellectu creato, mediante lumine obscuro*, quale est lumen fidei. Hæc conclusio mihi videtur certissima; nàm, per obiectum, sic explicatum, optimè distinguimus Dei scientiam, à nostra; Scientiæ namque Dei obiectum est, *Deus ipse, in quantum Deus, prout comprehensiuè cognoscibilis est ab intellectu Diuino, per lumen omninò infinitum, & increatum*. Et licet conueniat scientia nostra cum scientia Dei in obiecto formali, *quod*, præcisè; quod, aliquo modo, potest etiam dici, obiectum materiale, respectu rationis formalis *sub qua*; non tamen conuenit cum illa in eodem, quatenùs substat rationi formali *sub qua*; sicuti etiã scientia nostra, cum scientia Beatorum. 5. Conclusio.

No· modo lumen obscurũ pertineat ad rationem *sub qua* nostræ Theologiæ.

7. Nota, tamèn; quod cum dicimus, sufficienter explicari rationem formalẽ, *sub qua* nostræ Theologiæ, seu viatorũ, per ly, *In quantum cognoscibilis ab intellectu creato, mediante lumine supernaturali obscuro, quale est, lumen fidei*. Non intelligimus, nostram Theologiam vti tali lumine, eodem modo, quo quilibet fidelis, in via, eo vtitur ad credendum; dupliciter modo enim intellectus creatus eo lumine vti potest: primo, quatenus fidelis, præcisè, & sic assentiens ipsis articulis fidei, qui, immediate, continentur in tali lumine; Secundò, quatenus Theologus; & sic, assentiens veritatibus Theologicis, tãtùm virtualiter, & mediatè in ipso lumine contentis. Hoc posteriori modo, lumen obscurum pertinet immediatè ad rationem formalem *sub qua* Theologiæ nostræ. Quod si D. Thom. intelligat loqui de

Concordia opinionum D.Th. Aegid. & nostræ.

de reuelabilitate virtuali; tantum est inter nos dissẽsio de nomine. Imò si Aegidius noster explicet suam sententiam; itaut loquatur de Deo, vt principio nostræ Restaurationis, & Glorificationis, sub esse reuelato, modo exposito; & non, prout cognito, quacumque cognitione: in iddem omnes conueniemus.

8 Dico sexto, Nostra Theologia est vna, vnitate speciei specialissimę. Hoc dicto satisfit Principi quæsito, quo quærebatur. An nostra Theologia sit vna scientia? Probatur autem sic: Scientia sumit suam vnitatem specificam ab obiecto formali *quod*, quatenus substat rationi formali *sub qua*; prout probatum est supra c.7. nu. 12. Sed obiectum formale, *quod* Theologię nostræ, prout substat rationi formali *sub qua*, est vnum, vnitate athoma; ergò &c. Probatur minor; Nam obiectum formale, *quod* nostrę Theologię est, *Deus, quà Deus est*: cuius ratio formalis *sub qua* est, *vt cognoscibilis ab intellectu creato, mediante lumine obscuro* modo exposito; sed hoc totum indiuisibile est in plures species, (vt certum est;) non enim excogitari potest talis diuisio; ergò Theologia, quę tale obiectum habet, & ab eo suam vnitatem desumit, vna erit, vnitate speciei specialissimæ. Et eodem modo philosophandum est de Theologia Beatorum; mutato solum lumine. Hæc sufficerent pro absolutione totius Disputationis, & Quodlibeti. Ast quia remanent argumenta, superius adducta cap.8. quæ, licet contrà nos non militent in rei veritate; tamen in forma illis satisfaciendum est cap. sequenti.

CAPVT VLTIMVM.

In quo respondetur in forma argumentis, adductis cap. 8. pro sententijs D.Tho. & Aegid.

§. I.

Ad primum Thomist.

1 PRimum argumentũ, quo Thomistæ probabant, obiectum adæquatum Theologiæ esse *Deum, sub ratione absoluta Deitatis*: ponitur cap.8. nu.10. & est huiusmodi: *Idem, & sub eadem ratione, est subiectum scientiæ, & principiorum scientiæ*: dist. mai. sub eadem ratione formali, *quæ*: conc. mai. sub eadem ratione formali, *sub qua*: & sic neg. mai. *sed articulorum fidei, qui sunt principia Theologiæ; Deus, secundum rationem absolutam, est subiectum*: dist. pariter min. itaut ratio absoluta sit ratio formalis, *quæ*; & sic concedo: sit ratio formalis, *sub qua*; & nego; & eodem modo distinguendum est consequens.

2 Ad secundum positũ nu.11. Resp. conc. maiorem: nego minorem, in qua dicitur, *quod nulla alia ratio specialis potest assignari in Theologia, quæ contineat omnes Veritates, contentas in illa*: iam enim assignauimus, pro hac ratione, cognoscibilitatem, mediante lumine obscuro; vel reuelabilitatem virtualem. Ad secũdum

3 Ad tertium ex numero 12. Respõdeo conc. antecedens, & ad consequentiam, Dico; quod Deus, sub ratione absoluta Deitatis, dici potest adæquatum obiectum ipsius scientiæ Dei. Vel; non esse necesse, quod assignetur scientia specialis, quæ agat de Deo, sub ratione absoluta Deitatis: nam, cum sit ratio quædam vniuersalis, & communis, non potest pertinere ad vnam scientiam, sed ad plures, secundum diuersas rationes contracta; & sic spectat, primò, ad scientiam Dei, quæ eam habet pro obiecto, prout *cognoscibilis est à suo infinito intellectu, cognitione adequata, & comprehensiua*. Item, pertinet ad scientiam Beatorum, sub ratione *cognoscibilis ab eis, medio lumine creato claro*. & tandem, ad nostram etiam Theologiam, sub ratione *cognoscibilis medio lumine obscuro*, iuxta dicta capite præcedenti. Ad tertium

4 Ad quartum ex nu.13. Respõdeo; dist. antecedens: *Deus, sub ratione absoluta, est obiectum (quod) Theologiæ Beatorum*: concedo, est obiectum *quo*; seu, substans rationi formali *sub qua*: & nego: & eodem modo, est obiectum nostræ; concedo etiam consequentiam. Ad primam probationem anteced. Respondeo, appetitum Beatorum non manere incompletum; quia, iam diximus, habere suum obiectum formale adæquatum. Ad secũdam probationem. Dico; illam contractionem obiecti scientiæ Beatorum, non impedire cognitionem intuitiuam ipsorum; & quod terminetur eorum cognitio ad Diuinam essentiam, secundum propriam existentiam; sed tantum determinare modum tendendi; Et ad tertiam probationem ex Augustino Respõdeo; Ad quartum

deo; non militare contra nos: non enim impedit illa ratio formalis assignata, quin plenum gaudium nostrum sit, frui Trinitate, ad cuius imaginem facti sumus.

Ad quintum. 5. Ad quintum ex nu. 14. Respondeo; conc. mai. & etiam min. Ex quibus præmissis tantum sequitur. *Ergò Theologia, cum sit scientia nobilissima, debet considerare Deum, sub ratione Deitatis, quæ nobilissima ratio est*; & concedo sic consequentiam. Ast si loquamur de Theologia, prout in nobis est; licet consideret Deum, sub ratione, qua Deus est: quia tamen nequit attingere, adæquatè, & sub omni ratione, tale obiectum: ideò, illud dicitur attingere sub illa determinata, & contracta ratione *sub qua*.

§. II.

6 Tres rationes pro sententia Aegid. nostri adductæ confirmant secundam nostram conclusionem, positam cap. præcedenti, numero secundo: probant enim, & optimè, Obiectum nostræ Theologiæ non posse esse Deum, sub ratione absoluta Deitatis, præcisè; sed debere contrahi per aliquam aliam rationem formalem *sub qua*. Ad rationes pro sententia Aegid.

7. Verum, ad illud argumentum, quo probabatur nu. 19. illam rationem formalem sufficienter posse explicari per rationem *Restauratoris*, & *Glorificatoris*. Respondeo, conced. maior. disting. min. *Per nostram Theologiam, principaliter, intendimus, cognoscere Deum, vt nostrum Restauratorem, & Glorificatorem, mediante aliquo lumine obscuro*. conced. absolutè; & vagè, neg. Et hac distinctione, etiam concedimus, vel negamus consequentiam. Et hæc dicta sint de toto hoc Quodlibeto Primo.

Finis Primi Quodlibeti.



QVODLI:

QVODLIBETVM SECVNDVM.

De esse Dei.

DISPVTATIO PRIMA

An Deum esse sit per se nobis notum.

CAPVT PRIMVM.

In quo statuitur, Deum esse, naturaliter, à nobis sciri, & demonstrari posse; & quid secundum fidem, tenendum nobis sit de esse Dei.

§. I.



ILLVD in primis supponendum nobis est, in hac disputatione; non posse in dubium verti, *Deum esse*; licet non defuerint Atheistæ; nec desint, hac nostra tempestate, Politici, qui plusquam Atheistæ, nil, nisi externam Reipublicæ gubernationem, omni studio, eoq; peruerso, curāt; omniaq; humanæ prudentiæ, ac sollicitudini tribuunt; Vndè viuendi normam, ac methodum (Diuina prorsus lege postposita, ac penitus obliuioni tradita) sumunt: De religioso verò cultu, ea ratione dumtaxat, sunt solliciti, quatenus ad continendos populos in ciuili disciplina, & obedientia, arbitrio humano; iudicant expedire. Hi omnes, Deum, operibus ipsis, negant; quemadmodum primi Atheistæ, & verbis, & operibus negarunt: ex Plut. lib. 1. de placitis Philosophorum c. 7, Lactant. lib. 1. diuin. inst. c. 2. & lib. de ira Dei c. 9. Euseb. & alijs citatis à Vasq. disp. 20. c. 1. Plutarc. Lactan. Euseb. Vasq.

2 Verum, *Deum esse*, adeò manifestè creaturarum vniuersitas proclamat; vt meritò Regius Psaltes psal. 18. dixerit *Cæli enarrant gloriam Dei*. Et psalm. 88. *Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine*. Et D. Paul. Rom. 1. *Quod notū est Dei* id est, lumine naturali vestigabile, & agnoscibile; *manifestū est in illis*, scilicet, Philosophis gentilibus: subiungitq; modum, dicens. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*. Super quæ verba Chrysost. homil. 9. ad populum Antiochenū, sic ait, *Ante omnium oculos, creaturam in medio proposuit; vt ex operibus creatorem conijctant*. Coniungens vero cum illo enarrationem illius loci psalm. 18. *Cæli enarrant &c.* ita ait. *Quomodo enarrant, dic mihi? vocem non habēt, os non possident, illis non est lingua; quomodo igitur narrant? Per ipsum aspectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinē, situm, formam, per tantum corporis permeare, tanquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adores eum, qui tàm pulchrum, & admirabile cor-* Deum esse Creaturarū vniuersitas proclamat. Dauid. D. Paul. Chrysost.

pus creauit; tacet cælum; sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit; per oculos, non per aures, nos docens; hic enim sensus à natura est illo certior, & manifestior; sic enim per libros docuisset, & literas linguarum quidē peritus scripta didicisset; nesciens verò, nihil inde adiutus, abijsset, si quis alius non dixisset. Et diues, quidem librum emisset; pauper autem emere non potuisset. Rursum; *Vocem quidem illam, per literas significatam, sciens intus positam nosset: Scitha verò, Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnes, lingua carētes illa, nihil docti abijssent. Hoc autem de cœlo discere datur; sed Scitha, & Barbarus, & Indus, & Aegiptius, & omnis homo, per terram vadens, hanc vocem audiet: non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio eadem, neque differens, sicut linguarum. In hunc pariter librum, & idiota, & sapiens intueri poterunt, & pauper, & diues, & quocunque quis venerit in cælum respiciens sufficientem accipiet doctrinā ex aspectu: quod quidem, & ipse Propheta innuens, quod vocem creatura Barbaris emittit, & Græcis, & omnibus, vniuersaliter, hominibus sic intelligi facilem dicebat. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*; hoc est; *non est genus, neque lingua qua hanc vocem intelligere non possit*; Ita Crisostom. Quibus verbis ostendere voluit, adeò naturaliter, ex his quæ facta sunt, posse nos rei habere notitiam, vt non indigamus illationibus artis, vel alicuius scientiæ, ad cognoscendum *Deum esse*, sed sufficere, eo, quod ipsa natura nos edocet, argumento, ac discursu, *Deum esse*, euidenter colligere. Hinc merito Dauid insipientem vocat, qui in corde suo dixit, *non est Deus.*

Tull. 3 Hoc iddem satis apertè docuit Et Tullius 2. de nat. Deorum, vbi habet, *Quid potest esse tàm apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam aliquod esse numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur* & libro de diuinatione ait; *esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mūdi, ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri*, vbi nota ly, *cogit confiteri*: quibus verbis, videtur annuere Tull. quod suspicienti, & contemplanti hanc vniuersi machinam, ordinem, pulchritudinem, non tamen lippis, sed purgatis oculis: non est liberum, sed naturale, & necessarium, *Deum esse*, fateri.

4 Vnde Lactant. inquit, *Nemo tam rudis vnquam fuit, tamque feris moribus: quin, oculos suos in cælum tollens, aliquam Dei prouidentiam intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, & pulchritudine.* Et innumera extant huiusmodi testimonia Gentilium, præter ea, quæ Sancti Patres dicunt legantur Vasq. disp. 19. c. 3. Molin. q. 2. super art. 3. vbi diffusè rem hanc dilucidat. Lact.

§. II.

5 Concludimus ergò, insanæ mentis nedum infirmæ, eos esse, qui, *Deum esse* negant, siquidem veritas hæc omnibus, tàm sapientibus, quàm insipiētibus manifesta esse debet, naturaliter; quod tribus modis ostendit Vasq. 1. per humanam fidem, quam, parētum doctrina, à pueritia didicimus; quæ ita animo hæret, vt videatur nobis per se notum, *Deum esse*, & tamen (hac via) tantum dicitur esse aliorum authoritate creditum. Insanus est qui Deum esse negat.

Vasq.

6 Secundò, non ex aliorum authoritate, sed ex inspectione, & contemplatione vniuersitatis creaturarum; prout dictū est: statim enim, supremum aliquem harum omnium rerum Principem, concipere fas est.

7 Tertiò tandem, ex consuetatione, & gubernatione earumdē creaturarum; naturali discursu apprehensa, & contemplata. Et his modis, quilibet simplex, & ignarus homo, *Deum esse* proculdubio naturaliter credet; imò ad credendum cogetur.

8 Vbi, illud adnotandum volo cum Molina; tam rudes, & incultos posse aliquos homines esse; vt, maxima cum probabilitate, affirmare possimus, in eis reperiri, & sic, huiusmodi ignoratione excusari ignorationem inuincibilem Dei, posse Probabile est aliquos inuincibiliter ignorare Deum esse. Mol. na.

cusari

cusari à peccato infidelitatis; &, quod Deum non colant, nec ei honorem debitum adhibeant, non erit eisdé tribuendum culpæ: Spectata tamen natura hominum, qui quidem in manu Consilij sui constituti sunt; atque ordine rerum, à Deo instituto; satis superque Deus hominibus prouidit, quod attinet ad notitiam, quam de Diuina natura habete debebant: non solum enim lumen naturale, acumenq; intellectus illis tribuit, quo in notitiam veri Dei, per ea, quæ facta sunt, possent deuenire, eamque cæteris communicare; sed etiam à principio, primum parentem scientia, & fide imbuit supernaturali; à quo, notitia veri Dei, & aliarum rerum, quæ necessariæ erant ad salutem, in posteros deriuaretur; ac deinde, per interualla temporum, incredibili rerum diuinarum luce, tùm Verbo incarnato, tùm alijs concionatoribus prædicantibus, abundè vniuersum Orbem terrarum illustrauit. Ita Molina.

1. Conclusio. De fide est Deum esse. D. Paul.

9 Nedum autem insipiens esse dicitur, qui dicit in corde suo, *Non est Deus*, sed *Deum esse*, de Fide Catholica tenendum est. Vnde Heb. 11. dicitur, *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est.*

§. III.

Occurritur obiectioni.

10 QVod si asseras: fides supponit, esse Deum; cum eius assensus nitatur testimonio Dei reuelantis; quomodo ergò per fidem ipsam credi potest, *Deum esse*? si enim credo per fidé, *Deum esse*; ergò ideo credo, esse; quia ipse mihi reuelat, se esse; ergò iam suppono, ipsum dicere, se esse; ergò potius fides supponit, *Deum esse*, quam per illam credatur esse.

11 Respondeo; non repugnare, assentiri, *Deum esse*; ex testimonio ipsiusmet Dei, dicentis Exod. 3. *Ego sum, qui sum; Et, qui est misit me, &c.* Is enim, qui non videtur, audiri potest; & sic, voce testati potest, se esse, & talem esse. Ità Christus Dominus, nedum Samaritanæ ignoranti, se esse Messiam, de se testimonium perhibuit, dicens. Io. 4. *Ego sum qui, & loquor tecum*, quibus verbis auditis, nedum Samaritana credidit, illum esse Messiam; sed etiam, Messiam esse, qui ei tale secretum reuelauerat; nisi enim hoc posteriùs credidisset, quomodo adeò firmiter priori assensum præbuisset? Sed etiam tot vicibus Discipulis suis apparens, credentibus, illum esse phantasma: vel ad minus, eorum non esse Magistrum; statim atque eis dixit; *Ego sum*: nedùm crediderunt, verum eorum Magistrum illum esse; sed, Christum esse, qui se Magistrum illorum esse, dixerat; aliàs, quomodò ità citò, ac certò credidissent? Sic ergo Deus, reuelando fidem, reuelat, se testificari res credendas; quarum, vna est, eaquè cæterarũ omnium fundamentum, *Deum esse*: quia potest Deus de se, & de suo esse loqui; ac proinde, testimonium præbere. In quo testimonio supponitur, quidem, *Deum esse*, vt dari possit; quia non loquitur, nisi qui est; non tamen supponitur cognitio, ex parte credentis, *Deum esse*, ex vi illius testimonij: sed per eumdem assensum vtrunque creditur, & *Deum esse*, & ipsum dicere, *se esse*; quia tanta est Diuina authoritas, taliquè modo proponitur; vt totum id, testimonio suo, faciat creditu dignissimum, certissima fide. Ità Suar. ferè ad verbum.

Exod.

D. Io.

Suar.

12. Item; nõ solùm est de fide, *Deum esse*; sed etiam, illum esse ens simpliciter necessarium. Hoc enim sibi volunt illa verba, *Ego sum, qui sum*, Et illa, *qui est*; permanentiam, scilicet, necessariam, & immutabilitatem Diuini esse; ex Nazian. orat. 24. quæ est secunda in Paschat. Aug. lib. de vera Relig. c. 49. Isid. lib. 7. Ethim. cap. 1. Hilar. 1. de Trinit. & alijs.

Secunda conclusio. Nazian. August. Isidor. Hilar.

13. Itèm; etiam secundum fidem tenendum est, Deum habere ex se ipso existentiam, & non ab alio receptam: Ex sacra etenim scriptura habemus, illum esse Deum, qui nullius indiget ope; Imò omnia, de Thesauro diuitiarum suarũ abyssali, & inexhausto, expectare, benedictionibus adimpleri; quod si ab alio esse mẽdicaret, non ipse *Deus* esset; sed potiùs ille, qui Deo posset *esse* tribuere; nisi processum in infinitum in huiusmodi, siuè causis, siuè principijs, assignare velimus; licet non repugnet Deo; (quatenus, pro aliqua persona Diuina, ly *Deus*, supponit, præcisè) accipere esse, sibi ab alio communicatum: repugnaret tamẽn *Deo*, quatenùs supponit, pro indiuiduo Deitatis: Sed de hoc in quodlibetis de Trinitate latius.

3. Conclusio.

§. IV.

14 PRæterea dicimus; non solum præfatis modis, nos posse de esse Dei notitiam habere; sed qui sapientiores sunt, hanc eandem veritatem demóstratiuè possunt cognoscere; & hoc negare; licet

4. Conclusio.

licet non sit formaliter contrà fidem; est tamen temerarium,& erroneum; ità expresse D.Thom.1.con.gentes cap. 11. & 12.& eum eo communitèr omnes Diu. Thom.expositores; præsertim noster Putean.prima pat.q.2.ar.3.concl.prima. Quod dictum tres partes complectitur; quarum prima est, *Deum esse*, Demõstrari posse. Secunda,quod hoc negare,non sit immediatè contrà fidem.Tertia;quod temeritati,& errori tribuitur. Primam, partem diffuse probat Molina super ar.3. & cæteri commentatores.Imò D.Thom. ibi adducit quinque demonstrationes huius veritatis.

1.Demõstratio . quod Deus sit, ex D.Thom. 15. Primam desumit à motu ex Arist. 7.Phis.à tex.1.vsque ad 9.& 8.phis. à tex. 22.vsque ad 25. Nil enim mouet se ipsũ; sed omne, quod mouetur,ab alio mouetur; nàm, quod mouet, in quantum mouet, est in actu: quod autem mouetur, in quantum mouetur, est in potentia; cumque idem, respectu eiusdem, non possit esse in actu,& in potentia, simùl & semèl;ergo necesse est,quod omne,quod mouetur,ab alio moueatur; in mouentibus autem non potest dari processus in infinitum;Vndè colligitur, daudum esse ptimum monens,quod est Deus,reliqua monens,manens immotum.

2.Demõstratio. 16. Secundam Demõstrationem desumit D.Thom.ex doct.eiusdem Arist.2. met.tex.6.vbi probat, deueniendum esse ad primam causam efficientem; ex eo, quod causa media nõ potest quicquam facere,nisi moueatur,& dependeat à prima: atque adeò,prima sublata,non essēt aliæ mediæ;& sic nil posset fieri in rerum natura.

3 Demõstratio. 17. Tertiam desumit ex contingētia, seu necessitate rerum, secundùm earum esse; cum enim quodlibet creaturn non necessario sit, sed taliter sit, vt potuerit non esse,sequitur, quod aliquando non fuerit: quod si nihil tunc fuisset; nec modo aliquod creatum esset; quod enim aliquando non est, non potest incipere esse,nisi per aliquid,quod erat tunc,quãdo id nõ erat,quod modo est;ergò oportet,dari aliquod ens,quod necessariò sit, vt nunquam non fuerit, nec inceperit esse,sed habeat suum esse,per se,non habēs causam;sed potius, quod sit omniũ aliorum *esse*,causa prima.

4.Demõstratio. 18. Quartam Demonstrationem desumit ex gradibus rerum; Cùm enim inueniatur in rebus aliquod magis, & minus bonum,& verum,& nobile, &c. debet necessariò dari aliquod maximè bonum,maximè verũ, maximè nobile, &c. nam magis, & minus dicuntur de diuersis, secundum quod appropinquant diuersimodè ad aliquid,quod maximè tale est: Sed,quod maximè bonum,& verum est,est maximè,ens, (cum,ens,bonum, & verum conuertantur;) ergo dandum est tale maximè ens. Sed quod dicitur maxime tale, in aliquo genere, est causa omnium, quæ sunt illius generis: ergo aliquid est, quod omnibus entibus est causa, *esse*, *bonitatis*, & cuiuslibet perfectionis: tale est Deus.

19. Vltimam desumit S. Doctor ex gubernatione rerum: Corpora enim naturalia,quæ cognitione carēt, operantur propter finem,cum semper, vel frequentius,eodem modo operentur, vt consequantur id,quod est optimum; & sic,non à casu: sed ex intentione, dicuntur ad finem peruenire: Cumquè non habeant cognitionem; necesse est, dirigantur ad talem finem ab alio intelligente illum; sicut sagitta est à sagittante; Ergò est aliquid intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem: hoc autem Deus est. 5.Demõstratio.

§. V.

20 Sed circa has demonstrationes D. Thom. nonnulla congerunt Recētiores; eas tamen declarat Nazar. contr. 2.Sed quicquid sit de cõtrouersijs, ac difficultatibus, à Doctoribus, circa illas motis; & quicquid sit de alijs Demõstrationibus,quas eiusdem veritatis adducũt Suar.Vasq.& alij Recentiores.

21. Mihi videtur dicendum, Omnes, & quascunque huiusmodi demonstrationes non ostendere directè, Deum esse, sed indirectè, & per accidens; nec aliter posse hanc veritatem demonstrari. Hoc dictum est contrà Thomistas, & expressè,contrà Nazat.loc. cit. & præsertim, contra três primas propositione; licèt quarta propositio ipsius, nostræ faueat sententiæ;in qua asserit sic. *Prædictæ rationes, siuè simul omnes, siue singulæ sumãtur,possēt dici,probare indirectè, & quasi per accidēs, Deum esse, in hoc sensu: quia non probant,Deum, sub ratione Deitatis, quæ omnem omninò perfectionem continet. Sed,hoc modo, nulla potest inueniri demõstratio,quæ diuinam concludat existentiam, pro-* Iudicium de his demonstrationibus.

 per

pter rationem assignatam in tertio Notabili, &c.

Probatur ex Aegid. & Gerar. 22. Est tamen dictum nostrum expressum nostri fundatissimi Doctoris Aegid. d. 3. q. 1. ar. 1. & nostri pariter Gerardi Senensis d. 3. q. 2. ar. 4. Docet Aegid. quod duplici de causa non potest directè demonstrari *esse* de Deo; Primo, quia *esse Dei*, est per se notum (prout nos infra ex eodem Aegid. probabimus.) Secundo, quia *esse Dei* est idem, quod sua substantia: substantiæ autem non est demonstratio: ex 2. post. ideò, si aliquæ demonstrationes videanrur demonstrare, *Deum esse*; illas, inquit, non demonstrare *esse* de Deo; sed declarare, quid importetur per hoc nomen, *Deus*. (Arist.)

Notandum, cum Gerar. 23. Pro qua doctrina Aegidiana; Notandum est cum Gerar. cit. quod demõstrare, vel declarare; quid importetur per hoc nomen, *Deus*, potest intelligi dupliciter; vno modo *directè*: & hic modus est impossibilis: *quid nominis* enim supponitur in omni quæstione, per se notum esse; & sic non potest demonstrari; alio modo *indirectè*; itaut, demonstratio cadat super alterum, ad cuius cognitionem sequitur cognitio *quid nominis* de Deo; Et iste modus est verus; Et ita ostendit Gerardus, huiusmodi esse omnes Demõstrationes, à Doctoribus adductas, ad probandum, *Deum esse*; quod facilius apparebit, accipiendo Demonstrationẽ potissimam Arist. 8. phis. ad probandum, esse vnum primum mototem; quæ est prima in ordine, ex adductis à D. Thom. nempè: ***quia in mouentibus non datur processus in infinitum; ideò deueniendum, necesse est, ad primum aliquem motorẽ, omninò immobilem.*** Ex hac demonstratione habemus, quid importetur pet hoc nomen, *Deus*? quod importatur quoddam mouens primum, omninò immobile; Quæ demonstratio, licet videatur demonstrare, *Deum esse quoddam ens primum, & immobile*; non tamen demonstrat; cum suum esse, ac sua primitas, & immobilitas idem sit, quod suum esse; sed demonstrat aliquid alterũ, ad quod sequitur cognitio horum prædicatorum; & ex inde, cognitio quid nominis de Deo. (Arist.)

24. Quod si à Gerardo quæras, super quod cadit prædicta demonstratio? Respondet, cadere super ordinem mobiliũ, & mouentinm, terminatum ad vnũ primum; Nàm ad litteram demonstrat ibi Arist. quod ordo mouentium, & mobiliũ non potest ire in infinitum; sed necessariò habet terminum, & statum; & quia non potest habere statum, nisi in aliquo primo motore immobili; idcircò, statim ad hoc sequitur cognitio primitatis, & immobilitatis Dei; & sic scimus, quid per hoc nomen, *Deus*, importatur? ens, scilicet, primum, & immobile.

25. Et hoc eodẽ modo philosophandum est de omnibus alijs Demonstrationibus, quibus ostenditur, *Deum esse*. ita de ordine causarum, qui necessario ad primam causam terminatur: quod in secunda demonstratione assumitur. Ita pariter id, quod in tertia demonstratione dicitur, de habentibus esse creatum, & nõ necessarium; quæ taliter habent esse, vt potuerint illo carere; & ex consequenti, aliquando nõ habuerint illud; Vndè colligi videtur, necessariò, deueniendum ad aliquod ens, quod nunquam non fuerit, &c. Ita de gradibus rerum, in quibus necessario deueniẽdum est ad aliquod maximè ens, maximè bonum, &c. Et tàdem itidem de entibus naturalibus, quæ cognitione carent, & tamen propter finem operantur; &c. vt ponderanti singulas rationes, facilè patebit.

§. VI.

26 Et certè hoc facilè cõcederet Nazar. siquidè ipse Not. vltimò sic ait: *Sciendum est in præsenti materia; scilicet, de Deo, has duas quæstiones; scilicèt, An est, & quid est; licèt formaliter distinguantur; coincidere tamen materialiter; nàm non potest directè, & per se probari, Deum esse; nisi probando, esse in rerum natura ens perfectissimum, cui omnes omninò perfectiones conueniant. Id verò, vnico discursu præstari nequit; Nàm postquàm probauerimus, dari primum motorem immobilẽ, motu phisico; oportet adhuc probare, eũ esse immobilem, motu metaphisico, etc.* quibus verbis, iam annuit, Demõstrationes adductas non posse directè quæstioni satisfacere, & per se; bene tamen indirectè, & per accidens. Nazar.

27. Quod si Nazar. velit, Ideò illas demonstrationes dici directè ostendere, *Deum esse*; quia, in præsenti vita, alia Demonstratio nequit haberi, quæ directè, & immediatè, esse Dei demonstret; Et cùm Nazar.

cùm propositæ Demonstrationes sint, quæ in hac vita possint haberi potissimæ ad hanc veritatem demonstrandam; & si aliàs indirectè demonstrent: dici tamèn demonstrare directè. Hoc parùm ad nos; sufficit, quod, in rigore sermonis loquendo, verè, & propriè directè non demonstrent, *Deum esse*; & forsàn hoc posset colligi ex Nazar. qui in propositione prima, sic ait: *Rationes D. Thomæ, simùl sumptæ, probant per se, & directè, Deum esse*: Hoc probat sic: *Quoniam, Deum esse, non possumus per se, & directè cognoscere, nisi ex prædicatis illi proprijs, ex creaturis deductis: prædictæ rationes sunt huiusmodi: ergo.* probat mai. *Nam Deum, in præsenti vita, non possumus cognoscere, secundùm quod in se est; sed tantùm, secundùm ea prædicata, quæ ex creaturis, à posteriori, cõcludimus: Si itaque, in præsenti vita, aliquo modo potest probari, per se, & directè, Deum esse, non potest probari; nisi, concludendo, in rerum natura inueniri tale ens, cui conueniant prædicata, quæ soli illi propria sunt, quæ Deum dicimus, &c.* quibus verbis, *quicquid sit de ratiocinatione*, quis non videat, Nazar. affirmare; ideò illas demõstrationes dici, directè, cõcludere, *Deum esse*; quia, pro hac vita, non possunt aliæ excogitari directiores: & sic, si aliqua demonstratio dici potest, quod, directè, hanc veritatem, aliquo modo, ostendat, pro hac vita, huiusmodi esse demonstrationes à D. Thom. assignatas; quare non audet, illas dicere, simplicitèr, & absolutè, directè probare, *Deum esse*; sed sub cõditione, & aliquo modo, pro hac vita, intrà limites possibilitatis intellectus viatoris.

28. Itaque habemus primam partem illius dicti in num. 14. probatam paritèr, ac declaratam; nimirum; *Deum esse*, posse, demonstratione naturali, ostendi: non tamèn, quæ directè, *Deum esse*, cõcludat; sed indirectè, modo explicato.

2. Part. 4. cõclusionis probatur. 29. Secundum, quod dicebatur in eodem dicto num. 14. erat, *quod negare; posse, Deum esse, demonstrari, non est directè contrà fidem*: Probat noster Puteanus (Putean.) prima par. q. 3. ar. 3. quia nulla extat de hac re Ecclesiæ aperta diffinitio; nulla item traditio; nullus denique Sacræ Scripturæ locus, in quo euidentèr tradatur, *Deum esse*, posse demonstrari; imò non potest colligi, ex vllo loco scripturæ, ineuidenti, & necessaria consequutione, quod, *Deum esse*, demonstrari possit; ergo oppositum istius propositionis, *existentia Dei demonstrari potest*, nõ est hæresis manifesta.

30. Præterea: licèt Sancti Patres doceant, conformitèr sacris litteris; Deum intelligi per creaturas; & item, sciri; non tamèn propter ea colligere licet, hæresim esse, id negare: nam cum istis rectè cohæret, vt Deus à nobis cognoscatur à posteriori lumine naturæ; iuxtà superius dicta: imò, in nostra sententia infrà probanda; cum Sancti Patres dicunt, *inditam esse nobis Dei notitiam*, &c. optimè intelliguntur, & exponuntur, fatendo, hanc veritatem esse per se nobis notam.

31. Tertium, quod dicebatur in eodẽ dicto; scilicèt, quod negare, posse demõstrari, *Deum esse*, sit temerarium, & erroneum: probant omnia Sacræ Scripturæ, & Sãctorum Patrum testimonia, quæ adduci solent hoc loco à Vasq. Suar. Val. Molina, Puteano, Bannes, Medina, ac reliquis: illos consulite. 3. Pars prob.

CAPVT II.

De propositione per se nota; quænam illa dicatur? adducitur sententia D. Tho.

§. I.

1 NOn est concors Scholasticorum sententia, in assignãdo conditiones propositionis per se notæ; nec nos habere poterimus huius disputationis; quam quærimus: *An Deum esse, sit per se nobis notum?* resolutionem; ni prius examinemus conditiones, & requisita, per se notæ propositionis; cognita autẽ natura propositionis per se notæ, illico erit quæstio enodata.

2. Prima ergò, & famosior in hac re sententia est D. Thom. & ferè omnium Recẽtiorum ar. 1. q. 2. qui, in primis, præmittit distinctionem propositionis per se notæ; dicens, aliam esse per se notam, secundùm se tantùm; aliam verò per se notam, secundùm se, & quòad nos. Eam autem, quæ, hoc posteriori modo, per se nota dicitur; adhùc diuidendam, in per se Sententia D. Thom.

H 2 no-

notam, quoad nos omnes, & in per se notam, quoad sapientes tantum. Quam suam sententiam declarat, ac simul sic probat: Ex hoc aliqua propositio est per se nota, in communi, & vt sic; quod prædicatum includitur in ratione subiecti; ergò propositio per se nota, secùdùm se, & quo ad nos, est illa, cuius prædicatū est in ratione subiecti, & nobis notum est, quid sit prædicatum, & quid subiectū. Per se nota, verò, secundum se, tantùm, ea est, cuius prædicatum est in ratione subiecti; sed rationes subiecti, & prædicati non latent. Et ex eodem principio sequitur, eam esse propositionem per se notam, secundum se, & quo ad sapiètes, cuius prædicatum est in ratione subiecti; & rationes terminorum clarè sapientibus innotescunt, non verò insipientibus.

§. II.

A fuertentia Caie. & alio- rum.

3 Circa quam doctrinam aduertunt Caiet. & Ferrar. D. Thom. noluisse, per eam diffinire propositionem per se notam; nèc propriam, & adæquatam eius causam assignare; sed bene, veram; nèc enim ad conuertentiam dici potest; quod, sicut omnis propositio, cuius prædicatum est de ratione subiecti, est propositio per se nota; ità omnis propositio per se nota debeat huiusmodi esse; scilicet, ità vt prædicatum sit de ratione subiecti: nam etiam, inquiunt, propositio illa, in qua, prima passio de diffinitione primi, & adæquati subiecti, prædicatur, est propositio medio vacans, & prima; & ex consequenti, per se nota: & tamèn hac conditione caret, vt patet.

4. Vel, ad saluandam D. Tho. mentem (asserunt) dici potest, illum nō fuisse loquutum de inclusione, præcisè formali, prædicati in subiecto; sed intelligēdum esse, siue de inclusione formali; siue virtuali; siue proxima; siue remota; qua interpretatione, nō videtur excludi propositio, in qua prima passio de Diffinitione subiecti prædicatur, quæ est de ratione ipsius; & si non proximè, & formalitèr, saltèm virtualitèr, & remotè.

Occurritur obiectioni.

5. Et quia quis etiam adducere posset, contrà hanc D. Thomæ sententiam, multas propositiones per se notas, ex Mathematicis, in quibus prædicata non videntur, aliquo horum modorum, esse de intrinseca ratione subiectorum; vt, *Totum est maius sua parte*. *A quolibet puncto in quemlibet punctum possumus lineam ducere*, Tum etiam ex Philosophia naturali; vt *Motum esse: Naturam esse, &c.*

6. Ad hęc respondet Ruuius 1. post. cap. 2. q. 2. nu. 17. & 18. dupliciter distinguendo prędicatum intrinsecum, primo, *in Recto, aut in obliquo*; Secundò, *secundum esse, aut secundum causalitatem*. In recto, nulla pars est prædicatum intrinsecum, respectu totius; quamuis, secundū esse; certè, pars est intrinseca toti: sed in obliquo, intrinsecum quid est: Et hoc modo est propositio per se nota, *Totum est maius sua parte*. Ruu.

7. Præterea, effectus per se, atque immediatus nō est intrinsecus causæ, sed intrinsecus est ordo causalitatis inter causam proximam, & per se, atque eius effectum; & ex consequenti, effectus ipse, quodammodo est prædicatum intrinsecum, respectu causæ, ratione eiusdem ordinis intrinseci. Ait ergò Ruu. quod, cum D. Thom. asserit (illam esse propositionem per se notam, cuius prædicatum est intrinsecum subiecto) quacunque ratione intrinsecum esse debere; intelligere: hoc est; aut secundum esse; aut secundum ordinem intrinsecum proximę causalitatis. Vult enim Ruuius, D. Thom. illis verbis diffinijsse propositionem per se notam.

§. III.

8 Haec est D. Thom. sententia, quæ ita explicata à Thomistis, satis plausibilis est apud illos; quia certè probabilitate non caret. Cæterum Scoto in primo, dist. 2. q. 2. §. *quoniam secundum*, non placet, præsertim, distinctio illa propositionis per se notæ, secūdum se; & per se notæ nobis. Senrit enim Scot. absolutè, eam dici propositionem per se notā, quę à quocunque intellectu, perfectè cognitis terminis, per se vera iudicatur. Sententia Scoti.

9. Ast Molina q. 2. ar. 1. videtur, voluisse hos duos Doctores conciliare, dicens; quod, si sermo sit de propositionibus, quoad sua significata; vt tamen propositionibus ipsis significantur; tunc certè, locum non habere, eam diuisionem D. Thom. quoniam, quandò extrema cōcipiuntur, & significantur confusè; atque adeo, insufficientèr, vt ex terminis intelligatur prædicatum cōueniti subiecto; res, qua ratione ità significatur, atq; vt obiectum est talis propositionis mentalis, aut vocalis, neque secundùm se, neque nobis est per se nota: quandò verò extrema Explicatio Molin.

con-

concipiuntur,& significantur, ità distinctè, vt ex terminis necessaria connexio prædicati cum subiecto perspiciatur;res, quà ratione ità significatur, atque est obiectum talis propositionis mentalis, aut vocalis,est per se nota in se, atque etiam nobis.Quarè,cum in rebus, secundùm se,nulla sit propositio, sed solum, vt apprehenduntur ab intellectu; aut vt significantur,his,vel illis vocibus, vel scriptis;fit,vt,propriè loquendo, nulla propositio sit dicenda per se nota, secũdùm se, quæ non sit etiam per se nota nobis. Et sic optimè Scot.longe,namque,diuersa propositio est,qua extrema concipiũtur distinctè,& sufficientèr; vt, ex terminis, prædicatum conspiciatur conuenire subiecto;ab ea,qua, non ità id cõcipitur. Esto res,quæ vtraque propositione significatur,eadem prorsus sit. Quia ergo D. Thom. loquutus est de propositione per se nota,quo ad rem significatam, tãtum; & nõ,vt his, vel illis terminis significatur; aut his,vel illis conceptibus apprehenditur;verissimè dixit, dari propositionem per se nota m,secundùm se,& non nob s; licèt,minus propriè loquutus sit. Neque, in hoc sensu, id negat Scot. imò nec negare id potest.Hæc Molina, quasi ad verbum,cui doctrinæ videntur etiam fauere Vasq.disp.19.Greg.q.prima.ar.1. Gab.q. 4.ar.1.Okam.q. 4. Basolis q. 2. & alij innumeri. Vasq. Greg. Ochã, Basol.

§. IV.

10 Sed hanc conciliationem ægre fert Nazar.contr. prima super ar. primum , qui pro defensione exactissimæ doctrinæ D.Thom.multa congerit; Illis tamen omissis,non videtur Nazar.dissentire à Molina (quicquid ipse , pluribus verbis,asserat contrà Molinam:) Nàm respondens Nazar. ad primum Molinæ, ab ipso in ordine posito, quo Molina D.Thom.nitibatur ducere, ad asserendũ, ipsum non loqui de ipsa propositione, præcisè, & formalitèr, qua propositio est;cùm extrà intellectum, eiusq; apprehensionem non detur propositio; sed loqui de re significata per propositionem ipsam; Et in hoc sensu, verum esse,dari propositionem per se notam, quo ad se tantùm,& non nobis: hanc tamen locutionem D. Thom.minus propriam esse. Contendens ergo Nazar.D.Thom.non fuisse impropriè loquutum,in tertia responsione ad dictum argumentũ, ita ait: Impugnatur à Nazar.

Tertio dico,quod, loqui de propositione, quo ad id,quod est principale in ipsa; scilicèt,quo ad rem significatam;non est loqui de ea minus propriè;cum præsertim tota notitia propositionis referenda omninò sit ad rem significatam, per propositionem.Nam propositio,neque quo ad terminos,neque quo ad cõceptus dicitur esse nota; siuè secundùm se,siue nobis;nisi,ratione rei,per conceptus representata.Non enim formãtur conceptus,& voces , nisi proptèr rei notitiam habendam: res ergò est illa,quę per se primò dicitur esse nota , vel secũdum se,vel nobis. Ita Nazar. Ex quib is verbis colligere licèt; tantum controue ti inter hos Doctores: Vtrùm sit propria, vel impropria loqu tio, asserere, dari propositionem per se notam; secundum se rãtùm ; & dari per se notam etiam nobis? De quo parùm ad nos; quibus sufficit;quod,si loquamur de ipsis rebus, per propositionem significatis; non est dubium,dari aliquas per se notas natura; alias verò per se notas nobis. Ex Arist.1. post.cap.2.& sæpissimè alibi ait;Aliqua esse notiora natura, vt substantiam; aliqua notiora nobis, vt accidentia sensibilia. Cæterum,si sermo sit de ipsis verbis, prout significatis vi alicuius propositionis,placet discursus Molinæ. Arist.

11. Huius autem ratio præcipua esse potest.Quia propositio per se nota illa dicitur,quæ,ex proprijs conceptibus, à quocunque intellectu formatis, talis est; ergò omnis propositio per se nota,nobis etiam erit per se nota. Antecedens probatur;quia,vel formamus proprios conceptus eius;vel alios diuersos;si proprios; nobis erit per se nota;si diuersos; nõ erit eadem propositio,sed alia diuersa ; ergò propositio per se nota,ex se, cuiliber intellectui erit per se nota;vel saltèm sapientibus,quod sufficit. Approbatur discursus Molinæ.

12. Prætereà, ex Gerardo nostro Senensi quæritur: quomodò intelligãt Thomistæ,propositionem esse per se notam in se? (& loquor de propositione , formalitèr sumpta :) nàm vel intelligunt,illam esse per se notam in se ; quia est per se cognoscibilis ab aliquo intellectu ex nostris;& habeo intentum; vel esse per se notam intellectibus Angelorum : (nulla enim ratione poterit dici nota , nisi per ordinem ad aliquem intellectum cognoscentem.) Quod si hoc secundum dicatur, Obiectio ex Gerard.

tur,est contrà D. Thom. pront vidimus, quodl.1.disp.prima, cap.3.num.3. Ang. enim non intelligit discurrendo, neque componendo,& diuidendo; sed simplici intuitu,& apprehensione.

§. V.

Solutio Nazarij.

13 Respondet ad hoc Nazar.aliud esse per se notũ,quo ad nos; idest, secundum aliquem ordinem ad nostrum intellectum;quatenus,scilicèt, potest a nobis cognosci; & hoc verissimũ est; Sed tamen hoc non facit,omnem propositionem per se notam, secundum se,esse etiã per se notam nobis; sed tantùm dici, esse per se notam secundum se; connotando ordinem intelligibilitatis ad intellectum nostrum; siuè possit ab eo intelligi immediatè,siuè per medium terminum,notiorem,qno ad nos. Aliud est,esse per se notum,quo ad nos; idest, non per mediũ aliquem terminum nobis notiorem; in quo sensu,falsò dicitur,quod omnis propositio per se nota;secũdum se, sit etiam per se nota,quoad nos.

Non placet.

14. Sed certè debile videtur hoc effugium; nàm si aliqua propositio esset per se nota,secundùm se,ex eo, quia dicit ordinem ad nostrum intellectum; quatenùs,scilicèt, potest à nobis cognosci; &, cum hoc, non omnis huiusmodi propositio per se nota, secundùm se, esset per se nota nobis; sed tantum diceretur per se nota,secundùm sè, connotando ordinem intelligibilitatis ad intellectum nostrũ; siue possit ab eo immediatè cognosci;siue mediatè;peto;illa propositio per se nota,secundùm se, quæ non posset immediatè à nobis cognosci,quo pacto dici posset per se nota? & respectu cuius intellectus esset per se nota? si, præciso intellectu nostro,eam formante, nullus alius intellectus est, cui possit esse per se nota immediatè? formalitèr loquendo.

Quid tãdem de doctrina Thomistarũ sentiendum.

15. Quare cõcludimus, quod si Thomistæ loquantur de ipsis rebus, per propositionem significatis,verè asserunt:dãtur enim quædam, quæ secundum se, & natura sua,notissima sunt;itaut ly, *notissima*, dicat ordinem intelligibilitatis ad intellectum perfectissimum, respectu cuius possint esse obiectum proportionatum;vt Diuina essentia, natura sua, summè intelligibilis est;&,vt sic,summo modo intelligitur ab ipso intellectu Diuino; non tamèn ab humano,qui nequit,ex se, aciem in tantum figere lumen; quemadmodum,in sensibilibus,dicimus,dari aliquod,ex se,& sui natura, visibile,quod est Sol; cum tamen non omnibus datum sit oculis,Solem intueri:sed Aquilæ(vt aiũt) dũtaxat;quod prouenit ex imperfectione nostræ potentiæ visiuæ, eiusque debilitate: Et quemadmodum dantur etiam quædam visibilia, secundùm se,suaq; natura,& etiam quoad nos; vt lumen medium,color,&c.Item quædam dantur intelligibilia,secundùm sè, eorumque natura;& etiam quoad nos;vt, quod Homo sit animal rationale;&c. Cæterum, si de ipsa propositione,formalitèr loquendo, sit sermo,non facit illa diuisio.

Quid in sententia D. Th. vltimò considerandum.

16. Esset etiam in hac sententia Diu. Thom.ponderandum id, quod ait; *quod ad hoc, vt propositio per se nota, secundum se, sit per se nota nobis, requiritur, quod cognoscamus, quid nàm sit subiectum; & quid prædicatum illius?* quæ verba, si velint, esse necessariam notitiã horum terminorũ, quoad *quid rei*, (prout velle videntur) non probo: nàm inde sequeretur, nũllam scientiam procedere ex principijs per se notis; cum nulla sciẽtia supponat de suo subiecto, quid rei: hoc enim inquirit: sed tantum supponit, quid nominis; ergo sufficit, ad propositionem per se notam nobis, notitia terminorum, solum, quoad quid nominis. Sed de hoc infrà redibit sermo.

CAPVT III.

Quid sẽtiat Aegidius de Propositione per se nota, & tãquàm probabilior eius sẽtentia explicatur.

§. I.

Aegid.sent.

1 Illustrissimus Cardinalis Columna noster fundamẽtalis Doctor in primo, dist.3. q. 2. §. *Notandum autem*, videtur in te hac rationabilius loqui, dùm docet, ad propositionem per se notam, Primo requiri, quod prædicatum sit de ratione subiecti; ex Arist.primo post.dicente, quod *principia cognoscimus, cum terminos cognoscimus*. Secundò, quod directè negari non possit; ex eodem Arist.4.met.t.cap.16.cõtrà Heraclitum, negantem quoddã principium. Addit tamen, quod non incõuenit,

Arist.

nit, posse aliquando negari indirectè; id autem, quando non plenè intelligitur vocum significatio. Vndè est, quod veritas propositionis per se notæ adeo manifesta esse debet, vt quilibet statim iudicet, esse verum, si intelligat, quid significet; sicut docuit Boet. *de Hebdomatibus*, in lib. *An omne, quod est, sit bonum?* circa principium illius.

Boet.

Aegid. Alb. Argent.

2. His addit Aegid. cum Albert. prima par. summæ, q. 17. 2. par. quæstionis, & Argent. in primo, q. prima, art. 3. & alij; eam propositionem esse per se notam, non quidem omnibus, sed dumtaxàt sapientibus, & sanæ mentis, qui percipiant vocũ significatum: nàm (vt docet Boet. loco citato) communis animi conceptus dupliciter potest esse per se notus: Primo, omnibus, absque vllo discrimine; vt; *Omne totum esse maius sua parte, &c.* Secundo, tantùm sapientibus, vt, *quod incorporalia circumscriptiuè in loco non sint.* Hæc est sententia Aegid.

Boet.

§. II.

Not. Gerard.

3 SED, pro eius maiori dilucidatione, notat, & optimè, noster Gerardus Senensis dist. 3. q. 2. ar. 3. quod datur duplex propositio per se nota: prima, cuius notitia per sensum accipitur: secunda, cuius notitia immediatè desumitur, ex ipsa significatione terminorum. Prima propositio potest vtique demonstrari; nõ ex ea parte, qua euidentiam habet à sensu: nàm, vt sic, non indiget medio; cum per sensum sufficienter innotescat: sed quia non caret medio demõstratiuo, quo potest per intellectum discurrentem demonstrari; quem modum tangit Arist. in prol. meth. & secundo post. Hinc scientiæ subalternæ, licèt vtantur principijs, quæ in scientia subalternante probantur, & demonstrantur; (vt alibi dictũ est, quodl. primo) nihilominus tamen, adhùc dicitur procedere ex principijs per se notis. Secunda verò propositio per se nota, tangitur ab eodem Arist. 1. post. dũ ait; quod *Principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus.* Et hæc propositio nõ est demonstrabilis; nec eius notitia per aliquod aliud medium desumenda est; sed per se, ex terminis tantum: quod intelligimus de demonstratione à priori, & propter quid: non enim incõuenit propositionem per se notam, posse à posteriori, & per effectum demonstrari; vt *Homo est animal rationale*: licet non possit

Duplex propositio per se nota.

Arist.

Arist.

à priori demonstrari: poterit tamen vtique, à posteriori, per illud medium, *Homo est risibilis.*

4. Secũdò Not. quod quando Aegid. ait, illam esse propositionem per se notam, in qua prędicatum est de ratione subiecti; non est intelligendus ità rigorosè, sed eo modo, quo etiam Discipuli Diu. Thom. docent, ipsum S. Doct. intellexisse, quando inquit, eam esse propositionem per se notam, cuius prędicatum includitur in ratione intrinseca subiecti; scilicèt, vel formalitèr, vel virtualitèr; vel mediatè, vel immediatè: vel proximè, vel remotè. Et secundum hanc intelligentiam, non excluditur à ratione propositionis per se notæ, illa, in qua prima passio prędicatur de suo primo, & immediato subiecto. Nec excluduntur propositiones per se notæ negatiuè; Arist. enim primo post. cap. 3. diuidit propositionem per se notam, in per se notam positiuè, cuius prædicatum positiuum, sine medio demonstratiuo, conuenit subiecto; vt, *Homo est animal rationale*: Et, in per se notam negatiuè, cuius prædicatum negatiuum, sine medio, conuenit subiecto; cuiusmodi sunt propositiones, in quibus vnum prædicatum negatur de altero; vt, *Substantia non est quantitas*, &c. non tamèn illæ, in quibus particulare genus vnius prędicamenti; aut vna species negatur de alia; vel de supremo genere alterius prędicamenti; vt, *Albedo non est quantitas: Linea non est color; Habitus non est numerus, &c.* quia istæ possunt demõstrari per supremum genus alterius prędicamẽti negatum; vt, *Albedo non est quantitas; quia est Qualitas; & qualitas non est Quantitas*: *Linea non est color, quia non est qualitas, &c.* Huiusmodi ergò propositiones per se notæ negatiuè, (quando scilicet vnum genus negatur de altero,) sunt etiã propositiones essentiales; & si nõ immediatè, & proximè; mediatè tamen, virtualitèr, & remotè.

2. Notatio Aegid.

Arist.

5. Tertio Not. non displicere illam distinctionem, qua vtitur Ruuius loc. cit. num. 17. prędicati intrinseci; nimirum, vel *in recto*, vel *in obliquo*. Vel *secundum esse*; vel *secundùm causalitatem*; vt exponat, quo pacto illę propositiones sint per se notę, scilicèt, *Omne totum est maius sua parte, & huiusmodi*, prout nos suprà retulimus cap. præced. num. 5. 6. 7. quæ distinctio potest etiam à nobis applicari ad maiorem declarationem illius primæ conditionis, ab Aegidio positæ.

3. Notatio Ruu.

Quat-

Notatio Aegid.

6. Quarto Not. quod id, quod additur ab Aegid. sup. num. 2. nimirum, (dari propositiones per se notas omnibus; & alias per se notas tantùm sapientibus:) habet fundamentum apud eumdē Arist. primo post. cap. illo secundo, vbi diuidēs propositionem per se notam, in *Dignitatem, & Positionem*: Dignitatem, vocat, vniuersalissimā, quæ vix ingreditur scientiam, vel Demonstrationem: vt, *Quodlibet est, vel non est*; *Totum est maius sua parte, &c.* Quam, ideò, dixit, necessario debere cognosci ab his, qui aliquam sciētiam addiscere incipiunt. Positionem verò, vocat illam propositionem per se notam, quæ non est vniuersalis, nec debet eam agnoscere, qui aliquam scientiā addiscere vult: sed est particularis, & propria alicuius scientiæ, ex qua fiūt demostrationes in ea, & quæ in ipsamet scientia traditur; & tales sunt omnes diffinitiones, & omnia principia propria particularium sciētiarum. Propositiones illæ per se notæ, quas Arist. vocat *Dignitates*; sunt omnibus per se notæ: Illæ verò, quas vocat *Positiones*, sunt tantùm sapientibus per se notæ.

Arist.

Omnis propositio per se nota est talis saltem sapiētibus.

7. Ex quibus colligere licet, omnē propositionem per se notam, esse per se notam nobis; vel omnibus, vel ad minus sapientibus; Omnibus, vt *Dignitates*; Sapientibus, vt *Positiones*. Patet etiam ex dictis, quot sint conditiones propositionis per se notæ; quomodo prædicatum debeat esse de ratione subiecti; & quomodo propositio per se nota nō debeat demōstrari; scilicet, à priori, & ab eo, respectu cuius dicitur esse per se nota.

§. III.

Obiectio Vasq.

8 Sed contrà hanc sententiam insurgit Pater Vasq. disp. 19. cap. 4. nu. 13. nam, nec coniunctim, nec diuisim, conditiones assignatæ ab Aegidio sufficiunt, vt aliquid dicatur per se notum. Non seiunctim: Namque prima illa cōditio, scilicet, *Quod prædicatum sit de essentia subiecti*, non est satis; quia in hac propositione, *Angelus est incorporeus*, prædicatum est de essentia subiecti: & tamen nō est propositio per se nota, (vt patet ex varietate opinionum de corporeitate, vel incorporeitate Angelorum.) Secūda pariter, & tertia conditio, quę coincidūt, non faciunt propositionem per se notā: Nam, & propositio euidentèr demōstrata, statim ab omnibus iudicatur vera: nō tamen est per se nota. Item, si conditiones illæ sumantur coniunctim, nec sufficiunt ad propositionem per se notam: nam cōtingere potest, talem propositionem per discursum facilem probari.

Soluitur dupliciter prima solutio.

9. Sed Resp. primo, illas conditiones, coniunctim, esse accipiēdas; & ad id, quod contrà hoc obijcitur; Respondeo, illud non esse contrà nos: nam quando intellectus assentitur propositioni, per discursum probatæ, quatenus per discursū, præcisè, probata est, non dicitur illi assētiri, vt propositioni per se notæ; sed vt conclusioni, & si, euidenter notæ; vt cum intellectus assentitur huic propositioni, *Homo est animal rationale*, quatenùs illā à posteriori demonstrat; per aliam propositionem; nimirum, *Homo est risibilis*, &c. tunc certè non dicitur illi assensum præstare, vt per se notæ; sed vt demōstratæ. Nec inconueniens est (vt diximus) propositionem, aliàs per se notam, posse etiam à posteriori demonstrari. Ast cum illi assentitur immediatè, ex cognitione, dumtaxat, significationis terminorum; tunc proculdubio dicitur illi per se nota: Non autem esset per se nota propositio, si idemmet intellectus illam ostenderet à priori; hoc enim propositioni per se notæ repugnat.

2. Solutio.

10. Secūdo Respondeo sigillatim ad singulas partes argumenti, quibus omnes impugnat conditiones, ab Aegidio assignatas. Et primò, quādo contrà primam conditionem insurgit; quod in hac propositione; *Angelus est incorporeus*, prædicatum est de essentia subiecti; & tamen non est propositio per se nota; Dico, non esse per se notam omnibus; esse tamen per se notam Sapientibus; quod si aliqui illam negant, non directè, sed indirectè negant; ex eo, quia non plenè intelligunt terminorum significationem.

Vasq.

11. Quando verò contrà secundam, & tertiam conditionē arguit Vasq. quod propositio euidētèr demonstrata statim ab omnibus iudicatur vera: non tamen est per se nota: Dico, talem propositionem non per se notam, sed euidenter demonstratam, solum iudicari veram, & negari non posse, quoties demonstrationi coniuncta est: per se tamen, & seorsim acceptam, facile posse negari: vbi propositio per se nota, secundùm se sumpta, ex sola intelligentia significationis terminorum, semper videtur vera, & negari non potest.

Non

§. IV.

In quo modus dicendi Vasq. prob.

12 Non tamen displicet ipsiusmet Vasq. modus dicendi; nimirum, eam esse propositionem per se notam, cui, nō per aliam propositionem, sed per se ipsam, dumtaxat, intellectus præbet assensum; Eam autem dici non per se notā, licet nobis alias euidenter nota sit, cui, non per se ipsam, sed per aliam, per quā probatur, præbemus assensum: vt sunt conclusiones scientificæ, quæ, licet nobis euidentes sint, & negari non possint, supposita illarum euidentia; non tamen dicûtur esse per se notæ, cum per alias propositiones, & per prima principia nobis innotescant, non verò ex se ipsis præcisè, habita sola notitia significationis terminorum. Et licèt aliquando aliqua propositio, seu conclusio scientifica euidens videatur ex se ipsa, sola significatione terminorum attenta: non tamen ita est; cū nunquam à probatione separetur: sed quia facilis, & subitus est ille discursus, & probatio, quasi non videtur talis euidens conclusio per aliud probari.

Concordat Vasq. cum Aegidio.

13. Sic ergò intellecta, & explicata sententia Vasq. nōn displicet; imò non discrepat ab Aegid. Quid enim est dicere, illam esse propositionem per se notam, in qua prædicatum est de ratione subiecti, & negari non potest directè; quia vera iudicatur, ex sola notitia significationis terminorum; quemadmodum Aegidius docet; nisi dicere, illam esse propositionē per se notam, cui, per se ipsam dumtaxat, & non per aliam propositionem, intellectus præbet assensum, vt facile consideranti patebit?

Henr.

14. Ex his patet, quid sentiendum de sententia Henrici, qui videtur requirere notitiam terminorum, quo ad quid rei:

Scot. Gerard.

Sic etiam videtur sētire Scot. quos tamen optimè refert, & impugnat Gerardus noster Senensis, loc. sup. cit.

CAPVT IV.

Refertur sententia D. Thom. de propositione Deus est. An sit per se nota nobis?

§. I.

Sententia D. Thom.

1 Angelicus Doctor, consequentèr ad ea, quæ docuit de propositione per se nota, ait, *Deum esse*, non esse propositionem per se nobis notam: siue Sapientes, siuè insipientes simus; benè verum, esse per se notam, secundùm se: ità ar. 2. & q. 12. de verit. ar. 1. & lib. 1. con. Gent. cap. 12. quem omnes eius Discipuli sequuntur, Caiet. Ban. Valen. Molin. Zum. & Vasq. ibi. Suar. lib. 1. de Deo, nu. 9. Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 3. concl. 3. & tādem Pater Puteanus noster super illum art. 2. dubit. 2. concl. prima. quam sententiam multifariam suadent Thomistæ. Caiet. Ban. Val. Molin. Zumel Vasq. Suar. Putean.

2 Et primò Puteanus illam probat authoritate S. P. August. 11. de Ciuit. c. 4. vbi hęc habet: *Visibilium omnium maximus est mundus: Inuisibilium omnium maximus est Deus; sed Mundum esse, conspicimus: Deum verò esse, credimus.* Ergò D. Aug. vult, hanc propositionem *Deus est* nō esse per se nobis notam; sed tantum fide creditam.

3 Secundò probat authoritate D. Greg. lib. 27. moral. c. 3. ad illud Iob 36. *Omnes homines vident Deum; vnusquisque intuetur procul.* super quæ verba, ita Greg. *Omnis homo, eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse, quem, nimirum, iam videre, est dominationem illius ratiocinando cōspicere. Procul siquidem eum intueri est; non iam illum per speciem cernere: sed adhuc, ex sola operum suorum admiratione, pensare.* Ex quibus verbis manifestè videtur, posse inferri *Deum esse*, & sīā nobis euidenter, per discursum, ab eius effectibus formatum, cognoscatur; non tamen esse per se notum. Ex D Greg.

4 Tertiò probat communiter ratione: nam quod non ex suis terminis, sed per aliud notum est, non potest esse per se notum (vt vidimus cap. præced.) sed, *Deum esse*, per aliud nobis innotescit: ergo, *Deum esse* nō erit per se notum: prob. minor à Gabriele: Tum quia, de propositione per se alicui nota, non potest ille dubitare: sed nos possumus dubitare de hac propositione *Deus est*: ergo nobis nō est per se, sed per aliud nota. Tum etiam; quia Theologi, & Philosophi summopere laborant, vt probēt, esse vnum Deum: ergo id non est viatoribus per se notum; quæ enim sunt per se nota, non indigent probatione. Probatur 3. rationibus. Gab.

5 Et confirmatur: quia, audita hac propositione *Deus est* nullus est nostrū, Conf.

 qui

qui assentiatur illi; sed postulamus maiorem aliquam probationem, ad præbēdum illi assensum. Hoc probatur, quia non concipitur Deus à nobis secundum suam propriam quidditatem, & essentiā; sed confusè, & secundum attributa quædam cōmunia: imò (ex doctrina Dionis.) rectiùs intelligimus, quid Deus non sit; quam id, quod est verè à parte rei.

Dionys.

4. Prob.

6 Quarto probāt. Nam ex creaturis cognoscitur à nobis Deus naturaliter; teste Paulo Rom. primo dicente; *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, ac proinde, medio discursu; certum autē est, discursui nostro posse subesse falsum. ergo, &c.

Paul.

§. II.

Fundamentū & ratio Vasq. Nota suppositum.

7 Vltimo addit Vasq. suam peculiarem rationem, quam vnicè hanc sententiam asserit comprobare; postquam hactenus non satis fuisse probatam, optimè vidit; Præmittit autem, Deum, in se, absolutum esse ab omni relatione ad creaturas: à nobis tamen non cognosci, nisi relatè ad ipsas: quare omnia nomina Dei aliquod genus relationis, aut Dominij, aut causæ, aut alterius rationis, ait, denotare: quo fit, vt nulli possit proponi hæc veritas, *Deus est*, ita absolutè, quin significatū nominis, *Deus*, relatè concipiat ad vniuersum; vel per modum Dominij; vel Principis, &c. Sic ergò, nō solum Deum, sed alia etiam creata concipit, quorum Deum, ac Dominū agnoscit.

8. Quo iacto fundamento, ità hanc sententiam probat: Deus non potest à nobis, sicuti est, videri, & intelligi, dùm sumus in via; nisi relate ad creaturas; ergo huius propositionis *Deus est* nos viatores habemus notitiam, quatenùs, ex cognitione creaturarum, deuenimus in cognitionem ipsius esse Dei: ergo *Deum esse*, non est per se nobis notum. Hæc vltima consequētia patet: quia illa dicitur propositio per se nota, quæ, non per aliam innotescit, sed ex se ipsa immediatè. Prima verò consequētia etiam patet; Nam, dùm sumus in via, primò intelligimus ea, quæ sunt nostris sensibus propinquiora, quàm remoriora; sed Deus remotior est à nostris sensibus, quam creaturæ; Ergò primò intelligimus creaturas, & ex illarū cognitione deuenimus in cognitionem Creatoris. Cū ergò Deus relatè ad creaturas semper apprehendatur, etiam si absque labore, & assidua disciplinæ exercitatione statim assensiamus, & iudicemus *Deum esse*; non propterea hoc est nobis per se notum; ex ipsis namque Creaturis, per ordinem ad quas Deus cognoscitur, subita quadam ratiocinatione, prædictæ ratiocinationi assensum præbemus. Vnde sicut impossibile est, Deum à nobis cogitari, pro hoc statu, nisi relatè ad Creaturas; sic etiam fieri nequit, vt per se nobis innotescat.

Huic sentētiæ, ex ea parte, qua asserit, *Deum esse*, non esse per se nobis notum, fauent etiam Scotus, Henricus, & alij nō nulli ex Antiquiotibus Scholasticis.

Scotus Henricus

CAPVT V.

In quo refertur sententia Aegidij Columnæ, & vt probabilior defenditur.

§. I.

1 Licet non sua careat probabilitatem Thomistarum hæc, & communior sententia; tamen eius fundamenta, benè ponderata, nō sunt adeò efficacia, vt nos cogāt, nostri fundatissimi Doctoris Aegidij Romani sententiam paruifacere: Imò inefficacia rationum Thomistarum, & efficacia fundamentorum Aegidij, eiusq; Sectatorum, hanc rationabiliorem reddunt; Aegid. ergò dist. 3. q. 2. cit. Argen. q. 1. at. 3. Gerard. dist. 3. q. 2. ar. 3. Alber. prima par. summæ q. 17. 2. par. quæstionis, Altisiodoreu. 1. lib. cap. 2. præfat. Lyran. in illud Exod. 5. *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*, Abulen. in id. cap. q. 2. & alij, quam plures affirmant, hanc propositionem, *Deus est*, non modò, secundum se; sed etiam nobis viatoribus esse per se notam; & si non omnibus indifferentèr: sed sapientibus dumtaxat.

Sententia Aegid. & Sectatorum. Aagen. Ge rar. Alber. Altisiod. Abulen.

2. Hæc sententia, suppositis his, quæ in præcedenti, præsertim, capite diximus, probatione alia nō indigeret. Nihilominùs probatur primò. Illa dicitur propositio per se nota, in qua prædicatum est de ratione subiecti; & quam nullus intellectus negare potest, supposita notitia de significato terminorum: Sed *Deum esse*, est huiusmodi: ergò, &c. maior cap. præced. discussa est: & quoad secundam partem

Probatur rationibus 1.

tem declaratur magis; quia quando intellectus, habita præcisa notitia significationis terminorum, cogitur assentiri alicui propositioni, tunc illa propositio proculdubio, est per se nota; secus verò, quando, non obstante, quod habeat notitiam terminorum, adhuc intellectus est in potentia ad sciendum necessariam inhærentiam prædicati cum subiecto; vndè indiget aliquo alio medio, sine quo non cogitur ad assensum; Imò dubitare de illa propositione potest, eamque negare. Minor verò probatur, quia supposita notitia istius termini *Deus* intellectus immediatè cognoscit, quod *esse*, est de ratione illius; & sic cogitur, absque alio medio, assentire huic propositioni *Deus est*: nec eam vllo pacto negare potest. Et hoc etiam demonstratur; quia, qui Deum intelligit, percipit purum quoddam esse, actumquè purum, ab omni potentia denudatum; & cui, *Non esse*, simpliciter repugnat, & per consequens, *esse*, de eius ratione; quod disertè docuit Ansel. prosolog. cap. 4. dicens. *Nullus intelligens id, quod Deus est, potest cogitare, eum non esse; licèt hac verba dicat in corde suo, &c.* ergò non poterit nō assentire intellectus tali propositioni.

Ansel.

Occurritur obiectioni ex Gerardo.

3. Quod si dicatur; quod intellectus, adhuc habens conceptum puri esse, & puri actus, videtur posse dubitare; An sit aliqua res correspondens huic cōceptui? & sic illa propositio non erit per se nota.

4. Respondet tamen Gerard. quod, licèt ignoret intellectus, quod aliqua res correspondeat tali conceptui, quandiù ignorat significatum huius termini *Deus*; eo tamen ipso, quo ille terminus cognoscitur; quia verè significat aliquam rem, correspondentem conceptui pro semper, nunquam talis conceptus est falsus; & ideò, quamuis non perueniat ad significatum huius termini *Deus*, nisi præuia aliqua demonstratione (vt dictum est cap. 1. huius disput.) tamen, habita notitia illius termini, quæ saltem à sapientibus potest haberi, statim innotescit veritas huius propositionis *Deus est*; itaut, intelligens non possit eam negare; ideò verè dicitur propositio per se nota; quia habet omnes conditiones requisitas ad propositionem per se notam.

Confirmatur

5. Et confirmatur hæc ratio; quia Deus est id, quo maius cogitari non potest; sed si posset cogitari, *Non esse*, aliquid aliud necessario maius esset illo; & sic non esset ille Deus; sed benè ille alius, qui nō posset cogitari, *Non esse*; ergò necessario, qui Deum cogitat, illum esse cogitat; & ex consequenti, propositio, in qua, *esse*, de Deo prædicatur, est per se nota. Vnde Aegid. in corpore ait, quod in cæteris alijs rebus creatis, cū *Esse* sit præter rationem quidditatis illarum, ideò possunt intelligi, absque eo, quod intelligantur esse; solus Deus habet quidditatē indistinctam, & indistantem ab esse; & sic; solus Deus non potest cogitari non esse.

Aegid.

6. Neque valet si dicatur; quod tunc de Deo sciremus, *quid est*; cumque in via non possimus quid rei intelligere Dei; nec *Deum esse* poterit esse nobis per se notū. Nam (vt benè Aegid.) æquiuocātur in eo, quod est, *quid est*: non enim oportet scire de Deo, quid rei; sed, quid nominis; Vnde Philosophus 4. met. tex. com. 14. vbi disputat, contra negantes principia, ait; quod modus optimus procedendi contrà tales, est in videndo, quid significant nomina, & licet de Deo non possimus scire à priori, quid rei; possumus tamen scire, quid est, quod dicitur per nomen; Et hoc scito, quia est ipsum esse: & quia est aliquid, quo maius cogitari non potest, & huiusmodi; statim intelligimus ipsum esse, propter quod est per se notū: nam, Incorporalia in loco non esse, est per se notum Sapientibus: & tamen sapientes quidditates incorporalium videre positiue non possunt; licet aliquō modo scire possint, quid est, quod dicitur per nomen. Hæc Aegid. quibus nil clarius.

Præcluditur effugium.

Arist.

§. II.

7 Cæterum, quia hoc argumentum valde torquet Authores oppositę sententiæ; diuersimodè adhuc ab illis Respondetur, & satis diffusè, imò, & obscurissimè à nonnullis: omissis tamen faciliotibus responsionibus, vnam, vel alterā difficiliorem adducam; & Primo, aliqui Respondent, quod nomine *Dei* non intelligitur id, quo maius cogitari non potest; nam non defecere, qui existimauerint, Deum esse Solem, aut Mundum istum, aut denique aliquod corporeum; Imò Gentiles adorantes tot Deos, etiam inter illos ordinem ponebant; itaut, omnibus maiorem asserebant Iouem; alios Ioue minores; & tamen omnes putabant Deos; ergò, cūm concipiebant, verbi gratia, Vulcanum Deum, non concipiebant

Prima euasio Aduersariorum.

 illum,

illum, taliter, vt eo non possent meliorẽ, ac maiorem cogitare; quia iam cogitabant, Iouem Vulcano longe maiorem. Neque est inconueniens asserere, (dicũt hi Doctores) quod Deus cogitari possit, *non esse*, iuxta illud insipientis apud David, qui dixit in corde suo *non est Deus*. Vnde Protagoras & Diagoras, & alij Philosophi Epicurei (vt refert Cic. lib. 1. de nat. Deorũ.) Imò, & Politici, alias Atheistæ nostri temporis, negant, aut saltem dubitant, *Deum esse*. Et quando infertur: ergo aliquid melius Deo cogitari potest; scilicet, illud, quod non potest cogitari non esse: Adhuc, aiunt, Responderi potest (præter superiùs dicta) neg: hanc cõsequutionem; quia, quod Deus cogitari possit, *non esse*, non prouenit ex defectu, vel imperfectione Dei; sed ex defectu, & imperfectione nostri intellectus, non cognoscentis Deum, sicuti est; ita Gab.

Psal.

Protagoras Diagoras. Cic.

Gab.

8. Sed hæc solutio non facit ad rem: nam nos non affirmamus, quod omnes, qui Deum intelligunt, debeant, eo ipso, concipere id, quo maius non valeant excogitare: sed, dumtaxat, loquimur de sapientibus, & benè affectis: non vero de insipientibus, & male affectis; hi enim solum sunt, qui dubitare de hac veritate possunt, illamque negare; & Deum, eorũ modo, fingere, Deosq; multiplicare; nec non, & inter eos ordinem illum statuere. Quare Aegid. noster in responsione ad primum adducit hanc distinctionem ex Boet. & ait; solos Sapientes posse intelligere, quid est hoc, quod intelligitur per hoc nomen *Deus*: & sic à sapientibus nõ posse Deum cogitari, *non esse*. Vnde & Ansel. prosologion. 3. ait. *Cur itaque dixit insipiens in corde suo, non est Deus? cum tamen in promptu sit rationali menti, Deum maximum omnium esse; cur? quia stultus, & insipiens.* Cui doctrinæ addit Patet Vasq. disp. 19. cap. 3. num. 9. Quod, si benè affectis, ac dispositis, aliquando subrepat de hac re aliqua dubitatio, non impedit, Deum illis esse per se notum: hod enim contingit, quia res a sensu remota est, si leui consideratione mens ipsa ei adhæreat; cum tamen illam plenè consideret, cessat omnis dubitatio.

Impugnatur.

Aegid.

Ansel.

Vasq.

9. Hac eadem doctrina ruit, etiã solutio Ferrar. 1. cont. Gent. cap. 11. & D. Th. ibidem, asserẽtium, quod si supponamus *Deum esse*; & nomine *Dei* significari id, quo maius cogitari non potest, non est possibile, aliquid maius Deo cogitari: Si autem non supponamus, sed potius negamus, *Deum esse*; licet nomine *Dei* significemus id, quo maius cogitari non potest, possibile est, Deo aliquid nobilius cogitari: Nàm si Deus non sit, prædictũ eius significatum non erit in rerum natura, sed tantum in cogitatione; & sic, ens reale in rerum natura existens; puta. *Homo*, erit nobilius simpliciter, & quantum ad esse naturæ; non autem quantum ad esse cogitatum; quia, licet Deus non esset in natura; significatum tamen huius nominis, *Deus*, est maius significato huius nominis, *Homo*; Si vtrumque accipiatur, in esse cogitato tantùm; idem docet Bannes super ar. 1. ita hunc modum dicendi refert Nazar. contr. 2.

Solutio Ferrar. pariter destruitur.

Bannes, Nazar.

10. Sed quis non videat, solutionem hanc vtroque claudicare pede, ait enim, quod supposito, quod Deus sit; & supposito, per nos, quod nomine, *Dei* significetur id, quo maius nequeat cogitari: tunc impossibile esse, aliquid maius Deo cogitari. Hoc idem est, ac si dicerem, exempli gratia; Si nos supponamus, lapidem non posse à nobis concipi sine anima; tunc, facta tali suppositione; absque anima, impossibile esset nobis, lapidem intelligere; quis de hoc dubitet? quæcunq; enim duorum terminorum connexio, in sensu reduplicatiuo accepta, etiã si alius sit accidentalis, vel contingens, vel etiam impossibilis, per illam reduplicationem fit essentialis, & necessaria, vt si dicerem, *Paries albus, in quantum albus*: tunc optimè posset dici, quod sit, vt sic, essentialiter albus, vt in summulis dici solet. Pari etiam modo, cum subditur; quod si negemus *Deum esse*; tunc aliquid Deo nobilius possibile esse cogitare, &c. neque hoc aliquis negabit, vt arbitror. Sed insipiens, non autem sapiens illud sibi suppositum fingeret, & *Deum esse*, negaret: Quare dicimus, præfatam solutionem non militare contra nos: quia nè vnquam sapiens ea supponeret, fingeret, ac negaret, quæ in tali responsione negantur, finguntur, ac supponuntur.

Impugnatur.

§. III.

11 Caiet. verò aliter Respõdet; quod, licet intellectus concipiendo Deum, intelligat id, quo maius intelligi nequit; nõ sequitur, tamen, Deũ, vt sic cõceptum, includere existentiam in rerum natura, in actu exercito, sed tantum illã importare, in actu signato.

Solut. Caiet. & aliorum explicatio.

12. Quæ distinctio, quia obscura videtur,

deatur, & difficilis, explicatur nonnullis notabilib. à Nazar. loc. cit. vbi primo obseruat, quod quādò comparatur id, quod excedit omne cogitabile; seu id, quò maius cogitari non potest, ad reliqua cogitabilia, sunt attendendæ illæ conditiones tantum, secundùm quas maius cogitatur esse reliquis omnibus cogitabilibus. verbi gratia, Concipio Aristotelem philosophum maiorem omnibus alijs; non concipio in Aristotele eius natalia, corporis pulchritudinem, &c. quia non comparo illum cum alijs, in his; sed tantùm in philosophia, & sic, eius dumtaxat philosophiam concipio, secundum quam, excedit reliquos.

Nazar. 1. not.

2. Not. 13. Secundo Adnotat, quod nominibus significantur res, vt conceptæ; verbis vero, vt exercitæ; vt *Lector*, *Doctrina*, *Amans*, *Amor*; non est necesse significent actum *legendi*, *amandi*, &c. Sed sufficit, sic concipiantur, vel nominentur; & sic dicere possumus, quod nomina significēt aliquid, in actu signato: è contra, *Legere*, *Amare*, *Docere*, &c. significant ipsū exercitium, & actum exercitum, in actu secūdo: ità *Existentia*, & *Existere*, vel *Esse*; differunt; quia *Existentia* non est necesse, dicat actum existendi secundum; sed sufficit, dicat actum signatum; secus vero, *Esse*, & *Existere*.

Nomibus significatur res in actu signato: verbis verò in actu exercito.

3. Not. 14. Tertio adnotat, quod id, quo maius excogitari non potest, non includit omnem perfectionem; verùm, neque ipsam existentiam, quæ est vltima actualitas, & omnium perfectionum maxima; sed tantum, in actu signato; quia ly *Deus*, vt excedens omne cogitabile, significatur per nomen, & non per verbum: ly enim *Excedens omne cogitabile*, & *Deus* nomina sunt; & sic, Existentia in actu exercito est conditio, per accidens se habens, respectu Dei concepti, excedentis omne cogitabile; sicuti natalia, & pulchritudo Aristotelis, concepti sub ratione Philosophi, maioris reliquis omnibus Philosophis conditiones accidentariæ sunt; ità, cum non attendatur ratio excessus Dei supra reliqua omnia cogitabilia, penès existentiam in actu exercito; sed tantum, penès conditiones, & perfectiones, prout cogitatas; & sic, in actu signato, inter quos etiam erit ipsa existētia, in actu signato, existētia in actu exercito erit conditio per accidens se habens.

4. Not. 15. Quarto obseruat: Existentiam in actu signato comparatæ cum existentia in actu exercito; vt quidditas, & actus secundus quidditatis. Hunc autem actum exercitum, siue actum secundum existendi nòn addere aliam perfectionem, suprà existentiam in actu signato; sed tantum, quendam modum eiusdem perfectionis nobiliorem; cum existentia in actu exercito faciat formalitèr, rem esse in rerum natura; simplicitèr, & absolutè, vt esse ens actu simpliciter; eadem verò in actu signato; id est, vt concepta, facit rem esse tantùm in esse cogitato; quod est esse secundum quid. Ex quo colligit, omne existens in actu secundo, & exercito nobilius esse existente in actu signato, & in esse cogitato: res enim concepta, vt existens, nil est realitèr existentèr; licèt sit aliquid quidditatiuè; & consequentèr, ipse Deus, prout existens in actu exercito, & à parte rei, quid maius, & nobilius est se ipso, existente in esse cogitato, & in actu signato: imò, & formica à parte rei existens, maior est ipso Deo, in esse cogitato præcisè, & quatenùs includit tātum existentiam, in actu signato.

16. His adnotatis; facilis redditur Caiet. doctrina; cum enim dicimus, Deum esse id, quo maius excogitari non potest; videtur fieri comparatio inter Deum, in esse cogitato; & reliqua omnia, pariter in eodem esse cogitato; & ex consequenti, cum existentia, in actu signato; & non exercito; & sic, cum abstrahatur ab existentia in actu exercito; in illo esse cogitato, vt sic, nil cogitari potest maius Deo; ex hoc tamen non videtur sequi *Deum esse* per se nobis notum: nam in hac propositione significatur Existentia, per verbum *Est*, vel *Esse*, & sic, in actu exercito; cum tamen, in illo esse cogitato, quo Deum concipio, vt quid maius omni excogitabili: nil est, quod significet existētiam in actu exercito; nam cum ly *Deus* nomen sit; sufficit, verificemus de illo existentiam in actu signato.

Ex annotatis doctr. Caiet. probatur.

§. IV.

17 Digna quidem tanto ingenio speculatio, quam hic sic explanatā retuli, vt alibi possit studiosis inseruire, commodius, & vtilius; nàm, quantum ad præsentem difficultatem spectat, suffecisset, breuissimè illam attingere. Et quatenus apparere videtur sufficiens, ad euacuandam difficultatem propositi nostri argumenti, illam non eneruare demonstrabo.

Et

Impugnetur solutio Caie. & pariter expositio Nazar.

18 Et primò, verà sunt, quæ in primo notabili asseruntur, omnino. Verùm ea, quæ in reliquis obseruationibus statuuntur, non eodem modo subsistunt; Et, vt reliqua, breuitatis causa, omittam; licet verum sit, per aliquod nomen non necessario significari actum exercitum: sed principaliter, signatum; abstrahendo, vel præscindendo ab exercito; vt bene dicitur 2. not. Vnde *Doctrina*, non dicit actum secundum docendi; sicuti dicit *Docere*; tamen non eodem modo philosophandum est de omnibus nominibus; nam, sicut dantur illa nomina abstracta, vt *Doctrina, Scientia* &c. de quibus, absolutè, valet dici, quod non significent actû exercitum, sed signatum; ità dàtur etiam nomina concreta, quorum, quædam, absolutè, dicunt actum exercitum; vt sunt, præsertim participialia, *Legens, Docens, Currens*, &c. quę, proculdubio, significant eum, qui actu *Legit, Docet, Currit*, &c. Item sunt quædam nomina concreta, absoluta tamen, qualia sunt, in sententia D.Tho. par. prima q.39. omnia nomina substantiarum, vt *Petrus, Homo, Animal*, &c. quæ indifferenter possunt significare, vel actum signatum tantum, vel exercitum; vt *Lector, Doctor, Magister*, &c. huiusmodi nomina, nô est maior ratio, cum potius dicantur, significare actus signatos, quam exercitos: Imò videntur, potiori iure, debere significare actus exercitos: nam *Magister*, verbi gratia, in tantum dicitur *Magister*, in quantum discipulos, quos instruat, habet: ergò, ad saluandam formalem rationem Magisterij, in illo, necesse est, quod actu doceat. Vndè sequitur, illam doctrinam non esse vniuersaliter veram; sed tantum verificari, vniuersaliter, de nominibus abstractis. Cumque hoc nomen *Deus* non sit nomê abstractum, sed concretum, non videtur posse applicari illa doctrina Deo.

D.Thom.

19 Addo in confirmationem huius: quod *Deus* dicitur à dando: Vndè Philon hæb. lib. de somnijs ait: *Secundum naturam consueuit Deo dare; imò ipsa natura Dei est dare.* Et Chrysost. hom.39. exponens illud Gen. 16. *Dixit Dominus ad Abraham, tibi, & semini tuo post te dabo terram Chanaam in possessionem sempiternã, & ero eorum Deus.* petit Chrysost. *Quid est ero eorum Deus?* & tandem ait, idem esse, *ero eorum Deus*, ac *multam me eorum curam habere ostendam, & meum subsidium illis præstabo.* Igitur ly *Deus*, non est de illis nominibus, quæ tâtum rem significant, in actu signato: cum potius sit nomen, actû dicens secundum.

20 Præterea, quando Sancti Patres affirmant, *Deum esse id, quo maius excogitari non potest*; proculdubio nunquam venit eis in mentê talis speculatio Caiet. nimirum, quod loquuti fuerint tantum de Deo in esse cogitato; Et sic de reliquis entibus, in esse paritèr cogitato: sed absolutè loquuti sunt, in sensu ampliori; ita vt idem sit, ac si dixissent: *Deus* est illud ens, quomodocunque accipiatur, quo aliquod maius ens esse, seu esse posse, etiam per eiusdem omnipotentiam, nec quidem excogitari potest: & sic, illa propositio comprehendit quicquid Deus non est, in quocunque esse illud intelligatur, & sit. Quod si adeo coarctatè foret intelligenda; iam formica, actu existens, esset quid maius Deo, excogitato sub illo actu signato existendi.

21 Præterea: Nam illud intelligere *Deum*, sic, non esset verè *Deum* intelligere, sed chymericum, & fictitium: non enim: vt sic, conciperetur *Deus* sicuti est: sed aliter, quam est; & cõsequenter *Deus* rationis: quod non esset intelligere sapientium, sed insipientium; Et de his, transeat.

22 Confirmo hoc, nam Existentia, seu Existere actu in rerum natura, est de intrinseco conceptu Dei, vt sic, sed id, quod est de intrinseco conceptu alicuius non potest abstrahi, seu præscindi ab illo; ergò intelligendo *Deum*, necessario intelligitur esse actuale exercitum. Confirmo

23 Tandem existentia in actu signato habet rationem actus primi; prout dicitur à Nazar. in vltimo not. sed actus primus includit potentialitatem, quæ, respectu existentiæ in actu exercito, esset passiua, non actiua, ergo oporteret intelligere Deum cum tali potentialitate passiua ad existêdum à parte rei; sed omnis potentialitas passiua Deo repugnat; vt certum est, & nos infra mõstrabimus: ergo & implicabit, Deum cum tali existentia in actu primo concipere. Placuit hanc doctrinam Caiet. his omnibus impugnare; quia (vt dixi) inter omnes alias, quas vidi solutiones ad nostram illam positam rationem, hęc mihi videtur acutior, & subtilior. Tùm etiam quia, ex huc vsque dictis, optimè manet firmata, ac probata sententia nostri Aegid. quod, scilicet, *Deum esse*, sit per se nobis notum. Quare solum restat soluere argumenta in contrarium posita supra cap. 4. Vltima impugnatio. Nazar.

CAPVT

CAPVT VI.

In quo satisfit Rationibus adductis cap. 4. pro sententia Thomistarum.

§. I.

Ad P. Aug. 1 ET primo ad authoritatē D.P. Augustini, adductam à Puteano nostro, desumptam ex lib. 2. de Ciuit. qua dicitur, quod *Deum esse credimus*; Resp. quod de Deo dupliciter loqui possumus, vel quatenus est finis noster naturalis, naturalisq; Creator; vel quatenus est noster finis supernaturalis, iustificans, & glorificans: hoc secundo modo, *Deum esse* sola fide credimus: primo modo, *Deum esse*: nedum, per demonstrationem à posteriori, euidenter cognoscimus; sed etiam est per se notum, vt vidimus.

Ad Greg. 2 Ad secundum desumptum ex D. Greg. lib. 27. moral. vbi videtur asserere, quod *Deum esse*, à nobis colligatur, per discursum ex creaturis. Respōdeo, quod ibi loquitur D. Greg. de omnibus hominibus: & certè omnes homines possunt, & debent, ex creaturis conijcere magnificentiam Creatoris; non tamen negat Greg. sapiētibus esse per se notum *Deum esse*.

Ad primam rationem. 3 Ad tertium ex ratione desumptū: neg. min. ad cuius primam probationem dico, eam solum probare de insipientibus, & malè affectis: hi enim, & non sapientes dubitant de illa propositione, *Deus est*. Ad secundam probationem eiusdem minoris dico, ideò Theologos, & Philosophos laborare, vt probent, esse vnum Deum; vt insipientes, & obfirmatos in malo valeant conuincere.

Ad confirm. 4 Ad confirm. nego quod assumitur, vniuersaliter; nam, & si, audita hac propositione, *Deus est*, insipiens non assentiatur illi; benè tamen assentiuntur sapientes. Ad cuius probationem, iam dictum est, non esse necesse, ad propositionem per se notam, cognoscere terminos, secundum eorum essentias, & quidditates; sed sufficere, nosse, quid significent per eorum voces; vt diximus cap. 5. nu. 6. & cap. 2. nu. 16. & sic licet non habeamus in via adæquatam notitiam quidditatis Dei; adhuc aliquo modo possumus eius quidditatem cognoscere, saltem, accidētaliter, & extrinsecè, cognoscendo quædam prædicata, quæ cadunt super eius quidditatem, ratione quorum possumus concedere, quod cognoscamus de Deo, quid nominis: quod sufficit ad propositionem per se notam, quoad nos; alioquin nulla scientia procederet ex principijs per se notis: & ratio est, quia scientia non supponit de suo subiecto, *quid rei*; hoc enim inquirit; sed supponit, *quid nominis*; Si ergo *quid nominis* non sufficeret ad notitiam suorum principiorum, scientia nō procederet ex principijs per se notis, ita & optimè Gerard.

5 Ad quartum conc. totum, si discursus fiat ab insipientibus; at verò, si à sapientibus fiat, euidens euadet, dicente Paulo: *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*: vbi per ly, *conspiciuntur*; apertè intelligit euidentiā cognitionis. Ex hoc tamen non colligitur, non esse per se nobis notum, *Deum esse*. Ad secundā rationem. Paul.

§. II.

1 PRo qua re, & pro solutione pariter vltimi argumenti, Notandum est, certum esse nobis, quod antequam alicui sit per se nota illa propositio, *Deus est*: iam eidem notum est, aliquo modo, quid Deus sit; non quidem, quidditatiuè: hæc enim notitia de Deo in via haberi non potest; sed benè, accidentaliter, & extrinsecè. Possumus enim alicuius rei quidditatem bifariam cognoscere: vno modo, quidditatiuè, per se, & directè: alio modo, indirectè, per accidens, & extrinsecè: Primo modo, quando eam cōcipimus per intrinseca prædicata, & essentialia ipsius; vt, cum quis concipit aliquam naturam creatam, conceptu generis, differentiæ, vel diffinitionis. Secundò modo verò, quando aliquid concipimus per quædam prædicata, quæ licèt cadant super ipsam quidditatem rei: cadunt tamen, modo quodam accidentali, & extraneo ab ipsa; huiusmodi sunt rei accidentia, passiones, operationes, &c. exempli gratia; Intellectus noster cognoscitur à nobis mediante sua operatione, & obiecto; ex quibus, licet extraneis intellectui, deuenimus in cognitionem multorum aliorum attributorum, quæ sunt intranea ipsi intellectui; per quæ differt à sensu; nimirum, *Immaterialitatis, Incorporeitatis, Inextensionis*, &c. & secundum hanc cognitionem, possumus dicere, nos cogno- Notandū pro solutione vlt. argumenti.

cognoscere quidditatem intellectus, modo extrinseco, & accidentali; non essentiali, intrinseco, per se, & quidditatiuè; cum adhuc non habeamus de intellectu essentialem, & quidditatiuum conceptum: Vnde, adhuc, dubitamus; an sit in genere substātiæ, vel accidentis? quod non demonstrat diuersitas operationum.

7 Ita firmè de Deo autumandum est; quod, licet in via non possimus habere de illo quidditatiuū, & essentialem conceptum; cognoscimus nihilominus, aliquo modo eius quidditatem, saltèm, accidentalitèr, & extrinsecè, cognoscēdo quędam prædicata essentialia, quæ cadūt super eius quidditatem; nempè, quod sit *Purus actus, Infinitus simpliciter, Aeternus*, &c. extrinsecè, tamen, & per accidēs, ex his quæ per ipsum facta sunt, & huc vsque conseruata, ex modo operandi secundarum causarum, &c. Ex quibus tandem deuenimus in cognitionem *Quid nominis*, saltèm, *Dei*: quæ cognitio (vt pluries dictum est) sufficit, ad propositionem per se notam, quoad nos: & ex consequenti, ea sufficit, ad hoc, vt *Deum esse*, dicatur esse per se nobis notum; licèt *Esse* sit de intrinseca ratione quidditatis Dei; Et sic non dicimus nos, vnicuiquè per se notam esse illam propositionem; quia non quilibet Dei quidditatem, modo exposito, cognoscit scientificè per illa extrinseca; & si etiam naturali modo, imperfectè tamen, quilibet, indifferenter discurrendo, naturaliter id assequi possit: sed dicimus, illam esse per se notam, sapientibus tantum, qui scientificè, & discursu perfecto id assequuntur; & in quibus supponitur talis cognitio Dei.

8 Qua doctrinâ posita, clarior est solutio quarti argumenti, vt ponderanti patebit, & facilè satisfit vltimo, quod erat Vasq. Ad quod respondeo, admittendo suppositum: & concedendo antecedens argumenti; nego tamen primam consequentiam, & ratio negationis est; quia, antequam quis habeat scientiam, & notitiam quidditatis Dei; & antequā cognoscat, modo exposito, *Quid sit Deus*, non erit ei per se nota illa propositio; sed postquam per discursus scientificos, sæpius elicitos, deuenerit, ex creaturis, in notitiam Dei, saltem, quantum ad *Quid nominis*; si ei proponatur propositio, *Deus est*: tunc procul dubio, erit illi per se nota; absque eo, quod eam, discurrendo, tunc probet. Dicimus ergo, sapientibus, & non insipientibus illam esse per se notam, in quibus præsupponitur notitia huius vocis *Deus*, cuius alias, & acquisita, modo scientifico, per demōstrationes à posteriori, & per discursus: & hactenus de ista disputatione.

Ad vltimum Vasq.



DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum esse Dei sit esse simplicissimum, nullam admittens compositionem.

CAPVT PRIMVM.

In quo nonnulla supponuntur, quæ longa discussione non indigent.

§. I.

Primum sup. 1  N hac disputatione placet breuiter aliqua, vt minus necessaria, eaq; facilia percurrere; ne longior, quam fas est, euadat. Et primo, non est cur immoremur in examinando, *An in Deo sit compositio materiæ, & formæ?* & ex consequenti, *An sit corpus?* De fide enim proculdubio est, spiritum purum esse Deum Io: 4. purumque actum, nil potentialitatis, & corporeitatis admittentem. vndè S. P. August. lib. 3. confess. cap. 7. aiebat, *Nesciebam, vtrum forma corporea Deus finiretur, & haberet capillos, & vngues. Quod vndè viderem, cuius videre vsque ad corpus, erat oculis: & animo, vsque ad phantasma. Et non noueram, Deum esse spiritum: non cui membra essent per longum, & latum; nec cui moles esset.* Et licet videatur sacra scriptura, Deo membra corporalia passim tribuere: hoc intelligendam est, per metaphoram.

De fide est Deum esse purum spiritum, & purum actū.

P. August.

Error Tert. August.

2 In quo errauit Tertul. asserens *Deum esse corpus*, teste August. lib. 10. de Gen. ad litt. c. 25 & lib. de hæresib. cap. 86. licet illum excuset. hoc vltimo loco: quod forsan fuerit Tertullianus loquutus de corpore, eo modo, quo Paulus ad Coloss. 1. dixit: *In Christo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis, corporaliter*, hoc est non figuratè; sed verè, & re ipsa: ità Tertul. facile, Deum corpus esse voluit; quatenùs ly *Corpus* distinguitur ab vmbra, hoc est, Deum esse verè, & realiter; non vmbraticè, & figuratè. Nonnulli etiam alij in hoc errore fuerunt, quos videre apud Vasq. disp. 21. c. 1.

Vasq.

2. suppositū. 3 Secundo suppono, neq; Deo posse conuenire compositionem ex genere, & differentia: quicquid satis debiliter dicat Vasq. disp. 22. & ratio esse potest: quia genus semper se habet per modum contrahibilis; & ex consequenti, in potentia passiua ad hoc, vt contrahatur: differentia verò, per modum contrahentis, & actuantis illam potentialitatem generis; cumque in Deo non adiungatur huiusmodi potentia actui, sequitur. &c.

§. II.

4 Obijcit Vasq. cap. 3. Compositio ex genere, & differentia est cōpositio rationis; sed nullum absurdum est, in Deo plura concedere, tanquam componentia; quorum, alterum intelligatur, per modum potentiæ; alterum, per modum actus; noster enim intellectus, in re simplicissima, qualis est Deus, hæc facilè concipere potest; sicut etiam distinguere eius attributa, quæ, ex natura rei, non distinguuntur; id enim prouenit ex imperfectione intellectus, cognoscentis Deum ad instar aliarum rerum.

5 Sed facilè ad hanc obiectionem Respondeo; quod, licèt compositio, & distinctio rationis, ex ea parte, qua rationis sunt, non repugnent Deo: Vndè Sacra Theologia admittit constitutionem aliquam in Deo, per modum compositionis; vt constat de constitutione Personarum: & etiam distinctiones rationis inter Attributa, Personas, & Essētiam: &c.

Tamen quando illa cōpositio, seù distinctio aliquam imperfectionem connotat, ex natura rei; & non solum, ex parte intellectus: omninò à Deo remouenda est: Huiusmodi enim compositiones, & diuisiones rationis aliquando proueniunt ex superabundanti eminentia, & abyssali

abyssali perfectione obiecti; quãdo enim obiectum tale est, vt intellectus, propter imbecillitatem suam, non valeat illud adęquatè intelligere; tunc tendit circa illud, inadæquatè, & modo imperfecto, diuidendo, & componendo id, quod, ex se, incapax est compositionis, & diuisionis, & si virtualiter illi non repugnent: dummodo etiam illæ compositiones, & diuisiones, secundum earum formalitates, non includãt imperfectionem aliquam, quæ nequeat obiecto aptari: Ast quando huiusmodi compositiones, & distinctiones rationis, nondum habent esse illud rationis, pręcisè, secundum quod connotant, procedere ex imperfectione, & imbecillitate intellectus; sed etiam imperfectionem includunt in ipsarum formalitatibus, quæ Deo repugnat absolutè: omninò à Deo remouendæ sunt. Huius generis est compositio ex genere, & differentia: nam, non solù dicit, & connotat imperfectionem, & imbecillitatem intellectus, facientis talem compositionem in re, à parte rei incomposita; sed etiam dicit imperfectionem in sua formalitate, nam genus, secundum suam formalitatem, dicit potentialitatem passiuam, ad hoc, vt contrahatur per differentiam ad tale, vel tale esse specificum: Differentia, verò, connotat actum, contrahentem illud genus: ratio autem potentialitatis passiuæ omnino à Deo remouenda est; & nec per intellectum ei tribuenda, & ex consequenti compositio ex genere, & differentia illi prorsus repugnans est. Huic doctrinæ videntur accedere Suar. lib. 1. de esse Dei, cap. 4. n. 9. Montagnol. q. 3. ar. 5. & alij.

Suar. Montagn.

6 Præterquàm quod, addo; tùm in corroborationem mei suppositi; tùm etiam ad hoc, vt magis infirma appareat obiectio Vasq. id, quod ipsemet Doctor ait cap. 5. in fine, ad probandum, Deum non collocari in pręd icamento substantiæ: nam nulla ratio apprehendi potest à nostro intellectu, vniuocè communis Deo, & creaturis; non solum Sapientiæ, Potentiæ, & aliorum attributorum, quæ in creaturis sunt accidentia, in Deo autẽ substantia; sed neque ipsius substantiæ: hæc enim talis natura in Deo est; vt potius, supersubstantia dici debeat, quam substantia, eo quod, nec nomen substantiæ, nec conceptus, quem de ipsa habemus, attingat eam, quæ in Deo est: id, quod cæteris nominibus, quæ de Deo dicuntur, conuenire, communis Patrum opinio fert: sed sic est, quod, de ratione generis est, quod vniuocè prædicetur de suis inferioribus: ergo nil possumus in Deo concipere, quod rationem generis habeat; & ex consequenti, non possumus illi cõpositionem ex genere, & differẽtia tribuere. Vbi miror sapientiam tanti viri, qui, cum, nil Deo, & creaturis, commune vniuocum concipi posse affirmet; concedit tamen compositionem præfatam, ex genere, & differentia.

Additio cõtra Vasq.

§. III.

7 ET ex his sequitur tertium suppositum; nimitum, Deum non collocari sub aliquo prædicamentorum; id enim, quod in recta linea prædicamentali cõstituitur, necessariò debet aliquid continere, quod in eo locum habeat generis, in quo cum alijs conueniat; & aliquid, quod locum obtineat differentiæ, per quod ab illismet differat: cumq; huiusmodi compositio Deo repugnet; consequitur, non contineri sub genere aliquo.

3 Suppositum Deus non ponitur in aliquo prædicamento.

8 Nec dici potest, collocari reductiuè: Tum quia id, quod sic ponitur sub genere, vel est pars alicuius, directè contẽti sub tali genere; vel proprietas; vel demùm, quid incompletum: quæ Deo repugnãt; Tùm etiam, quia id, quod sic sub genere ponitur, non se extendit vltrà genus illud: sicut Punctum, non excedit quantitatem continuam; nec vnitas, discretam: Deus autem est principium totius esse. Sed quia hanc quæstionem ex professo discussimus in logicis; procedamus ad alia.

Non reductiuè ponitur

9 Tertio loco suppono, nõ solù Deum non esse compositum, sed neque in compositionem aliorum descendere posse: nàm omne id, ex quo aliquid componitur, imperfectius est ipso composito: quod si Deus descenderet in compositionem alicuius compositi, ipsum compositũ perfectius Deo esset. Addo, quod cum Deus sit prima causa efficiens omnium rerum, nequit esse pars componens aliquam ex ipsis.

3. Suppositum Deus nõ potest in compositionem aliorũ venire.

10. Quod si Augustinus aliquando dicat, *Deum esse formam*; Intelligendus est, de forma exemplari; non componente. Et si Dionys. cap. 4. cœlest. Hierarch, asserat: *Esse omnium est, quæ super esse est Deitas*: cumq; esse omnium intret compositionem vniuscuiusque entis; sequitur, Deum venire in compositionem alio-

Explicantur P. August: ac Diony.

D.Thom.

aliorum. Dico cum D.Thom. q.3. art. 8. Deitatem dici esse omnium, effectiuè, & exemplariter; non autem, per essentiam.

D.Thom. Errores contra propositam veritatē D.Tho.Vasq.

11. Citat D.Thom. in corpore dicti articuli, aliquos errores contra hanc veritatem, de quibus videatur Vasq. artic. cit. Fuerunt enim aliqui, qui dixerunt, Deum esse Materiam primam; Alij, Deū esse Principium formale rerum omnium. Alij tandem somniauerunt, Deum esse Animam mundi, & primi cœli: qui error communior extitit reliquis duobus: Et ex hoc sumpsit initium Idolatria (vt tradit Commen. 11. met. com. 41.) credentes enim, Deum esse animam mundi; partibus ipsius mundi, tanquam partibus ipsius Dei, cultum Latriæ exhibebant. Hūc errorem refert etiam S. P. August. 4. de Ciuit. cap. 11. & 12. vbi etiam multa ex eo infert absurda: legatur August. & pro primo errore videatur D.Thom. 1. cont. gent. c. 17. pro secundò verò legatur Turrecrem. 4. Sum. Eccl. p. 2. c. 35.

Comment. August. D.Thom. Turrecrem.

12. Tandem suppono, in Deo nullum esse accidens, cum quicquid est in Deo, sit ipse Deus; & ex consequenti, id, quod in nobis accidens est; vt sunt, v. g. Habitus scientiæ, Charitatis &c. in Deo esse suam met ipsius substantiam. Vnde ex hoc illi repugnat etiam compositio ex subiecto, & accidentis & illa, ex partibus quantitatiuis. Sed an Deo conueniāt compositiones ex esse, & essentia, & ex natura, & suppositio? ex infra dicendis patebit.

Vltimū suppositum. In Deo nullum est accidens.

CAPVT II.

Quomodo in Deo se habeant Esse, & Essentia? vbi etiam de Esse, & Essentia increatis.

§. I.

Error Gilberti Bern.

1 NON est eadem hęc difficultas, ac illa, qua quęritur; An Deus idem sit, quod sua essentia, & natura, de qua D.Th. ar. 3. & ibi oēs Recentiores disputant; vbi refertur, & refellitur error Gilberti Episcopi Pictau. relati à Bernard. serm. octuagesimo, super Cant. asserentis: *Deum, Magnitudine Magnum; Bonitate Bonum; Deitate Deum:* & tamen negabat Magnitudinem illam, Bonitatem, & Diuinitatem esse Deum. Contra quem, aliosque sectatores illius, concludit Bern. *Recedant à nobis, carissimi, recedant nouelli, non Dialectici, sed Hæretici, qui Magnitudinem, qua Deus magnus est; Bonitatem, qua bonus; sapientiam, qua sapiens, &c. postremo Diuinitatem, qua Deus est; nō esse Deum, impijssimè disputant.*

2. Refellit autem hanc hæresim Diuus Bernardus hoc argumento: *Nàm Deitas, aut Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil: primum non.* (inquit Bernard. cum heretico loquens,) *nec etiam vltimum concedes: quo enim pacto Deitas erit nihil, cum Deus Deitate sit Deus? Si autem dicis, quod est aliquid, quod non est Deus; sic argumentor; aut est maior Deo, aut par, aut minor; si maior, iam Deus non est summum bonum, summum ens; cum aliquid, quod Deus non est, maius sit illo; si par, iàm dantur duo summa bona, & summa entia æqualia: vtrumque autem horum refugit catholica fides. Nec dici potest, quod sit minor: quia, cum Deus Deitate sit Deus, non potest illa esse minor Deo, cùm formaliter faciat Deum.*

Refellitur à D. Bern.

3 Confirmat eandem sententiam, & catholicam veritatem, testimonio S. P. August. & S. Fulgentij nostri: & dicit, hæresim illam Gilberti fuisse damnatam in Concil. Remensi, sub Eugenio III. & idem Gilbertus abrenunciauit illi errori, in dicto Concilio, & amplexatus est verę fidei dogma: quo nos Catholici edocemur, Deum, & Deitatem nulla ratione distingui; ac proindè, Deum verè esse suam Deitatem. Vndè August. lib. de Trin. cap. 11. *Sicut Trinitas vnus Deus dicitur, Magnus, Bonus, Aeternus, Omnipotens, idemq; ipse; sic sua dici potest Deitas, ipse sua Magnitudo, ipse sua Bonitas.*

Confirmatio ex P. Aug. & Fulgen. Concil. Remense sub Eug. III. Catholica veritas: Deū esse suam Deitatem. August.

4. Potest etiam huius rei assignari ratio efficax; Deitas ita includitur in conceptu Dei, vt impossibile sit, concipere Deum, sine Deitate; & idem dici-

Probatur efficaciter.

mus de Deitate, respectu Dei; nam hæc ita vna, & simplicissima est, vt nequeat vlla ratione multiplicari, in ratione essētiæ Deitatis: quod dicitur, propter personas diuinas, quæ distinguntur inter se realiter, propter oppositas relationes, & proprietates, quibus constituuntur istæ personæ Diuinæ, & ab inuicem similiter separantur; (vt suo loco dante Deo dicetur.) ergo optimè possunt Deus, & Deitas ad inuicem de se enunciari, vt tàm verū sit dicere, Deus est Deitas; ac, Deitas est Deus. Et hoc tàm, si ly *Deus* accipiatur, pro habente Diuinitatem, in communi; ac si esset concretum quoddam specificū naturæ Diuinæ; (quemadmodum dicimus, Hominem supponere pro habente humanitatem, in communi;) quàm, si sumatur pro indiuiduo quodam Diuinæ naturę, præintellecto tribus Personis incommunicabilibus: qua ratione Philosophi gentiles, ducti solo naturali lumine, Deum apprehendebant, ignorantes mysterium sanctissimæ Trinitatis; quo pacto etiam Deus apprehenditur ab Hebreis. Nàm si primo modo intelligatur ly *Deus*; certò idem est, ac sua Essentia; quia etiam in creatis non distinguitur ex natura rei homo à sua humanitate. Si verò sumatur secundo modo, etiam vera est propositio, *Deus est sua Deitas*: quia, ideò in rebus creatis, indiuiduum, ex natura rei, differt ab essentia, seu natura; quia natura, in suo conceptu formali, nō includit rōnem indiuidui; at natura Diuina, intrinsecè, & essentialiter eam includit; quia in ipsa Diuina essentia includitur summa perfectio; quæ non includeretur, si non haberet in se vltimam actualitatem, & complementum, quæ est ratio constitutiua indiuidui; ergo Deitas differre non potest, ex natura rei, à Deo, indiuidualiter sumpto. Sed quid, si ly *Deus* sumatur pro ipsis personis Diuinis? Idem, suo loco, dicemus, agentes de distinctione personarum ab essentia: pro nunc, hoc supponimus, suo loco, postea demonstrandum.

In Deo non est compositio ex indiuiduo, & natura, nec ex natura, & supposito.

5 Ex quibus infero, in Deo non esse compositionem ex indiuiduo, & natura; neque ex natura, & supposito, quæ supponimus indistincta. Et sic, quod modò quærimus, non est hoc: sed, An in Deo sit compositio ex Esse, & Essentia; an verò sint idem in Deo Essentia, & Esse? Et non est quæstio: An idem sint, à parte rei: hoc enim certissimum est; propter summam eius simplicitatem: sicuti certum

quæstio quæ agitatur.

est, non habere Deum existere ab alio; sed ex vi suæ essentiæ, & naturæ. Sed id quod quæritur est: An taliter Essentia, & Existentia in Deo sint vna, & eadem res, vt Existentia includatur in conceptu formali ipsius Essentiæ; & è contrà; itaut, nō possit concipi vnum sine altero? aliud enim omninò est dicere, ipsam Essētiam Dei esse ipsum Esse Dei; aliud verò dicere, Esse Dei esse de Essentia Dei. Bene nāque primum poterit esse, absque secundo; quemadmodum optimè dicimus, sessionem eandem rem esse cum sedente: & similitudinem cum albedine: non tamen sessionem esse de essentia sedentis; & similitudinem de essentia albedinis. Item certum est; Paternitatem idem esse cum Essentia Diuina; & non aliunde conuenire Deo, quam ex vi suæ Essentiæ; cum tamen non sit formaliter de Essentia eius; itaut, Paternitas includatur in conceptu formali Essentiæ, vt suo loco dicetur: Difficultas igitur est. An esse sit de conceptu intrinseco, & formali Essentiæ Diuinæ, & sic, non solum sint idem, Essentia, & Esse, in re; sed etiam, in ipsis rationibus formalibus, formalibusque conceptibus.

§. II.

6 CVi quæstioni, vt facilius fiat satis, placeat breuiter examinare: An, & quomodò Essentia, & Esse in Creaturis distinguantur? & licet nonnulla in Physicis de hac re dicta sint: occasio tamen præsens nos vrget ad ea magis explicanda. Nominales in primo dist. 8. docent, esse idem essentialiter, & sola ratione distingui. Fauet Duran. ibidem, vbi nonnullas rationes Nominalium adducit.

Similis quæstio de creaturis explicatur.

Sententia nominalium.

Dur.

7 Capreol. in 1. dist. 8. quęst. 5. Caiet. de Ente, & Essentia c. 5. q. 9. & alij Thomistæ asserunt, distingui realiter, sicut duas res; videatur Nazar. 1. par. q. 3. ar. 4. controuer. prima. Quod si quæratur à Thomistis: quid nam sit illud Esse Existentiæ? Respondent, quod est quædam actualitas ipsius Essentiæ; quia vt dicit D. Tho. ar. 4. in 2. ratione. *Esse Existentia est actualitas omnis formæ, & naturæ.* Idem docet quodl. 2. art. 3. in Responsi. ad 2. & de Pot. quæst. 7. ar. 2. ad 9. inquit, Quod Esse est actualitas omnium actuum, & omnium perfectionum. Vnde præclarè Ægi. noster quodl. 5. q. 7. inquit; *Quod Esse est quædam actualitas omnibus entibus impressa à primo Ente*. Quod declarat, hoc

Sententia Capreoli, & Caiet.

Nazar.

D. Tho.

hoc exemplo: sicut omnes res corporeæ; aliæ à quantitate, sunt in potentia extensæ, & fiunt actu extensæ, per quantitatẽ; ità omnia alia, a primo ente; scilicet, Deo, sunt in potentia, entia, fiunt autem actu entia, per esse, quod recipiunt ab ipso.

8 Si rursus quæratur ab illis; An illud esse Existentię sit substantia, vel Accidẽs? Respondent, secundum doctrinam D. Tho. De potentia q. 5. ar. 4. ad 3. quod, Accidens; sumitur dupliciter; primo modò, propriè, pro eo, quod ponitur sub prædicamento Accidentis; & isto modo, existentia substantiæ non est Accidens; cum reductiuè ponatur in eodem prędicamento substantiæ. Alio modo accipitur Accidens, pro eo, quod accidit rei, sicut, Rationale accidit Animali; quia non est de essentia illius: & hoc modo, accipiendo Accidens, Existentia substantiæ Accidẽs est; quia nõ est de essentia ipsius. Qnod breuius dici posset, non esse Accidens prædicamentale, benè, tamen, prædicabile.

Accidens dupliciter sumitur.

9 Quod, si obijcias contra hanc sententiam. Quod sequeretur ex illa, in qualibet re creata esse infinita Esse: nã Esse, quo Petrus, verbi gratia, existit, cum sit distinctum, secundum hos Doctores, ab ipso Petro; & sit quid creatum; sequitur, quod etiam accipit suum esse à Deo. Et, eodẽ modo, probari potest, de hoc Esse, quod, cum eodem modo creatum sit, accipiet etiam aliud esse à Deo, & sic, in infinitum.

Quo sẽsu existentia substantię sit accidens.

10 Respondent ad hoc, neg. seq. & ad probat. negant, quod illud Esse accipiat aliud Esse, cum, propriè loquendo, non creetur; creati, enim, propriè, solum subsistentium est (ex D. Tho. p. 1. q. 45. ar. 4.) Illud autem Esse; cum non sit id, quod existit; sed, quo aliæ res existunt, ideò non dicitur creari, sed concreari; ità Capreol. loco citato q. 1. conc. 4.

Occurrunt obiectioni.

D. Thom.

Capreol.

11 Quod si petas; cur non dicitur, Existentia ab Essentia emanare, cum sit eius actualitas, sicut emanat propria passio? Respondent, & benè: magnum esse discrimen, inter Essentiam rei, comparatam propriæ passioni; & inter eandem Essentiam, comparatam Existẽtiæ, quia, enim, propria passio; virtualiter, continetur in Essentia, ideò, adhoc, vt fluat ex ipsa Essentia, nõ est opus aliqua actione media, quæ immediatè, & per se terminetur ad ipsam passionem: sed ipsa Essentia rei, posita in esse, per actionem Agentis, statim sequitur ad ipsam propria passio, sine alia actione media. Cæterum, quia Existentia non continetur virtualiter in Essentia alicuius creaturæ, ideò opus est noua actione Agentis, per quem causetur.

Respondent ad aliam petitionem.

Discrimen inter passionem, & existentiam rei.

12 Vel dicas, & forsan clarius, & melius; quia propria passio præsupponit ipsam Essentiam existere, vt ab illa fluat; at Existentia non præsupponit ipsam Essentiam existere. Vbi, ad multa, nota cũ Suar. cap. 2. nu. 6. Molin. ar. 4. disp. 1. & 2. & alijs, quod ad hoc, vt aliquid intelligatur ab altero resultare, oporter intelligi illud, à quo aliud resultat, vt aliquo modo, ratione, prius; &, vt sic, esse etiam prius, in ratione entis actualis: quia, eo ipso, quod intelligitur aliquid, vt resultans ab alio, concipitur vnum, vt radix alterius; & sub ea ratione, vt prius: resultantia autem non potest esse, nisi ab ente actuali, & existente in rerum natura. Et ideò, eo ipso, quod aliquid intelligitur, tanquam resultans ab alio, illud, à quo resultare intelligitur, percipitur, vt actualis entitas, quia ab eo, quod nondum concipitur, vt ens actu, non potest concipi aliquid dimanare, quod quid reale sit; Ex qua doctrina patet, inuolucre repugnantiam, asserere, Existentiam profluere ab Essentia; quia sequeretur, Essentiam existere ante Existentiam.

Aliter etiam dici potest.

Suar. Molin.

13 Cęterum, quicquid sit de his opinionibus: quarum, hęc vltima longè probabilior est priori: Sed nos, in præsenti, non curamus hanc controuersiam radicitus discutere: legantur Suar. in sua metaph. disp. 31. Nazar. loco citato, Ledesma de esse Dei, & reliqui Doctores, qui ex professo eam disputant. Sufficiet nobis, ea, dumtaxat, hic statuere, quæ ad dilucidandã Principem nostram quæstionem, de distinctione inter Essentiam, & Existentiam Dei, opportuna iudicabimus.

Suar. Nazar. Ledesm.

§. III.

14 MEdia ergo via nobis incedendũ est; prout annuimus 1. phis. nimirum; Essentiam, & Esse distingui, profectò, realiter; sed non distinctione illa reali, quæ reperitur inter rem, & rem: sed benè, quæ reperitur inter rem, & modum eius; ita Scotus in 3. dist. 6. q. 1. Vict. Sot. Cano. & hodie ferè communis est sentẽtia. Differt autem inter hos Doctores; quia Scotus vocat hanc distinctionem, ex natura rei; nos verò appellamus illã, Realem, Modalem, cum reliquis. Et si enim

Iudiciũ Authoris: essentiam, & esse creaturæ distingui quodammodo realiter.

Scot. Vict. Sot. Cano.

enim Essentia creaturæ, cum sit æterna, possit esse in esse obiectiuo, sine Existentia; non tamen è cōtrà: Existentia, enim, est ipsa actualis Essentia; vt optimè Suar. multis in locis suæ metaph. cuius sententiæ videtur apertè esse etiam Molin. disput. 2. cit. vt consideranti eius fundamēta facilè patebit.

Suar.

Molin.

15 Huius autem sententiæ nonnullas cōgerunt rationes, & referunt Suar. & Molina. Sed vel ea mihi videtur efficax, desumpta ex natura huiusmodi distinctionum: Nam distinctio realis, inter rē, & rem, illa dicitur, cuius extrema, saltem per Diuinam potentiam, separari possūt ab inuicem (vt in nostra Logica dictum est) sed, nec per Dei omnipotentiam, separari potest Existentia ab Essentia (vt etiam certissimum est, & Thomistæ fatētur;) ergò, saltem ex parte Existitiæ, non est mutua talis distinctio; Et ex consequenti, non est realis inter rem, & rem: Nec immoror in probandis propositionibus: necessum enim foret; hoc loco, ea omnia repetere, quæ tum in logicis, tum in phisicis docuimus.

Ratione probatur.

16 Sed neque dici potest, nullo modo realiter distingui; nam, saltem, ex parte essentiæ, realis distinctio apparet; sublatis, etenim, rerum existentijs, adhuc obiectiuè, in mente Dei, reales earum æternaliter Essentiæ manerent. De ratione, quippè, Essentiæ, vt sic, non est, quod actu existat; sed præscindit ab actuali Existentia. Vndè, ex hoc, quod in hyeme Rosa non existit, nō per hoc eius Essentia, quæ nō dependet ab aliquo efficiēte, deperdita est. Essentiæ enim rerum sunt æternę, & reales.

17 Vbi notandum volo, contrà Nominales, & præsertim, Palatios in 1. dist. 8. qui cum Nominalibus negat, *essentias rerum esse, antequam existant*; quod, dupliciter aliquid dici potest, Ens reale: primo modo, quatenus distinguitur, cōtra ens rationis; secundo modo, quatenus distinguitur, contra non Existens: priori modo, quælibet res, in prædicamēto collocata; siuè sit extra suas causas; siuè non, Ens reale est: posteriori modo, illud, tantum, dicitur Ens reale, quod habet actualem suam Existētiam a parte rei. Primo modo, omnia prædicata essentialia, præsciendendo à quacunque existētia, & actualitate extra causas, profectò Entia realia sunt: quæ, vt sic, non dependent ab aliquo efficiente; cum, vt sic non producantur, sed improducta, & improducibilia sint, & ex consequenti, æterna dicantur.

Notandum contra Palat. Ens reale dupliciter.

Essentia non episiens, quo modo est ens reale.

18 Ex quo, tamen, non licet inferre: ergò aliquid fuit ab æterno æternum, extra Deum, quod tamen Deus non est. Nam ly *fuit* æquiuocum est: potest enim vsurpari, quatenus est præteritum verbi, *sum, es, est*, prout dicit rei existentiam; quo pacto, de solo Deo enunciatur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* Vndè, *Dei* nomen, quod nos magis propriū in via cognoscimus, est, *Ego sum*, & *Qui est*. Et, hoc modo, implicat, aliquid, extrà Deum, esse ab æterno. At verò, si ly *fuit* deriuetur à verbo, *sum*, quatenus rei tantum connotet essentiam, non minus verum est, rerum essentias æternas esse: non tamen, actu, extrà Deum: sed actu in Diuino intellectu, vt intellectas.

Non sequitur absurdū consequens.

19 Verum not. quod Essentia, verbi gratia, *Hominis*, neque est, *Homo*; neque est, *Animal*: sed hoc: *Homo est animal*; Vndè, quando dicitur Essentia Hominis, esse ab æterno, non debet intelligi, quod Homo sit ab æterno, vel Animal: sed tātum, quod connexio hominis, & animalis, ab æterno sit.

Alterum notandum.

20 At dices; quo pacto talis cōiunctio extremorū pōt esse ab æterno, nullo extremorum ab æterno existente? nam, desinente aliquo extremorum, videtur, quod desinat & coniunctio; Vndè docet Arist. cap. de substantia, circa finem: *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*, Cumque, nec Homo, nec Animal ab æterno esse potuerint; sequi videtur, quod neque ab æterno possit esse vera illa propositio, *Homo est animal*.

Obiectio.

21 Pro cuius difficultatis intelligētia, summoperè animaduertendum est; quod propositio affirmatiua de tertio adiacente, non significat subiectum, aut prædicatum esse; sed significat coniunctionem prędicati cum subiecto; & ideò, ad videndum, an veritas, significata per aliquam propositionem; sit perpetua, & necessaria; an verò temporalis, & contingens; non oportet attendere, an subiectū, vel prædicatum existat; sed necesse est, diligenter inspicere, an coniunctio illa prædicati cum subiecto sit perpetua, ac necessaria, vel nè: quandocunque autem subiectum nequit intelligi sine prędicato tunc illa cōiunctio, & cōnexio est necessaria, & perpetua: quādo autem subiectū potest esse, & intelligi sine prędicato, cōnexio

Pro solutione notādum.

nexio illorum non est necessaria, sed contingens: quia potest prędicatum à subiecto separari; & quando subiectũ non potest intelligi sine prædicato, tunc prædicatum non potest separari ab illo; & sic, illa coniunctio est necessaria.

22 Sed dices, contra hoc; quod quamuis, existente subiecto, non possit ab illo prædicatum separari; sicut, existente Homine, non potest fieri, quin sit Animal; tamen potest illa coniunctio dissolui, per hoc, quod subiectum non sit; & cum illud subiectum, scilicet, *Homo*, non fuerit ab æterno; sequitur, quod neque illa coniunctio Animalis cum Homine sit ab æterno.

Occurritur obiectioni.

23 Respondetur, quod necessitati, & perpetuitati non obest, quod Homo, aut Animal non sint: quia (vt diximus,) non importat esse Existentiæ alicuius illorũ, sed solum connexionem vnius cum altero, quæ verè est, adhuc, nullo illorum existente, quia in huiusmodi propositionibus, illa extrema supponunt naturaliter: idest, illud verbum, *Est* non restringit extrema, ad hoc, vt existant, in ordine ad suum tempus: & sic, sensus illius propositionis, non est, quod, *Homo sit*; aut, *Animal sit existens*; sed quod, *Homo est animal*: idest, quod natura Hominis est, esse Animal: & hoc ab æterno est verum; neque per aliquam causam efficientem factum est, quod natura Hominis sit esse Animal.

§. IV.

Tertio notãdum D. Tho.

24 SEd adhuc, pro ampliori declaratione, vt exactè res adeo subtilis, ac difficilis intelligatur, & nullus remaneat scrupulus, not. cum D. Tho. de Ente, & Essentia cap. 8. circà principium. Quod natura, in concreto significata, vt totum, vt *Homo*, *Animal*, &c. tripliciter potest considerari; primo, absolutè, & secundum se, vt abstrahit ab omni Esse, tàm in intellectu, quàm extrà intellectũ: secundo modo potest considerari, secundum esse actuale, quod habet in re; Et aliqua prędicata conueniunt ipsi naturæ, secundum esse, quod habet in re; vt, esse *Album*, *Nigrum*, *Ridere*, *Currere*, &c. ex eo, enim Homo est Albus, &c. quia iste homo; vel ille, à parte rei, est albus: non enim habet ipsa hominis specifica natura, quod sit alba, vel nigra. Alia prædicata conueniunt naturæ, secundum esse præcisè, quod habet in intellectu; quo pacto conuenit Homini, esse *Speciem*; Animali esse *genus*: &c. Alia prædicata conueniunt naturæ; nec præcisè, ratione esse, quod habet in rebus; neque, præcisè ratione esse, quod habet in intellectu: sed ratione ipsius met naturæ, absolute, & secundum se consideratæ (& si hoc esse naturæ præsupponat abstractionem intellectus à conditionibus indiuiduantibus, prout diximus in Logica, vbi hunc statũ naturæ, hoc vltimo modo consideratæ, appellauimus, statum metaphysicum) & huiusmodi sunt, rationes essentiales, & quidditatiuæ; vt Homini competit, esse Animal, non ratione alicuius esse, quod in rebus, aut in intellectu, præcisè, habeat, vt sic, sed ratione ipsius met naturæ humanæ, non logicè, neque physicè, sed metaphysicè consideratæ: Hanc doctrinam etiam ponit Ferrar. 2. con. gen. c. 52.

Ferra.

25 Ex quibus patet; quomodo, & qualiter cõiunctio illorum extremorum, *Homo est Animal*, possit, non solum intelligi, verum etiam esse, nullo illorum extremorum existente, & nullo etiam intellectu considerante; quia prædicatum non conuenit subiecto, ratione alicuius esse, siue in re, siue in intellectu; sed ratione sui ipsius: nec ista conuenientia est intelligenda, secundum actualem prædicationem; quia hæc, cum sit opus Intellectus, non potest, nullo intellectu existẽte, fieri, sed fundamentaliter, & naturaliter; quia illud prædicatum includitur in ipsa natura subiecti.

Connexio prędicati cũ subiecto sine ipsorum existentia.

26 Sed petes; Vbi nam erat ab æterno illa connexio? Respondeo, quod erat in ipsis rationibus rerum; & ipsæ rationes erant in mente Diuina, obiectiuè, vt potè, per ideas, quæ erant in intellectu Diuino, repræsentatæ.

Solutio alterius difficultatis.

27 Sed si iterum queras, An aliquid, vel nihil erant? Respondeo, quod Aliquid; non creatũ, sed creabile: sicut Idea domus fabricandæ in mente artificis, nõ est aliquid fabricatum, sed fabricandum; non factum, sed faciendum.

Soluuntur aliq.

28 Et quando obijcitur propositio Arist. *Ab eo quod res est, vel non est, &c.* Responderi potest, illam non esse intelligendam, de Esse, vel non Esse rei incomplexæ; sed de Esse, vel nõ Esse rei complexæ, per propositionem significatæ: non enim ipsa propositio facit, quod prædicatum subiecto conueniat; nisi in re ipsa conueniat: si enim, in re ipsa, Animal nõ spectaret ad Hominem, profectò ista propositio, *Homo est Animal*: non facet,

Quomodo intelligenda sit illa propo Arist. Ab eo quod res est. &c.

tet,

ret, quod Animal ad Hominem pertineret;& sic,esset falsa:& quia, in re Animal est de ratione Hominis; hinc est, quod propositio vera est. Et ideò ad verificandam illam propositionem,non est necessè, quod Homo sit à parte rei; vel, quod à parte rei detur Animal; sed sufficit, quod in re ipsa, præscindendo ab Existentia, Animal sit de ratione Hominis, & coniugatur cum illo.

29 Patet igitur, ex dictis, quomodo Essentia habeat suam realitatem Essentiæ sine Existentia; & consequenter, ex hoc capite, distinguitur ab Existentia realiter. Cœterum cum ipsa Existentia nequeat ab Essentia seiungi,nec per Dei potentiam:cum nil aliud prorsus sit Existentia, quam Essentia, actu, extra suas causas posita in rerum natura,& sic,modus quidam ipsius Essētię.(vt in 1.phys. dictum est)sequitur, non distingui realiter Existentiam ab Essentia: sed modaliter dumtaxat.

Quid producatur per productionem creaturę.

30 Sed petes:in productione Hominis,quid producitur,Essentia, an Existentia? Respondeo,nos non negare,quamlibet Essentiam creatam habere causam sui efficientem; cum enim omnis productio terminetur ad aliquod Esse actualis Existentiæ;& Essentia cuiuscunque creaturę possit accipere Esse à Deo; necesse est,vt omnis talis Essentia causam productiuam possit habere: & nota, quod aliud est, dari causam efficientem illius connexionis, Animalis, v.g. cum Homine,quod falsum est; cum huiusmodi connexio nullum esse Existentiæ requirat:& aliud est,dari causam efficientem hominis, omniumque attributorum essentialium illius,quod verum est.Essētia enim, ex hoc ipso, quod quidditas, & Essentia est, abstrahit à quolibet Esse Existentiæ: quia nullum esse includitur intrinsecè in rei diffinitione;Et tamen Essentia,secundum se, realitas quædam est; & in suo genere,actu est,scilicet,actualitate quidditatiua. Quæ realitas, licet explicetur per negationem, dicendo,quod non est, quid confictum per intellectum; non tamē est negatio, sed positiuum Ens est: non includens,tamen,in sua ratione positiua, Existentiam; & consequenter, secundum se consideratum non vendicans sibi hoc,vel illud esse: Et ideò,cum generatur Homo, generatur Essentia,non secundum illud Esse Essentiæ,de quo diximus,non habere dependentiam ab Agēte; sed secundum Esse Existentiæ,secundum quod,Essentia pendet ab Agente; Essentia ergo,secundum rem,generatur: sed non secundum rationem Essentiæ, præcisè; quia abstrahit,vt sic,ab Agente, & ab Actione Agentis,sed generatur,sub illo modo existētiæ;itaut, implicet, produci,& non sub illo modo: at,quod propriè producitur,& primo est ipsa rei Essentia;modus vero, sub quo producitur, comproducitur cum Essentia, tanquam idem re cum illa. Et cum talis Existentia non sequatur Essentiam, quasi ab ea emanet, quia id implicat contradictionem,vt supra n.12.dictum est:fit, vt,cum actio, atque influxus causæ efficiētis terminetur primo ad Singularia; Existentia primò Singularibus cōueniat; &, ratione eorum, Vniuersalibus; Fit etiam, vt existentia sit prior natura, quam passiones, cæteraque accidentia in suo subiecto verè existant: hæc enim, necessariò, subiectum existens requirunt. Vndè, primum quod comitatur Essentiam, dum producitur,est ipsa actualis Existentia,sub qua, necessario,& immediatè debet produci. *Nazar. Molin.* Hanc doctrinam, partim mutuauimus ex Nazar. partim verò ex Molina.

Proportionaliter de accidentibus dicendum.

31 Quod autem diximus, de Existentia substantiæ, intellige, suo modo, etiam de Existentijs, tum accidentium, tum substantiarum incompletarum: Materia, namque, & Forma etiam habent, immediatè, Ab Agente suas peculiares Existentias, & incompleras, quibus incompletè dicuntur existere, & ex quibus perficitur Existentia completa, & totalis ipsius totius, prout dictum est 1. phis.

Existentia reductiuè ponitur in prędicamento.

32 Colligere liceat, ex dictis; Existentiam reductiuè collocari in prædicamento eiusdem rei, cuius est existentia, cum qua idem realiter est, licet sit accidens,respectu Essentiæ illius; non prædicamentale,sed prædicabile:accidit enim Essentiæ,esse extra suas causas. Benè verum est,quod,eo ipso,quo actu est in rerum natura, nullo prorsus modo distinguitur Essentia actualis; seu actualiter posita extra causam,ab Existentia. Hæc de Essentia, & Existentia in Creatis breuiter dicta sufficiant; quæ, si ex professo tractanda essent, longiorem exigerent perscrutationem.

§. V.

33 EX hucusque dictis, de Esse, & Essentia creaturarum, facilè erit intelli-

telligere quid sentiendum de Esse, & Essentia Dei: an eodem modo se habeant, vel aliquo modo dinstinguantur inter se; an verò, altera sit de essentia, & intrinseco cõceptu alterius? Et quidem D.Tho. hanc disputans quæstionem ar.4. tantum videtur concludere; Esse, & Essentiam, in Deo, esse idem, secundum rem; præscindendo ab inclusione rationum formalium, & conceptuum; vt optimè vidit Nazar. ibi in explicatione sensus quęsiti, & patet ex duabus primis rationibus, quibus D. Tho. probat suam conclusionem; quarum prima est huiusmodi. Necesse est, quod illud, cuius Esse est aliud ab essentia sua, habeat Esse causatum ab alio: Sed Deus non habet Esse causatum ab alio, cum sit prima causa efficiens: ergo, &c. Probo maio. Esse, quod est aliud ab Essentia rei, necesse est, quod sit causatum, vel ab aliquo exteriori, vel à principijs essentialibus eiusdem rei: at impossibile est: quod Esse sit causatum tantum à principijs essenrialibus rei; quia nulla res sufficit, vt sit sibi causa essendi: ergo Esse, quod est aliud ab Essentia, est causatum ab alio. Maior huius argumẽti probatur: quicquid est in aliquo, quod sit, præter eius Essentiam, oportet, esse causatum, vel à principijs Essentiæ, vel ab aliquo exteriori: ergo Esse, quod est aliud ab Essentia rei, necesse est, quod sit causatum, vel ab aliquo exteriori, vel à principijs essentialibus eiusdem rei.

Sensus D. Thom.

Nazar.

1. ratio D. Thom.

35 Secunda ratio D.Tho. est. Esse, quod est aliud ab Essentia, comparatur ad illam, sicut actus ad potentiam; cum Esse sit actualitas omnis formæ, vel naturæ: at in Deo nulla est potentia; ergò, &c.

2. ratio D. Thom.

Cæterum tertia ratio videtur probare, nedum hoc: sed etiam, quod Esse sit de intrinseco conceptu Essentiæ Dei. Est autem ratio D.Tho. Illud, quod habet Esse, & non est Esse per essentiam, est Ens per participationem: at Deus non est Ens per participationem; ergò est suum Esse per essentiam: ergò sua Essentia est suum Esse. Maiorem probat, exẽplo illius rei, quæ habet ignem, & non est ignis: quæ est ignita per participationem: minorem verò probat, quia sequeretur, Deum non esse primum Ens. Quæ ratio etiam procedit in ipsis conceptibus formalibus: Implicat enim concipere, Deum habere Esse, & non per Essentiam: quia implicat concipere, Deum, & non concipere illum, vt Ens primum.

3. ratio.

36 Quare resolutè dicendum nobis est: Esse Dei, taliter esse de Essentia ipsius Essentiæ Dei, vt nequeat Deus esse, nec cogitari absque tali Esse. Videatur inter alios Doctores Suar. tum cap.2. cit. à nu.5. & deinceps: tum 3. par. disp.2. sect. 1. per totam, vbi hãc veritatem, satis perspicuè, authoritatibus sacræ Scripturæ, & Patrum, demonstrat. Videatur etiam Gilius lib.2. tract.1. de Essentia Dei in se cap.3. fauet etiam expressè huic veritati noster Puteanus ar.4. concl.2.

Resolutio q. esse est de essentia Dei.

Suar.

Gilius.

Puteanus

37 Sed, omissis nonnullis, quę adduci possent, ad hoc probandum: breuiter, primo, conclusio nostra probatur, ex ipso nomine Dei; *Qui est*: formatur autem sic ratio: Omnia nomina, quæ rebus imponuntur ab ijs, qui earum Essentias, & Naturas exactè norunt, proculdubio, ipsas Naturas rerum, & Essentias declarãt, & dicunt: Vndè dictum illud extat Platonicum: *Nomen est consequens rei*. Et cõmuniter Doctores super Genes. affirmant, cum sacro textu, Adamum imposuisse omnibus animantibus nomina propria, eorum Naturas, & Essentias exprimentia; vtpotè, qui omni rerum notitia imbutus, optimè animantium omniũ naturas nouerat: ergò, multò magis nomina, ab ipsa Increata Sapientia rebus imposita, exactius proprias earum naturas, & essentias declarabunt. Sed ipsamet Sapientia Increata sibi nomen imposuit, ab ipsa existentia desumptum: Exod. 3. *Ego sum, qui sum*. Et, *qui est*. Ergo, Existẽtia, illud est, quo nihil perfectius Dei Essentiam exprimere potest, & quod maximè essentiale Deo est. Et ex consequenti, non potest Deus concipi sine Existentia: quia conciperetur absque eo, quod sibi essentialissimum est. Vnde Nazian. orat.4. de Theolog. ait: *Quantum nobis assequi concessum est, Ens, & Deus magis, quodammodo, Essentia nomina sunt; ex ijsque, etiam, Entis vox, ad eam indicandam, aptior est, non hoc solum nomine, quod ipse, cum Moysi in Monte oraculum ederet, quærereti; ille, quo nomine vocaretur? itá se ipsũ appellauit: Qui est: Ens, enim, proprium est Dei.*

Probatur 1.

Dictum Platonicum.

Genes.

Exod.

Nazian.

38 Probatur secundo conclusio; prima differentia, quæ apprehenditur, constitutiua rei, in Esse suo, nequit per intellectum præscindi ab illa re, cuius est differentia prima, & constitutiua: Sed prima differentia, quam nos apprehendimus, con-

2. probatio.

constitutiuam, vel quasi constitutiuam Dei, in suo Esse, est Existētia: ergò nequit Deus intelligi, seclusa, etiam, per intellectum, Existentia: & ex consequenti, Existentia est de intrinseco, & essentiali cōceptu Essentiæ Dei. Hæc vltima consequentia patet: quia, non aliunde argumentamur, aliquid esse de intrinseco, & essentiali conceptu alterius, nisi ex eo, quod vnum non possit concipi, sine alio. Maior etiam patet; nam, si per rationalitatem intelligimus, constitui hominem in esse hominis, quomodo intelligi potest homo in tali esse constitutus, absque suo constitutiuo? at minor probatur. Per id, per quod intelligimus, aliquid differre à reliquis ab ipso, intelligimus, pariter, illud constitutum in suo esse: vt, sicut, per rationalitatem intelligimus, hominem distingui ab omni Ente, quod non sit homo; ita, per rationalitatem intelligimus, hominem constitutum in esse hominis; iuxtà illud vulgare axioma. *Idem est principium constitutiuum, & distinctiuum*: Sed id, per quod maximè intelligimus, distingui Deum à reliquis omnibus entibus creatis, est; quod Ens creatū, non necessario existit: & potest intelligi, secundum suum esse essentiæ, abstrahendo ab actuali existentia: non autem sic Deus, qui necessario existit, & per essentiam, & non potest concipi Deus, quin concipiatur, vt existens: nam ideò creatura sic intelligi potest, quia ei non repugnat, concipi, per modum entis potentialis; seu in potentia obiectiua: hoc verò repugnat Deo, aliàs, non conciperetur, vt purus actus, nec vt prima causa, & efficiens; nam, quod concipitur, vt ens in potentia, concipitur; vt recipiens esse ab alio, quod repugnat Deo: ergo, &c.

Occurritur solutioni. 39 Neque dici potest, quod existentia posset concipi, vt ab ipsamet Essentia Diuina dimanans: nam, hoc prorsus repugnans est (vt supra vidimus:) cū enim dimanatio habeat aliqualem rationem causalitatis, necessario, id, quod ab alio dimanat est posterius eo, saltem, natura, & sic, illud, à quo aliud dimanat, debet præsupponi, actu existens; & ecce implicantia, quod Existentia iam præsupponeret Essentiam existentem, antequā ipsa esset; vt dictum est suprà.

3. probatio. 40 Tertio probatur, ex his, quæ diximus 1. phys. & supra tetigimus. In naturis creatis, etiam si existentia non dicatur essentialis creaturis, sicut Deo: tamen, adhuc est de intrinseco conceptu, & essentiali ipsius Essentiæ; non, vt sic, considerata; sed, prout est actualis Entitas, & extrà suas causas: ergò, multo magis in Deo, ipsa natura Diuina sicut est vna actualis entitas absoluta essentialiter, ità includit essentialiter, in suo formali conceptu, Existentiam.

§. VI.

41 Sed contra hæc adduci potest D. Hieron. super illa verba Ephesior. 3. *Ex quo omnis Paternitas nominatur*; Vbi videtur affirmari, Diuinam Essentiam esse causam, & principium sui Esse. Idē videntur asserere Lact. lib. 1. inst. c. 7. & D. P. Aug lib. 7. de Trin. c. 1. sub fin. Obiectio ex D. Hieron. Pau. Lactan. Aug.

42 Respondeo, tamen, breuiter; Omnes hos Patres velle, Existentiam Diuinam esse ab Essentia Diuina, non positiuè; ità ut, sensus sit, quod Essentia Diuina verè causet, per aliquem positiuū influxum, & physicam causalitatem, Existētiam Diuinam: hoc enim, implicare contradictionem, vidimus: Sed, negatiuè; ita ut, sensus sit: Essentia Diuina est causa Existentiæ Diuinæ; non, quod eam verè causet; sed quia Existentia Diuina à nullo prorsus est, sed à se ipsa; ità communiter explicant Recentiores, & præsertim Gilius, loco supra citato. Explicatur. Gilius.

43 Obijcies secundo. non repugnat, posse Essentiam concipi, sine proprietatibus relatiuis (, vt communiter dici solet in materia de Trinitate:) ergo nec repugnabit, posse eandem Essentiam concipi, sine Existentia; nulla enim videtur apparere disparitas: 2. obiectio.

44 Respondeo; negando paritatem; ratio verò disparitatis est: quia Essentia Diuina cōstituitur in sua entitate actuali, per Existentiam, secundum nostrum modum concipiendi; & hæc Essentia, ità constituta per Existentiam, est res aliqua, simpliciter necessaria; ac proinde, dicit in suo cōceptu formali Existētiam: Ast proprietates relatiuę non constituūt Essentiam in sua entitate actuali; sed præsupponunt illam, ita constitutam in sua entitate actuali; absoluta enim, in Diuinis, præintelliguntur relatiuis; vt fatentur omnes, loco cit. Solutio.

45 Tertio obijcies argumentum, quod secundo loco sibi obijcit D. Thom. De Deo possumus scire *An sit*, & non possumus scire *Quid sit*; vt in superioribus vidimus; ergo non est idem, Esse Dei, & Essentia illius; alias non possemus 3. obiectio.

nosse

nosse, & scire, Esse ipsius, quin etiam sciremus eius quidditatem; & Essentiam.

Solut: 46 Ad hanc obiectionem Respondet D. Tho. Quod, *Esse*, dupliciter dicitur; vno modo, significat actum essendi; alio modo, significat compositionem propositionis, quam Anima adinuenit, coniungens prędicatum subiecto. Primo igitur modo, accipiendo *Esse*, non possumus scire *Esse* Dei; sicut, nec eius Essentiam; sed solum secundo modo. Scimus enim, quod hæc propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, *Deus est*: vera est; & hoc scimus, ex eius effectibus, vt supra dictum est.

Difficultas Solutionis. 47 Cæterum solutio hæc difficilis apparet, nam si scimus *Esse*, quod significat compositionem huius propositionis, *Deus est*: sequitur, quod scimus etiã, quod Deus Existit: quia ab isto Esse Existentiæ, quo Deus existit, illa propositio dicitur vera: sicut ab Esse Existentiæ, quo Petrus existit, dicitur vera hæc propositio, *Petrus est*: ergò videtur manifesta repugnantia asserere, quod scimus Esse, quod significat veritatem huius propositionis, *Deus est*: & nescimus Esse, quo Deus Existit.

Responsio Caiet. Not. 48 Respondet tamen Caiet. ar. 4. & 1. post. cap. 1. in responsione ad tertium: quod, hoc discrimen est, inter esse Existentiæ Dei, & esse Existentiæ aliarum rerum: quia Esse aliarum rerum, solum est terminus quæstionis *An est*: ita quod, ad quæstionem, *An rosa sit?* sufficienter Respondetur, *Quod rosa est*: Et illud esse rosæ non potest esse terminus alterius quæstionis, quam illius, scilicet *An sit?* Et ideò, quando esse rei cognoscitur, vt terminus quæstionis *An est*? dicitur simpliciter, & absolutè cognosci: quia cognoscitur, secundum proprium sibi modum. Esse autem Dei, non solum est terminus quæstionis *An est*? sed etiam quæstionis *Quid est*? quia Esse Dei, non solum est, quo ipse Deus est, sed etiam est quidditas, & essentia ipsius Dei: quia Deus est suum esse: Et ideò, quamuis sciamus Esse Dei, quatenus est terminus quæstionis *An est*? idest, quatenus fundat veritatem huius propositionis *Deus est*: non dicimur, tamen, scire simpliciter, & absolutè, Esse Dei: quia non scimus illud Esse, quatenus terminat quæstionem, *quid est*? idest; quatenus est quidditas, & Essentia ipsius Dei: & sic, non cognoscitur, secundum modum sibi proprium; & ideò, non dicitur, simpliciter, & absolutè cognosci.

49 Ad Diuum ergò Thomam descendens, ait, quod, cum S. Doctor, in illa solutione, dicit, quod scimus Esse Dei, quatenus significat compositionem propositionis; & non quatenus significat actum essendi: nõ intendit negare, quod cognoscamus Esse ipsius Dei, quatenus fundat veritatem illius propositionis, *Deus est*: hoc enim inuolueret contradictionem: sed quia non scimus illud Esse, secundum modum, sibi proprium; idest, quatenus est quidditas: ideò negat, simpliciter, & absolutè, illud Esse cognosci: quæ declaratio optima est.

50 Tandem obijcies: tunc intelligimus aliquid nõ esse de essentia alterius, quando, saltem per intellectum, concipitur præcisum ab alio: quod enim est de essentia alicuius, nec per rationem pręscindi potest ab essentia illius: sed intellectus pręscindit Esse Dei, ab eius Essẽssentia; ergò, &c. prob. min. Esse, etiam in Deo, concipitur à nobis, vt actus Essentiæ; & comparatur ad Essentiam, sicut abstractum, ad cõcretum: licet enim hoc nomen, *Essentia*, significetur, abstractè, nihilominus tamen, intellectus, ab vno abstracto, maiorem facit abstractionem; vt, ab albedine, abstrahit, albedeneitatẽ: & à Relationibus, pręscindit, & abstrahit, *esse ad*, ab *esse in*: sic etiam, ab Essentia Dei, vt existente, abstrahit Esse, seù Existentiam; itaut, Existentia habeat rationem abstracti: Essentia verò existens, concreti; ergò, si hoc facit intellectus; argumentum est, quod Esse non sit de intrinseco conceptu Essentiæ Dei. Quod autem hoc faciat, imò facere debeat; patet; quia non possent, alias, ad inuicem comparari, vt concretum, & abstractum, nisi talis pręcisio fiat. Omnis autem comparatio, cum sit ad alterum, duo, ad minus, extrema, saltem ratione distincta, requirit; aliàs non esset comparatio. 4. obiectio.

51 Hanc obiectionem optimè soluit Suar. nu. 9. quod ex conceptione nostra, per modum abstracti, & concreti, vel cum præcisione, quoad expressum modum concipiendi vnius, sub vna ratione, & non sub alia; non sequitur, quod re ipsa, vnum non sit de essentia alterius; vel, quod non includatur in Essẽtia illius. Nam Deus, & Deitas se habent, vt abstractum, & concretum; & tamen, in re, nihil includit vnum, quod non includat alterum: sed distinguuntur, tantum ratione, ex modo concipiendi nostro: nam, per vnum modum concipitur, expresse, Soluitur cum Suar.

& subsistens in tali natura per alium, tantum, sub ratione naturæ. Sic ergo se habent Esse, & Essentia: nam, sub conceptu Essentiæ, concipitur, sub ratione naturæ, non potentialis; sed actualis: sub ratione, autem, ipsius Esse, concipitur, vt actus, tantum: non quidem, vt actus actuans aliud; sed, vt actus simplex, qui, per se, actus quidam est: vnde, si conciperentur hæc, vt diuina, & prout in se sunt; nullum esset in eis fundamentum, ad formandos hos conceptus: tamen; quia in creaturis, hęc inueniuntur, aliquo modo, distincta, & nos Diuina concipimus, instar eorum, quæ in nobis sunt: ideò illos diuersos cóceptus formamus, in modo concipiendi, distinctos: non verò, quia, aliquid in cócepto obiectiuo vnius includatur, quod nó includatur in alio. Quæ doctrina, quia digna est tanto viro, & exactè difficultatem euacuat; ideò eam, hic, ad verbum referre placuit.

CAPVT III.

Quomodo omnimoda simplicitas Deo conueniat? An scilicet sit in eo perfectio simpliciter simplex? Et quotuplex sit in Deo perfectio, & quomodo?

§. I.

1 VIdimus, in Deo nullam esse compositionem; sed ipsum esse Ens, omninò, simplicissimum; continens perfectiones omnium rerum: Vnde Diony. cap. 5. de diu. nom. inquit, de Deo. ***Non quidem hoc est, hoc autem non est, Deus; sed omnia est, vt omnium causa.*** Et licet multæ sint, & diuersæ rerum perfectiones, imò, & oppositæ; cum vnaquæque species sua propria perficiatur perfectione specifica, per quam differt a reliquis; tanquam, per quid oppositum perfectionibus reliquarum specierum: non tamen hoc aliquod detrimétum in summa Dei arguit simplicitate: nam ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, & opposita, præexistunt in Deo, vt vnum. In præsenti cap. videndum est; An hæc summa simplicitas sit perfectio in Deo ex simpliciter simplicibus?

Dionys.

Sed pro huius rei intelligentia, necesse est, primo, intelligere, quæ nam perfectiones sint in Deo, & quomodo, & quid sit perfectio simpliciter simplex?

2 Not. ergò primo loco; quod perfectiones omnes, quæ de Deo cognoscútur, ea sunt, quæ significantur, per prędicata, & nomina diuersa, quæ illi attribuuntur. Hæc autem, primo distingui possunt, in Essentialia, & Personalia: Essentialia sunt, quæ spectant ad naturam, in ratione Essentiæ, considerantur: Personalia verò, quæ illi competunt, vt in tribus personis subsistit, de quibus, suo loco, dicendum. Not. 1.

Prędicata Essentialia, & personalia

3 Rursus; Essentialia, alia sunt primaria; alia secundaria; primaria sunt, quæ significant ea, quæ faciunt ad Diuinam naturam, nobis prius insinuandam: Huiusmodi sunt, quæcunque nomina transcendentalia de Deo dicuntur, vt *Ens*, & quæcunque ipsum consequuntur; vtpote; *Vnum, Verum, Bonum*, &c. sic etiam, *Substantia, Viuens, Incorporeum*, &c.

Essentialium subdiuisio.

4 Secundi generis sunt, Prædicata omnia; quæ, secundum nostrum concipiendi modum, significát, non Essentias, & substantias rerum; sed quid illis adiacens; quæ tamen omnia, quia in Deo significant veram ipsius Essentiam, idcircò illi sunt essentialia: quia tamen secúdum nostrum modum concipiendi, intelliguntur, quasi aduenire Essentiæ, dicuntur, non accidentalia; nam accidentia, in Deo, nó solum, quoad rem; sed etiam, quoad conceptum nostrum, repugnant: sed essentialia, secundario; quæ ideo, propriè, dicuntur attributa; quia tribuuntur essentiæ, eam prius conceptæ: quia licet confusè etiam ipsa contineat; tamen, vt hæc distinctè concipiantur, illi quodammodò dicuntur aduenire, secundum nostrum modum intelligendi: Huiusmodi autem sunt, quæ spectant, primò; ad Esse alicubi: secundò, ad Durationem: tertiò ad Operationem. Ratione primi, competit Deo, *Immensitas*; Ratione secundi, *Æternitas*.

5 Sed ratione tertij, multiplex deinde alia fit diuisio; nam Operatio, vel est interna, & immanens; vel externa, & transiens: ratione operationis internæ, primo conueniunt Deo ea, quæ intelliguntur habere rationem actus primi; vt *Intellectus, & Voluntas*, & quæ faciút ad vtriusque perfectionem; vt *Sapientia, Scientia, Consilium*, & cætera huiusmodi, in ordine

Operatio multiplex.

ne ad intellectum. *Benignitas, Misericordia*; &c. in ordine ad voluntatem. Deinde, quæ habent rationem actus secundi: & ex his, qui sunt actus necessarij, vt *Intelligere, Scire* &c. Deinde, qui sunt actus liberi, sed externi; vt *Prascire, Prædestinare, Prouidere, Reprobare, Eligere*.

6 Ratione verò operationis externæ, conuenit etiam Deo primũ id, quod habet rationem actus primi, vt *Omnipotentia*; Deinde quæ habent rationem actus secundi, vt *Creare, Gubernare*, &c. Denique denominationes, quæ hos actus consequuntur, vt, esse *Dominum*, *Patrem*, &c.

De triplici genere prædicatorũ est dubitatio.

7 Ex his ergò omnibus, constat, triplex esse genus prædicatorum, de quibus potest esse aliqua dubitatio, quomodò Deo conueniant? primum genus est eorum, quę sunt negatiua: secundum eorum, quæ sunt positiua realia, communia, tam Deo, quam creaturis: tertium eorum, quæ sunt positiua, sed rationis.

2. Not. Nomina negatiua quę de Deo dicuntur.

8 Quantum ad primi generis prædicata, not. 2. Nomina negatiua, quæ de Deo dicuntur, esse hæc, v3. *Immensus, Infinitus, Incorporeus, Inuisibilis, Incomprehensibilis, Ineffabilis, Immortalis*. Subquibus multa alia deindè comprehenduntur; vt, sub *Immenso*, negatio omnis circunscriptionis: sub *Infinito* negatio omnis limitationis; sub *Incorporeo*, negatio omnium generum, & specierum, quæ sub corpore, in prædicamento substantiæ, continentur; vt, *non lapis, non homo, non animal*, &c. Huiusmodi, autem, nomina sunt negatiua, tantum, secundum modum significandi: non tamen; quoad rem significatam: & patet: nam cum dico, *Deus est incorporeus*; seu, *non est corpus*; vel intelligo, negare de Deo omnem perfectionem, quam habet corpus; & sic est falsa propositio: vel, tantum id imperfectionis, quod continet in sua ratione *esse corporis*: & sic erit propositio affirmatiua; quia negatio imperfectionis est affirmatio perfectionis, sicut negatio negationis affirmat.

Prædicata negatiua, quomodo dicantur de Deo. Suar.

9 Huiusmodi ergo prædicata negatiua, certum est, proprijssimè dici de Deo: cum enim Deus perfectissimum Ens sit, nil verius de ipso loquimur, quã cum ab eo imperfectionẽ remouemus; (vt benè Suar. cap. 9. nu. 8.) Vndè optimè

Damascen.

docuit Damasc. lib. 1. cap. 4. dicens; *Cum Deus nobis incomprehensibilis sit, hoc solũ de eo comprehendimus, quod incomprehensibilis sit*; ipsam ergò negationẽ, proprijssimè concipimus, & Deo illam attribuimus. Et ideo communiter Patres clamant, Deum magis cognosci à nobis intelligendo, quid non sit, quam, quid sit; in hac vita. Præterquam quod, id, quod nullo modo alteratum à sua significatione, verè alicui tribuitur, propriè tribuitur illi: sed ità huiusmodi nomina negatiua tribuuntur Deo: neque enim, cum dicimus *Deum Incorporeum*; alteramus significatum huius nominis; vt cum dicimus, Deum, *Leonem, Ouem*, &c. in quibus nominibus, non id, quod verè significant, accipimus; sed simile quid.

10 Not. 3. huiusmodi nomina negatiua non eodem modo affirmari de Deo, & Creaturis; nam, cum de Homine dico, *Non esse lapidem*: verè nego de homine aliquam perfectionem, quam non habet; quia, cum sit ens limitatum, de ratione ipsius est, carere aliqua perfectione; quæ carentia constituit illum imperfectum; non in genere Hominis, & Animalis: sed in genere Entis. At verò, cum id enuncio de Deo; primario nego, esse in Deo illam imperfectionem, quæ est in lapide; & affirmo, esse in Deo quicquid est perfectionis in lapide; sed eminentiori modo. Nec inde sequitur, nomina negatiua, propriè, non affirmari de Deo; quia non eodem modo tribuuntur ei, & creaturis: nã, & Ens, propriè, affirmatur de Deo; licet, non eodem modo de ipso, ac de creaturis.

3. Not. Negatiua diuersimode dicuntur de Deo, & creaturis.

4. Not. Duplex imperfectio.

11 Vbi illud etiam not. 4. loco, quod duplex est imperfectio; vna, transcẽdens; altera in certo genere: prima est, quæ facit esse inperfectum, in genere Entis; altera, quæ facit esse imperfectum, in propria specie: Ad primam sufficit absentia perfectionis: Ad secundam requiritur priuatio eiusdem. Vt, quod *Homo non sit Spiritus*; facit illum esse imperfectum; non in genere Hominis, cum non pertineat, nec possit pertinere ad speciem Hominis, Spiritum esse: sed in genere Entis. At, quod *Homo sit Insipiens, & Ignorans*; facit illum esse imperfectum, in specie Hominis: cum, esse sapiẽtem, & doctum, Hominis sint perfectiones, & Homini conueniant: quamquàm, & imperfectiones transcendentes, qua parte sunt imperfectiones, & faciunt imperfectum, dicunt etiam priuationem, aliquo modo: cum dicant aptitudinem, & non solam negationem, quia, in genere Entis, vnumquodque, vt Ens est, & non tale Ens, potest habere talem perfectionẽ oppositã.

12 Sed

Soluitur obiectio ex D.Th.

12 Sed obijcies; ex dictis, huiusmodi nomina negatiua faciunt cognoscere, quid non sit Deus; non, quid sit; & D.Th. 1.p.q.13.ar.2.in corp.ait. hæc nomina nō significare vllo modo substantiam Dei; vtrumque verò esset falsum, si significarent Diuinam substantiam, vt non habētem, verbi gratia, imperfectionē lapidis, & corporis.

13 Respōdeo, quod omnis cognitio, qua scitur de Deo, *quid non sit*, est etiam coniūcta cum notitia de ipsius *quod quid est*, & è contra; sed, quæ comparatur, via remorionis, per nomina negatiua, appellatur, simpliciter, cognitio, de *quid non est*: in tantum, autem, nullum nomen notificat, *quid sit Deus*; *sed quid non sit*: quia non perfectè notificat.

Soluitur altera obiectio

14 Iterum dices: Ergò hæ duæ propositiones erunt synonimæ; videlicèt; *Deus est Incorporeus*; &, *Deus nullam habet imperfectionem Corporis*; *& cōtinet quicquid perfectionis in illo est*: Respondeo, negando sequelam: quia ad synonima vitanda in propositionibus, sufficit quæcunq; diuersitas rationis.

15 Sed quinto loco aduertite; *Immortale*, verbi gratia, & *Incorporeum*, *Incorruptibile*, *Inuisibile*, &c. non esse, eodem modo, negatiua nomina: nam, *Immortale*, & *Incorruptibile* dicuntur, expressiùs, potius nomina affirmatiua; in quantum expressius negant negationes: *Mortale enim*, *& Corruptibile* non sunt formæ positiuæ; sed potius negationes; at verò *Inuisibile*, *Incorporeum*, &c. negant aliquid positiuum; sed in quātum substat imperfectioni: negant enim, esse corpus, & posse videri: quæ, quid positiuum, proculdubio, sunt.

Quæ importent positiuū conceptum.

16 Restat ergo, omnia hæc nomina *Incorporeus*, *Inuisibilis*, *Infinitus*, &c. prout Deo tribuuntur, importare positiuum conceptum, quoad rem significatā: in ordine tamen ad negationes imperfectionum, quas continet in entibus limitatis. Sic *Simplicitas* dicit summā actualitatem, conceptam per negationem cōpositionis ex his, & cum his. *Infinitas* dicit summam perfectionem essendi, conceptam per exclusionem omnis limitationis. *Incorporeitas* dicit perfectionem oppositam Corpori, conceptam per negationem imperfectionum, quæ corpora consequuntur; & sic de singulis, &c.

§. II.

17 QVantum, verò, ad perfectiones secundi generis, nempè, Reales: Dubitari posset; An sint in Deo formaliter, An verò eminenter? Pro quo notandum sextò, quod tunc dicitur aliquid, aliud, formaliter, in se continere, quando habet in se formam illius, secūdùm totam suam naturam, & essentiam, aut quidditatem; ita vt, res contenta sit in continenti, secundùm conceptum suū diffinitiuum, qui formalis dicitur; & non secundum excellentiam, aut similitudinem tantum: hoc modo, Calor dicitur formaliter esse in manu calefacta, & in ligno calido: quia vtrobique qualitas reperitur, cui competit conceptus diffinitiuus caloris. hoc etiam modo, homo dicitur formaliter continere Intellectum, Voluntatem, &c. quidditas, quippe, significata per Intellectum, & Voluntatem, propriè; & verè est in homine; ita vt, denominetur homo, formaliter, Intelligēs, & Volens.

6. Not. Perfectiones secundi generis, seu reales. Quid sit, cōtinere aliqd formaliter?

18 Quid autem sit, Eminēter aliquid continere? non est concors sententia: Gabriel enim in 1. dist. 36. q. vnica, in expositione literę Mag. & etiam ar. 1. concl. 2. eiusdem quæstionis, dicit; quod, *Aliquid continere eminenter*, nil aliud est, quam, Cōntinens perfectius esse re contenta. Alij, nil aliud esse volunt, *eminenter aliquid continere*; quam, esse illius causam æquiuocam: cum enim effectus necessario præexistat, seu contineatur in sua causa; & in causa æquiuoca non contineatur, nec præexistat, secundum eandem rationem formalem; sequitur, quod contineatur eminentiori, & excellentiori modo. Alij, nil aliud esse volunt, *continere eminenter aliquam rem*; quam, esse illam eandem rem, non formaliter, sed sublimiori, & excellentiori quodam modo: ita vt, *continere eminenter Leonem*, sit, esse Leonem, non formaliter, sed altiori modo.

Quid continere eminēter, varijs modis explicatur. Gab.

19 Sed clarius dicamus cum Puteano nostro q.4. dubit. vnica not.2. quod, *continere aliquid eminenter* nil aliud sit, quam habere in se formam aliquā perfectiorem, quæ contineat totum illud, quod continetur in forma, quæ dicitur contineri in alio; idque, vel quia potest totam istam formā producere; vel quia hæc est sufficiens ex se perfectionis altetius quasi radix eiusdem: vel denique, quia potest illud omne præstare, quod

Clarius explicatur cum Puteano.

face-

faceret forma ista, quæ dicitur contineri, si adesset; exclusa tamen omni imperfectione. Assignatque Puteanus exemplum de Sole, & Vino, in quibus Calor, eminenter, & non formaliter continetur: Sol enim verè excitat in nobis calorem; quemadmodum calor ipse faceret, qui de facto reperitur in igne, & hoc idem præstat vinum.

§. III.

7. not. Perfectiones Dei in duplici genere.

20 QVibus positis, adhuc septimo notandum est, quod Perfectiones, quas Deo tribuimus, sunt in duplici differentia: aliæ, namque, dicuntur *Simpliciter Simplices*: aliæ verò, *Secundum quid*. Perfectio *Simpliciter Simplex*, ea est (ex D. Ansel. in Monolog. cap. 14.) *Quæ, in vnoquoque indiuiduo Entis, melior est ipsa, quàm non ipsa*. Quæ diffinitio sic exponitur à Caiet. inde Ente, & essentia cap. 2. Scoto in 1. dist. 8. q. 11. ad 1. ab Hacchero 1. p. q. 4. & à reliquis Iuniotibus: primo dicitur, *In vnoquoque indiuiduo entis, vt sic*: quod est, *Hoc ens, vt sic*: per quæ verba, excluditur Indiuiduum huius, vel illius naturæ: quia *ratiocinari*; verbi gratia, licèt indiuiduo naturæ humanæ; verbi gratia, *Petro*, melius sit, quam quodcunque aliud incompossibile illi: nihilominus tamen, ratiocinari non est perfectio simpliciter simplex: quia, quatenus est Indiuiduum entis, melius, ac perfectius est, intelligere sine discursu, quod incompossibile est ipsi ratiocinati. Secundò dicitur, *Melior est ipsa, quàm non ipsa*: quod accipiendum est, *contrariè*, non *contradictoriè*: quia si acciperetur *contradictoriè*, sequeretur, quamlibet perfectionem positiuam esse perfectionem simpliciter simplicē: quia melior est ipsa, quàm eius priuatio: quia carentia perfectionis positiuæ nullam perfectionem dicit, sed potius imperfectionem connotat: dicitur ergò *non ipsa*, hoc est: quodcunque aliud, quod positiuam, adhuc, perfectionem dicat, quod tamen sit incompossibile cum illa perfectione. Quarè sensus integer illius Diffinitionis est; Quod perfectio simpliciter simplex ea intelligitur esse, quæ in quocunque ente, vt sic, est melior quacunq; alia perfectione opposita, quæ posset illi enti aduenire, incompossibili cum illa, quæ simpliciter simplex perfectio dicitur. Et notanter dixi, *quacunque perfectione opposita, & incompossibili*: nam, ad rationē perfectionis simpliciter simplicis non requiritur, quod ipsa sit melior, absolutè, in vnoquoq; Indiuiduo Entis, quacunque alia perfectione: sed, quod sit melior quacunq; alia opposita sibi; alias sapientia non esset perfectio simpliciter simplex: quia non est melior vita; imò, è contrà.

21 Perfectio verò nō simpliciter simplex; quæ dicitur *secundum quid*, vel *in certo genere*: censetur esse ea, quæ, in proprio genere, & formaliter spectata, dicit perfectionem: cæterum, ita coniunctam cum imperfectione, vt ab ea remoueri nullo modo possit, quandiu manet eius ratio formalis. Primi generis sunt, *Bonitas, Sapientia, Intellectus, Voluntas*, &c. Secundi verò generis sunt, *Esse Discursiuum, Corporeum Sensibile, Mobile, & huiusmodi*, quæ propria sunt rerum creatarum; semper enim imperfectionem limitationis, & finitatis ad minimum, habēt, (vt optimè Molina q. 4. ar. 2. disp. 2.) — Perfectionē simpliciter simplex. — Molina.

§. IV.

22 HIs itaque expositis; primò certū est, Vniuersas has vtriusque generis perfectiones esse in Deo. Hoc probant innumera, tum Sacræ Scripturę, tum Sāctorum Patrum loca. Vnde Rom. 11. dicitur; *In ipso sunt omnia*. 1. Corint. 15. *Omnibus omnia erit*. Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum*: hoc est, *me ipsum*: inquit Moysi Deus; quasi ei diceret; vt videas quicquid boni, quicquid perfecti, quicquid optimi est in rerum natura; sufficit, me ipsū videas, in quo, quicquid boni reperitur in vniuerso, videbis. Videantur, Item, Clem. Alex. lib. 5. Strom. D. P. Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 10. & lib. 4. de Trinit. cap. 6. & serm. 4. de verbis Domini. Ansel. c. 15. Monolog. Victorin. in lib. de Trinit. & D. Thom. q. 4. 1. p. — Omnes huiusmodi perfectiones sūt in Deo. — D. Paul. — Exod. — Clem. Alex. — Aug. — Ansel. — Victorin. — D. Tho.

23 Posset etiam hęc veritas nonnullis rationibus demonstrari; sed vna, vel altera sufficiant: prima sit. Nam visio Diuinæ Essentiæ, certissimum est, quod expleat, adæquatè, appetitum creaturæ rationalis; Vndè Dauid Psal. 16. inquit. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Propter quod vniuersalissima est illa Theologorum, ac Sanctorum Patrum propositio; videlicèt, *Visio est tota merces*: sed si in Deo, qui est Beatificæ visionis obiectum, non esset omnis perfectio intelligibilis, nunquam quiesceret intellectus; cum potentię tantum satientur per earum adæquatum obie- — Probatur rationibus, 1. ratio. — Psal.

obiectum; & in tali casu,non esset Diuina essentia obiectum adæquatum intellectus: quia non contineret omne, quod posset intelligi,dum aliqua illi deesset intelligibilis perfectio: ergò dicendum est, nil perfectionis illi deesse; &, ex consequenti,Deum continere in se omnem,& quamcunque imaginabilem perfectionem.

Confirmatur

24 Ex confirmatur hæc ratio: Quia Deus non dicitur infinitè perfectus, secundum quid,& in aliquo genere: sed simpliciter, & in omni genere perfectionis;sed si aliqua ei deesset perfectio, non posset simpliciter perfectus infinitè dici; Ergò dicendum est,omnem prorsus continere perfectionem.

2. ratio ex D.Tho.

25 Secunda ratio sit, ex D.Thom. ex quo, cōmuniter, ab omnibus mutuatur: licèt sit ex principijs philosophicis primò desumpta. Omnis perfectio,quæ reperitur in effectu, necessario admittenda est in sua causa; quia,nil virtute propria potest,tanquàm agens principale, alicui conferre, quod in se nō habeat,& aliquo modo contineat, (vt in physicis sępius demonstratum est:)sed quicquid factum est, per Deum factum est; tanquam per primam, & præcipuam causam, nedum effectiuam,quod sufficeret: verū & idealem, seū exemplarem; quod efficacius probat intentum; cum in exemplari,& Ideali causa,necessario, debeat relucere quicquid in Ideato, & exemplaro imprimitur,(vt patet.)Ergò sequitur,nil perfectionis, prorsus, in vniuerso reperiri, quod non sit in Deo.

2. conclusio D.Tho.

26 Secūdo dicimus: ex his perfectionibus,eas,quas simpliciter simplices appellauimus,formaliter esse in Deo: Est etiam communis assertio D.Tho. & omnium Interpretum eiusdem; quæ non indiget,nisi facili quadam explicatione.

Not. cum Molin.

Vnde notandum est cum Molin.loco cit. quod ea, quæ analogicè perfectionem creatam,& increatam sub se complectūtur,cuius generis sunt, *Viuere, Intelligere*,&c.licet, quatenus in ea communitate considerantur, perfectiones sint simpliciter simplices;attamen,secundum esse,quod in rebus creatis habent,non sunt perfectiones simpliciter, sed in certo genere,qualia sunt, *Viuere creatum; Intelligere creatum*,&c. Hinc fit,vt omnis perfectio creata sit in Deo, solum eminenter; etiam si illa sit nostrum viuere, nostrumque intelligere; quare Deus,simul est formaliter sciens,sciētia sua propria; & eminenter sciens,scientia nostra:& ita de cęteris attributis, quæ Deo,& Creaturis sunt communia.

27 Vel dicas;aliud esse perfectionem existentem in creatura; aliud, rationem perfectionis formalem, existētis in creatura; primò modo,dicitur perfectio creaturarum esse in Deo,tantum,eminenter: quia dicit, vt sic, modum essendi imperfectum: secundo modo, potest esse in Deo formaliter perfectio realis: quia id, quod dicitur esse in Deo,non est creatū: sed est ratio quædam, quæ abstrahit à creato,& increato. — Aliter etiam explicatur.

28 Dupliciter enim potest considerari aliqua ratio:primò,quoad se ipsam: secundò quoad modum essendi: plures perfectiones ergò creaturarum, quoad seipsas consideratæ, sunt formaliter in Deo:tamen,quoad modum essendi,sunt eminēter: quia perfectio attributa Deo, perfectiori modo existit in illo, quam in Creaturis.

§. V.

29 Quod si obijcias: ergò Deus erit causa vniuoca raliū perfectionum creaturarum:patet,quia ideò ignis causa dicitur vniuoca alterius ignis, à se producti;quia formaliter continet ignem: secus est de causa æquiuoca, quæ, non formaliter, sed eminenter suum effectum dicitur continere; vt Sol, respectu caloris producti. — Soluitur 1.obiectio.

30 Respondeo tamen; negando sequelam; nam,licèt aliquæ perfectiones, quæ sunt in Creaturis, dicantur etiam formaliter de Deo;non tamen dicuntur, secundum eandem rationem, vniuoce, de Deo,& creatura; sed analogicè.

31 Quod si iterum obijcias: Id formaliter non conuenit Deo, quod verius remouetur ab ipso; aut secundum altiorem conceptum tribuitur, quam apprehēdatur: sed huiusmodi sunt omnes perfectiones,quæ sunt in creaturis, prout ex Patribus constat: Nam Dionys.c.5.de diuin. Theolog. negat in Deo esse Vitam, Mentem, Rationem, Cognitionem: *sed est,inquit, Mens supra mentem, Vita supra vitam,Denique supra omnia*.& Boet. de Trinit. *Substantia,inquit, in Deo non est verè substantia,sed vltra substantiam*. & Damasc.lib.1.c.4.ait: *Neque enim eorum,quæ sunt quicquam est Deus; non quia non sit,sed quia est super omnia*. Et ferè innumeri Patres hoc idem docent passim; — 2.obiectio. Dionys. Boet. Damasc.

passim; ergò nihil perfectionis,in creaturis repertum,potest,secundum suum formalem conceptum, Deo tribui; quia si aliquid esset, maximè *Bonitas, Vita, Sapientia* &c. quæ tamen non ipsa, sed aliquod supra ipsa Deo tribuitur. Maior huius argumenti patet;quia,quod remouetur,& secundùm altiorem conceptum tribuitur,non potest formaliter conuenire,sed eminenter.

Explicatur mes,Patrum. 32 Respondeo tamen: omnes illos Patres tantum voluisse significare, istas perfectiones non habere in Deo illum modum essendi,quem habent in Creaturis; & propterea dixerunt, ipsum esse Mentem supra mentem, Substantiam supra substantiam;quia Deus est Substantia, in infinitum perfectiori modo existens,quam quælibet à nobis perceptibilis. Et sic,huiusmodi perfectiones non sunt in Deo, & in nobis, sub aliqua Vniuoca ratione; sed bene analoga.

§. VI.

Ratio pro 2. conclus. 33 Quibus optimè explicata manet illa secunda assertio, qua dicebamus,perfectiones simpliciter simplices esse formaliter in Deo: quod si huius dicti, quod omninò certissimum esse debet, aliquam rationem assignare velimus:ea potissimum hoc probat: quia quicquid Deus continet,optimo, ac perfectissimo modo continere debet: sed in his perfectionibus non potest melior, ac perfectior modus excogitari,continendi illas,quam formalis;quia, intra formalem suam rationem, nec limitationem, nec imperfectionem includunt; neque altior gradus entis concipi potest, quam ille, cui hæ perfectiones formaliter conueniunt: ergò non aliter de Deo possunt dici huiusmodi perfectiones simpliciter simplices.

Doctrina Suar. desumpta ex D.Th. 34 Neque displicet, ad maiorem declarationem huius veritatis, doctrina P.Suar.cap.9.num.10. quam desumit ex D.Tho.q.13.ar.3. nimirum,quod huiusmodi perfectiones simpliciter;videlicèt, *Bonitas, Iustitia, Misericordia, Sapientia, Intelligere, Velle*,&c.si vsurpentur,seù attendantur,iuxta modum,quo à nobis significantur,per nomina à nobis illis imposita, & voces, quibus ea exprimimus, non carèt aliqua metaphora:cum,enim, ea in concreto significamus:vt,cum dicimus, *Deum, Iustum, Misericordem* &c. connotant, nescio quid compositionis, quæ in Deo proprie non est,cum verò illa,abstractis vocabulis, nominamus; vt, *Iustitia, Misericordia*,&c.videntur habere rationem formæ,quæ imperfectionem etiam inuoluit. Non autem sic de Deo dicuntur,si illique cum his improprietatibus tribuuntur; sed,cùm in concreto huiusmodi perfectiones significamus, & sic ea Deo tribuimus, ideò est; vt, per concreta, significetur consumata perfectio eius: cum autem in abstracto, vt significetur simplicitas illius.

35 Non autem ex hoc (subdit Suar.) inferre licet, huiusmodi nomina non dici simpliciter, ac propriè de Deo;quia nomen est proprium,ex re,quam significat, non ex modo significãdi; nam illum modum nõ significat directè, nec ad hoc imponitur: sed ad significãdum id, quod est tale; vel quod est perfectum, vel simplex:hæc autem omnia,de se,abstrahunt ab imperfectionibus compositionis, vel informationis; quamuis in rebus, quas nos experimur,non inueniantur sine illis imperfectionibus: & ideò,quoad modũ concipiendi, & loquendi,videmur, semper illum imperfectum modum inuoluere.

36 Dices tertiò,de Perfectionibus secundum quid, & in aliquo genere; Illas non contineri formaliter in Deo,sed eminenter. Hæc assertio non minus est certa, ac superior: tum quia,si Deus formaliter contineret & has perfectiones, formaliter posset dici,Corpus, Discursiuus, Sensibilis,Leo,Capra,&c. siquidem harum omnium terum perfectiones continet. 3.concl. Tum etiam: quia, cum debeat necessariò, perfectiones omnes in se continere: & has nequeat formaliter,sequitur,quod contineat eminenter. Tum tandem:quia, cum Deus sit causa æquiuoca rerum omnium creatarum,debet eorum perfectiones omnes in se habere,modo eminentiori, vt dictum est. Et sic,eminenter,& non formaliter eas dicetur continere perfectiones quę non excludunt aliqualem imperfectionem in suo conceptu. Dixi (*eminenter*:) nam de continentia virtuali,tantum,hic non est sermo; cum talis continentia videatur esse, proprior, instrumenti: Semen,enim,dicitur virtualiter continere plantam,& calor,ignem, &c.

37 Solent hic aliqui petere;An Deus, cũ vniuersitate Creaturarum, sit aliquid perfectius, quam si solus esset, & non creasset Vniuersum? Cui quæsito respon-

M deri

Satisfit consequēti quæsito. Quomodo Deus cum vniuersitate Creaturarum dici possit perfectior se ipso solo.

deri potest: quod, si loquamur de perfectione intensiua; non potest Deus dici, cum vniuerso, perfectior se ipso solo: cū enim in se Deus eminenter contineat perfectiones omnium rerum creatarum, nullam ipsi additionem intensiuam facere possunt creaturæ; quæ etiam causa est, vt non necessariò, Deus diligat aliquid extra se, amore efficaci: quia ad Beatitudinem eius sufficit illi infinita sua perfectio: Si autem sermo sit de perfectione maiori, secundum extēsionem; concedi potest, Deum, vna cum toto aggregato entium omnium creatorum, esse quid perfectius se solo Ente increato: ità præcæteris Hacchet. tract. 2. q. 4. n. 11.

Hauhe.

§. VII.

38 HIS omnibus, ergò, de Diuinis perfectionibus, ea qua potuimus facilitate, ac breuitate, prælibatis; non difficilè erit intelligere, quid sentiendum de Simplicitate Dei? An, scilicet, sit in illo perfectio? &, an, ex simpliciter simplicibus; an verò, ex perfectionibus secūdum quid?

1. sententia de simplicitate Dei, Caiet. Mol. Ban. Zum. Nazar D. Thom. Putean.

39 Et licet in hac re Caiet. c. 2. de Ente, & Essentia; Molina: Bannes, Zumel, Nazar. & nonnulli alij Thomistæ 1. par. q. 3. ar. 7. velint, *Simplicitatem* non dicere perfectionem in Deo, neque imperfectionem: quibus videtur fauere D. Thom. in 4. senten. dist. 11. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. ad primum. Et noster Puteanus super illum art. 7. dicit, *Simplicitatem non esse perfectionem simpliciter simplicem, ex vi significationis nominis Simplicitatis; præsupponere, tamen, perfectionem simpliciter simplicem in Deo*; Imò & Suar. videtur huic sententiæ fauere: & si in mataph. disput. 30. sect. 3. dicat dissensionē esse potuit in verbis, quam in re ipsa.

Suar.

Sententia Scoti præfertur.

Valent.

Simplicitas in Deo est perfectio simpliciter simplex. Ex D. Thom. & P. Augustino.

40 Nihilominus, probabilior mihi videtur sententia Scoti in 1. dist. 8. q. 1. ad 1. eiusque subtilissimæ scholæ; cui adhæret Greg. de Valen. apud Diuum Tho. ar. illo 7. cit. nimirum, *simplicitatem* esse in Deo perfectionem simpliciter simplicem; imò sentio, Diuum Thomam huius fuisse opinionis: saltem 1. con. Gen. cap. 18. vbi docet, *In vnoquoque genere, illud Esse nobilius, quod est simplicius*. Addo August. hoc idem sentire lib. 11. de Ciuit. cap. 10. vbi, pro eodem accipit, *esse omninò simplex, ac perfectissimum*. Vndè ibi dicit, nil aliud præter Deum esse simplex; *est* enim (inquit) *Bonum solum, simplex; & ob hoc solum, Incommutabile, quod est Deus, ab hoc creata sunt omnia bona, sed non simplicia; & ob hoc, mutabilia*. Ex quibus verbis deduci potest non leuis ratio. Id dicit perfectionem simpliciter simplicem, quod, ob sui excellentiam, non competit, nisi Deo: talis est simplicitas omnimoda, quæ (vt dicit August.) non competit creatis: quia sunt imperfecta bona; ergo, &c.

41 Sed ad tollendam omnem æquiuocationem, quæ esse posset in nomine; summoperè notandum est primò, quod simplicitas est duplex: prima, quæ opponitur admixtioni cum suo contrario: & sic idem est, ac puritas; & illud dicitur omninò simplex, hoc modo, quod nil habet admixtum cum suo contrario; & sic dicitur, Esse Dei, esse quoddam purissimum, ac simplicissimum Esse; quia non habet admixtum aliquid de non esse; & tanto aliquid est melius, in sua natura, & perfectius, quanto minus est admixtum suo contrario: vt illa albedo est perfectior, quæ minus habet admixtum de nigredine: & ille dicitur calor perfectior, qui minus habet admixtum de frigiditate: sed in præsenti non accipitur simplicitas, sub hac significatione.

Not. 1. Simplicitas est duplex, vt opponitur admixtionis.

42 Secundo modo accipitur simplicitas, prout opponitur compositioni. Et simplicitas sic accepta, adhuc est duplex: quædam corporalis, & quædam actualis, seu formalis. Illud est omninò simplex, simplicitate corporali, quod est corpus, non compositum ex alijs corporibus: & illud est simplicius, isto modo, quod est minus compositum ex corporibus. Et de hac simplicitate loquendo, est verum dicere, quod elementa sunt simpliciora mixtis, & materia prima simplicissima. Illud autem est omnino simplex, simplicitate actuali, seu formali, quod est actus, & forma, nil habens de potentialitate ad mixtum; Et illud est simplicius, hac simplicitate actuali; quod est magis in actu, & minus in potentia.

Vt opponitur compositioni adhuc duplex.

43 Secundo loco, recolenda etiam est distinctio illa simplicitatis, quam nos tradidimus in ante prædicamentis, agentes de conceptu Entis: videlicet, quod alia est simplicitas, proueniens ex defectu actus, alia proueniens ex defectu, & carentia potentiæ: Simplicitas proueniens ex carentia, & defectu actus, dicit potius imperfectionem, quàm perfectionem: huiusmodi simplicitate dicuntur esse simplicia prædicata superiora; quo enim

Alia distinctio simplicitatis.

enim prædicatum aliquod vniuersalius est, eo magis actualitate caret; & magis, ex consequenti, habet de potentia; ac per cõseqn ẽsimperfectius est; vt *Substantia*, quæ, hac simplicitate, dicitur simplicior *Corpore*, *Viuente*, *Animali* &c. imperfectior etiam his omnibus est: qua etiam simplicitate, potest, & Materia prima dici, etiam, simplicissima, ob carentiam actus: Vnde magis habet de potentia: imò est pura potentia, cum omni prorsus careat actu, formali, saltem, vt dicitur 1. phys.

Simplicitas ex defectu potentię dicit perfectionem.

44 Simplicitas, verò, prouenniens ex defectu potentiæ, dicit perfectionem, & sic, quo aliquod Ens magis potentia caret, & magis habet de actu, magis perfectum est: cumque Deus omni prorsus careat ratione potentiæ, & sit purissimus actus: ex consequenti, ex eo, dicitur simplicissimum Ens. Ex hac enim remotione, & carentia potentialitatis, nullam admittit compositionem; cum in omni compositione, quæ veræ compositionis rationem habeat, aliquid sit, quod habet rationem potentiæ. Ità patet in compositione ex Esse, & Essentia; in qua, Essentia habet rationem potentiæ: Existentia verò, actus. Ita in compositione ex Materia, & Forma; ex Genere, & Differentia, vt sæpius dictum est; nam Materia, & Genus habent rationem potentię; Forma, & Differentia, actus. Ita in compositione ex Natura, & Supposito: Vbi Natura habet rationem potẽtiæ, & Suppositũ, actus. Et licet in Deo sit Natura Diuina, & sint Supposita Diuina: nõ tñ hæc faciũt cõpositionẽ in illo, vt dicitur in materia de Trinitate; cũ Natura Diuina sit idem cum Personis; sed de hoc suo loco: Videatur Suar. 1. tom. in 1. pat. in tract. de Trinit. Ita in compositione ex Subiecto, & Accidenti; vbi, Subiectum habet rationem recipientis; & ex consequenti, potentiæ; Accidens verò, actuantis. Compositio autem ex partibus integrantibus supponit compositionem ex materia, & forma.

Occurritur obiectioni quę fieri posset.

Suar.

Deus non potest descẽdere in compositionem cum alia re.

45 Ex hoc etiam principio dimanat, Deum non posse descendere in compositionem cum aliqua alia re; nam (excepto mysterio Incarnationis) vel Deus vniendo se illi rei, se vniret, vt actus actuans, seu forma informãs talem rem; vel vt quid actuabile ab illa: implicat hoc secundum: quia non indiget perfici Diuina essentia ab aliquo extrinseco; Illud etiam prius, licet fuerit antiquissimus error nonnullorum, asserentium, Deum esse animam mundi, eiusque formam: tamen damnatus est in Conc. Lateranen. in cap. *Damnamus*. Vbi diffiniere Patres; hoc figmentum, non tam continere doctrinam hæreticam, quam insanam: eiusque autem falsitas patet: quia cum compositum semper sit perfectius qualibet parte componẽte; sequeretur, perfectius esse illud, quod ex Deo, tanquam ex forma, & ex aliquo alio, tanquam ex materia componeretur, ipsomet Deo. Sed patet etiam, quod in hac compositione intercederet potentialitas.

Conc. Lateranen.

46 Quod, si descendit in compositionem realem, in mysterio Incarnationis; inde est, quia, in tali compositione, nulla imperfectio imaginari potest, ex parte suppositi, ad quod fit, vt dicitur in materia de Incarnatione. Vnde hæc compositio non dicitur compositio, *huius ex his*: sicuti reliquæ compositiones, ex pluribus, tanquam, partibus, componentibus, vnum totum dici solẽt: sed dicitur, *huius ad hoc*, vel, *cum hoc*, vt suo loco dicitur: hæc enim vnio fit in substantia completa, integra, & perfecta, ad quam vnionem maximè necessarium est tale suppositũ: fitque sine mutatione illius, per accessionem alterius ad ipsum.

Quare descendat in mysterio Incarnationis.

47 Quando ergò nos de simplicitate loquimur; reponentes illam in Deo, tanquam perfectionem simpliciter simplicem, non sumimus simplicitatem, in tota sua latitudine; sed tantum, prout opponitur compositioni, & dicit carẽtiam omnis potentialitatis imaginabilis.

Simplicitas, quæ Deo tribuitur qualis sit.

§. VIII.

48 ET quia Aduersarij maximè fundantur in eo, quod simplicicitas dicit puram negationem; licet, in modo significandi, non dicat expressam negationem. Ideò, vt tale fundamentum ruat. Vltimo loco notandum est, quod, licèt aliquando, cum nobis non innotescit alicuius differentiæ, vel proprietatis ratio propria, vel nomen, soleamus illã nomine negatiuo appellare: non tamen id, quod sic nuncupamus, in re, negatio pura est; sed verè quid positiuum esse potest; & est, in rei veritate: nobis tamen incognitum. Vndè, cum diuidimus, *Animal*, per suas oppositas differentias: illud diuidimus, per *Rationale*, & *Irrationale*: & dicimus, *Rationale* constituere speciem hominis: *Irrationale* verò, spe-

Vltimo notandum.

Simplicitas Dei licet explicetur per negationem quid positiuum importat.

ciem Bruti. Et tamen, ly *Irrationale*, nomen negatiuum est: & certum est, speciem non posse constitui, nisi per differentiam essentialem intrinsecam, & positiuam; at quia ea nobis incognita est, nec scimus illam, proprio nomine, nuncupare; appellamus eam termino negante differentiam oppositam. Eodem modo dicere possumus de simplicitate: licet, secundum nostrum concipiendi modum, videatur esse quædam negatio compositionis: id ideo est; quia, cum nos ignoremus, quidnam illud sit, quod tantam perfectionem dicit in Deo, secundum quam purissimus actus Deus est, omni potentialitate carens, & compositione? termino vtimur negante huiusmodi imperfectionem compositionis, & potentialitatis; quo tamen intelligimus exprimere illud positiuum, quod nos ignoramus. Et sic, quantum ad rem significatam per illud nomen, non minus perfectionem dicit, ac alia attributa negatiua Dei; vt, *Infinitas*, *Incorporeitas*, *Immensitas*, &c. Et per hæc tria notabilia, solues omnia argumenta, quæ fieri solent à Recentioribus, contra hanc nostram sententiam: & etiam apparet manifestum, simplicitatem, modo explicato, esse in Deo perfectionem simpliciter simplicem. Et hæc de hoc capite, Disputatione, & Quodlibeto dicta sufficiant.

Finis Quodlibeti Secundi.



QVODLI-

QVODLIBETVM TERTIVM.

De attributo inuiſibilitatis Dei.

DISPVTATIO PRIMA

An Deus ſit omnino inuiſibilis?

CAPVT PRIMVM.

An ſit inuiſibilis corporeis oculis?



§. I.

1 Ropoſuimus diſputandum de attributo Inuiſibilitatis, qđ eſt attributum negatiuū Dei, ex illis octo, quæ Suar. enumerat, tum lib. 1. cap. 9. tum lib. 2. in præfatione: ſcilicèt, *Increabilitas, Incorporeitas*, ſeu *Immaterialitas, Infinitas, Immenſitas, Immutabilitas, Inuiſibilitas, Incomprehẽſibilitas, Ineffabilitas*; quibus coniungit, & alia tria, quæ licet negatiua ſint, tamen voces non exprimunt negationem; vt ſunt, *Vnitas, Simplicitas, Æternitas*; Nec noſtrum eſt, ſingulares inſtituere de ſingulis diſputationes: ſed de reliquis ſufficiat, in primis, ſcire, Deum eſſe *Increatum*; quia eſt ens ſummè neceſſarium, & per eſſentiam; &, ſi eſſet creatus, nec eſſet Ens per eſſentiam, nec Deus. Item, eſſe *Incorporeum*, & *Immaterialem*, vt ex ſuperiori Quodlibeto ſatis liquet; vbi oſtẽdimus, eſſe Ens ſummè ſimplex; ex quo videtur ſequi attributum *Vnitatis Eſſentiæ*; cum nil in ea ſit, quod non ſit illa; Item, illum eſſe *Simpliciter Infinitum*, infinitate perfectionis in eſſendo; cum *Magnitudinis eius non ſit finis*, &, cum illud eius ſit, *Quo maius excogitari non poteſt*.

Suar. Attributa negatiua Dei

Deus increatus oſteditur.

Incorporeus, & Immaterialis.

Vnus eſſẽtia.

Infinitus ſimpliciter.

2 Item, eſſe *Immenſum*, cum ſit vbiq; præſens omnibus rebus, per Præſentiam: *Quia non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius* Hæb. 4. Per Potentiam; cum ſua actione, & virtute omnia ſeruet, in omnibus operetur actu: *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*. Act. 17. & tandem per Eſſentiam; ideſt, per indiſtãtiã Eſſentiæ ſuæ ab omnibus rebus creatis: cum ſit *omnia in omnibus*.

Immenſus.

D. Paul.

3 Item, illum eſſe *Immutabilem*: *Ego enim Dominus, & non mutor*, Malach. 3. *Nam apud eum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obũbratio*. Iacob. 1. Eſſe etiam *Aeternum*; quod ex attributo Immutabilitatis colligunt Doctores. Vnde Aug. ſeu Fulgent. c. 6. de fide ad Petrum, *Nullatenus dubitandum, ſed firmiſſimè tenendum*, (ait,) *ſolum Deum Verum, Aeternum, & Immutabilem eſſe*. tandem, Deum eſſe *Ineffabilem*, ſeu *Innominabilem*; cum *verius de illo aliquid cogitetur, quam dicatur*. Aug. 7. de Trinit. c. 4. nullumque ſit nomen, quod ipſum valeat quidditatiuè ſignificare, ſeu repręſentare; ſaltem, apud nos viatores. Quare, his omnibus tranſactis, ad id, quod difficilioris eſt diſcuſſionis, properãdum duximus; quale exiſtimo Attributum Inuiſibilitatis. Et antequam ad viſionem intellectualem accedamus; propoſuimus in hoc capite id, quod non tam difficile eſt: *An*, ſcilicèt, *poſſit videri Deus oculis*

Immutabilis Malach.

Aeternus Iacob. Auguſt.

Ineffabilis Aug.

corpo-

corporeis? de qua re disputant omnes recentiores apud D.Tho.1.p.q.12.ar.3.& Suar. lib.2. c.6.

D.Tho. Suar.

§. II.

Nequit Deus oculis corporeis naturaliter videri

4 IN hac quæstione, illud supponendum est, tanquam certum; quod, naturaliter loquendo, nequit corporeus oculus Dei essentiā attingere: quia actio potentię corporalis,& organicę non potest se extendere ad incomparabilia apprehendenda. Vnde 1.Corinth.2.dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audiuit*,&c. & Io.1.& 24. *Deum nemo vidit vnquam*. quæ, & innumera alia Sacræ Scripturæ loca, à Recētioribus optimè ponderata, ad minus hanc diffiniunt veritatem; quā, esse de fide, firmissimè teneo. Difficultas tamen esse potest, de potentia Dei absoluta: an, scilicèt, implicet contradictionem, posse oculum corporeum, per Diuinam omnipotentiam, eleuari ad vidēdam Diuinam essentiam? hoc enim vsq; adeò non fuisse expressè diffinitum authoritate Conciliorum, aut Sanctorum Patrum: nec, ex locis, quæ solent ex Sacra Scriptura adduci, videtur hæc veritas, tāquam de fide manifesta.

D.Paul. D.Ioan.

Quæstio est de potentia absoluta.

Pro parte affirmante authoritates.

5 Quarè, vt breuiter ab hac difficultate nos expediamus: Pro parte affirmatiua, nonnulla possent adduci, pręsertim, ex Sacra Scriptura,& Patribus: Non nihil enim faciunt Doctores testimonia, Iob cap.19.vbi dicitur; *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. & cap.42. dicitur, *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te*. Quæ loca adducuntur à D.Thom. in arg.1. imò à D.P. August. ponderantur in fauorem affirmatiuę partis. lib.22. de Ciuit.cap.29. vbi quæstionem hanc taliter problematicè videtur disputare, vt potius in affirmatiuam declinare, nonnulli censeant; ad minus negari non potest, quod eo loci insolutas relinquat affirmatiuæ partis rationes. Legite D.Tho.tum in argumento 2.tum etiam in Responsione ad illud. Vasq.disp.40.c.1.Suar.lib.2.c.6. Putean. nostrum in illum ar.3.

Iob. D.Tho. D.P. Aug. Vasq. Suar. Putean.

Ad 1.auct. ex D.Thom.

6 Sed certe, quoad primum locum. Iob, optimè D.Tho. ait, non esse intelligendum de oculo corporeo; sed quod in corpore suo, post resurrectionē existens, Deum mente visurus sit, intuitiuè,& sicuti est. Vndè ęgregie ad notat idem P.Aug. quod Iob non dixit; *per carnem meam videbo*,&c. sed *in carne mea*. Quoad secundum verò, sufficit Responsio Vasq. cap.3.disp cit.nu.5. vbi docet, quod cum Iob obmurmuralle quali videretur de Diuina prouidentia, huiusque murmurationis pœnitentiam perageret: Vndè inquit, *Ideirco me reprehendo, & in fauilla, & cinere pœnitentiam ago*. Eo quod experimento cognouerat Dei maximam in se ipso prouidentiam: subiunxit, dicēs; *Auditu auris audiui te*: hoc est; aliorum testimonio, olim, mihi tua erga seruos tuos prouidentia cognita erat; & sic, per fidem dumtaxat: Ast modo, adeò expertus sum veritatem huius tuæ immensæ prouidentiæ in me ipso; vt, quasi oculis, eam viderim, ac manibus ipsis contrectauerim.

P.Aug. Ad 2. Vasq.

7 Ad Augustinum verò, (quicquid Vasq. dicat;) per optimè D.Tho. Respondet, cui adhæret Putean. ad 2. eo loci, Augustinum nil de hac re affirmasse; sed tantum dubitasse, vt ex ipsiusmet verbis, à D.Tho. ponderatis, apparet satis manifestè, vt inquit Nazar. cum tamen alibi expressè docuerit Sanctissimus Pater, Deum nō posse videri oculis corporeis; vt infra videbimus. Ex quibus colligere licebit, D.P. Augustinum, nedum huius non fuisse sententiæ; verum, nec ancipitem, vtra verior esset?

Ad P.Aug. ex D.Tho.

§. III.

8 AVthoritatibus ergo omissis, quæ facilè possunt exponi, vel de oculo mentis, vel de visione experimentali, vel tandem de visione diuinæ substantiæ, non in se ipsa, sed in aliquo corpore, repræsentante ipsam; Vel demum, aliquando, de visione imaginaria; vt benè Suar. cap. illo, 7.n.7. Veniamus ad rationes, quibus probari potest, Deum posse videri oculis corporeis, de potentia ipsiusmet Dei absoluta.

Varia authoritatū explicatio.

9 Prima ergo ratio sit: Si non posset id fieri, maximè, quia Deus est extra obiectum potentiæ visiuæ; quod est corpus coloratum: sed hoc non obstat: nam, vel loquimur de obiecto connaturali; vel de obiecto supernaturali: si primum, non est ad rem: nam certum est, omnem potentiam posse ferri, per Diuinam virtutē, vltra suum naturale obiectum: si secundum, falsum est, Deum esse extra tale obiectum: quia obiectum, ad quod Diuina virtute potest oculus eleuari, non est, tantùm, lucidum, aut coloratum.

1. ratio pro parte affirmatiua.

10 Secunda ratio. Vel Diuina virtute potest

2. argum.

potest potentia visiua plus se extendere, quam naturaliter possit, vel non: si secundum: ergo Deus non potest de Creatura facere, nisi quod ei naturaliter debetur, & competit; quod est falsissimum, vt patet, & probatione nō indiget. Si primum: ergo etiam poterit illam extendere vltrà suum obiectum naturale: prob. hæc consequentia: quia alias non posset assignari, ad quod posset Deus eleuare illam potentiam: nam ad ea, quæ pertinent ad obiectum suum naturale, non indiget eleuari à Deo: nullum enim est obiectū coloratum, quod naturaliter videri non possit.

3. argum. 11 Tertia ratio. Sicut potentia visiua determinatur à visibili, quod dicit coloratum, & lucidum: ita potentia combustiua determinatur à combustibili, quod dicit tale corpus: sed, hoc non obstante, potentiæ combustiuæ possunt agere in non combustibile: nam ignis, diuina virtute, potest agere in spiritum, comburendo, & affligendo illum: ergo & potentia visiua in non visibile.

12. Si dicatur; Spiritum non esse extrà latitudinem obiecti combustibilis; ratione suæ potentiæ obedietialis. Idem dicam de spiritualibus, in ordine ad potentiam visiuam corpoream.

4. argumen. 13 Quarta ratio desumitur ex principio, quo vtitur D. Thom. vt probet, oculum corporeum non posse videre Diuinam essentiam: ar. 3. quod tantum probat, de potentia ordinaria: dicit enim; ***Quod actus debet proportionari ei, cuius est actus: & quia potentia qualibet sensitiua est actus corporis; idcirco non potest se extendere, nisi ad corporalia***; quæ ratio tantum probat de potentia ordinaria: alioquin si de absoluta procederet: neque per virtutem obedietialem aquæ, probaret, posse produci gratiam, instrumentaliter, à Deo; nam virtus aquæ est actus corporis; ergò debet ei proportionari; ergò non poterit agere in animam, producendo in illa gratiam: cum vtrumque spirituale sit.

§. IV.

Quam certa sit pars negās 14 Veritas tamen fidei proxima; licet non expresè sit Dogma fidei; est; Implicare contradictionem, posse potentiam visiuam corpoream eleuari ad videndam Diuinam essentiam, sicuti est, & intuitiuè. Ità communiter omnes Doctores Catholici fatentur. Neque hoc dictum probandum nobis est sacræ Scripturæ explicitis testimonijs; cum nulla huiusmodi extent. Et si D. P. Aug. epist. 111. illud probet ex eo dicto 1. Thimot. 1. ***Regi seculorum Immortali, & Inuisibili***; Vndè desumi potest hæc ratio: Eodē modo, & sub eadem ratione, Apostolus tribuit Deo Inuisibilitatem, ac Immortalitatem: sed taliter Deus est immortalis, vt implicet, ipsum desinere posse: ergò taliter erit inuisibilis, vt implicet, illum posse videri. Sed non est implicantia, quod possit, visione intellectuali, vt ex infra dicendis patebit; ergò erit implicantia respectu visionis corporeæ. Et licet Aug. loco supra citato de Ciuit. videretur anceps, & dubius: tamen expresè, in loco superiori, tum etiam Epist. 110. & 112. & lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 27. & alibi sæpè, Deum videri non posse oculis corporeis, affirmat. Ceterum, omissis authoritatibus, quæ facilè saltem, interpretari possunt, de potentia ordinaria: probemus veritatem hanc aliqua ratione adæquata, quæ ostendat implicātiam: quod, tamen, facile non est. P. Aug. ex Apostolo. August.

15 Vasq. enim disp. 4. cap. 2. indè summendam, docet, implicantiæ rationem: quia nulla potentia vitalis potest eleuari ad operandum circa obiectum, circa quod nullam habet efficientiam: at, circa res spirituales, potētia visiua nullam habet efficientiam: quia sunt extrà latitudinem sui obiecti; ergo &c. Ratio implicantiæ ex Vasq.

16 Sed hęc ratio habet difficultatem; nisi aliquid aliud ei addatur: quia; vel loquitur, de efficacitate naturali; vel obedientiali: Si primum, falsum est, requiri istam efficacitatem naturalem; vt constat de aqua, respectu animæ: in qua gratiam producit: & de igne, respectu spiritus, in quo producit pęnam, & tristitiam: Ast, si loquatur de efficacitate obedientiali: ostendendum est, quare potentia visiua non habeat talem efficacitatem, vltra suum obiectum naturale, quod est coloratum; sicut ignis eam habet vltra combustibile. Difficultas rationis.

17 Alij probant: quia visio Dei est, essentialiter, spiritualis: visio oculi, essentialiter, corporalis: ergo hæc non potest esse visio Dei: mai. pat. nam potentia, quæ attingit res spirituales, debet esse spiritualis; ergò multo magis ipsa operatio: minor constat ex Arist. 2. de Anima, passim. Ratio aliorum.

18 Sed neque hæc ratio sufficiens est: nam aliud est quærere, ***Vtrum sensatio natu-*** Videtur insufficiens.

naturalis possit esse visio Dei aliud; *Vtrũ oculus possit eleuari ad elicitendam operationem spiritualem, quæ sit visio Dei.* Argumentum probat primum; non secundum, de quo est controuersia: licet, enim, Gratia, & Tristitia sint quid spirituale; tamen aqua, ad illam; & ignis, ad hanc operandam, eleuantur.

§. V.

Quę videatur adęquata ratio.

19 Adæquata igitur ratio mihi videtur, ex duplici capite, desumenda; primum est: quia corpus sensibile est obiectum adæquatum simpliciter visus corporei. Pro qua ratione Not. Duplex esse obiectum potentiæ: alterum, simpliciter adæquatum; quia in illud potentia, saltem Diuinitus adiuta, ferri potest; & dicitur adæquatum, extensiuè. Alterum, adæquatum, non simpliciter: quia extra illud ferri potest, si diuinitus eleuetur: dicitur tamen adæquatum, respectu propriæ virtutis: quia, vi sua naturali, in illud tantum, & non in aliud, potest ferri; & dicitur, adæquatum intensiuè. Nazar. primum vocat, adæquatum; secundum, proportionatum.

Duplex obiectũ potentię.

Nazar.

20 Hoc posito, dicimus; corpus sensibile esse obiectum adæquatum simpliciter visus: ita D.Tho. ar. 3. Nam potentia sensitiua est actus corporis: ergò non potest, vltra corporalia, extendi: quia actus proportionatur ei, cuius est actus.

Obiectũ simpliciter adæquatũ visus. D.Tho.

21 Explicatur hæc ratio: quia potentia sensitiua est actus, per se pendens, in essendo, ab organo corporeo; & sic, debet proportionari cũ eo, cuius est actus; non solum, in perficiendo; sed etiam, in operãdo: cũ, enim, ad Esse sequatur operari; sicut ille actus ab eo recipit rationem essendi; ita ab eo sumere debet rationem, & modum operandi; vt, sicut ab eo habet esse corporeum, & extensum; ita etiam ab eo habeat, non posse operari circa obiectum; nisi, modo corporali, & extenso. Vndè, in hoc, adæquatè distinguitur sensus ab intellectu; nam sensus tendit in obiectum, sub ratione sensibilis, præcisè: intellectus, verò, sub ratione intelligibilis, vt sic.

Nota discrimen inter visum, & ignẽ.

22 Nec valet; quod ignis Inferni eleuetur ad agendum in spiritus; vt dicitur in tertio argumento; quia agentia, actione transeunte, solùm eleuantur ad huius generis effectus, vt instrumenta Diuinæ virtutis, quæ illarum actionum est causa principalis: eleuatio autem potentiæ agentis, actione immanente; quando eleuatur ad obiectum, excedens suam vim naturalẽ, non eleuatur, vt instrumentum purum: sed, vt causa principalis: quæ, virtute sibi innata, & si incompleta, ad illam actionem concurrit: & ideo huiusmodi potentiæ non specificantur ab obiectis intensiuè adæquatis, sed extensiuè. Non enim intellectus noster specificatur à quidditate entis materialis; verbi gratia: quæ apud D.Tho. est obiectum intensiuè adæquatum: sed ab ente, quatenus ens est; quod est obiectum simpliciter illi adæquatum. Cuius oppositum repetitur in alijs potentijs, quæ intrinsecè specificantur ab obiectis intensiuè adæquatis: quia hæc sola respiciunt, vt causæ principales: non verò obiecta, quæ solum obedientialiter respiciunt, vt pura Dei instrumenta: nam, vt sic, non habent obiectum aliquod certum; sed vagum, & incertum, sub vaga, & incerta agendi ratione; tale enim est obiectum potentiæ purè obedietialis, quæ in qualibet creatura reperitur ad quemcunque Deus voluerit effectum, licet autem potẽtiæ, quæ immanenter agunt, non possint eleuari ad suas actiones immanentes, vt pura instrumenta: possunt tamen, vt instrumenta, eleuari ad actiones transeuntes; potest enim Deus assumere meũ visum ad producendum calorem in ligno, in Petro, &c.

23 Secundum caput est: quia obiectum perceptibile, comparatur ad potentiam, & actus illius, vt forma, sed extrinseca: Vnde fit, non posse Deum eleuare potentiam; ita vt, sine consensu sui obiecti formalis, suos actus producat; quia non potest supplere causalitatem formæ; non solum intrinsecè constitutiuæ, sed extrinsecè, & terminatiuè. 2. caput superioris rationis.

§. VI.

24 Et per hoc soluuntur etiam argumenta, in contrarium adducta. Ad primum Respondeo, conced. maiorem: neg. min. ad cuius prob. Respondeo, quod Potentia non habet, nisi vnam rationem formalem adæquatam obiecti adæquati, quæ est illi naturalis, vt sic; à qua specificatur in sua essentia: licet sub ea ratione possint contineri multa, ad quæ non possit se extendere, nisi supernaturaliter. Ratio est: quia, vt dixi: ratio obiecti formalis comparatur, vt forma, & species, ad potentiam: Vndè, sicut homo

Ad 1. argumentum in oppositum.

mo nō habet vnam formam naturalem, alia supra naturam: ita nec potentia potest specificari à pluribus rationibus obiectiuis, vt talis est, quarum vna sit naturalis, alia supernaturalis.

Ad secundum. 25 Ad secundum respondeo, quod potentia visiua potest eleuari à Deo ad multa, contenta sub suo adæquato obiecto; quæ naturaliter non possunt videri; cum non contineantur sub obiecto proportionato potentiæ: & hoc sufficit, vt Deo subdatur. Non autem ad hoc requiritur, vt eleuetur ad videndum non coloratū, quod excedit limites obiecti adæquati. Quod si sermo sit de operationibus transeuntibus; iam dictum est, posse quamcumque potētiam vitalem assumi à Deo, & eleuari, vt instrumentum, ad producendum ignem; verbi gratia, in stuppa, ligno, &c. non tamen; vt sic, diceretur eleuari, & assumi, vt potentia vitalis, sed vt entitas quædam naturalis.

Ad tertium. 26 Ad tertium, de igne assumpto ad torquendos spiritus; iam dictum est in primo capite nostræ rationis fundamentalis implicantiæ, id non implicare. Vel secundo poterit etiam Responderi, quod combustibile comparatur ad combustiuum, vt subiectum proportionatum: visibile verò ad oculum, vt obiectum; potest autem suppleri subiectum, & materia proxima, circa quam: non tamen obiectum: quia habet rationem formæ. Dixi *circa quam*: nam materia ex qua, quæ est pars compositi suppleri non potest, sicuti nec forma.

Ad quartum. 17 Ad quartum respondeo, illam D. Tho. rationem explicatam, prout supra à nobis explicata est, validam esse, & efficacem.

CAPVT II.

In quo ostēditur, Intellectum creatum non posse, per sua naturalia, Diuinam essentiam intueri.

§. I.

De fide est proposita veritas. 1 HAec etiam veritas de fide est; loquendo, nedum de intellectu humano in hac vita: sed etiam de eodem, à corpore separato: imo & de Angelico: non enim, vi aliqua naturali, intellectus creatus, quicunque ille sit, clarè poterit, intuitiua notitia, Deum attingere. Legantur Recentiores super ar. 4. & reliqui Scholastici in 4 dist. 49.

2 Sed difficultas in primis est; Vnde hoc colligatur, esse de fide? & ratio dubitandi est: quia licèt in Clementina *ad Nostrum, de Hæreticis.* diffinitum sit; Intellectum Beati ad videndum Deum indigere lumine gloriæ, quod cōtra distinguitur à lumine naturæ: tamen videtur ibi tantum esse sermo de Hominibus. Damnatur enim in illa Clement. inter alios errores; quod *Anima non indiget lumine gloriæ, ipsas eleuante, ad Deum videndum.* Vndè, propter hoc, Mayor in 4. dist. 49. q. 4. dubitat. *An de Angelis sit id omnino certum?* Ratio dubitandi in contrarium. Mayor.

3 Probatur igitur ab aliis, ex testimoniis sacræ Scripturæ, in quibus, vita æterna dicitur gratuitum donum Dei. Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna.* Ps. 83. *Gratiam & gloriā dabit Dominus*, & nonnulla alia congerunt. Suar. c. 8. & alij Recentiores. Nihilominus probatur ab aliquibus. D. Paul. Suar.

4 Verùm posset ad hæc loca dici, vitam æternam, & Beatitudinem nostram consistere essentialiter in amore, & fruitione Diuinæ præsentiæ, quæ est donum gratuitum; & ratione ipsius, dici vitam æternam supernaturalem. Responderi potest.

5 Melius igitur probatur primò, ex eo, quod in sacris literis, visio clara Dei tribuitur, tantum, gratuitæ concessioni ipsius Dei, à quo, tantum, primum propositum electis omnibus conceditur Io. 14. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsū.* & Matth. 11. *Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Melius probatur 1. Io. Matt.

6 Secundò, quia Deus dicitur *Inuisibilis* in Sacra Scriptura, non tātum corporaliter, sed etiam intellectualiter: ergò hoc saltem intelligendum est de intellectione, per vires naturę, elicita: nam infra videbimus, Deum posse intelligi ab intellectu creato, eleuato supernaturaliter. 2. probatur.

7 Tertiò denique constat: quia cum in dicta Clement. diffinitum sit, lumen glorię necessarium esse Animabus Beatis ad videndum Deum; certum est etiam, requiri in omnibus Angelis: quia ex Sanctis Patribus. *Quæcunq; in sacra Scriptura traduntur de Gratia, Charitate, Gloria, & aliis, huiusmodi, quod sint dona Dei: nō minus ea sunt intelligenda de Angelis, quam de Hominibus*, vt inter alios docuit August. 12. de Trin. c. 9. 3. probatur. Aug. 12. de Trin. c. 9.

§. II.

Aliqui negãt posse hac ratione ostẽdi.

Vasq. Molin.

8 SEd An hæc Catholica veritas possit aliqua ratione probari? hoc difficile iudicatur à Doctoribus; Vnde Vasq. Molin. & alij id apertè negant; licet enim admittãt rationem, quæ id conuincat de intellectu humano in via considerato, secundum connaturalem modum intelligendi, dependenter à phantasmatibus, circa quæ versatur: spiritualia autẽ nequeũt, sicuti sunt, & in se ipsis, ministerio sensuũ apprehendi: Respectu, tamen, intellectus Angelici, dicunt, non dum adductam esse, nec adduci posse euidẽtem rationem: sed tantum id fide credi; & si multã consumẽt operam, Caiet. & Thomistę, vt explicent, atq; defendãt rationẽ D.Th. qua hoc fidei dogma nititur, pbare

Vnde sumatur difficultas rationis.

9. Huius autẽ rei difficultas ex eo desumi potest: qa ratio potius suadet, Deũ esse visibilẽ: nam quoties est aliquid participans perfectius rationẽ terminatiuã, & motiuam obiecti alicuius potentiæ, id ab illa non tantũ naturaliter, sed facilius, & melius percipitur: vbi enim est maior, & melior ratio adæquata alicuius effectus; ibi etiã sequitur effectus perfectior: sed Deus participat, respectu intellectus creati, rationem obiecti, melius, & perfectius, quã quęlibet alia res; ergò nõ tantũ naturaliter, sed etiam facilius, quã quælibet alia res, cognoscetur. Est enim obiectũ intellectus *Ens*, quod Deus perfectissimè participat; cũ sit perfectissimũ Ens.

Confirmatur

10 Cõfirmatur, quia excessus intelligẽtię, in ratione obiectiua, non efficit id, quod excessus lucis, & splẽdoris, respectu oculi: quia intellectiua vis nõ læditur ab excellentia entitatiua, vt læditur potẽtia visiua, per accidens, ab excellẽtia lucidi: nam intellectus est impassibilis, actione corruptiua: potẽtia autẽ visiua passibilis: quia est actus, & forma organi, cuius tẽperamentum, ab excellentiori sensibili, dissoluitur; Vnde ipsa etiam disgregatur.

§. III.

Opinio Authoris probabilior.

11 CAeterum mihi videtur dicendũ, posse aliquam adæquatã rationẽ adduci ad probãdum, Deũ non posse, sicuti est, videri ab aliquo intellectu creato, siue humano, etiam separato, siue Angelico. Et omissis illis, quæ afferuntur, tũ à Scholast. in 4. dist. 49. tum à Discipulis D.Tho. ar. illo 4.5. & 3. contra Gen. c.5. Ex duplici capite hoc posse facile ostendi, autumo; sicuti etiam dupliciter potest intelligi, aliquam notitiam excedere vires intellectus creati. Primum caput est, ex parte Obiecti. Secundum verò, ex parte Potentiæ.

Ratio ex parte obiecti.

12 Ex parte Obiecti, sic. Illa visio, & notitia superat vires potẽtiæ, cuius obiecti antecedens propositio, necessario requisita ad talem visionem, non est in potestate videntis, sed alterius agentis liberi, siue libere proponentis obiectum illud, absque debito proponendi. Hoc pacto cogitationes liberæ cordis nostri excedunt facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati; non ex parte potentię, quia ipsa sit improportionata ad illas vidẽdas: sed ex parte obiecti: quia nostræ cogitationes sunt huiusmodi, & non proportionantur alijs, nisi dependẽter à nostra libera voluntate; ac proindè, quid requisitum ex parte obiecti non est intra vires naturales potentiæ, nec illi connaturaliter debetur.

Ratio ex parte potentiæ.

13 At verò, ex parte potentiæ, est defectus, cum illa est improportionata ad tale obiectum percipiendum, nec habet satis efficacitatis ad eliciẽdas operationes circa illud; vt, exempli gratia (si volumus remotum, & qualecunque exemplum habere) cum, respectu eiusdẽ obiecti, eodem modo distãtis, & cum ijsdem conditionibus propositi, vnus videt, alter nequaquam, sine perspicilijs. His positis.

Vtraque ratione visio Dei superat naturales vires intellectus.

14 Dico, vtroq; modo, claram visionem Dei superare naturales vires cuiuscunq; intellectus creati: & primò, ex parte obiecti, sic: Quia, eodem modo, se habet Diuina essentia clarè videnda, respectu cuiuslibet intellectus creati, in ratione obiecti; vt se habent liberæ cogitationes cordis: Sed istæ superant vires cuiuslibet intellectus creati, etiam Angelici: Ergò, & Deus, vt clarè videndus: minor supponitur, vt certa; maior probatur. Nã cogitationes liberæ superant facultatem intellectus creati, quia propositio illarũ, quæ requiritur antecedẽter, ex parte cuiuslibet obiecti, in ordine ad suam potẽtiam, pendet ex libera voluntate nostra, & nulli connaturaliter debetur: sed eodẽ modo propositio Diuinæ essentiæ in ratione obiecti, siue concursus illius ad sui visionẽ pendet ex libera Dei applicatione, nulli connaturaliter debita: ergo, &c. Probatur minor, primò: Quia essentia Diuina, vt antecedit liberam volũtatem, non potest concurrere ad aliquid extra operandũ; quia id summã diceret imperfectionem in Deo: quicquid enim ad extra fit, dependenter ex ipsius beneplacito esse debet. Et pręterea: quia esset aliquid

quid

quid necessarium in natura, & illimitatum, præter Deum: Diuina enim essentia, non liberè, sed, se ipsa, applicata, est agens infinitum, & necessarium; & sic, necessariò agens, illimitatum quid operari deberet. Secundò quia, etiam si ista absurda non sequerentur; tamen decet summam excellentiam Dei, vt non, nisi cum dependentia à sua libera voluntate, concurrat ad sui visionem. (Videmus enim, nescio quid imperfectionis, in hominibus illis, qui ita sunt, habitant, & viuunt, vt possint ab alijs, circumquaque conspici, independẽter ab ipsorum consensu, & beneplacito.) Igitur supræma Natura, omnium excellẽtissima, id multo magis habebit; quod spectare videtur ad conditionem infinitæ cuiusdam excellentiæ, & nobilitatis, esse extra aliorũ conspectum positam. Vnde Reges, & qui in æquali, vel maiori sunt Dignitate cõstituti, difficilius adiri possunt, & expressus requiritur consensus, & facultas illorum, vt videantur.

Scot. 15 Et hæc, meo iudicio, est ratio, quam intendit Scotus in 4. dist. 49. q. 11. & quodl. 14. ar. 2. cum dicit, *Visionem Dei clarã superare vires intellectus creati: quia, quod Essentia Diuina concurrat ad sui visionem, pendet ex libera voluntate ipsius.* Eandem indicant SS. Patres, dum dicunt; Diuinæ naturæ esse, non videri: voluntatis autem ipsius, videri; iuxta illud Matth. 11. *Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*; vt notat Damasc. lib. 1. cap. 1. Epiphan. Hæresi 70. & Ambros. lib. 1. in Luc. cap. de *Apparitione Angeli*, inquit: *Cuius natura est non videri, voluntatis videri.* quibus annuitur, quod clara visio Dei pendet à libera voluntate ipsius, sicut cognitio liberarum cogitationum nostrarum à libero arbitrio.

Matth. Damasc. Epiph. Ambros.

§. IV.

1. obiectio. 16 Dices primò Contra hæc: Omnipotentia antecedit liberam voluntatem Dei: quia spectat ad essentiam; & tamen est ratio faciendi omnes res: ergo & essentia potuit concurrere, antecedenter, ante liberam volũtatem, ad sui cognitionem.

2. obiectio. 17 Secundò: Homines, & Angeli, per sua naturalia, possunt cognoscere Deũ, quo ad *An sit*, & quo ad *quid sit*; saltem, in ordine ad multa prædicata, illi essentialia: vel ergo ad istam cognitionem concurrit Deus per suam Essentiam, independenter ab actu libero voluntatis suæ; vel ex ipso solo actu libero applicante. Si primum: ergo & poterit similiter dici, quod concurrat, eadem essentia, ad sui intuitiuam notitiam. Si secundum ergo poterit Deus naturaliter cognosci, etiam si ad illius notitiam debeat concurrere per actus liberos suæ voluntatis.

18 Tertiò denique: Ignis naturaliter combutit; licet ad illam combustionem, semper opus sit, vt concurrat Deus, per actum liberum voluntatis suæ. Et, vniuersaliter, nulla causa secunda naturaliter operatur, cum qua Deus liberè non concurrat; ergo, etiam si, vt Deus in sua essentia videatur, requiratur liber concursus antecedens ipsius Dei ad illam visionem, nõ ob id talis visio erit dicenda, superare vires cuiuslibet intellectus creati. 3. obiectio.

19 Ad primum horum Respondeo, Omnipotẽtiam Dei esse rationem omnia efficiẽdi ad extra: sed, vt applicatam ab actu libero; vel, ita vt adæquatum principiũ efficiendi sit potentia volens, seu voluntas potens. Satisfit obiectionibus. Primę.

20 Ad secundum dico, Essentiam Dei, siue ipsum Deum, concurrere, per suam liberam voluntatem, ad notitiam sui, quam Angeli, & homines possunt elicere, ex suis naturalibus: sed quia talis liber cõcursus Dei exigitur ab ipsis naturis rerum; idcircò, hoc non obstat, quominùs id, quod efficitur, dicatur ex viribus naturæ fieri; nam Angeli, & Homines cognoscunt naturaliter Deum, ex cognitione rerum creatarum, in qua includitur, & ex qua sequitur notitia aliqua Dei: & quia illarum rerum notitia illis debetur; idcirco etiam & concursus liber Dei ipsis debetur, ad ipsius Dei qualemcunque notitiam, inde consequendam: at vero clara visio Dei non potest contineri, aut haberi in vlla alia cognitione creata, ad quam naturaliter possit extendi creatus intellectus. Secundę.

21 Et est simile, de cognitione cogitationum cordis: nam alij possunt ipsa nosse, ex natura sua, à posteriori, ac per quædam signa, & coniecturas: non tamen, intuitiuè, & certò, nisi, ex nostra libertate: sic etiam, Deum, quasi ex quibusdam signis rerum creatarum, possumus naturaliter cognoscere; & pariter aliquas veritates ipsius: &c. tamen, nosse, ex nostris viribus, intuitiuè, est tãtum Not.

ipsius libertatis. Tota igitur ratio disparitatis est; quod in clara Dei visione, essentia ipsa Dei primariò concurrit, vt mouens: in abstractiua, concurrunt aliæ res creatæ, in quibus cognitis, vel ex quibus, cognoscitur Deus. Et quia Essentia Diuina non potest exigere actū liberum, sine concursu libero Dei, in ordine ad aliquid creatum; eundem autem exigit alia res creata: ideo visio clara Dei totaliter pendet à libertate Dei, & liberalitate; alia autem notitia pendet, quidem, ab ipso Deo, operante liberè, sed secundum exigentiam causarum creatarum.

Tertiæ. 22 Ex quo patet ad Tertium. Nam non omnis liber concursus Dei necessarius ad aliquid efficiendum, facit, vt illud sit supra naturam: sed liber concursus indebitus tali naturæ, in quantum consideratur, vt natura quædam est illa, quæ operatur.

§. V.

Ex 2. ratione difficilius prob. 23 Iam verò maior difficultas est, ostēdere, hoc superare vires naturæ, ex parte potentiæ; quarè simul potentia non habeat in se efficacitatem requisitam ad hanc claram Dei visionem eliciendam?

Ratio tamen D.Th. placet. 24 Mihi antè non videtur reijcienda ratio, qua vtitur D.Thom. art.4. ducta ex excessu obiecti cognoscibilis supra potentiam cognoscitiuam: quæ sic potest efformari: nulla natura, & potentia potest intuitiuè percipere illud obiectū, ex sui natura, quod habet modum essēdi, in infinitum deficientem à modo essendi ipsius obiecti proprio; sed omnis natura creata habet modum essendi, in infinitū deficientē à modo essendi Dei; ergò nulla Natura creata pōt intuitiuè videre Deum. Minor est per se clara. Maior, in qua tota difficultas consistit, probatur. Nulla potentia cognoscitiua potest congruè operari circa obiectum, cuius operatio est illi impropria: sed omnis potentia, quæ habet modum essendi inferiorem in infinitum, quam suū obiectum, habet operationes illi improportionatas: ergo, ex sui natura, nulla talis potentia poterit congruè operari circa tale obiectum; ac, perinde, nec illud intuitiuè percipere. Minor prob. quia modus operandi est proportionatus modo essendi principij similis operandi: ergo si modus essendi obiecti excedit modum essendi naturæ operantis, impossibile est, vt modus operandi sit proportionatus obiecto. Quod autem modus operandi debeat proportionari modo essendi operātis, patet, quia operatio, vt sic, proportionatur operanti; ergo & modus operandi, modo essendi illius: operatio enim qualibet est quasi quidam fluxus, & egressus naturæ operantis; &, proindè, nunquàm potest, ex se, superare, & excedere illam; quod si operatiò debet proportionari cum esse operantis; cur non, itidem modus operandi, cum modo essendi?

25 Vbi nota cum Nazar. in exposit. text. art.4. quod quando D.Thom. docet in hac ratione, modū essendi cognoscentis debere proportionari cum modo operandi, & è contrà; sic etiam cum loquitur de modo essendi rei cognitæ; non est intelligendus, de Esse, secundum rationem specificam, sed genericam, aut genericæ similem, eo, videlicèt modo, quo ea, quæ sunt vnius ordinis, etiam Diuini, dici possunt, esse eiusdem generis; cumque, quando aliquid cognoscimus, quinque in nobis considerari possint; nimirum, *Natura cognoscentis, Intellectus, Species, Actus intelligendi, & Obiectum, in esse intelligibili, repræsentās Obiectum ad extra*; necesse est, sint hæc omnia ad inuicem proportionata. Nām *Intellectus* debet proportionari Naturæ, cuius est intellectus; *Species*, Intellectui; *Actus*, Speciei: *Obiectum autem interius*, Actui, & extrinseco Obiecto, vt perfecta, & quidditatiua sit obiectæ rei notitia. Igitur de primo ad vltimum, iuxtà proportionem, & modum naturę, erit etiam modus obiecti connaturalis. Quo fit, vt excedente obiecti modo rei cognoscentis naturā, non possit ex naturæ viribus quidditatiuè cognosci. Ità doctrinam D.Thom. explicat Nazar. Et nota, quod in præsenti tantùm sermo est de intellectu iàm creato, & de intelligēte non excedente ordinem naturæ. Notandum ex Nazar.

26 Restat satisfaciamus argumentis, quibus probabatur, claram Dei visionem potius conuenire naturæ intellectiuæ, naturaliter: eamque non excedere. Ad principale autem Respondeo, quod licet Deus in se, & sm se, sit sūmè visibile: non tamèn ab intellectu creato, ex vi sua naturali. Et cum subsumitur; *Id, quod participat perfectius rationem motiuam, & terminatiuam, &c.* verissima propositio est, collectim sumpta; Satisfit arg.

idest, quod participet melius rationem obiecti, non solùm terminatiui; quia, vt sic falsa esset: sed motiui; itaut, melius dicatur, participare rationem obiecti proportionati. Nego tamen minorem: falsum enim est, Deum perfectiùs participare rationē obiecti motiui proportionati intellectus creati: nā obiectum proportionatum Intellectus creati non est Ens, vt Ens: sed Ens creatum: Obiectum proportionatum intellectus humani, in hac vita, est Ens materiale; & loquor de obiecto intuitiuæ cognitionis: At verò obiectum omnis Intellectus, vt sic, terminatiuum est Ens, vt Ens, ad quod intelligendum, quilibet, seorsum sumptus, Intellectus mouetur à sua peculiari ratione Entis; licet autem Deus perfectiùs participet rationem obiecti terminatiui Intellectus: non tamen participat rationem obiecti creati, quod est motiuum. Et sic, neganda est consequentia, absolutè.

27 Ad confirmationem Respondeo; Intellectum non posse, viribus naturalibus, attingere Diuinam Essentiam; non quia læderetur ab excellentia luminis, propriè, sicuti potentia visiua; licèt ex sacra Scriptura habeamus, quod *Scrutator Maiestatis opprimetur à gloria*. Id tamen metaphoricè dicitur; vt alibi latius; sed quia illa Diuina Essentia est extra sphærā obiecti proportionati, & motiui Intellectus creati, vt supra dictū est. Non negamus, posse etiā aliquo modo, dici, Intellectū creatū, vi sua naturali, influere in visionē: sed hoc explicabimus infra quodl. 5. disp. 5. c. 2. n. 4. & alibi. Ad confirm.

DISPVTATIO SECVNDA.

An Deus taliter sit inuisibilis Intellectui creato, vt nec de Potentia absoluta possit ab illo videri?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & quorundam error refertur cum suis rationibus.

§. I.



1 IAM vidimus, non posse Diuinam Essentiam quidditatiuè videri, & intuitiuè, sicuti est, ab vllo intellectu creato, viribus propriis, ac naturalibus: superest videamus; An saltèm, possit eleuari Intellectus creatus, per aliquid superioris ordinis; itaut, non, vi natiua, sed adiutus vi aliqua supernaturali, dicatur Deum, facie ad faciem, & intuitiuè, videre? Et de hoc disputant Doctores apud D. Thom. art. 1, vbi petit: *An aliquis Intellectus creatus possit Deum videre per Essentiam?* Neq; hoc loco intēdimus disputare: An possit Deus videri per *Essentiam*: tanquam per rationem videndi; itaut non videatur Deus per aliquam speciem intelligibilem, quæ Dei naturam repræsentet: sed per Essentiam suam, cum intellectu videntis concurrentem, immediatè, & per se ipsam: de hoc enim redibit sermo quodl. seq. sed per *Essentiam*, tanquam per obiectum primarium, immediatè, & in se ipso visum; itaut, non per speculū creaturarum, & in ænigmate; sicut de facto conspicitur in hac vita (teste Paulo 1. Corinth. & Rom. 1.) videatur; sed, itaut, in se ipsa, immediatè, sicut in se ipsa est, directo, ac claro intuitu attingatur. Explicatur sensus quæstionis. D. Paul.

2 In qua re, Doctores recensent nonnullos Hæreticorum errores, qui, adeò inuisibilem Deum esse aiebant; vt, nedùm, natiua vi alicuius Intellectus creati, aut creabilis; verum, nec vi supernaturali imaginabili, possit, sicuti in se est videri à creatura; quod si Beati, & Angeli, in sacris literis, dicantur Errores Hæreticorum de hac re.

tur uidere Deum, ideò est; quia uident fulgorem quendam gloriosum, ex Diuina substantia resultantem, iuxta illud, *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, Deum, in hac prælucentia splendoris uidebimus, & non in se ipso: &, ex hac uisione, Beati erimus. Legantur huius erroris Authores apud Vasq. Mol. Val. Putean. & alios Recentiores ar. illo 1. & Suar. lib. 2. c. 7. Præter quos, aliosue expositores D. Tho. legite Greg. lib. 18. moral. c. 38. Armacan. lib. 14 de quæstionibus Armenorum cap. 1. Prateol. in suo Elencho. Turrecrem. lib. 4. de Eccles. cap. 35. Castrum contra Hæreses, uerb. *Beatitudo*. hæresi 1. & alios, quos supranominati Recentiores citant.

Vasq. Molin. Val. Putean. Grec. Armac. Prateol. Turrecrem. Cast.

3 Qui tamen error fundari potest in omnibus sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonijs, in superiori cap. adductis, & alijs similibus, quæ solent adduci ad suadendum, Deum uideri non posse à creatura, viribus naturæ; Quæ loca, scripturæ, præsertim, omittenda iudicaui: possunt enim facile exponi, vel de visione corporea; sicuti intelligi potest illud. 1. ad Timot. 1. *Regi sæculorum Immortali, & inuisibili*. Et eodem modo intelligendū est illud eiusdem Pauli ad Roman. *Inuisibilia Dei*, &c.

Quomodo fundari potuerint.

Paul.

4 Illa verò 1. Io. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, &c. Io. 1. *Lucem habitat inaccessibilem*, &c. *quem nullus hominum vidit, neque videre potest*. Exod. 33. *Faciem meam videre non poteris*. Et alia huiusmodi; interpretari possunt de visione per vires naturæ. Alia exponi solent de visione comprehensiua.

Io. 4.

Exod.

5 Ita, etiam, nonnulla Sanctorum Patrum loca, eisdem, ferme, expositionibus, facillimo negotio, solues; Alij enim loquuntur de visione sensitiua: Alij, ex viribus naturæ, elicita: Alij, tandem, & ferè communius, de comprehẽsione; & sic, non est necesse, ea hic sigillatim referre.

§. II.

6 DVo, dumtaxat, referam, quæ aliquam videntur præseferre difficultatē. Alterum, ex D. Isid. 1. de summo bono cap. 3. vbi hæc. habet: *Sola Trinitas sibi integrè nota est, & humanitati, à Christo suscepta, quæ tertia est in Trinitate persona*. Qui locus non videtur posse interpretari, de comprehensione: nam, si de hac notitia loqueretur Isid. nec ipsi humanitati à Christo susceptæ illam concessisset: Non enim Christi Humanitas Diuinam essentiam cōprehendit: vt dici solet 3. p. q. 10. art. 2. Quod si huiusmodi comprehensiuam visionem potuisset Christi humanitati tribuere Deus, non est cur etiam non posset, si vellet, eandem, & alijs creatis intellectibus communicare. Quare, absolutè, videtur loquutus D. Isid. de ipsa clara, & intuitiua Diuinæ essentiæ visione.

S. Isidorus.

7 Hinc Pater Vasq. disp. 37. c. 2. 3. & 4. non dubitat asserere, nonnullos ex grauioribus Ecclesiæ Patribus huius fuisse sententiæ, vt asseruerint, Diuinam essentiam, prout in se est, à nullo intellectu creato, siue humano, siue Angelico, etiam, quocunque imaginabili modo eleuato, posse intuitiuè videri; & præsertim, Chrysostomum, qui, vt declinaret extremum errorem Anomæorum, qui dicebant, *propria virtute, Deum ab ipsis comprehendi*: in illud aliud extremum, vult Vasq. fuisse lapsum. Verum non inuenitur locus, apud Chrysost. qui facili negotio explicari non possit; vel de visione ex proprijs naturæ viribus; vel de comprehensione.

Sententia Vasq.

8 Alius locus difficilis, à Vasq. adductus, est Theodoret. in Dialogo *Immutabilis*. post fol 3. vbi Orthodoxus, & Eranistes introducuntur sic loquentes. Eranistes: *Quomodo ergò intelligamus, quod Angeli semper vident faciem Patris vestri?* Orthod. *Sicut intelligere solemus ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt*. Eranis. *Dic clarius: non enim intellexi*. Orthod. *Numquid potest Deus videri ab Hominibus?* Eranist. *Nequaquam*. Id verò probans Orthodox. postquam demōstrauit, substantiam Dei non posse ab vllo homine videri, subiungit. *Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes quotidie, vident faciem Patris vestri; non enim vident substantiam Diuinam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest; & quæ Vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam, quæ eorum viribus correspondeat, sitque eis commoderata*. Hæc Theodor. Vrgentur illa uerba, *nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest*. Et illa: *sed quandam gloriā*, &c. quibus uerbis uidetur, non posse aliquam ex allatis expositionibus aptari; ita cum Vasq. sentiunt Lorea disp. 27.

Theodoretus

Lorea.

&

& Sixtus Senen. lib.6. Bibliot. Sanct. annot. 182.

9 Verū hos, & multos alios Patres, quos, pro isto errore, citat Vasq. optimè vindicat Aegid. noster Lusitan. lib. 12. de Beatit. q. 1. art. 3. diffusissimè per 12. §. qui omnino videndus est: nàm §. 1. adducit, & explicat nonnulla loca D. Hieronym. §. 2. defendit D. Ambros. §. 3. Isydorum. §. 4. Basil. §. 5. Nissenum §. 6. Cyrill. Alex. §. 7. Cyrill. Hierosol. §. 8. Epiphan. §. 9. Theoph. §. 10. Euthym. §. 11. Theodor. & tandē §. 12. Oecumen. imò pro D. Chrysost. instituit specialem, ac copiosum articulum.

CAPVT II.

Explicantur Isydorus, & Theodoretus.

§. I.

Pro explicatione Isidori. 1 Sed vt obiectas difficultates, ex Isid. & Theod. diluamus. Illud, in primis, animaduerti apud Isidorum, in toto libro citato, *De Summo Bono*; pluries manifestè consiteri, Intellectum creatum, tàm humanum, quàm Angelicum, in Patria, Diuinā Essentiam, sicuti est, intueri; sic enim habet cap. 5. *Vestigia Dei sunt, quibus nunc per speculum cognoscitur. Ad perfectum verò Omnipotens reperitur, dùm in futuro, facie ad faciem, quibusque electis præsentabitur, vt ipsam speciem contemplentur, cuius nunc vestigia comprehendere conantur: & hoc est, quod per speculū videri Deus dicitur.* Item cap. 3. de Angelis loquens, ait: *Sunt natura mutabiles: non tamen sinit eos cōtemplatio mutari Diuina.* Et infra, in eodem cap. *Angeli in verbo Dei, cognoscunt omnia, antequam in re fiant.* Et infra. *Si Deum Angeli contuentur, & vident, cur Petrus Apostolus dixit: In quem desiderant Angeli conspicere? Item si eum non contuentur, nec vident; quomodò, iuxtà sententiam Domini, Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est? Sed benè vtrumq; est: nàm veraciter credimus, quod Deum Angeli & vident, & videre desiderant; & habent, & habere festinant &c.* & innumera huiusmodi loca, apud Isidor. inuenies: cur ergò citatum pro cōtraria opinione hæretica (vt infra videbimus) ex cap. 3. tàm sinistrè, & contra Isidor. mentem exponit, & intelligit Vasq.

2 Sed, vt videamus, longè aliud sentire Isidorum; animaduerti eadem prorsus verba bis repetere hunc Sanctū Patrem: semel, *De Summo Bono*, cap. 3. cit. Iterum verò cap. 39. *super Exod.* licèt alij citent cap. 41. alij cap. 42. sed in fonte reperi ea verba registrari cap. 39. in Codice Parisijs impresso, apud Michaelem Somnium, sub scuto Basiliensi 1621. in nostra hac Romana Angelica Bibliotheca. In, *De Summo Bono*: verba sunt ista. *Deum de Deo loquens sacra Scriptura, plerumq; dicit; ecce Deus: non, quasi visibilem, ostendit, sed vbique esse præsentē significat, Per id, quod dicit; Ecce Dominus; vel, quod magnitudinem Diuinitatis eius nullus possit sensus attingere: etiam, nec Angelicus: quamuis, vsque ad parilitatem Angelicam, humana post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum, indefessa consurgat: videre tamen eius essentiam plenè non valet, quam nec ipsa perfectio Angelica in totum attingit scire; secundùm Apostolū, qui ait: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum; vt subaudis, etiam Angelorum: Sola enim Trinitas sibi integrè nota est, & Humanitas à Christo suscepta, quæ tertia est in Trinitate Persona. Intelligibiliter quodam miro modo, Diuina Essentia sciri potest, dum esse creditur: opus verò eius, quod, vtique, æquari ei non potest, atque iudicia à nullo penitùs sciuntur. Dei secreta iudicia nō posse sensu penetrari, vel Angelico, vel humano, constat: & ideò, quia occulta, sed iusta sunt, tantundem venerari ea opus est, & timere, non discutere, aut inquirere; secundùm Apostolum,* qui ait: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Hæc dicto loco Isid. Benè verum est, quod in loco ex cap. 39. super Exod. adest illa mutatio in illis verbis; videlicèt: *Sola enim Trinitas sibi integrè nota est, & Humanitati suscepta, &c.*

3 Ad hunc ergo locū in primis Respondeo, D. Isidorū optimè posse exponi; quod, cum dicit: *Vel quod magnitudinem Diuinitatis eius nullus possit sensus attingere, nec Angelicus*, fuerit loquutus, de visione corporea, & sensitiua; iuxtà literam: & quia tunc controuertebatur; An Angeli sensus corporeos haberent, vel ne? partemque affirmantem habebant nonnulli Sancti Patres, vt passim notat noster Aegid. Lusit. art. illo 3. cit. Explicatur.

Eam

Iterum pro Isidoro.

Eam ob rem, Isid. subdit, nec Augelicus (supple) *sensus*. (data hypothesi, quod Angeli sensibus præditi essent.) Et ideò sequitur, dicēs; quod post Christi Resurrectionem, natura humana consurgit indefessa ad contemplandum Deum, sicuti ipsi Angeli contemplantur. Ante, namque, Resurrectionē, nullus peruenit hominum ad huiusmodi facialem contemplationem; dum, nec potetat homo, per sensus, Deum intueri. Cum autem addit: *Videri tamen eius Essentiam, plenè nō valet, quam nec ipsa perfectio Angelica, in totum attingit scire, &c.* his verbis, idem vult; ac si diceret: Non potest homo, per oculos corporeos, Deum videre; tamen post Resurrectionem Christi, vtique potest: sicuti, & ipsi Angeli, Diuinam intuentur Essentiam: ast non, per hoc, ipsum Deum comprehēdere dicitur homo; sicut, neque Angeli ipsi comprehendunt; hoc est, (*plenè, & in totum:*) quicquid Vasq. dicit.

§. II.

4 SEd difficultas, quæ maior esse videtur, consistit in illis sequentibus verbis. *Sola enim Trinitas sibi nota est, & Humanitas, à Christo suscepta, quæ est tertia &c.* prout habetur in *De Summo Bono*: quę verba cap. illo 39. super Exod. sic repetuntur; *& Humanitas, à Christo suscepta, &c.* quo pacto ab omnibus citantur, tùm 1. par. q. 12. art. 1. tùm 3. par. quæst. 10. art. 2. Ex qua lectione, desumit Vasq. argumentum, disp. 37. cit. cap. 4. nu. 10. non posse dicta verba exponi de cognitione comprehensiua: nec enim Christi humanitas Diuinam comprehendit Essentiam; ergò clarum est, fuisse loquutum, saltem, eo loci, secundo loco, allegati, de visione intuitiua, quam tantum concedit Isidor. ipsi Trinitati, & Humanitati.

Præcipuus difficultatis punctus.

5 Vbi (& benè quidem notat) idem Vasq. personam Verbi, ab Isidoro appellari, tertiam in Trinitate; numerū dumtaxat attendens, non originem; quia, vt sic, est secunda. & idem est, ac si diceret, esse vnam ex tribus.

Quid placeat ex Vasq.

6 Nonnulli, ex principalioribus, volunt, textum illum Isidori ex 39. Exod. esse deprauatum; ex eo, quod contineat manifestum errorem; vnde, in emendatis Codicibus legi, sicut in *De Summo Bono*, videlicet, *sibi soli integrè Trinitas nota est, & Humanitas à Christo suscepta, qui est tertia in Trinitate persona, &c.* quibus verbis, aiunt, annuit Isid. non solum Trinitatem, sed Humanitatē susceptam, ratione termini, cui est hypostaticè vnita, posse comprehendi, nisi a solo Deo. Quarè ly: *Qui est tertia in Trinitate persona*; ad ipsum Christum refertur, vbi in fœminino genere, *Quæ*; videbatur ad Humanitatem referri. Quæ expositio, si germana est, omnem pœnitus difficultatem euadit.

Verba Isidori nōnullis videtur deprauatæ.

7 Ceterum, ne veritas hæc adeò angustissimis terminis præcludatur: & quia Isidori Scholiastes affirmat, non esse dubitandū de veritate prædictæ lectionis; cum sic legatur apud octo Codices manuscriptos: Ideò D. Tho. 3. par. q. 10. ar. 1. ad primum, docet, Isidorum solùm voluisse Christi Humanitatem habere excellentissimam Trinitatis notitiam, præ cęteris creaturis: licèt, non comprehensiuam, & æqualem cognitioni Diuinæ. Et sic quidam doctissimus vir huius nostri temporis ast, non posse dicta verba aptius explicari.

Explicatio D. Thom.

8 Optima est expositio, quia tanti Doctoris: at verò non dubitarem asserere, Isidorum loqui de cognitione comprehensiua; (quicquid Vasq. dicat:) ex ipsis enim Isidori verbis antecedentibus, & subsequentibus, manifestè hoc patet: cum autem objicit Vasq. hanc non esse concedendam Humanitati Christi, &c. Dico cum nostro Aegid. Lusit. art. illo 3. cit. §. 3. nu. 30. verè ibi Isidorum asserere, animam Christi comprehendere Diuinam Essentiam: quam sententiam fuisse, tunc temporis, plurimorum Doctorum, & Patrū, putat idem Vasq. 1. par. disp. 52. Et quod huius fuerit sententiæ Isid. affirmat D. Bonauent. in 3. dist. 14. art. 1. q. 2. cit. ab Aegid. qui tolerabiliùs iudicat, hoc Isidorum sentisse, quam illud, quod ab Ecclesia damnatum est.

Iudiciū Authoris cum Aegid. Lusit.

Vasq. Bonau.

§. III.

9 PRo Theodoreto, autem, legantur Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine, & Lusit. loc. cit. §. 11. à nu. 68. & deinceps. Responderi tamèn ad eius authoritatem, ex Dialogo, *Immutabilis*, desumptam, potest: quod, quantum ad homines attinet, optimè intelligitur, de visione corporea. At verò, quantum ad Angelos, non placet id, quod primo loco arbitratur Lusitan. noster nu. 69. nimirum, de eadē sensitiua cognitione ibi Theo-

Pro Theodoreti explicatione. Bellarm. Lusit.

Theodoretum loqui, cum existimauerit, Angelos esse corporeos. Siquidem idem Theodoretus, (vt benè vidit ipse Lusit.) Angelos incorporeæ naturæ esse fatetur, in eodem Dial. Sed Dicamus, ibi esse sermonem de visione, ex viribus naturæ, deprompta; non enim Diuinam Angeli intueri naturam, propriæ naturæ viribus, valent; quemadmodum Deum in carne viderunt. Et hunc sensum videntur habere verba illa: *Non enim viderunt Diuinam Essentiam, sed quandam gloriam, quæ eorum viribus correspondeat.* Intellige, de viribus naturalibus intelligendi; quemadmodum intelligi debent, & illa alia verba de visione Prophetarum, quæ immediatè præcedunt: *Dicimus non vidisse Diuinam naturam: sed quasdam Visiones, quæ eorum facultati conuenirent, nec eiusmodum excederent.* Et sic Theodoretus, tantum, loquitur de visione, tàm corporea, quàm incorporea, per vires naturæ elicita. Non ergo ex Patribus colligi potest, Diuinam essentiam esse Intellectui creato omnino inuisibilem.

CAPVT III.

Ponitur veritas Catholica, & de Fide esse demonstratur.

§. I.

Statuitur Catholica veritas. 1 QVare, pro Catholica veritate statuimus; non solum Deum posse per essentiam suam in se ipso clarè videri; sed verè iam à Beatis sic cognosci. Est de fide; sic definita in Côcilio Francofordiensi, in Epistola *Ad Episcopos Hispaniæ*. In Florent. sess. vlt. in literis Vnionis; & à nonnullis Summis Pontificibus. Videantur Castro, verbo *Beatitudo* hæres. 6. & Iuniores locis citatis.

Castro.

Probatur ex scriptura. 2 Sacra Scriptura passim hoc aperte ait. Matt. 5. *Beati mũdo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem.* Matt. 17. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, &c.*

Ex Patribus August. 3 Item Sancti Patres id idem clamant; quorum loca longissimum esset recensere; sufficiat vnum, vel alterum; Aug. epist. 112. c. 4. inquit, *Scimus, posse Deum videri: quoniam scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt, &c. an forte dicere non debemus, scimus, sed credimus; quia scriptum est in scriptura, cui credimus?* & respondet, optimè, dictum esse: *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Hieronym. (de quo dubitat Vasquez) super illa verba Isai. 6. *Et ea, quæ sub ipso erant, &c.* postquam sibi obiecisset duas authoritates sacræ Scripturæ, quæ sibi videbantur repugnantes, ita subdit: *Ad quod respondebimus, quod non solum Patris Diuinitatem, sed nec Filij, & Spiritus sancti; quia vna in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis, de quibus ipse Saluator ait; Beati mundo corde, &c.* legite totum ar. 2. lib. 12. q. 1. nostri Aegid. Lusit. vbi innumera Sãctorum Patrum adducit ad hoc testimonia. Hieronym.

An ex dictis proposita veritas sit de fide? 4 Sed; An ex his, quæ referuntur, circumferunturque, tum Patrum, tùm Scripturæ sacræ locis, colligatur, hoc esse de fide? non est facile decidere. Etenim, etiã in sacris literis dicitur Deus visus ab ijs, quos, certum est, immediatè illum non vidisse in essentia sua; sed tantum in aliqua imagine; vel alio modo, longe inferiori. Ita Isai. cap. 6. de se ipso dicit: *Vidi Dominum sedentem, &c.* & Daniel. sæpè fatetur, se vidisse Dominum. & Iacob inquit; *Vidi Dominum facie ad faciem, &c.* cum tamen Deum ne vtique viderint in se ipso, vt certum est. Isai. Dan.

Armans pars tenenda. 5 Nihilominus dicendum est, ex testimonijs sacræ Scripturæ hoc conuinci de fide, adhibita interpretatione Patrũ, & benè perpensa significatione illorum, ex antecedentibus, & consequentibus: ex quibus manifestè apparet, discrimen esse inter hos modos loquendi, & alios; in quibus, licet sit sermo de faciali notitia: non tamen indicatur ibi hæc propria visio immediata: Itaque, cum Paul. opponit cognitionem *facie ad faciem*, quam tunc habituri sumus, ad eam, quam hic habemus, quam appellat, *in speculo, & in ænigmate*; sine dubio loquitur de cognitione Dei, immediate, in sua substantia; alioquin esset etiam visio in speculo, & in ænigmate, & similitudine.

Ex Ioanne. 6 Præterea, Io. clarius hoc non poterat significare, dum dixit, *Similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est*; quo testimonio vtitur Euaristus Papa, in 1. sua epistola, ad hoc ostendendum. Nec Euarist. Papa

O illud

illud *ficuti eſt*: poteſt aliter interpretari, quam de intuitiua notitia. Denique hæc omnia confirmantur, ex eo, quod in Extrauag. Benedicti XI. relata à Mayor. in 4. q. vlt. & ſupplem. Gabriel. in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 3. dubit. 3. diffinitur, *Animas Defunctorum, qui in gratia deceſſerant ante diem Iudicij, ex viſione clara, & fruitione Dei, verè eſſe Beatas*.

May. Gab.

Ratione naturali minimè demonſtrari poteſt.

7 Nec eſt cur immoremur in examinando: An hæc veritas demonſtrari poſſit aliqua ratione philoſophica, & naturali? cum enim viſionis, de qua loquimur, obiectum ſit ſupernaturale, nempè, Diuina Eſſentia, in ratione ſummi noſtri Boni, vltimi finis noſtri, nos perfectè beatificantis: Ipſa viſio, ſupernaturalis; Media, ſeu Auxilia, nos ad illam eleuantia, noſtrumque intellectum roborantia, ſupernaturalia: vnde argumenta mutuabimus naturalia ad poſſibilitatem Beatificæ viſionis demonſtrandam? quæcunque enim reperies, vel probabilia, & per conjecturas, erunt; vel tantum procedent de fine naturali, eiuſque conſequutione.

CAPVT IV.

In quo adducuntur aliquot argumenta contra hanc Catholicam veritatem, & ſoluuntur.

§. I.

1. argumen̄t. in oppoſitū.

1 SOlent adduci aliquæ rationes, quæ videntur fouere errori, veritati Catholicæ oppoſito, quibus ſatisfaciendum reſtat; & Prima ratio eſt; Vel Deus clarè, & in ſe ipſo, ſecundum ſubſtantiam ſuam, intuitiuè viſus, continetur ſub obiecto Intellectus; vel non: Si primum ergò naturaliter poſſet intellectus Deum clarè videre; quod eſt falſiſſimum. Si ſecundum ergo, per nullam potentiam, poterit ad id eleuari, patet conſequentia: Nam ideo oculus corporeus eleuari non poteſt ad videndum Deum; vel quid aliud ſpirituale: quia huiuſmodi ſunt extra latitudinē obiecti ſui.

Confirmatur

2 Confirmatur. Plus diſtat, in infinitum, Eſſentia Diuina ab Intellectu creato; quam ſubſtātia Angeli ab oculo corporeo: cum hæc ſit finita diſtantia, illa infinita: ſed nequit oculus eleuari ad viſionem ſubſtantiæ Angelicæ, à qua tantum finitè diſtat: ergo multo minus poterit eleuari intellectus ad videndum intuitiuè Deum, à quo diſtat infinitè.

Soluitur à Suario argumentum.

3 Ad argumentum, Reſpondet Suar. lib. 2. c. 7. n. 20. Deum, vt ſic, & in ſe, eſſe ſub obiecto naturali Intellectus; quia eſt ſub Ente; vt verò, clarè viſum, nihil, ex parte ſua, adiungere: ſed cum obiecto ipſo inuolui actum noſtrum, quo tale obiectum videtur: & hoc modo, illud obiectum, vel potius, illum actum non comprehendi ſub latitudine actuum naturalium Intellectus.

Infirmatur ſolutio Suar.

4 Verum hoc habet difficultatem: primò, nam Deus clarè viſus inuoluit ſecum aliquam rationem entis: ergò, ſi Deus, vt ſic, conſideratus, includitur in obiecto intellectus, quia eſt ens: etiam Deus clarè viſus continebitur: quia de toto hoc prædicatur Ens.

5 Secundò: dicere, quod Deus clarè viſus eſt extra obiectum connaturale: quia clara viſio, quæ connotatur, ſuperat vires naturæ; eſt petere principium: Probatur autem, non ſuperate: quia Deus clarè viſibilis eſt ſub obiecto.

6 Tertiò denique: de Deo clarè viſo efformatur idem argumentum; Vel Deus clarè viſus eſt extra latitudinem obiecti intellectus; & ſic, non poterit Intellectus eleuari ad illum videndum: vel eſt intra latitudinem; & ſic, ſe ipſo, poterit.

Alia reſpōſio exactior.

7 Quare Reſpondeo, concedendo, Deum clarè viſum eſſe intra latitudinem connaturalis obiecti intellectus; ſi intelligatur, de obiecto adæquato: quia eſt ſub Ente, quod, vt ſic, & abſtractè ſūptū, prædicatur etiam de Deo clarè viſo: Sed, cum inde infertur; ergo naturaliter poterit clarè Deum videre intellectus creatus: Negatur conſequentia: quia fundatur in illa vniuerſali propoſitione: Potentia quælibet poteſt clarè, proprijs viribus, ferri in totum id, quod continetur ſub obiecto ſuo etiam, naturali: adæquato tamen; quæ propoſitio eſt falſa: excellens enim ſenſibile continetur ſub obiecto connaturali adæquato ſenſus alicuius: qui tamen in illud non poteſt perfectè ferri, niſi adiuuetur.

8 Dicimus ergo, conformiter ad ea, quæ diximus ſupra cap. 1. nu. 20. aliquid poſſe contineri ſub obiecto adæquato alicuius potētiæ naturalis, ſiue ſub obiecto ſimpliciter, & extenſiuè adæquato: non tamen ſub obiecto proportionato; ſeu,

seu, intensiuè adæquato, & non simpliciter; quia, & si habeat rationem formalē, vnde possit à potentia percipi; non tamē est proportionatum viribus naturalibus ipsius potentiæ; & sic, indiget aliqua forma, per quam potētia roboretur, vel eleuetur. Itaque ad hoc, vt potentia proprijs viribus feratur in aliquod, necesse est, quod illud cōtineatur intra latitudinem sui obiecti proportionati; idest, quod sit proportionatum viribus illius. Deus igitur, & si contineatur intra latitudinem obiecti simpliciter, & extensiuè adæquati Intellectus creati; cum non contineatur intra limites obiecti intensiuè adæquati, siue proportionati, quod est, tale Ens; materiale, scilicet; non poterit naturaliter Deus ab intellectu intuitiuè videri: benè tamen, non repugnat videri ab eodem intellectu roborato, & eleuato, modo infra dicendo.

9 Ad illud, quod dicitur; quod ideo oculus corporeus nequit eleuari ad videndum Deum, & Angelos: quia huiusmodi sunt extra latitudinem obiecti cōnaturalis: Dico, substantiam spiritualem esse extra latitudinem, nedum obiecti proportionati potentiæ visiuæ: verum etiam & obiecti simpliciter adæquati, iuxta dicta loco citato.

Ad confirm. 10 Ad confirmationem Respondeo; duplicem distantiam considerari posse, inter Deum, & Intellectum, ex vna parte, & inter Angelum, & Oculum, ex altera: prima est distantiua entitatiua, vel in ratione entis; & sic, conceditur maior propositio: entitatiuè enim Deus infinitus est: intellectus verò finitus; & finiti ad infinitum nulla est proportio: vbi Angelus finitæ est entitatis, sicur oculus. Alia tamen distantia dicitur obiectiua, vel in ratione obiecti. Quæ distantiæ, siue improportiones ita se habent, vt ea, quæ sūt improportionata entitatiuè, bene possint esse obiectiuè proportionata: & ea, quæ sunt improportionata, in ratione obiecti, & potentiæ, possint vtique proportionari in ratione entis. Dentur color & sonus, Entia finita sunt, & accidentia ambo: cum tamen nullam habeant, in ratione obiecti, proportionē: color enim ad visum pertinet, & non ad auditum; At sonus, non ad visum, sed ad auditum spectat: quia color est extra latitudinem obiecti auditus: sonus verò extra latitudinem obiecti visus. Ita dicimus, quod licèt maior improportio sit inter Deum, & intellectum, quam inter Angelum & oculum; loquendo de improportione entitatiua: At verò, loquendo de improportione obiectiua, longe maior est, inter Angelum, & oculum; quia Deus non est extra sphærā obiecti, simpliciter adæquati intellectus; vbi Angelus est omninò extra latitudinem obiecti adæquati potentiæ visiuæ, vt dictum est.

Duplex distantia.

§. II.

11 Secundò obijcitur: si posset dari visio intuitiua Diuinæ essentiæ, illa esset infinita: sed nulla visio creata potest esse infinita: ergo nulla intellectio potest esse clara Dei visio; maior probatur. Primò: quia omnis perfectio cognitionis pēdet ex obiecto: ergò ea proportio erit inter cognitiones, quæ inter obiecta: ergo, cum Deus sit obiectum infinitum, excedens omne aliud obiectum; visio Dei erit cognitio infinitè excedens omnē aliā cognitionē; ac proindè, infinita. 2. obiectio.

12 Confirmatur hoc, argumento calculatorio. Nam, ad videndum obiectum tantæ perfectionis, requiritur in cognitione tanta perfectio: ad videndum excellentius, requiritur maior; ergo ad videndū infinitè excellens, quale est Deus, requiritur infinita. 1. cōfirmatur

13 Secundò confirmatur hoc idem. Infinita est illa cognitio, infra quam cōtinentur infinitæ cognitionis, specie differentes, quarum omnium perfectionem superat: quod enim continet perfectionem, quæ est maior infinitis perfectionibus, habet perfectionem infinitam: Vnde Deus, ideo dicitur infinitus in essentia, quia habet perfectionem, superantem perfectiones cuiuscunq; essentiæ: ea igitur erit infinita cognitio, in genere cognitionum, quæ superabit perfectiones infinitarum cognitionum: huiusmodi est visio Dei clara: nam illa est perfectior essentialiter quibuscunque cognitionibus obiectorum creatorum, quę infra Deum sunt infinita in infinitum. 2. confirm.

14 Ad argumentum principale, Respondeo negando sequelam maioris: ad probationes autem, in Vniuersum, Dico; quod æquè probant, de quacunquè Dei cognitione, etiam, non intuitiua, nec immediata. Item, de quocunquè actu Amoris Dei; Fidei, &c. Vndè, cum cōstet apud omnes, Deum amari in se ipso: & tamen non esse huiusmodi amorem actu infinitè perfectum; constat etiam has rationes nihil concludere. Solutio argumenti.

15 Ad primam igitur probationem: Cum dicit, *talis debet esse proportio cognitionis ad cognitionem, qualis est obiecti ad obiectum*: Respondeo, distinguendo dupliciter: primo, si cognitio sit adæquata, ex omni parte correspondens obiecto: concedo. Si non sit, nego: Vnde, quia Dei clara visio, à quocunque intellectu creato, non est adæquata vndequaque obiecto, non habet illam proportionem ad alias cognitiones, quam habet ipse Deus ad alia obiecta; sed tantum hoc conuenit Diuinæ cognitioni; quæ, ita se habet ad alias, vt ipse Deus ad cognoscibilia.

16 Secundo si sermo sit, de proportione, secundum aliquam similitudinem; concedo: Huius ratio est: quia omnimoda perfectio cognitionis non prouenit ab obiecto, tantum; sed etiam à potētia, vel à modo rendendi potentiæ ad obiectum: Vnde hoc impedit, quominus ita se habeat cognitio ad cognitionem, in sua perfectione virtutis, vt se habet obiectum ad alia obiecta: quia tamen cognitio speciem sumit ab obiecto; fit, quod, si obiectum est perfectius, in sua specie, alijs; etiam cognitio, quo ad suam speciem, sit alijs perfectior: & ita Dei visio, & amor sunt actus perfectiores omnibus alijs, qui versantur circa reliqua obiecta creata. Concluditur ergò ex hoc modo argumentandi, quod sicut obiectum est perfectius obiecto; ita cognitio est perfectior cognitione: non tamen, quod sit tanta excellentia in cognitione, quanta est in obiecto.

Soluitur 1. confirmatio. 17 Ad primam confirmationem, quę est secūda probatio eiusdem proportionis; Respondeo, negando consequētiam; tantum enim concluditur, vi illius argumēti, visionem Dei esse nobilioris essentiæ, quam sit quælibet alia cognitio: non autem probatur, esse infinitè perfectam, intrinsecè; sicut si quis probaret, Hominē esse perfectius animal quolibet alio animali, essentialiter; non ipsum ostenderet infinitum.

Soluitur 2. confirmatio. 18 Ad secundam confirmationem, quæ erit tertia probatio eiusdem sequelæ maioris: Respondeo, distinguendo maiorem. *Infinita est illa cognitio, infra quam continētur infinitæ cognitiones, specie differentes, quarum omnium perfectionem superat*; eo modo, quo earum superat perfectionem, *transeat*; quod pariter, vt sic, aliquo modo infinita cognitio dicatur: & quia est perfectior reliquis, ratione perfectionis obiecti; ideo poterit dici infinita cognitio, extrinsecè, seu obiectiuè; non autem, intrinsecè, & entitatiuè: hoc autem proprium est omnium aliorum actuum, qui versantur circa Deum, Amoris scilicèt, Fidei, Spei, &c.

19 Sed dices: illa res esset infinitè quanta, quam nunquam possent æquare quæcunquè magnitudines multiplicatæ, etsi non sumerentur secundū partes proportionales; sed perfectionem visionis Dei, nulla cognitio cuiuscunquè obiecti creati potest æquare, quamuis multiplicētur cognitiones, & vna aliam excedat, non proportionaliter, sed essentialiter, excessu, ergo est infinita. Instantia.

20 Respondeo; quod illa supputatio concludit tantum infinitatem, quandó est inter res eiusdem ordinis, & speciei: illa enim quantitas esset vtiquè infinitè extensa, quā aliæ quantitates non æquarent: si verò sit inter res diuersi ordinis, concludit tantùm maiorem excellētiam speciei; non tamen infinitam: vel concludit infinitam extrinsecè, & obiectiuè, dūtaxat: non intrinsecè, & essentialiter. Soluitur.

§. III.

21 TErtiò obijcitur: modus essendi Dei in se ipso est superioris ordinis, respectu cuiuscunquè intellectus creati, quantumcunquè, & quomodocunquè ille lumine gloriæ illustretur; ergo nullus intellectus, quocunquè lumine eleuetur, potest clare videre Deum. antecedens supponitur, vt notum: consequētia, hoc discursu, probatur: Modus concipiendi cuiuscunquè intellectus sequitur modum essendi ipsius: modus. n. proportionatus vnicuiquè intellectui est, vt cōcipiat obiectum, iuxta proprium modū essendi, quem habet: ergo nullus intellectus potest formare proprium conceptū rei, quæ, in essendo, est ordinis superioris; nec enim poterit eam concipere, ad modum essendi, sibi proprium; Igitur, cum Deus, in se ipso, sit altioris ordinis, in essendo, respectu cuiuscunquè intellectus creati, nullus poterit formare proprium conceptum Dei, vt est in se ipso; & per consequens, non poterit eum intuitiuè videre. 3. obiectio.

22 Ad hoc argumentum Respondet Lusitan. noster lib. 12. q. 1. ar. 1. §. 3. n. 32. negando consequentiam: Sed certè ego negarem antecedens: etenim intellectus eleuatus per lumen gloriæ fit eiusdem ordinis Diuini, vt infra dicetur: & sic Soluitur.

Deus

Deus non erit ordinis ſuperioris reſpectu intellectus creati, illuſtrati lumine gloriæ; Vnde ruit tota argumentationis vis.

4. obiectio. 23 Quartò obijcitur: Beatitudo perfectioris naturæ debet eſſe perfectior, & altior; ſed Beatitudo Diuina (quæ eſt omnium altiſſima) ponitur in viſione Diuinæ eſſentiæ: ergo Beatitudo noſtra non poterit huiuſmodi eſſe, ſed longè inferior.

Soluitur. 24 Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: debet eſſe perfectior, & altior; *obiectiuè*, nego: *formaliter*, & concedo; ſicuti concedo etiam minorem; nego tamen conſequētiam: nam, licet Beatitudo noſtra, & Dei ſit eadem obiectiuè: habet enim vtraque, pro obiecto, Diuinam eſſentiam: noſtra tamen formalis, longè inferior eſt: cum ſit creata, accidentalis, inadæquata, &c. vbi formalis Dei Beatitudo eſt viſio increata, ſubſtātialis, comprehenſiua. &c.

Vlt. obiectio. 25 Tādem obijcies. *Inuiſibilitas* Dei eſt vnum ex attributis illius: & tamen nō dicitur *Inuiſibilis*, reſpectu ſui, qui ſe ipſum, perfectiſſimo modo, intuetur, & cōprehendit: ergo dicitur inuiſibilis reſpectu Intellectus creati: Quod ſi aliquo modo poſſet videri, non diceretur abſolutè *Inuiſibilis*, ſed, cum addito; ſcilicèt, Inuiſibilis, vel ab oculo corporeo, vel ex viribus naturæ.

Soluitur. 26 Reſpondeo, totum id verum eſſe: nec enim Deus dicitur *Inuiſibilis* omnibus modis: hoc enim aſſerere eſſet Hæreticum (vt benè Pater Suār. diſp. 30. met. ſect. 11. num. 50.) Suar. Dicitur tamen Deus *Inuiſibilis*, reſpectu virium naturalium intellectus creati, dumtaxat; ita Luſitan. Luſit. loc. cit. n. 33. Et hactenus de hac diſputatione.

Finis Quodlibeti Tertij.



QVODLI-

QVODLIBETVM QVARTVM.

De Specie Impressa.

DISPVTATIO PRIMA.

Quid nam illud sit, per quod redditur nobis visibilis Deus?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur Titulus; & ostenditur non posse videri Deum per speciem alienam; neq; per speciem in qua.



§. I.

Multiplex similitudo. 1 Ractãt Doctores hoc punctum cum D. Thoma q. 12. ar.2. Et pro intelligentia eorum, quæ dicẽda sunt: Notandum est, quod multiplex est, in proposito, similitudo, & species, ad cognitionem spectãs. Alia enim dicitur *similitudo, in qua*, seu *obiectiua*; alia *Qua*, seu *inhæsiua*: ita D.Tho. in 4. dist. 49. q.2. ar.1. *Species*, seu *similitudo, in qua*, est, quæ, prius in se ipsa cognita, ad aliud cognoscẽdum nos ducit: vt Pictura Cæsaris, in qua, prius visa, Cæsarem contemplamur; & propterea appellatur, *Species in qua*: quia in ipsa effingitur aspectus eius, cuius est species: Dicitur *Obiectiua*; quia est etiã id, quod cognoscitur: imò, primò, cognoscitur. D.Th.

2 *Species, verò, qua*, & *inhæsiua*, est ratio cognoscendi aliud: sed non prius ipsa visa; & propterea appellatur *species qua*: quia ipsa vtimur, vt medio. Dicitur *Similitudo inhæsiua*: quia nobis inhæret.

Species qua est duplex. 3 Hæc autem duplex est: altera antecedens cognitionem: altera sequens, vel concomitans. Illa appellatur *Impressa*, ista *Expressa*; quia ab ipsamet potentia exprimitur; Vnde solet etiam dici *Verbum mentis*; & secundum aliquos, est ipsamet cognitio actualis: de qua infra sermo prolixior redibit.

4 Rursus, *Impressa*, adhuc duplex est: alia propria rei, quam repræsentat: vt species coloris, respectu obiecti sui, quod repræsentat; alia aliena, & extranea, vt species corporum, & rerum materialiũ, respectu naturæ spiritualis, quam nobis in via videntur repræsentare. In præsenti Disputatione, nil dicemus de specie expressa, de qua erit infra peculiare Quodlibetum: Sed benè de reliquis: & petimus: An quando Intellectus creatus intuetur Diuinam Essentiam, sicuti est; eã videat, mediante aliqua specie, seu similitudine, siuè obiectiua, siuè inhæsiua impressa: siuè propria, siuè extranea? & sermo est, de facto: nam postea videbimus, de possibili quid dicendum. Species impressa duplex

§. II.

5 IN qua re: illud primò certum est apud omnes, non videri à Beatis Diuinam essẽtiam, per aliquam speciem im-

Prima positio certa. impressam alienam: & ratio est D. Thom. ar. 2. cit. Quia res superioris ordinis non repræsentatur quidditatiuè per speciem rerum ordinis inferioris: sed omnis species aliena Dei est similitudo rerum inferioris ordinis, quam sit Deus: ergo, &c. minor cum consequentia patent; maior probatur; Quia omnis species proportionatur suo proprio obiecto, & primario: sed si species ordinis inferioris quidditatiuè repræsentaret aliquid perfectius suo obiecto primario, nō illi proportionaretur in repræsentando; sed excederet; ergò, &c.

6 Secundò probatur. Quia species totam vim repræsentatiuam haberet à suo primario obiecto: ergo quod est infra aliud, non potest esse obiectum primarium speciei repræsentantis illud obiectum nobilius.

7 Tertiò probatur: Quia omnis species aliena (vt indicat D. Tho. ar. 2. & 11.) est ratio videndi aliud, per hoc, quod prius facit cognoscere obiectum proprium, in quo illud, per quandam similitudinem relucet; vel cum quo habet aliquam coniunctionem; vt effectus cum sua causa: sed nulla res creata potest esse similitudo, *in qua* quidditatiua Dei, (vt statim dicam,) ergo, &c.

Notandum. 8 Sed notandum summoperè est, circa primam rationem; quod nonnulli Thomistæ valde decipiuntur in illa propositione D. Thomæ; scilicèt, quod, *per speciei ordinis inferioris non repræsentatur quidditatiuè res superioris ordinis*; in qua illud, *superioris ordinis*: non cadit supra speciem; sed supra ipsam rem, seu obiectum inferioris ordinis, cuius dicitur esse species: alioquin, enim, certum est, quod, per speciem, quę, proculdubio, in se est inferioris ordinis potest videri, & cognosci res ordinis superioris: etenim intellectus, per speciem Angeli, quæ est accidens quoddam, ipsam Angeli naturam intelligit, & cognoscit. Eam ob rē clarius nos illam proposuimus propositionem, dicentes. *Res superioris ordinis nō repræsentatur quidditatiuè per speciem rerum ordinis inferioris*.

§. III.

2. positio certa. D. Tho. Scot. Vasq. Zum. Ban. Molin. Dion. Aug. 9 Secūdò etiam certum est, Diuinam essentiam non videri intuitiuè ab intellectu creato, per aliquam similitudinem obiectiuam: Cui assertioni pariter omnes consentiunt: eamquè fusius docet D. Thom. lib. 3. con. gen. c. 99. Scot. quodl. 14. Vasq. disp. 39. Zum. Ban. Molin. & reliqui; quam etiam tradunt Dion. c. 1. de Diuin. nom. & August. lib. 5. de Trin. Et primò probari potest: Quia non datur species impressa aliena, respectu Dei: ergo nec similitudo obiectiua: quia hæc duo sunt connexa.

10 Secūdò probatur. Nulla res prius visa facit quidditatiuè aliam videri; nisi in ea contineatur tota perfectio illius: sed nulla res creata est huiusmodi, respectu Dei: ergò, &c. maior patet; primò, Inductione: nam res materiales nō possunt, cognitę, notificare quidditatiuè spiritualia, (vt docet Arist. 2. met. c. 2.) nec res inanimata, visa, notificat quidditatiuè viuentem. Arist. Secundò quia quando visum aliud repræsentat, est propter aliquam connexionem, quam visum habet cum alia re, quam repræsentat: vel igitur hæc connexio est, quia ipsum causat: vel quia causatur: vel quia habet similitudinem imaginis, aut, &c. Si primum, habeo intentum: nam nulla causa est ignobilior suo effectu. Si secundum nullus effectus repræsentat causam, quidditatiuè; nisi vniuocus: vnde *Marmor*; verbi gratia, non repræsentat *Solem*. Si tertium; patet, *Statuam* nō repræsentare *Cæsarem*, quidditatiuè, ei, qui nunquam ipsum vidit; nisi rātum, entitatiuè, per comparationem illius ad alios homines. Si quartum; vel est similitudo essentialis in natura; & habeo intentum: vel est accidentalis, qualis est Statuæ, & Picturæ ad exemplar; & de hoc iam dictum est.

11 Vbi etiam illud notandum est: hic esse sermonem de specie, siue similitudine obiectiua, *in qua*: quæ omnino contra distinguitur à similitudine, & specie, *qua*, inhærente ipsi cognoscenti; ita vt, nullo pacto ea sit; quod est aduertēdum: quia, secundum aliquos, Verbum mentis est simul species, *qua*, & *in qua*: quia ipsum videtur, dum alia cognoscuntur; quod, quo pacto sit intelligendum, ex infra dicendis patebit. Quarè solum restat difficultas examinanda, de ipsa specie, seu similitudine Impressa, seu *qua*: an ea vtatur Intellectus creatus ad intuitiuè vidēdum Diuinam Essentiam de facto? Notandum.



CAPVT

CAPVT II.

Species intelligibiles statuuntur.

Lusit. 1. IN qua re, noster Lusitanus multa disputat, de Speciebus intelligibilibus, de earum necessitate, & natura; quæ, alterius negotij sūt: & propriè earum tractatio, sic, ex professo spectat ad Animasticos, & Metaphysicos. Ipse tamē Aegidius exactissimè, ac ferè diuinè, quicquid desiderari potest, pertractat toto lib. 8. in duas partes, per ipsum diuiso; in quarum prima, totam de Speciebus materiam discurit, in communi: in secunda verò, de necessitate ipsarum ad videndum Deum. Nos ergò supponimus, dari huiusmodi species intelligibiles; cum communiori Philosophia; quiquid dicant Duran. in 2. dist. 3. quæst. 6. num. 10. 12. & 17. & in 4. dist. 49. q. 2. num. 19. Ocham in 2. q. 17. & 18. & Gabr. in 2. d. 3. q. 2. ar. 2. & 3. licet Conimbrices. 2. de Anima. c. 5. q. 3. ar. 1. sentiant, Gabrielem longè aliud sentire. Hi omnes generaliter tollunt è medio Species intelligibiles: Cum tamen Arist. 3. de Anima c. 8. tex. 38. expressè dicat; *Res ipsas non esse in Anima, sed formas rerum*, & c. 4. tex. 6. *Animam intellectiuam esse locum formarum*; Vnde & D. P. Aug. lib. 9. de Trinit. alludens ad verba Arist. 3. de Anim. tex. illo 38. ait. *Necesse est, aut res ipsas, aut formas in anima esse: at nō sunt in anima res ipsæ profectò: non enim ipse lapis est in anima; sed forma lapidis*.

Supponitur dari species impressas. Arist. Aug.

Probatur. 2 Et ratio videtur huiusmodi Species conuincere: Quia Intellectus nequit attingere sui obiecti notitiam, nisi illud faciat sibi obiectiuè præsens, ac debitè sibi approximatum, & vnitum, in ratione obiecti: sed talis vnio fieri non potest, nisi per speciem eiusdem obiecti; quando obiectum nequit, se ipso, immediatè, vniri potentiæ (vt dicam infra:) ergò necessariò ponendæ sunt huiusmodi species.

Confirmatur 3 Et cōfirmatur; quia ad perfectionem potentiæ cognoscitiuæ pertinet, habere obiectum, sufficienter sibi præsens, in se ipsa: hæc enim perfectio reperitur in potentia sensitiua: Siquidem Phantasia, in se ipsa, & non in alia potentia inferiori, habet præsentiam sui obiecti: sensus etiam cōmunis habet colorem sibi præsentem, præsentialitate sibi propria; idest, in specie, existente in proprio suo organo: nō ergo deneganda est perfectio hæc potentiæ nobiliori, qualis est Intellectus: sed hanc præsentialitatem nequit habere, vi ipsius obiecti; maximè, si absens sit, vel materiale; Non enim lapis in anima est: ergo, vi formæ, seu speciei illius. Id namquè quod Dur. cum Nominalibus, species negantibus, ait; Ipsam Phantasiā, nulla media specie, sufficienter subministrare intellectui phantasmata sua, tanquam obiecta illius: quoniam sensus, & intellectus sunt potentiæ subordinatæ: naturalis autem subordinationis conditio est, vt obiectum posterioris potentiæ præsentetur illi, per actum prioris: Vndè intellectus, eam ob rem, per suam notitiam præsentat obiectum voluntati; & sensus externi sensibus internis. Dur.

4 Hoc, inquam, non valet: tum quia phantasmata sunt entia quædam materialia, & naturæ cuiusdam crassæ, & imperfectæ; &, ob id, non sunt intelligibilia, in actu; sed solum, in potētia: fiunt autem actu intelligibilia, cum, per intellectum agentem illustrata, sui species immittunt ipsi intellectui: (vt in nostra Logica in Disputat. de Vniuersalibus docuimus:) Estq; fundamentum nostri Aegidij Columnæ de cognit. Angelorum q. 4. ratiō etiam à D. Tho. de verit. q. 8. ar. 9. & probatum à Conimbricensibus 3. de Anima q. 3. ar. 2. Aegid. D. Th. Conimbr.

5 Tum etiam: quia magna foret Intellectus imperfectio, si non in se ipso, sed in sensibus haberet obiectum actuale suæ nobilissimæ operationis: maximè, quia, inde sequeretur, intellectum cōtingenter operari; haberet enim obiectum suum, per potentiam, cui contingenter adiungitur.

6 Tum tandem; quia sequeretur, intellectum nō posse habere operationem sibi propriam, independenter à sensibus: cum ab illis dependeat simpliciter in operando: sublatis, enim, speciebus, semper, necesse foret, intellectum suum emēdicate à phantasia obiectum, ad hoc vt posset intellectionem elicere.

7 Præterquam quod, addo; huiusmodi Doctores, hoc modo respondēdo, & species in vniuersum negando; necessariò species fatentur: dum enim aiunt, phantasiam posse intellectui proponere suum obiectum: peterem, in Phantasia, est ne lapis ipse, ignis, mare, cœlum, &c. an verò species eorum? illa esse non poterunt certè, nec, vt fit, poterunt à sensibus

bus

bus externis internibus repræsẽtati; cum intus non valeant, per se ipsa, introduci: ergò necessario fatentur, dati, in sensibus, species immissas, ab obiectis externis, sensibus externis: ab his verò, internis: ergò, cur denegandum est specierum beneficium nobiliori potẽtiæ; & eam immergi, dicamus, in materialitatibus, & imperfectionibus phantasmatum?

8 Nec est par ratio, de voluntate, quæ elicit actum suum circa obiectum, sibi propositum ab intellectu: quia hoc est speciale ipsi voluntati, quæ potentia cęca dicitur; & manu ducitur ab intellectu; Vnde est illud commune omnium Philosophorum dictum; *Voluntatem extra se trahi: Intellectũ, verò, ad se trahere.*

CAPVT III.

Sententia Vasq. De Specie Impressa refellitur.

§. I.

1 SVpposito igitur, dari species intelligibiles, quæ sunt quædam formæ accidentales, intellectui inhærentes; ipsumque in actu primo constituentes ad operandum, (vt dicetur pluries,) actiuèque cum ipso cõcurrẽtes ad operationem. Nonnulli non infimæ classis Doctores, illas etiam admittunt, de facto, in intellectibus Angelorum, & Beatorum, in ordine ad Diuinam essentiam: ita vt asserant, non posse Beatum Deum intuitiuè videre, sine specie impressa creata; Ita, inter alios, nouissimè sustinet noster Lusit. lib. 8. 2. p. q. 3. ar. 3. §. 2. vbi ait; quod licet olim, negantẽ partem, verissimam supposuerit semper; re tamen ab ipso diligentius considerata, affirmantem, putat, esse longè veriorem; Fautoresquè huius sententiæ citat §. 1. eiusdem ar.

Sententia asserẽs speciem impressam in Beatis.

Aegid. Lusit.

2 Vasquez etiam disp. 43. c. 7. nu. 32. & 34. affirmat; quod, posita possibilitate huius speciei, potius dicendum est, eam de facto dari, quam Diuinam Essentiam supplere vicem illius. Et n. 37. concludit, nil esse absurdi, si dicatur, Beatos, per speciẽ creatam, videre Deum. Cæterum Vasq. vult, ipsum lumen gloriæ esse speciem impressam; nec aliam agnoscit, à lumine gloriæ condistinctam. Probat autem hunc suum specialem dicendi modum; tum, quia D. Tho. initio ar. 2. negat similitudinem Dei, ex parte rei visæ; concedit autem, lumen esse similitudinem, ex parte intellectus videntis: sed similitudo, ex parte rei visæ, est similitudo, quæ, visa, facit videre; Idcircò appellatur, ex parte rei visæ. Similitudo autem, ex parte videntis, est, quæ in ipso recipitur: Ergo D. Tho. negat similitudinem obiectiuam, & concedit, lumen esse speciem impressam. Et certè, quod lumen sit similitudo, expressè docet D. Tho. *Quod* autem sit impressa, patet; quia inhæret intellectui, & imprimitur à Deo.

Vasq.

D. Th.

3 Tum secundò, quia diffinitio, & quidditas speciei impressę, lumini gloriæ conueniunt: species enim impressa est qualitas, potentiæ intellectiuæ infusa, determinans ipsam ad cognoscendum certum aliquod obiectum; &, cum illa, ad cognitionem producendam, concurrẽs: lumen, etiam, gloriæ est qualitas, infusa à Deo intellectui, qui, cum sit indifferens ad plura cognoscenda, vel clarè, vel obscurè: intuitiuè, vel abstractiuè, ab hac qualitate, ad videndum clarè, & intuitiuè Deum, determinatur, & fit aptus ad hanc visionem eliciendam; ad quam etiã concurrit, effectiuè. Item, tota essentia speciei impressæ consistit in repræsentatione obiecti, effectiua, per hoc, quod facit, se ipsa, obiectum suum cognosci sicuti est; sed huiusmodi est lumen gloriæ, respectu Dei: ergo habet rationem speciei impressæ. *2. ratio.*

4 Quod si dicatur; quod species impressa facit obiectiuè præsens obiectum, in ratione obiecti, ipsum vniendo potẽtiæ: Totum etiam hoc conuenit lumini gloriæ; nam vnire, in ratione obiecti, est facere præsens obiectiuè: hoc est autem facere cognoscere, quod totum habet lumen gloriæ.

Præcluditur effugium.

§. II.

5 VErum, si per Speciẽ impressam, intelligerent lumen gloriæ Doctores, certè non se immergerent tot difficultatibus: sed quæ, & qualis differentia sit inter vtrumquè; ex infra dicendis, cõstabit: sufficiat modo dixisse, non esse hic de lumine gloriæ controuersiam; de quo erit suo loco sermo. Non negamus, quod lumen gloriæ dici possit, aliquo modo, similitudo, (vt docet D. Thom.) & etiam impressa, (vt probat Vasq.) sed, esse, in eo sensu, speciem impressam; pro-

Non tamen placet.

P ut

ut de ea hic loquimur; quæ se teneat ex parte obiecti; supplendo.s.eius absentiā: cum lumen non suppleat obiecti absentiam; sed potius, præsens, potentiæ manifestet.

Ad 1. rationē 6 Et ad rationes, quibus hoc probat Vasq. Respondeo; ad primum concedendo maiorem; negãdo minorem; scilicèt, *Quod similitudo, ex parte rei visa, sit similitudo, qua, visa, facit videre*; ex mente D.Tho. dicam enim infra, de qua similitudine fuerit, eo loco, D.Tho. loquutus; nam certè ibi, nedum similitudinem hãc obiectiuam; verum & impressam, impossibilem iudicat S.Doctor.

Ad secundã. 7 Ad secundam concedo, lumen gloriæ non nihil habere commune cum specie impressa; & conuenire cum illa in aliquibus rationibus, quasi genericis; & sic, quemadmodũ species impressa est qualitas, intellectui infusa, determinans ipsum ad cognoscẽdum certum aliquod obiectum; & cum illo ad cognitionem ipsam concurrens: ita lumen gloriæ est qualitas, pariter infusa intellectui, determinatquè, aliquo modo, ipsum ad cognoscẽdum obiectum supernaturale, & effectiuè concurrit ad huiusmodi intellectionem: sed differunt etiam in multis: & præcipuè, in ipsa determinatione potentiæ. Duplex est enim potentiæ determinatio: altera, ad faciendum obiectũ præsens, in ratione obiecti; & ad supplendam ipsius intelligibilitatem, & absentiam: altera, ad corroborandam potentiam, eiq; manifestandum obiectum, vt actu illam moueat; vtq; id, quod habet præsens, possit percipere; supplendo defectum potentiæ, ex vna parte, & palàm faciendo obiectum præsens; non quod suppleat eius absentiam, (vt infra dicam disp. 4. cap. 4.) Prima determinatio est propria speciei impressæ; secunda luminis gloriæ; quod, propterea accedit ad naturam habituum intellectus. Per quod patet ad reliqua, quæ addit Vasq. Quarè, omisso hoc dicendi modo; examinanda est præsens difficultas cum his, qui speciem impressam, condistinctam fatẽtur, à lumine gloriæ; & illam, de facto, ponũt in Beatis, ad videndum intuitiuè Diuinã Essentiam.

Duplex potentiæ determinatio.

CAPVT IV.

Adducuntur Rationes, quibus probatur, Beatos, de facto videre, Diuinam Essentiam, per speciem creatam.

§. I.

1 Aegidius Lusitanus noster, qui omnium nouissimus hanc sententiam, vt longè reliquis veriorem, doctissimè, diffusèq; tuetur, loco cit. eam nonnullis probat difficilibus medijs, ar. 3. §. illo 2. Et primò sic. Intellectus noster, vel simpliciter non potest aliquod obiectum intelligere, nisi, prius natura, fiat ipsum in esse intelligibili; vel saltem nullum potest intelligere, modo connaturali, nisi prius fiat illud: Sed nequit noster Intellectus intelligibiliter fieri Deus, per Diuinam essentiam, vt supplẽtem vicem speciei: sed per solam speciem creatam: ergo admittenda est, de facto, talis species. Maior fundatur in optima Philosophia Perhipatetica, eaq; ferè communi, qua dicitur: *Simile non potest cognosci, nisi à simili.* Minor verò probatur, ex doctrina Arist. quam ipse affert. 1. p. lib. 8. q. 1. ar. 1. §. 2. & q. 3. ar. 3. vbi, multis nititur ostendere, intellectum fieri rem ipsam, per formam intelligibilem, qua intrinsecè perficitur; idquè, non per accidens; sed per se: Essentia autem Diuina non potest intrinsecè perficere intellectum Beati; non modo, in genere rei: sed nec in genere intelligibili: ergo intellectus Beati non potest intelligibiliter fieri Deus, per Diuinam Essentiam; fiet igitur talis, per speciem creatam. 1. ratio Aegidij Lusit.

2 Dices; quod, licet seruato ordine naturali, intellectus fiat res ipsa, per speciem, qua perficitur: non tamen per se, fit ipsa, per speciem, vt ipsum actuat; sed, prout rẽ ipsam intellectui obiectiuè proponit: etenim, intellectum actuari, & perfici per speciem, non per se requiritur, vt intellectus fiat ipsa res: sed solum, per accidens: quatenus ipsa species; ideo, quia est accidens, non potest rem ipsam obiectiuè præsẽtare, vt ita faciat, intellectum esse ipsam; nisi prius in intellectu inhæreat; Occurritur cuidam solutioni.

reat;

reat; nam, si sine inhærentia, rem intellectui præsentaret, adhuc, per solam obiectiuam præsentationem, intellectus fieret ipsa res intellecta. Vnde, si daretur aliqua forma intelligibilis, quæ, absquè inhærentia, posset se ipsam intellectui obiectiuè proponere; per ipsam intellectus fieret ipsa res. Itaquè, Intellectus, vt fiat ipsa res, per se non postulat formam actuantem, & informantem ipsum: sed satis est forma obiectiuè assistens; siue assistat in specie inhærente; siue in se ipsa. Cumquè, in Beatis, ipsa Diuina essentia, per se ipsam sit forma intelligibilis extrinseca; & immediatè vniatur intellectui ipsorum; hoc sufficit, vt intellectus Beatorum dicatur esse ipsa res; absquè eo, quod in illo ponamus speciem aliquam creatam.

§. II.

1. instantia. 3 Sed contra hanc Responsionem, insurgit noster Lusit. §. illo 3. n. 19. vsquè ad 23. quia hæc doctrina est contra mentem Arist. qui docet, Intellectum se habere ad formas, quibus fit res ipsæ, vt materia receptiua earum; & ita receptiua, vt eas recipiat, passione alteratiua: perfectiua tamen, (vt idem docuerat 1. p. illius lib. 8. q. 1. ar. 1. §. 2.) Iam, verò, vnio obiectiua, nec formaliter est passio alteratiua, nec per se eam supponit: Ergo nequit intellectus fieri res ipsa, nisi per speciem.

2. instantia. 4 Secundò insurgit; quia similitudo est inter duo aliqua, inter se distincta: ergo, cum dicimus, intellectum debere assimilari rei intellectæ: necessariò duo constituenda sunt, intra intellectum, inter se similia; & ideò, ad inuicem condistincta; nempè Intellectus, vt intelligens; & obiectum: scilicèt, Essentia Diuina, in Beatis, vt res intelligibilis: si ergo obiectum debet esse extremum, contrapositum intellectui: quomodo poterit facere, quod intellectus ipse, qui est alterum extremum, fit ipsum obiectum, tāquam extremū simile condistinctum? In intelligibile, quidem, hoc esse videtur; ponentes autem, Intellectum fieri rem ipsam, per specie impressam; cessat difficultas; quia tunc dabitur vtrumquè extremum simile, condistinctum: ergò, de facto, ad hoc vt intellectus Beati fiat Diuina essentia, modo intelligibili, quod prærequiritur ad intellectionem, ponenda est species creata impressa.

3. instantia. 5 Tertiò insurgit contra eandem Respōsionem: quia, antequam obiectum fiat obiectiuè præsens intellectui, iam debet præsupponi intellectus, factus obiecto similis: ergo iam res ipsa factus: & ratio est: quoniam obiectiua illa repræsentatio fit à natura ipsa, vt obiectū, quod vnitur, fiat intelligibile, in actu primò: tale autem esse non potest, nisi intellectus iam sit ipsum: (quia simile, non nisi à simili potest cognosci.) ergo talis repræsentatio, ne præposterè, & inordinatè fiat, necessariò supponit intellectum, iam esse rem ipsam, & sibi similem: nam, sicut intellectus nō fit in actu primo ad intelligēdum, nisi prius fiat ipsum obiectum: ita obiectum nō est intelligibile, in actu primò, nisi obiectiuè præsentetur intellectui, iā sibi assimilato, & facto ipsum: ergo fieri non potest, vt intellectus fit res ipsa, per obiectiuam eiusdem præsentationem: id enim, quod est prius, non constituitur, in esse prioris, per id, quod est posterius.

§. III.

6 Secundò principaliter probat. Intellectus creatus nequit exire in actum secundum ad intelligendum obiectum suum, nisi prius cōstituatur in actu primo, (vt certum est:) sed nequit in actu primo constitui, per Diuinam essentiam: cùm habeat, ex sua natura, constitui in tali actu primo; vel, per speciem, quæ sit formalis illius similitudo; vel, per aliquā formam intelligibilem, quæ suppleat vicem talis speciei: Diuina autem essentia nequit causæ formalis supplere vices: ergo necessariò danda est, de facto, talis creata species in Beatis. Quod autem intellectus, ex sua natura, habeat, constitui in actu primo per formam, &c. indè constat; quia, quomodò poterit constitui in tali actu primo, in ordine ad obiectum, quod est extra, nisi id fiat per intrinsecā informationem? 2. ratio principalis.

7 Et confirmatur hæc ratio: quia munus speciei, est, per se ipsam, reddere, formaliter, aptam, in actu primo, potentiam ad eliciendam visionem, seu intellectionem: Deus autem non potest, se ipso, facere aliquid formaliter intrinsecè magis potens, quam erat antea: quia non potest vniri alicui, formaliter, seu vt forma. Confirmatur

8 Tertiò principaliter probatur; quia, dato, quod Deus posset supplere efficientiam speciei, quam habet in in- 3. ratio.

 tel-

tellectione, per particularem concursum cum intellectu, ad ipsam intellectionem eliciendam: id tamen non est connaturale potentiæ: consueuit enim Deus, etiam in ijs, quæ supra naturam operatur, modum connaturalem adhibere: vndè, licèt, se ipso, possit, sine habitu, concurrere ad actus charitatis; & in multorum sententia, sine lumine gloriæ, ad visionem Beatificam; quia tamen connaturalius est, id fieri, per habitus infusos; isti habitus infunduntur: ergò, cum connaturalis modus intelligendi sit, per speciem, informantem intellectum; dabitur etiam hæc in visione Beatifica, ad connaturalius, saltem, operandum. Ita Vasq. disp. 43. c. 7. nu. 34. quod antea docuerat Aureol. Pezantius 1. p. quæst. 12. at. 2. disp. 1. in 5. notab. fol. 1. col. 2.

4. ratio. 9 Quartò arguitur: quia, quantum, ad efficiētiam, non videtur suppleri posse species à Deo, per modum obiecti intelligibilis: patet; quia oporteret, Deum efficere ad extra, immediatè per suam substantiam, quatenus est quædam entitas actu intelligibilis; quia, vt efficiat, per modum obiecti, oportet, vt sicut, per suā substantiam, immediatè, terminat actum videndi; ita, per eandem, illum efficiat. Hoc autem est impossibile: quia Deus, ad extra, nil operatur, immediatè; nisi, per voluntatem, aut omnipotentiam suam.

Confirmatur 10 Confirmatur; quia, alias sequeretur, illam efficientiam, non solùm esse ab essentia Dei, ratione absolutæ entitatis; sed etiam, à relationibus Diuinis, secundum proprias rationes earum: quia illæ, vt tales, sunt obiecta, actu intelligibilia, intimè præsentia intellectui, per se ipsa: sed hæc est tota ratio, quarè essentia Dei dicitur concurrere immediatè, per modum obiecti, actu intelligibilis: ergò idē dicendum erit de Relationibus. Consequens videtur absurdum: quoniam efficientia Trinitatis est indiuisa; ergo sempet agunt Personæ, per id, quod commune est; non per id, quod est proprium; alioquin efficientia aliqua conueniret vni Personæ, quæ non esset communis omnibus. Has inueni potiores rationes, pro sententia asserentium, de facto Deū videri à Beatis per speciem creatam; quæ, certè, illam satis probabilem reddunt.

CAPVT V.

De muneribus speciei impressæ, in ordine ad intellectionem.

§. I.

1. VT autem probemus, de facto non videri Deum à Beatis, per speciem creatam; sed per ipsam Diuinam Essentiam, ipsorum intellectibus immediatè vnitam; non erit extra rem, prius probare, hoc non esse impossibile, nec aliquod inuoluere inconueniens, (vt putat noster Lusit. ar. illo 1. & etiam 2. & nonnulli, ab ipso citati Doctores videntur hoc idem affirmare.) Verum, vt hoc statuamus, necesse est scire, ad quid deseruiat species impressa intelligibilis? & quodnam illius sit munus, in ordine ad intellectionis effectionem? vt inde colligatur, An ad intuitionem Essentiæ Diuinæ, sit ipsa impressa species, omninò, & simpliciter necessaria; ita vt, fieri nequeat, quin, per impressam speciem videatur Deus?

2 Et in primis, certum id esse debet, speciem impressam poni in intellectu, ad supplendum id, quod exequi, & facere teneretur ipsum obiectum in eodem intellectu; si posset illi immediatè vniri: & sic, species dici solet *Vicaria obiecti*; quia illius vices gerit. Vnde existimo incongruum modum loquendi, eum, quo nonnulli vtuntur: & præsertim, passim, noster Lusit. nimirum, Essentiam Diuinā posse, vel non posse supplere vices speciei, cum Essentia Diuina sit obiectum principale: quod si probauerimus, posse illam, immediatè, vniri intellectui creato; id non erit ad supplendum speciei vices; sed, ad suo proprio munere fungendum: non enim Princeps, iustitias iudicando in aliqua sui Dominatus Ciuitate, dicitur supplere sui Gubernatoris eiusdem Ciuitatis vices: imò ipse Gubernator, potius, Principis Vicarius dicitur, & in singulis suæ gubernationis actibus, vices gerit sui Principis. 1. positio.

3 Cum ergo quærimus: ad quid deseruiat species impressa intelligibilis; & quodnam illius sit munus, in ordine ad elicitionem intellectionis? non est, cur immoremur in examinando; quomodo se

Inhærentia speciei quare sit necessaria

se habeat species in intellectu? nimirum; quod illi inhæreat, illum informet, &c. hæc enim habet species, non, præcisè, quatenus Vicaria obiecti est: nam, huiusmodi Vicariatus, præcisè; non petit inhærentiam, neque informationem, (vt ex dicendis constabit.) Et licèt (vt benè notat Suar. lib. 2. c. 12. nu. 6.) huiusmodi species sit semper accidens; & de ratione accidentis sit, inhærere; & informare: nihilominus tamen si per possibile, vel impossibile; dari posset species intelligibilis, quæ esset substantia; illa quidem, neque inhæreret, neque informaret: & tamen adhuc esset sui obiecti Vicaria, illiusque munera exerceret. Quarè Suar. loco cit. postquam dixit, speciei, propriè dictæ, quatenus ab obiecto distinguitur, per se conuenire, inhærentiam: subdit tamen statim; in ipsa specie distingui posse, & entitatem eius, & finem, seu eius efficaciam; priori modo, per se illi conuenire, inhærere: posteriori verò, per accidens; cum speciei finis sit, vt coefficiat cum intellectu. Vnde, si cum sola existentia, cum intima præsentia ad intellectum, posset species intelligi sufficiens, ad efficiendū; accidentarium illi esset, quod inhæreret. Et idem dicimus de informatione, loquendo de informatione intima.

Suar.

§ II.

Species est aliqua similitudo obiecti.

Lusit.

4 Illud tamen negari non potest; speciem intelligibilem esse aliqualē similitudinem obiecti: siue autem formalis similitudo obiecti sit. (prout contendit Lusit. lib. 8. 1. p. q. 6. ar. vnico per totum, & alibi etiam.) siue tantum virtualis, (prout docet Suar. disp. 6. met. sect. 6. n. 7. & diffusius disp. 30. sect. 11. n. 3. quam sententiam confirmat lib. illo 2. cit. de Attributis negatiuis c. 12. nu. 12.) hoc parum videtur referre, pro nunc. pro vtraque sententia extant validissimæ rationes à nobis hoc loco minimè discutiendæ: sufficit solum asserere; quod, siue formalis similitudo sit: siue virtualis; necesse est, aliquo modo, similitudinem esse, secūdum quam assimiletur ipse intellectus, seu principiū adæquatum intellectionis, (prout infra explicabitur,) rei intellectæ. Fundatur autem necessitas huius assimilitationis supra illud communissimum Axioma Philosophorum: *Simile non nisi à simili cognoscitur*. Suar. locis citatis ait; & certè, non improbabiliter; speciem esse veluti semen, & instrumentum obiecti; vnde, quemadmodum in semine, & instrumento, virtualiter cōtinetur principalis agentis vis, & efficacia: ita, in specie, virtualiter continetur obiecti, per eam repræsentati, virtus.

Suar.

Suar.

5 Cumque forma, quæcunque illa sit, eo ipso, quo subiectum informat, det illi totum suum esse, fit, vt species, eo ipso, quo intellectum informat, per intimā inhærentiam, denominet ipsum intellectum, similem obiecto, eique, eiusdem obiecti vim, & efficaciam, quam virtualiter continet, communicat: ex quo, dicitur constitui intellectus, in actu primo, potens elicere intellectionem, circa illud obiectum. Non tamen per hanc speciem potest, in actu secūdo, constitui; vt voluit Caiet. qui docuit, speciem intelligibilem cōstituere, formaliter, intellectum, etiam in actu secundo; non vt principium efficiens; sed, vt formam informantem; non quia ipsa species sit ipsemet actus secundus, seu intellectio: sed quia ad actum secūdum comparatur, sicut forma ad esse. Quod dictum satis displicet; cum possit species impressa, cum toto suo effectu formali, conseruari, absque actuali intellectione; vt patet: nam, in dormientibus sunt species impressæ, absque actu secundo; In intelligente motum cęli, est species impressa Romæ, absque eo, quod, actu, Romā intelligat: quod si esset, velut forma, respectu esse, in ordine ad actum secundum; nunquam posset ab illo segregari: & sic, necesse foret, vt quilibet Intellectus, continuo, esset in actu secundo, respectu omnium obiectorum, quorum habet species intelligibiles. Dicendum ergò, speciem intelligibilem constituere intellectum in actu primo, proximè, ad intelligendum illud obiectum, cuius dicitur esse species; & comparari ad ipsum actum secundum, tanquam principium efficiens eius; nec cogere ipsum intellectum regulariter loquendo; ad hoc, vt exeat in illum actum secundum; sed habere se, merè, sicut reliqui habitus intellectus, quibus vtimur, cum volumus.

Species denominat intellectum similem obiecto.

Placitum Caiet. 1. p. q. 12. ar. displicet.

Species constituit intellectū in actu primo proximè.

6 Cęterum; hoc, quod est, dare intellectui totum suum esse; neque conuenit speciei, præcisè, quatenus species est: sed tantum, quatenus accidens est; vt sic, enim, nequit, non inhærere subiecto; illudque informare; & ex consequenti, nequit, non ei totum suum esse formale tribuere. Quod si dari posset species, quæ esset substantia, (prout supra annuebamus;) sicuti huiusmodi species non in-

Sub qua ratione species totum suum esse det intellectui.

for-

formaret;ita,neque totum suum esse formale suo subiecto tribueret. Quarè solū conuenit speciei,in ratione speciei,præcisè, constituere, obiectiuè,intellectum, in actu primo,potentem,proximè,intellectionem elicere,circa obiectum,cuius est species. Dixi,*proximè*;nam remotè,& radicaliter, sępet intellectus dici potest, aliquo modo,constitutus,in actu primo, se ipso;vel enim obiecta sunt naturalia; & sic, per suammet entitatem , & potentiam naturalem:vel sunt supernaturalia; & sic, per potentiam obedientialem:etenim , circa totam entis latitudinem , intellectus,vt sic,fieri potest. Dixi etiam, *obiectiuè*:nam non spectat ad speciem,vt species est; formaliter,& intrinsecè,intellectum in actu primo constituere : vnde, infra disp. de lumine gloriæ , dicemus; quod, in ordine ad obiecta supernaturalia,hoc est munus luminis gloriæ.

§. III.

Petitio.

7 Sed petes : dato, quod ipsum obiectum non indigeret specie Vicaria;sed,se ipso,immediatè,vniretur intellectui(vt de essentia Diuina communiter à Thomistis asseritur) quomodo,absquè informatione, poterit intellectus constitui,per tale obiectum,in actu primo? videtur enim, id fieri non posse,sine actuali informatione intrinseca, & inhærentia. Nam Arist.lib.3.de anim.c.4.tex.2.& 12. & 14. & c.5.tex.19. & alibi,docet, *Intellectum esse in potentia essentiali ad species impressas,easquè recipere,vt materiam, per se,receptiuam earum*; *idquè,vera passione alteratiua : perfectiua tamen*:ergo, ex sententia Arist. species impressæ sunt formæ intrinsecæ, actuantes, & perficientes intellectum: potentia,namquè,essentialis nō potest ad actum reduci, nisi per formam, actu informantem ; nec potest, realiter, alterari, & perfici ; nisi, per formam, quæ informando,& inhærendo,illam perficiat.

Arist.

Sententia Aegid. Lusit.

8 Ita sentit noster Lusit. lib.8.p.1. q.3.ar.3.§.2.vbi sustinet; speciem intelligibilem,ex sua ratione intrinseca; &,quæ est species ; esse actuatiuam intellectus, per intrinsecam informationem,& inhęrentiam;idquè,non solum in genere rei ; sed etiam,in genere intelligibili; siquidē, in tali genere,per se conuenit speciei, facere,vt intellectus sit res ipsa intelligēda.

Quid consequenter doceat.

9 Ex quo infert, num.13.speciem,si per impossibile poneretur in intellectu, cum non informantē;sed illi solum coassistentē,non obituram fore munera,quæ illi conueniunt , per se,&, vt est species : nec enim posset obiectum vnire cum intellectu, vnione in actu primo;vt posset intelligi. Et sic,consequenter ad hæc lib. 8. p.2.q.4.ar.3.§.2. docet, Diuinam Essentiam non posse constituere intellectū in actu primo: quia illum non informat, nec ei inhæret:Intellectus autem non potest constitui in actu primo (inquit,) nisi, per formam,intrinsecè actualem, & informantem. Tota verò machina huius sententiæ, vnico suo principio adhæret ; nimirum,quod,ad hoc,vt intellectus aliquid intelligat;necesse est,fiat illud;& id, per speciem, quæ sit formalis,& actualis similitudo obiecti ; quæ, informando, &, actuādo intellectum intimè,det & idem esse obiecti intelligibilis, non reale: sed intentionale. Citat pro se aliquos Doctores, & præsertim, Molinam,qui certè ar.2.q.12.disp.2.manifestè sentit,Diuinā Essentiam non constituere intellectum in actu primo;quia illum,nec informat, nec informare potest.

Molin.

Quid probabilius videatur.

10 Cęterum probabilius dicendum existimo , non esse de ratione speciei, præcisè, prout species impressa est ; (ad hoc,vt intellectuū constituat in actu primo;)illum actuare,intrinsecè informare, illiq; inhærere.Hæc sententia est in scholis satis communis;nec est,cur hic longā Doctorum seriem texam: paucis,enim, exceptis,qui pro sententia,quam tuetur Lusitanus, ab ipso citantur : reliqui omnes communiori fauent. Vnde,idem Lusitanus fatetur, hāc esse communiorem, & inter nouiores,receptissimam. Videatur Conimbr.3.de anim.c.5.q.3.ar.2.Zumel.1.p.q.56.ar.1.q.1.ad 6.& ad 8. Ban. in ead.q.56.in 1.dub.§.*ad argumenta dicimus*;& §.*hinc ergò ad primum*, & in solution.argum.& Suar.c.illo 12.n.6.7.8. 15.16.21.& 22.

Lusit. Conimbricen. Zum. Ban. Suar.

Ratione probatur.

11 Ratio autē esse potest : tum quia, Inhærere,proprium est accidentis,vt sic; &, informare intrinsecè, pariter, vel formæ accidentalis; vel etiam substantialis; quæ tamen,cum materia prima componat vnum quid substantiale : sublatis autem his rationibus, non est, cur alicui enti tribuamus, siue inhærentiam, siue informationem intraneam;ergò pręcisa, à specie impressa, ratione accidētis,cum alias nequeat habere rationem formæ substantialis,compositi substantialis , nō est,cur illi tribuamus,ad sua munera speciei

ciei exequenda, vel inhærentiam, vel intrinsecam informationem. Antecedens, quoad vtramque partem, patet; nulli enim alteri enti Philosophia, vsque modo, inhærentiam tribuit, & actualem, intrinsecamq; informationem. Consequentia paritèr euidens est; supposita veritate antecedentis: si enim subtrahamus, à specie impressa, rationem accidentis, & partis substantialis formalis; nequit assignari ratio, cur ei concedere debeamus id, quod tantum, accidentis, & partis substantialis componentis, proprium est.

Altera ratio. 12 Tum etiam: quia optimè constitui pōt, in actu primo intellectus, absque tali inhærentia, & intranea informatione; nimirum, per immediatam vnionem ipsiusmet obiecti cum intellectu, in ratione obiecti, intelligibilis, per modum principij iuuantis ipsum intellectum ad intelligendum: quo pacto, non dicitur cōstitui intellectus in aliquo vero, & reali esse; sed solùm, quia obiectum ita assistit intellectui, vt compleat actiuitatem eius, & sufficienter illum determinet ad talem actionem; (vt bene Suar. num. 10.) Suar. quemadmodum, in communiori sententia, asserentium, Angelos se ipsos intelligere, per propriam Essentiam, absque specie; intellectus Angeli sufficienter constituitur in actu primo ad intelligendum se ipsum, per suammet Essentiam; non formaliter actuantem ipsum: sed complentem cum illo vnum principium proximum totale actionis. Et notandū, quod sermo est, de constituente in actu primo, per modum obiecti: nam, si constituens in actu primo fit, per modū virtutis, vel augmenti virtutis, certè per intrinsecam informationē, id præstabit.

§. IV.

Ruasio Lusit. 13 **A**D hoc respondet Lusit. ar. illo 3. §. 3. nu. 16. & 17. Angeli substantiam (& idem, de Diuina Essentia) non esse veram speciem intelligibilem; sed dici, satis impropriè, & secundum quid; Dicitur enim talis, ex eo, præcisè, quia subire potest vicem speciei intelligibilis: quo argumento est, illam substantiam, formalitèr, & propriè, non esse speciem: quod enim formalitèr est tale, non ideò dicitur tale, quia potest subire vicē eius, quod formalitèr est tale. Porrò si velis, (inquit) eam appellare, speciem; & ab ea, & à proprijs speciebus (quales sunt species, quæ sunt accidentia) abstrahere vnam communem rationem speciei, formęq; intelligibilis; non repugnabo (ait;) dummodò concedas, rationem illam nō esse vniuocam, sed analogam.

14 Quæ doctrina, meo iudicio, non est probanda: Tum quia, (vt supra terigimus) valdè impropriè dicitur, obiectū intelligibile, quando, se ipso, potest vniri intellectui, quod subeat vicem speciei. Neque enim Episcopus, Vicarius dici potest, sui Vicarij, quocunque modo fingatur, Episcopus exercere munera Vicarij: semper enim ea exercebit, vt principalis; non verò, vt Vicarius: ita, eum adhuc, secundum modum loquendi ipsius Lusitani, species sit Vicaria obiecti; cur sibi videtur, propriè loqui, cum asserit; Angeli substantiam, vnitam intellectui eiusdem ad intelligendum se ipsum, subire vicem speciei, & suæ Vicariæ esse Vicariam? Impugnatur Primo.

15 Tum etiam: quia si concedit, substantiam Angeli posse subire vicem speciei: ergò non est de ratione speciei, vt sic, inhęrere, & intrinsecè actuare, & informare intellectū; cum Angeli substantia, neque inhæreat, neque intimè informet; (vt patet.) Probo consequentiam: nam, vel Angeli substantia, prout speciei vicem subit, speciei munera obit cum intellectu, cui vnitur, in ordine ad intellectionem, vel non; si non; ergo non supplet vices speciei: Id enim, quod alterius vices gerit, eius exequitur munera: Prorex enim Regni, qui Regis vices gerit in illo Regno Regis etiā munus, quæ ipsemet Rex efficeret, efficit, & exequitur; & in tantùm illa substantia dicitur supplere vices speciei, in quantū, in eius absentia, id idem, quod ipsa efficeret in illo intellectu, in ordine ad intellectionem, eadē substantia exequitur. Si sic: ergò cum vnū ex præcipuis speciei muneribus sit, constituere intellectum in actu primo; alias non posset in operationem exire; hoc non denegabitur illi substantiæ: sed, cum sit substantia, nō potest intellectum in actu primo constituere, per informationem, vel inhærentiam; ergò nō est de ratione speciei, præcisè, vt species impressa est, cōstituere intellectum in actu primo, per informationem, & inhęrentiā actualem. Impugnatur Secundo.

16 Vbi notandum est; quod cum dicimus, *non esse de ratione speciei, præcisè, quatenus species impressa est*: cū tali reduplicatione; sumimus eam rationem Notandum.

speciei,

speciei, quæ illi conuenit, quatenus Vicaria est obiecti; Vndè, si per possibile, vel impossibile, daremus substantiam aliquã alicuius obiecti Vicariam; illa vtique, verè, & propriè esset species impressa, & constitueret in actu primo intellectum, absque inhærentia, & informatione, (vt probatũ est.) Quare non placet id, quod Lusit. subdit: ideò substantiam Angeli in sententia supposita, iuuare intellectũ Angeli ad intelligendum, sine inhęrentia, & informatione: quia, cum suppleat vices speciei, non potest dici, verè, & propriè, species; cum ipse loquatur de vera specie impressa, quæ accidens est, & non de impropria: in casu enim posito, illa substantia esset propriè species, & non inhæreret.

17 Quod si ipse loquatur de specie creata, regulariter loquendo, eo modo, quo, secundum ordinem naturæ, producitur, cum ista reduplicatione; verum dicit, nec aliquis est, qui huic veritati cõtradicere possit: cum, vt sic, proculdubio sit accidens. Et, hoc modo, intelligendus est Arist. locis citatis supra num. 7. quandò ait, ***Intellectum esse in potentia essentiali ad species impressas &c.*** non enim agnouit alterius generis species.

Arist.

Ad Primum argumẽtum Aegid. Lusit.

18 Ad pręcipuum fundamentum Lusitani, de præcipuo speciei munere, quod est, (secundum ipsum,) efficere, quod intellectus fiat res ipsa intelligenda: quomodo hoc sit intelligendũ, infra aperiemus. Et cum asserit; quod, si species poneretur in intellectu, eum non informãs; non constitueret illũ in actu primo: quia semper loquitur de specie, quæ accidens est; & forma accidentalis, solùm, informando, dat esse; optimè dicit: quod, tamen, non est verum, de ipso obiecto, vel substantia, per modum obiecti, vnita intellectui, & per modum principij efficiẽtis, (vt dicebamus de Angelis, & infra latius explicabitur.)

Summa ex dictis.

19 Habemus ergò ex dictis: Intellectũm, ad hoc, vt intelligat, debere constitui in actu primo ad intelligendum; siuè id fiat per actualem informationem; & inhærentiam speciei impressæ, quę sit accidens; siuè per vnionem ipsius obiecti cum intellectu, sine informatione, & sermo nunc est, de eã constitutione potentiæ in actu primo, quæ præ requiritur, ex parte obiecti.

§. V.

Aliud speciei munus.

20 Mvnus etiã speciei impressæ est, vnire obiectum, cuius est species intellectui; ad hoc, vt eliciat intuitionem: quãdo obiectum, se ipso, & immediatè, præsens esse non potest: cum enim species sit obiecti Vicaria, supplere tenetur totum id, quod, se ipso, efficeret ipsum obiectum; dummodo non illi repugnet, & necessarium sit ad intellectionem: Ast quando obiectum, per se ipsũ, immediatè, vniri potest potentiæ; non est in tali casu necessaria species. Quæ vnio; obiecti, scilicet cum potentia, si sit possibilis, non esset aliqua noua vnio realis, seù naturalis; qualis scilicet est vnio formæ cum materia: actus cum potentia; & speciei intelligibilis accidentalis cum ipso intellectu, (vt omnes fatentur;) neque esset vnio illa intelligibilis; seù, in esse intelligibili, quæ, modo in intelligibili, solet explicari; nec eam admittit P. Suar. num. 9. & 10. quia, vt ipse probat; vel realis esset, & vera vnio; vel non: si, non; erit vnio, à nobis infra explicanda; & sic, nulla dissentio: si vera, & realis: ergò aliqua noua mutatio, necessario, dãda esset realis in altero extremorum: nunquàm enim datur noua, & realis vnio inter duo; itaùt, omninò immutata maneant, sicut antè vnionem: ast in casu, quo possibilis esset vnio Diuinæ Essentiæ cum intellectu Beati in ratione obiecti, præcisè, (prout infra dicemus:) certum esset, Diuinam Essentiam non forè mutandam: & intellectum, ex tali assistentia, *præcisè*, Essentiæ Diuinæ, nec mutaretur intrinsecè; cum illa Essentia nõ vniretur de nouo intellectui, per modum formæ informantis: quod, si mutatur Intellectus Beati in visione Diuinæ Essentiæ; id fit, vi luminis gloriæ: quod, cum sit habitus potentiæ inhærens, eamque formaliter informans, habet, ex hoc, immutare illã: ergò fictitia est talis noua vnio, secundum esse intelligibile, si alitèr intelligatur, quam nos intelligimus; Nimirum, illam vnionem obiecti cum potentia, (si sit possibilis:) consistere in ordine ad efficientiam: scilicèt, quod sit immediata propinquitas, & indistantia Entitatum, inter potentiam, & obiectũ, cum subordinatione ad agendum eundẽ actum. Et tunc diceretur constitui in actu primo intellectus, per ipsum obiectum sibi vnitum: quia assistet & intellectui, vt compleret actiuitatem eius, & suffi-

Suar.

sufficiéter illum determinaret ad talem actionem. Quomodo autem id fieret, clarius explicabitur disp. 4. cap. 4. à nu. 21. Cum autem obiectum, se ipso, vniri non potest potentiæ, immediatè; tunc dicitur, vniri ei, mediante specie sui vicaria, quæ verè vnitur, vt forma informans; quia accidens est; &, per illam, dicitur obiectum vniri potentiæ, tanquam agens, per semen suum; vel per instrumentum; sicut monens vnitur mobili, per impetum: vel generans passo, per semen; ita Suar. loco citato.

1. corol. 21 Vnde videtur posse colligi; speciem, dumtaxat, esse necessariam, quando impossibile est aliquod obiectum, immediatè, vniri suæ potentiæ: si enim semel cócedatur, obiectum, per se ipsum, vniri potentiæ, iam cessat speciei necessitas.

2. corol. 22 Hinc etiam deducunt Doctores, speciem impressam se teneri ex parte obiecti, cuius vices gerit: cum probatū sit, informationem actualem, non conuenire speciei, præcisè, quatenus species vicaria est obiecti: nam non video implicantiam aliquam, cur non posset Deus infundere substantiam quandam spiritualem intellectui, eamquè producere obiecto alicui similem, saltem virtualiter; & quod illud potentiæ repræsentet; illamquè in actu primo cōstituat, & determinet, compleatquè eius efficiētiam; quo casu, esset vera species impressa, & non informaret.

An species se tituat teneat ex parte obiecti. 23 An verò, tantum, ex parte obiecti se teneat, (prout sentire videntur nonnulli præstantissimi viri, citati à Lusitano lib. illo 8. par. 1. q. 3. ar. 1. §. 1.) An tantum ex parte intellectus; (prout docent nonnulli alij, citati ab eodem ibidē ar. 2. §. 1. n. 2. & 3) An ex parte vtriusq.; (quomodo sustinet ipse Lusit. ar. 1. §. 2. cum alijs:) nō discutimus: id, dumtaxat, supponimus; quod, cum sit obiecti vicaria, necessario vices obiecti, eiusque subire debet munera: & ex consequenti, secundum hoc, ex parte obiecti se tenet: Ast quia, de facto, nequit species non inhærere intellectui, illumque informare; non erit inconueniens asserere, quod etiā se teneat ex parte intellectus: imo, etiam si accidens non esset, sed substantia: quia assisteret intellectui, illum in actu primo constitueret, compleretque illius efficientiam, nec non cum illo cōcurreret, & determinaret illum ad hanc specie intellectionem; cur non posset dici, se tenere pariter ex parte intellectus? & eodem modo dicendum est, si possibile est, aliquod obiectum, se ipso, vniri intellectui, immediatè. cæterum, principaliter, ex parte obiecti, se habet.

24 Ex quibus etiam sequi videtur aliud speciei munus, quod est; concurrere cum intellectu ad intellectionem, actiuè: nam, cum sit Vicaria obiecti; & August. 9. de Trinit. cap. 12. doceat, *ex obiecto, & potentia gigni notitiam*: certū est, speciem cōcurrere debere ad talem actum; quomodo autem concurrat; an, vt causa totalis: an verò, vt partialis? ex dicendis infra de lumine gloriæ, & de Verbo mentis, constabit. 3. corol. Aliud speciei munus.

25 Igitur, munera speciei impressæ, in ordine ad intellectionis elicitionem, sunt: Assimilare ipsū intellectionis principium rei intelligendæ. Constituere intellectum in actu primo, proximè, ad ipsam intellectionem. Vnire obiectum cum potentia. Eam determinare ad hāc speciе intellectionem: (cum enim intellectus, de se, sit indifferens ad hanc, vel illam operationem, per speciem determinatur.) Et tandem, concurrere cum eodem intellectu ad eundem actum, actiuè. Si ergo probauerimus, Essentiam Diuinam posse, se ipsa, immediate, omnia hæc munera exercere, absque indigentia speciei creatæ, optime probatum erit, non esse impossibile, Diuinam Essentiam, immediate, absque specie creata, vniri intellectui Beatorum. Omnia munera speciei.

CAPVT VI.

In quo ostenditur, non esse impossibile, quod Essentia Diuina vniatur, immediatè, intellectui Beatorū.

§. I.

1 Hanc quæstionem diffusissime examinat Lusit. 2. par. lib. 8. per totam q. 4. per vndecim articulos; in quibus probat, Essentiam Diuinam nō posse aliquod ex assignatis speciei muneribus, se ipsa, & immediate, in intellectu creato, in ordine ad visionem Beatificā, exercere; & ex consequenti, nec posse, absque creata specie, immediate, intel- Opinio Aegidij Lusitani.

lectui creato vniri. Cuius præcipuum, ac singulare fundamentum, illud dumtaxat est: quia, ad subeunda ea speciei munera, necessario requiritur actualis informatio: quæ, cum repugnet Diuinæ Essentiæ, repugnabit illi etiam, ea in intellectu, in ordine ad intellectionem, munera exercere, quę ipsa species exercet.

Opin. Vasq. 2 Vasq. etiam huius videtur esse sententiæ, disp. 43 eo innixus fundamento: quia, si posset Diuina Essentia, se ipsa, vniri intellectui creato; ac proinde, in eo exercere munera, quæ species impressa exercet, in ordine ad intellectionem; frustraneum esset lumen gloriæ; nullus enim proprius effectus assignari posset, in tali casu, lumini gloriæ correspondens.

Iudicium de hac sententia. 3 Negari, profectò, nō potest, quod hæc sententia sit satis probabilis: Tum quia magis cōsentanea videtur Philosophiæ Perhipateticæ, (vt diffusissime discurrit Lusit.) Tum quia adducuntur, in illius fauorem, nō faciles rationes: Tum tertiò quia habet Patronos celeberrimos; & tandem eam reddidit probabilissimam, nostris temporibus, sublimitate ingenij sui, noster Lusit. Quibus addo; quod, pro contraria sententia non video adeo efficaces rationes adduci, quæ intellectum conuincant: licet fundamenta etiam negatiuæ non sint insolubilia.

Communior eligitur. 4 Vtramque igitur probabilem existimo: Verum, communior, & plausibilior est affirmatiua; nimirū, quod Essentia Diuina, se ipsa, immediate, subire potest omnia, & singula munera necessaria ad intellectionem, quæ præstat ipsa species impressa, prout obiecti Vicaria; Vt autem sigillatim per singula discurramus.

§. II.

1. conclusio. 5 Dico primò: Essentia Diuina, se ipsa, immediate, sufficiens est, assimilare sibi intellectū creatum: quod est primum speciei munus (vt vult Lusitanus,) illudque ad intelligēdum necessarium, cum nil possit intelligi, nisi a simili. Sed quomodo intelligendum est, Intellectum posse, per Diuinam Essentiam, sibi vnitam, fieri similem ipsi Deo cognoscibili? hoc opus, hic labor est.

Not. Variant Doctores; vt videre est apud Lusit. q. 4. ar. 2. §. 2.

Suppositio. 6 Ego autem (quicquid sit de varijs dicendi modis;) supposito, non esse necessariam formalem similitudinem: sed sufficere virtualem; prout supra annuimus, capite præcedenti nu. 4. cum Suar. nulla enim ratio nos cogit ad dicēdum, esse necessariam similitudinem formalem, in illo priori, quando intelligimus, intellectum constitutum in actu primo ad intelligendum: non negando tamen, fieri formaliter similem in actu secūdo, per ipsam intellectionem actualem, & verbum mentis; prout suo loco dicam. Vnde, si quæ Arist. vel aliorum Doctorum loca extent, quibus videatur asseri, fieri intellectum formaliter obiecto similem; explicanda erunt, meo iudicio, de similitudine, per verbum mentis, & intellectionem; & sic, in actu secundo: non verò, per speciem impressam; quæ, cum sit, quasi semen, & instrumentum obiecti, tantum, poterit dici virtualis similitudo illius, per hoc, quod virtualiter vim obiecti contineat, eiusque virtutē.

Quomodo intellectus assimiletur Essentiæ Diuinę. 7 Hoc supposito, Dicerem, illam assimilationem intellectus Essentiæ Diuinæ, (quam ei eadem præstaret Diuina Essentia, si vniretur illi, immediate;) fore virtualem; & idem est, ac dicere Intellectum creatum, per talem assistentiam Essentiæ Diuinæ, fieri Deum, intelligibiliter; virtualiter tamen; ita vt, esset in illo virtus ad hoc, vt fiat, intelligibiliter, Deus formaliter. Quod dictum explicatur, pariter, ac probatur, hoc discursu. Iam sæpius dictum est, effectum assimilari debere suę causæ: hoc, vniuersaliter, est verum, cum distinctione tamen: nam causa vniuoca producit effectum sibi similem, in natura: ignis, enim, generat ignem: canis canem, &c. causa, verò, æquiuoca producit effectum sibi similē: sed causa hæc, non est necesse, assimilet sibi effectum, in substantia: non enim Sol calorem gignit, eiusdem substantiæ cum ipso Sole: dicitur, nihilominus, Sol, virtualiter, seu eminenter, continere calorem. Eodem modo philosophandum existimo de intellectionibus, & concurrentibus ad illas; dari, scilicet, aliquam intellectionem vniuocam, per quam intelligens producit sibi simile, in natura, & formaliter: huiusmodi est Intellectio, qua Pater se ipsum intelligit, in Diuinis; per quam producitur Verbum, eidem Patri simile, in natura, & Essentia: Aliquam, vero, æquiuocam; qualis est, omnis intellectio creata, per quam producitur

citur Verbum mentis, quod non est simile, in natura, ipsi intelligēti; & intellectui; (& loquor de natura specifica.) benè verum est, quod intellectus, virtualiter, seu eminenter dicitur, illud verbum, eiusquè similitudinem continere; quatenus potestatem habet, illud producendi. *Quæ* philosophia negari non debet; imò, meo videri, nec potest, quicquid sit de varietate sententiarum, circa verbum mentis.

Resolutio, & probatio ex dictis. 8 Qua suppositā, dico, Intellectum, hoc modo, similem; (virtualiter, scilicet,) Deo; vel, esse virtualiter Deum, intelligibiliter; nil aliud esse, quam, habere virtutem ad hoc, vt fiat, intelligibiliter, formaliter, Deus: Sed Diuina Essentia, vniēdo se intellectui creato, & assistendo, immediatè illi, complet illius coefficientiā, & virtutem ad hoc, vt possit elicere visionem Dei, & expressam Dei similitudinē in se, per quam, actu, & formaliter, fiat intelligibiliter Deus, (vt dicam in quodl. de Verbo mentis:) ergo Diuina essentia potest, se ipsa, assimilare intellectū obiecto intelligibili, eo modo, quo intellectus debet assimilari.

Explicatur amplius. 9 Quādo autem dicimus, Essentiam Diuinam, se ipsa, posse complere virtutem actiuam, & efficientiam intellectus creati; non intelligimus, hoc fieri, per aliquid, ipsi intellectui intrinsecum: neque enim Essentia Diuina, tantum, extrinsecè assistens intellectui, potest eius vim intrinsecam augere, vel intendere: hæc namquè assertio, & intentio virtutis internæ in intellectu creato non fit, per aliquid extrinsecum; sed potius, per lumen gloriæ, (vt suo loco dicam.) Dicitur ergo Diuina Essentia complere virtutem actiuam intellectus, tanquam alterum principium cum illo, extrinsecum ei; sine dicatur, partiale, partialitate causæ; & totale, totalitate effectus: siue, totale subordinans, vel subordinatum, (de quo infra.) Et quemadmodum, si detur aliqua causa partialis in ordine ad aliquem effectum, quem, se sola, non posset attingere; posita altera concausa partiali, dicitur iam completa efficientia alterius; extrinsecè, scilicèt; ita posset Essentia Diuina, immediatè assistēdo intellectui, eius vim, extrinsecè, & efficiētiam complere, in ordine ad elicitionem Diuinæ visionis; cum antea non posset. Et sic, pet optimè saluatur commune illud axioma Philosophorum; quod, scilicet, *Simile non nisi à simili cognoscitur*.

§. III.

10 Huic modo dicendi, proculdubio, fauent Cabrera 3. p. q. 2. ar. 1. disp. 2. §. 7. ad 4. principale n. 53. & disp. 4. n. 13. vbi videtur expressè affirmare, Intellectum Beati, per Diuinam Essentiam, ad instar speciei vnitam, fieri Deū, intelligibiliter; illa tamen vnio Diuinæ Essentiæ est, per modum formæ extrinsecæ, obiectiuo assistentis. Suar. cap. illo 12. n. 22. & passim, tum in eodem cap. tum alibi. Salas p. 2. tom. 1. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 2. ad 8. obiect. & inferius *§. Nos tamen sequimur*, vbi hanc sententiam, vt probabilem recitat. Bannes p. 1. q. 12. ar. 2. dub. 2. post 4. concl. ante solutionem argum. & q. 56. ar. 1. dub. 1. *§. Hinc ergo ad argumenta*. Pezātius, & innumeri alij; licet non omnes, eodem modo, hoc explicent: nihilominus tamen nobis, grauissimos Doctores assentiri, posse intellectum creatum fieri Deum, intelligibiliter, per ipsam Diuinam Essentiam, illi assistentem, per modum formæ extrinsecæ obiectiuæ. — Confirmatur authoritate Doct. Cabrera. Suar. Salas. Bannes. Pezant.

11 Quod autem non sit inconueniēs dicere, Diuinam Essentiam, in illa vnione, se habere, vt formam extrinsecam; ex eo patet: quia forma extrinseca causat, sine informatione; quod si Deus nequit supplere vices formæ intrinsecæ; inde est: quia, in causando, forma intrinseca habet id imperfectionis; quod, necessario debet informare subiectum: è contra, forma extrinseca: nam causat, sine tali imperfectione. Hinc Thomistæ, qui docent, Christi Humanitatem, sine propria subsistentia, assumptam à Verbo; fatentur, formaliter existere, per existentiā Diuinam, illi formaliter communicatā: sicut etiam eadē natura formaliter subsistit, per Verbi subsistentiam; ita ut, & subsistentia personalis Verbi, & Diuina existentia, non solum sint formæ, quibus natura humana formaliter subsistit, & existit; sed etiam in illam habeant veram causalitatem formalem: dum ei formaliter communicatur: quam doctrinam probabilissimam esse, docet idem Lusit. Hoc autem non aliundè prouenit, nisi, quia talis forma, cum sit extrinseca, potest, sine actuali informatione, formalem causalitatem exercere; quo modo formalis causalitas nullam includit imperfectionem. — Diuina Essētia se habet, vt forma extrinseca.

§. IV.

Quomodo ſoluēda fundamenta appoſitæ opinionis. Luſitan. & Vaſq.

12 EX ſic ruunt fundamenta Luſit. & Vaſq. Illius quidem: quia requirebat actualē informationem: Dicimus enim, quod in tantum ſpecies creata hoc exequitur munus, cum actuali informatione; in quantum accidens eſt: non verò illa informatio eſt ſimpliciter neceſſaria ad conſtituendum intellectum ſimilem obiecto, modo expoſito. Vaſq. autem: ſiquidem, adhuc poſita Diuina Eſſentia, eo modo, intellectui vnita; reſtat locus lumini gloriæ; (vt etiam ſuo loco diffuſius dicam.) Et addo, quod, non minus militaret hoc argumentum contra ſpeciem impreſſam; ſi enim hæc datur in intellectu ad conſtituendum ipſum potentem in actu primo, ad complendum efficientiam illius, &c. non minus fruſtraneū videtur lumen gloriæ; ſed certè longè diuerſa ſunt luminis gloriæ munera.

Explicatur D.Tho.

13 Nec obſtant ea loca D.Thom. adducta à Luſit. q.4.ar.2.§.7. in quibus S.D. videtur, vnionem Diuinæ Eſſentiæ cum intellectu, explicare, ad modum formæ cum materia; & actus formalis cum ſuo formali perfectibili; vt in 4.diſt.49.q.2.ar.1. de verit. q.8.ar.1.& 3. con.gen. cap. 51. Nam, in primis, nemo eſt, qui audeat aſſerere, Diuum Thomam voluiſſe, illis verbis, annuere, Diuinam Eſſentiam, intrinſecè informare intellectum; ſicut forma informat materiam. Cum non ſit qui ignoret, quàm acerrimè ſuſtineat S.D. Deum non poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis intrinſecæ. De hoc non eſt dubium: leue enim id clarius eſt.

14 Tum etiam; quia ſi conſideratiùs expendantur D.Thomæ verba; licet videatur aſſimilare vnionem Diuinæ Eſſētiæ cum intellectu, vnioni formæ ſemper materia; nihilominus tamen ſemper addit, id, diſſimili modo, fieri: ita in 4. loco citato, vbi hæc ait. *Quod quidem non debet intelligi, quaſi Diuina Eſſentia ſit vera forma intellectus noſtri; vel, quod ex ea, & intellectu noſtro efficiatur vnum ſimpliciter; ſicut in naturalibus, ex forma, & materia naturali; Sed quia proportio Eſſentia Diuina ad intellectum eſt, ſicut proportio forma ad materiam.* Nota, quomodo S.D. ponit tantum ſimilitudinem proportionalem; & ſic, merè analogam: Et idem eſt, ac ſi diceret; eo modo, quo forma, intrinſecè vnita materiæ, dat illi ſuum eſſe formale completum, &c. ita Diuina Eſſentia, extrinſecè vnita intellectui, illum complet, extrinſecè, in ratione principij efficientis, extrinſecè dat illi ſuum eſſe; hoc eſt, facit illum intelligibiliter Deum, modo explicato, &c.

15 Eodem modo loquitur de verit. loc.cit. vbi, in medio ar.1. ita ait, *Non autem oportet, quod ipſa Diuina Eſſentia fiat forma intellectus ipſius; ſed, quod ſe habeat ad ipſum, vt forma; vt, ſicut ex forma, quæ eſt pars rei, & ex materia, efficitur vnum ens actu: ita, licet diſſimili modo, ex Eſſentia Diuina, & intellectu creato, fiat vnum in intelligendo.* Quibus verbis, quid clarius dici poterat, in fauorem noſtri modi dicēdi, quem ſectamur? Et idem, ferè, eiſdem verbis repetit ad quintum. Itaquè nunquam D.Tho. huius veritatis oppoſitum docuit.

Secundum ſpeciei munus præſtat Eſſentia Diuina.

16 Ex dictis; cętera munera poſſent, ſuo modo, colligi: in omnibus enim videtur eſſe æqua ratio. Et certè, veris exiſtentibus his, quæ modo docuimus, non eſt cur negemus Diuinæ Eſſentiæ, *poſſe conſtituere, extrinſecè, intellectum in actu primo.* Siquidem, per ipſam, modo expoſito, vnitam, completur efficientia intellectus; & qui antea impotens, proximè, erat, fit proximè potens, in ordine ad elicitionem intellectionis Beatæ, quod eſt, eſſe conſtitutum in actu primo.

§. V.

Molinę ſententia impugnatur.

17 COntra hoc videtur eſſe Molina ar.2.diſp.2. dum ait, *Intellectum non poſſe conſtitui in actu primo per formam, qua non informatur.* Quod nos ſatis refutauimus; dum oſtendimus, quomodo, abſquè informatione actuali, & intrinſeca, intellectus, conſtitui poteſt in actu primo; conſtitutione tamen obiectiua, in ordine ad intellectionem. Subdit autem Molina; *Intellectum Beati, eo quod habeat Diuinam Eſſentiam præſentem, ſuppoſito lumini gloria, poſſe in viſionem, quamuis non ſit conſtitutus in actu primo.* Quod videtur eſſe toti philoſophiæ contrarium: nullum enim agēs poteſt agere, quandiu eſt in potentia illa remora, radicali, ſeu eſſentiali ad agendum: ſed, neceſſario, debet reduci ad actum primum agēdi, per aliquid, quod ei ſit agendi principium: ita Ariſt. 3. de Anim. cap.4. tex.2.& 8.& cap.8. tex.37.& 38. & D.Thom. de potent. q.9.ar.5. poſt principium, ita ait. *Intellectus non poteſt intelligere, niſi ſecundum quod fit in actu, per hanc ſimilitudinem: ſicut, nihil aliud*

poteſt

potest operari, secundum quod est in potentia: sed secundum quod fit in actu, per aliquam formam. Præterquam quod, videtur implicantia esse in ipsis Molinæ verbis: nam eo ipso, quod supponit præsentiam Diuinæ Essentiæ, & lumen; intelligitur intellectus iam, vtrinq; constitutus in actu primo, & per lumen, tanquam per augmentum suæ virtutis; & per ipsam Diuinam Essentiam, tanquam per obiectum.

§. VI.

Tertium speciei munus etiã præstat.

18 Patet, etiam, & tertium speciei munus, quod est, *vnire obiectum cum potentia*, non repugnare Essentiæ Diuinæ; cum enim species intelligibilis, tantum, se, suumque obiectum dicatur intellectui vnire, per modum obiecti præsentati coram ipso; licet ipsa id præstet, inhærendo, vt accidens est; & Diuina Essentia non indigeat inhærere; cum id nõ pertineat ad ipsam obiecti præsentati rationem: non est cur denegemus, posse Essentiam Diuinam, per solam extrinsecam assistentiam, modo exposito, intelligi vnitam cum intellectu creato, per modum obiecti præsentati coràm eo, cũ quo efficiat vnum, vnitate obiectiua.

Quomodo Diuina Essentia vniatur intellectui.

19 Hoc dictum, licet sit communissimum inter Doctores, exceptis Lusitano, & aliquibus alijs, ab eo citatis: non tamẽ omnes conueniunt, in explicando: quo modo Diuina Essentia, absque creata specie, potest, se ipsa, vniri intellectui, in ratione obiecti, & ei, se repræsentare? Quidam enim volunt, id posse fieri per Diuinam Essentiam, per modum formæ intrinsecæ, qua intellectus, absque actuali informatione, actuetur. Nos tamen, ne innumeris difficultatibus implicemur; pro nunc, cum alijs dicimus, id fieri posse, per assistentiam ipsius Essentiæ Diuinæ ipsi intellectui, modo clarius explicãdo infra suo loco cũ enim necessaria nõ sit illa formalis vnio obiecti: sed obiectiua sufficiat; sufficiet & ipsa assistentia intellecta per modum principij iuuantis ad intelligendum, in ratione obiecti; ita

Suar.

Suar. inter alios cap. illo 12. passim. Obiectum ergò sufficienter applicatum, est quoddam comprincipium, coefficiens cum intellectu, & illum coadiuuans ad eliciendum actum. Quid autem requiratur ad hoc, vt intelligatur facta talis sufficiens applicatio, & vnio? explicabimus infra. Eundem dicendi modum videntur fuisse sequuti Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 2. n. 36. in 3. concl. & inferius ad 8. argum. n. 40. Valen. 1. to. disp. 1. q. 12. punct. 2. Pezantius q. 12. ar. 2. disp. 1. concl. 2. *§. obijcies*. Et Cabrera 3. p. q. 2. ar. 1. disp. 2. §. 4. nu. 27. & §. 6. nu. 39. & 41. Imò Scotus, hanc opinionem admittendam esse, docet; admisso, quod Diuina Essentia, in aliquo priori naturæ, intellectui præsentetur, antequam eliciatur visio. Ita quodl. 14. ar. 2. lit. CC. *§. sed si quæratur*, vt refert Lusit. q. 4. ar. 1. §. 3.

Salas. Valen. Pezant. Cabrera. Scot.

20 Accedit idem Lusit. ar. 6. §. 4. vbi inquirens: *Vtrum, nulla posita in Beatis specie creata, possit Diuina Essentia, ad instar speciei impressæ, se ipsam, aliquo modo, repræsentare?* Huic quæsito Respondet quinque conclusionibus: in quarum secunda habet: *quod, sistendo in sententia asserentium, speciem impressam solum se tenere ex parte obiecti: non repugnat, Diuinam Essentiam, se ipsam, intellectui repræsentare, obiectiuè.* Idem docet concl. 4. In vltima verò ait, *quod si species se teneat, et ex parte intellectus, et ex parte obiecti; nec repugnabit Diuinæ Essentiæ, sese repræsentare obiectiuè.*

Lusit.

21 Vbi illud Notandum est, quod, cum nos supra diximus, non esse inconueniens asserere, speciem intelligibilem, nedum se tenere, ex parte obiecti: sed etiam ex parte intellectus; non solum in ratione, qua forma accidentaria est; quo modo, cum necessario inhæreat, actuet, & informet intellectum, dicitur etiam, secundum hanc rationem, se tenere ex parte intellectus: verum in ratione, qua, præcisè, Vicaria est obiecti; etiam si extrinsecè assistat intellectus, per possibile, vel impossibile: cum enim illum obiecto assimilet, saltem virtualiter; constituat in actu primo, compleat ipsius efficiẽtiam, illum determinet, & tandem cum illo ad actum visionis concurrat; secundum has considerationes, optimè dici potest, se etiam tenere ex parte intellectus; non obstante, quod hæc omnia exerceat, loco obiecti, & vice eius: nam idem de ipso obiecto dicimus, eodẽ modo; si aliquod sit, quod, per se ipsum, immediatè possit vniri potentiæ.

Notandum.

§. VII.

Quartũ munus præstat.

22 Colligitur etiam, ex dictis, quartum speciei munus; non esse impossibile Diuinæ Essentiæ; scilicèt, *quod determinet intellectum ad hanc speciem,*

cie, intellectionem. nam, sicut, intellectus non potest intelligere, v.g. Hominem; nisi, dum illum habet sibi obiectiuè præsentem, & vnitum; vt optimè idem Lusit. ar. 7. n. 1. ita, supposito, quod Diuina Essentia possit, se ipsa, se præsentare, in ratione obiecti; & vniri, obiectiuè, intellectui; cōsequenter determinabit illum ad elicitionem intellectionis huius, in specie; nō enim poterit, in tali casu, intellectus intelligere, nisi Deum.

Lusit.

De vltimo munere difficultatis.

23 Verum, de vltimo speciei munere, posset esse non leuis difficultas: *An Diuina Essentia intellectui, immediatè, in ratione obiecti intelligibilis, vnita, possit habere aliquam efficientiam circa intellectionem?* Nam, licet nos in superioribus pluries pro certo supposuerimus, speciē actiuè cum intellectu concurrere ad intellectionem: nihilominus tamen non defuere Doctores, qui hoc expressò negauerint; inter quos sunt Toletanus noster 3. de Anim. q. 2. ar. 3. concl. 2. 3. & 4. Tolet. ibidem cap. 7. q. 22. & Iauel. ibidē q. 3. de actu intellectus §. *mihi autem videtur*; *qui* nullam, in specie, actiuitatem agnoscunt. Et consequenter fatētur idem de obiecto, vt obiectum est; non concurrere, scilicèt, efficienter ad actum suæ potentiæ: sed solum formaliter, & finaliter; prout, scilicèt, potentiæ operatio, & ab obiecto sumit speciē, & est gratia illius.

Toletanus.

Toletus. Iauel.

Verior sententia. 1. dictum.

24 Nos autem, cum communiori sētentia, dicimus; speciem, actiuè, concurrere cum intellectu ad intellectionem. Ita omnis Schotistarum Schola; & ex Iunioribus, Maior, ac præcipua pars. Quod dictum non est intelligendum; præcisè, de specie creata, ea ratione, qua intellectum informat, & illi inhæret; sed etiam, ea ratione, qua, præcisè, est obiecti Vicaria; etiam si non inhæreat, nec informet; sed tantum assistat. Hoc autem dictum patet, ex iam suppositis, & probatis: Si enim species, prout obiecti Vicaria, constituit intellectum in actu primo ad intelligendum: ergò, vt sic, est illi principiū actiuum agendi; vel saltem comprincipium. Potentia enim ideò sit in actu primo per aliquam formam; quia, quæ antea impotens proximè erat ad eliciendū actum secūdum, redditur, vi illius actuationis, etiam extrinsecæ, modo supra explicato, potens etiam si nil intrinsecè illi addatur, nec ipsius, intrinsecè, vires augeantur.

Suar.

25 Et (vt optimè aduertit Suar. n. 11. cap. cit.) seclusa hac efficiētia, nulla probabilis ratio, vel necessitas fingi potest ad imponendas species intelligibiles; omnia enim speciei intelligibilis munera ad ipsam intellectionem ordinantur. Huius etiam sententiæ fuisse D. Tho. non est ambigendum. Ipse enim 1. p. q. 105. ar. 3. postquam docuisset, intellectum esse quoddam intelligēdi principium actiuum; subdit. *Alium autem est principium intelligendi, in actu; scilicet, similitudo rei intellectæ*; & q. 50. ar. 1. ait. *Speciem esse formam, quæ est principium actionis*; & passim alibi: Vide Bann. 1. p. q. 85. circa 1. concl. in fine secundæ sententiæ. affirmat, hanc esse communem sententiam omnium Thomistarum.

D.Th.

Bannes.

26 Hinc deduco aliud dictum; Non esse impossibile, Diuinam Essentiam, etiam hoc vltimum speciei munus cum intellectu creato obire, in ordine ad intellectionem. Ita sentire D. Thom. docet Lusit. q. illa 4. ar. 9. §. 4. & ar. 1. §. 2. quicquid Ban. Zum. & Vasq. dicant. Sanctum, scilicèt, Doctorem contrariam sustinuisse sententiam; de qua secunda videatur Lusit. locis cit. Hoc dictum patet ex superiori; nam si, in tantum species intelligibilis actiuè concurrit ad intellectionē, in quantum est vicaria obiecti, & exequi tenetur quidquid ipsum obiectum, se ipsō, faceret, si immediatè potentiæ vniretur: ergò signum est, munus obiecti esse, effectiuè cum potentia ad eius actum concurrere: cumque talis causalitatis modus perfectionem non modicam dicat; cur illum denegabimus Diuinæ Essentiæ? de qua diximus, quod & omnia alia munera posset exercere, ex quibus, necessariò, infertur effectiua causalitas.

2. dictum.

D.Th. Lusit. Bannes. Zumel. Vasq.

27 Addo, quia obiectum, in illo priori naturæ, quando intelligimus, & de facto dicimus constituere potentiam in actu primo, (supposito tamen etiam lumine gloriæ, per quod intellectus sit intrinsecè potens;) non habet rationem obiecti terminatiuę, sed potius motiui, (vt in quodl. de verbo mentis dicam cōmodius;) sed non possemus rationem effingere, quo pacto haberet se, vt obiectū motiuum, sublata causalitate effectiua, vt patet; ergò necessariò talis efficientia obiecto est tribuenda.

Confirmatur

28 Et præterea: quia si aliquid obstaret, maximè quædam specialis imperfectio, quam Authores contrariæ sententiæ, (qui hanc efficientiam concedunt speciei, negant autem Diuinæ Essentiæ) agnoscunt in hac causalitate speciei; nimirum,

Confirm. itē & occurritur obiectioni.

mirum, in tantum speciem, effectiuè, cōcurrere cum intellectu ad intellectionē; in quātum subordinatur ipsi intellectui; quæ subordinatio repugnat Deo. Hæc autem ratio non obstat; nam in tantum species intelligibilis subordinabilis est potentiæ, in quantum accidens est; non verò est subordinabilis, quatenus vicaria est obiecti: Vnde obiectum intelligibile, in quo illa virtus effectiua est, altiori modo, potius subordinaret intellectum sibi, (vt optimè Pater Suar. nu. 20.) sicut Angelus, intelligens se per suam essentiā, non hanc habet virtuti intellectiuæ subordinatam: sed potius sibi intellectum subordinatum habet. Multò congruentius dicendum hoc est de Deo, qui est Author principalis visionis, quod posset, in tali casu, subordinare omnino sibi potentiam: eaq; vti, tanquam instrumento, cui coniungeret suam substantiam, tanquam obiectum motiuum, ad eliciendā visionem: quæ efficientia non esset à substantia Diuina, præcisè; sed à substantia Diuina, liberè applicata per volūtatem. Suar.

Summa ex dictis. 29 Ex his omnibus, liquidò sequitur, Diuinam Essentiam posse, immediatè, se ipsa, absquè creata aliqua specie, vniri intellectui creato, ad eliciendam visionē Diuinam: nil enim est, quod ipsa præstare non posset, immediatè, necessarium ad dictum actū visionis; nec aliquid est, quod huiusmodi visionem posset impedire: inde enim reliqua creata obiecta, nequeūt, sic, alicui intellectui vniri: quia absentia sunt, & indigent præsentari per speciem, eorum vicariam: vel, quia impura sunt; & ita, nequeunt, per se ipsa, aliquam actiuitatem habere in intellectum, qui purus est, & spiritualis; & sic agunt in illum, media specie puriori; ast Essentia Diuina purissimus actus est, absquè vlla admixtione, siuè materiæ, siuè cuiuslibet alterius potentialitatis; & sic, obiectum, maximè intelligibile in actu; Vnde non indiget specie ad agendum in intellectum; cum illa sit purior, & simpliciter omni re alia purissima, & simplicissima: & alias intimè omnibus rebus est præsens: poterit ergò, absquè specie Vicaria, intellectui creato vniri, in ordine ad visionem. Sed quid dicendum de facto? Hoc sequēti capite resoluemus.

CAPVT VII.

In quo ostenditur, de facto Beatos non videre Deum per aliquam creatam speciem; sed, immediatè, per ipsam Diuinam Essentiā, sibi vnitam.

§. I.

1 Nedum possibile est, Diuinā Essentiam immediatè vniri in Patria intellectibus Beatorum, posseque omnia munera, quæ necessaria sunt ad visionem Diuinam, exercere; sed etiam, de facto, non aliter Beatos Deum videre, quam, per eandemmet Diuinam Essentiam, sibi, absquè intermedia specie impressa, in ratione obiecti intelligibilis, vnitam, probabilius est; In quo dicto cōueniunt omnes Thomistæ cum D. Tho. Quicquid Vasq. dicat, qui nititur probare, D. Thomam non fuisse loquutum de specie impressa; sed benè, de obiectiua, quæ, visa, ducit in cognitionem obiecti. De facto Deus non videtur per speciem creatā. D. Th. Vasq.

2 Sed certè, licet sępè D. Tho. de hac specie obiectiua loquatur: tamen negari non potest, aliam speciem D. Thomam non admittere, nisi lumen gloriæ; & expresse, multis in locis, e medio tollere speciem impressam, de qua in præsentiarum est sermo; diffusè noster Lusit. q. 2. ar. 8. §. 2. ostendit, errasse Patrem Vasq. vbi etiam expressissima S. D. loca adducit, quibus reijcit speciem impressam: ita etiam q. 3. ar. 2. nu. 3. legatur D. Tho. præsertim, in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. quo loco ita habet. *Est alius modus dicendi Auicennæ, intelligendi substantias separatas; scilicet, quod intelliguntur à nobis per intentiones suarum quidditatum, quæ sunt quædam earum similitudines, impressa in nostris animabus: sed hic modus etiam non videtur nobis sufficere ad visionem Diuinam, quam quærimus.* Et ad 15. arg. ait. *In visione Patriæ non erit secundum medium; quia ipsa Essentia Diuina erit, quā intellectus noster videbit Deum.* Et tandem de verit. q. 8. at. 1. ita concludit. *Restat igitur, vt id, quo intellectus creatus Deum per essentiam videt, sit ipsa Diuina Essentia.* Quibus locis nil clarius adduci potest. Sēsus D. Th. explicatur. Lusit.

Hinc

Aegid. Rom. Hinc Aegid. noster in Defensorio art. 1. ait, D. Thomam negasse Beatis speciem impressam, qua viderent Deum.

Probatur conclusio. 3 Probatur autem hæc communis nostra sententia aliquibus rationibus. Et primò: Quia Diuina Essentia potest se, immediatè, vnire intellectui Beatorum; & fungi omnibus muneribus, ad intellectionem necessarijs, (vt in præcedenti capite ostensum est.) Sed nulla apparet ratio, cur non de facto ita se vniat: ergò, &c. minor euidens fiet capite sequenti, vbi satisfaciemus argumentis contrariæ sententiæ. Si enim aliqua ratio obstaret, maximè illæ, quæ adducuntur supra c. 2.

Confirmatur 4 Confirmatur hæc ratio, primò, Quia species impressa tantùm desideratur ad actum intellectionis in nobis, vt intellectus noster, & obiectum eiusdem vniantur inter se; seu (quod idem est) ad hoc, vt detur vnio inter intellectum, & rem intellectam: at potest Intellectus noster vniri Essentiæ Diuinæ, sine vlla planè specie intelligibili, illam tepræsentante; vt in se est; idquè, quod Deus sit intimè præsens intellectui Beatorum, propter summam immaterialitatem, & immensitatem, quæ in ipso datur, ergo, &c.

Confirmatur 5 Confirmatur secundò. Species impressa est tantum necessaria ad actum intellectionis, quando obiectum, per se ipsum, nequit esse præsens potentiæ cognoscitiuæ; ex D. P. August. lib. 7. de Trinit. cap. 3. & 4. & ex communi doctrina Philosophorum: Sed Essentia Diuina, per se ipsam, est præsentissima mentibus quorumcunquè Beatorum, propter causam iam dictam; ergo, &c.

2. probatur. 6 Secundò probatur, frustra fiût per plura, quæ possunt fieri per pauciora, æquè, & benè; & Deus, de sua ordinaria potentia, nil superfluum facit: sed, posito obiecto, debitè approximato, & vnito, cum sufficienti virtute ad causandum sui visionem, superfluum est aliud medium ad id idem ordinatum: ergò, cum Diuina Essentia sit debitè vnita cum intellectu Beati, habeatquè sufficientem virtutem ad causandum sui visionem: superfluum est, ponere speciê, quæ ad nil aliud faciendum instituta est. Ita probat Salas. 1. 2. 1. tom. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 2. n. 36.

Salas.

Pezant. & Pezant. 1. p. q. 12. at. 2. disp. 1. in 2. concl.

§. II.

Solutio Aegidij Lusitani. 7 AD hæc Respondet Lusit. q. illa 3. at. vlt. n. 1. & 2. aliud esse, aliquid vniri, & fieri præsens alicui, secundum præsentiam realem, & localem; aliud verò, fieri præsens, secundum præsentiam obiectiuam, quæ est præsentia intelligibilitatis: licet ergò Essentia Diuinæ sit præsens rebus omnibus, ratione suæ immensitatis, secundum suam præsentiam realem, & localem: ad hoc tamen, vt fiat præsens, præsentia intelligibilitatis, & obiectiua, indiget specie impressa.

8 Sed contra hoc facit totum caput præcedens, vbi ostendimus, posse Diuinã Essẽtiam, ita fieri præsentẽ intellectui. Et disp. 4. c. 4. clarius explicabimus: an per nouam præsentialitatem dicatur Diuina Essentia fieri præsens Beatis.

9 Præterea pero à Lusitano; qua actione, quouè modo species causet huiusmodi præsentialitatem obiectiuam? examinauimus enim supra, omnia speciei munera, necessaria ad elicitionem intellectionis; vltra quæ nullum aliud videtur requiri: sed ea omnia, vidimus, exerceri posse, immediatè, per ipsam Diuinam Essentiam: ergò Essentia Diuina, nedum fit præsens intellectui, realiter, & localiter ratione suæ immensitatis: Sed etiam, quatenus obiectum in Patria est Beatificæ Visionis, fit etiam præsens præsentialitate obiectiua. Non placet.

10 Sed quia, vt supra diximus, non mihi videtur aliqua ratio ex his, quæ adduci solent à Doctoribus pro hac sentẽtiã, quæ Aduersarios cogat, & vrgeat; sufficiant adducta; & vt probabilitas illius magis pateat, soluamus oportet, argumenta, pro sententia Lusitani relata c. 2. Vndè potior ratio desumenda est, in fauorem negantium, de facto, in visione Beatifica speciem impressam. Rationes adductæ solum sunt probabiles.

CAPVT VIII.

In quo soluuntur Rationes Lusitani, pro specie impressa adducta. cap. 4.

§. I.

1 AD primum ergò Respõdeo; iam ex dictis cap. 3. nu. 4. & cap. 4. n. 5. 6. 7. & 8. constat, quę nam assimilatio requiratur in potentia, præuia ad actum; diximus enim, sufficere virtualem, & hanc Ad 1. argumentum aduersariorum.

assimilationem optimè posse conferri ab ipsa Diuina Essentia intellectui, saltem extrinsecè, modo cap. 4. exposito. Igitur in forma ad argumentũ respondeo; concedendo maiorem; modo iàm loco citato dicto; & negando minorem. Ad cuius probationẽ, dico; nunquam Aristotelem cognouisse alium modum intelligendi obiecta, nisi per speciem; & sic agens de intellectionibus naturalibus; optimè docet, in illis, intellectũ fieri ipsa obiecta, per speciem, seu formam intelligibilem; quod si supernaturali lumine, fuisset Aristot. præditus; ita vt speculari potuisset modum, quo Beati Deum in Patria feliciter intuentur, non vtique negasset, huiusmodi intuitionem, absque creata specie, fieri; & sic, immediatè, per ipsam Diuinam Essentiam: & ab ea habere intellectum, extrinsecè tamèn, assimilari, virtualitèr, ipsi Deo; & Deum, extrinsecè, intelligibilitèr, hoc modo, fieri. Quare responsio ibi allata cum hac coincidit; & replica prima Lusitani, hac eadem doctrina concidit, & corruit.

Ad secũdam replicam. Resp. 1. 2 Ad Secundam verò replicam, factam contra eandem solutionem, quicquid sit de antecedenti, quod sufficeret verificari in similibus, similitudine actuali reali; sed transeat, pro modo; & ad consequentiam, dico; iam in nostra sententia, constituimus duo extrema similia: alterum extremum est; ipse intellectus, qui, in illo priori, dicitur, virtualitèr, similis: alterum poterit esse, ipsa Diuina Essentia, quæ extrinsecè assistit intellectui.

Resp. 2. 3 Vel dico, intellectum, modo dicto, similem; nempè, virtualitèr; posse dici virtualitèr distinctum à se ipso, futuro similem, formalitèr, per speciẽ expressam, seu Verbum mentis, & tunc factam, sic, similẽ, distingui actualitèr ab ipso obiecto cognito: quod nõ est inintelligibile, prout contendit argumentum, vt patet. quare non est necessaria, propter hoc, species impressa.

Ad tertiam replicam. Resp. 4 Ad Tertiam replicam, cõtra eandem solutionem ibi adductam; Respondeo, illud antecedens esse omninò falsũ; nisi intelligatur de similitudine radicali, & valdè impropria. Ad cuius probationem, Respondeo, concedendo maiorẽ: ad minorẽ dico, quod, eo ipso, quo, per illam repræsentationem, fit obiectum in actu primo intelligibile, fit etiam, in actu primo, potens potentia ad illud intelligendum; & ex consequẽti, obiecto similis, virtualitèr: inintelligibile enim est id, quod in argumento dicitur; quod, antequam obiectum fiat obiectiuè præsens potentiæ; &, vt sic, intelligibile in actu primo, debeat iam ipsa potentia præsupponi facta obiecto similis: siquidem, per illudmet, per quod obiectum fit in actu primo intelligibile, fit etiam potentia, in actu primo, potens intelligere; & consequenter, similis obiecto, modo exposito; nisi velimus loqui de illa similitudine radicali, & valde remota, quæ vna est cum potentia eiusdem intellectus remota, & radicali; si loquamur, in ordine ad obiecta naturalia; nàm, in ordine ad supernaturalia, assignamus, pro hac remota potentia, potentiam obedientialem.

§. II.

Ad Secũdum principale. 5 AD Secundum principale; conc. maiorẽ: minor verò petit principium: dicimus enim nos, quod intellectus Beati non per speciem, seu formam aliquam creatam: sed, per Diuinam Essentiam, cõstituitur in actu primo. Quomodò autem id fieri possit, sine actuali informatione, satis, & pluries supra expositum est.

Ad confirm. 6 Ad confirmationem Respondeo, similitèr, non esse necessariam informationem intrinsecam, ad constituendum intellectum in actu primo, in ordine ad intellectionem Diuinæ Essentiæ: sed sufficere assistentiam eiusdem Essentiæ Diuinæ, per modũ comprincipij, complentis efficientiam ipsius intellectus, modo exposito iàm. Et sermo est de constitutione; quæ fit per obiectum.

Ad Tertium. 7 Ad Tertium principale, (quod, re vera, mihi videtur reliquis, in hac re, difficiliùs.) Respondeo, negando, quod videre Deum per ipsammet Essentiã Diuinam, Intellectui assistentem, per modũ comprincipij coefficientis, nõ sit connaturalis modus intelligendi: nàm (vt benè Suar. num. 21. & 25.) licèt, loquendo de principio operationis necessariò, ex parte potentiæ, verum sit, quod non connaturaliter, absque tali principio, operaretur potentia; etiam si Deus, se ipso, suppleret illius concursum: vnde connaturalius videt Deum Beatus, per lumen gloriæ, quod est necessarium, ex parte intellectus, præcisè; quàm sine illo: tamèn, loquendo de ipso obiecto, quod non est intrinseca ratio operandi ipsi potentiæ, sed complet, dumtaxat, eius coefficientiam,

Suar.

tiam, absque eo, quod augeat virtutem illius, intrinsecè; si ex se ipso, potens sit vniri intellectui; itaùt non illum impediat, siuè materialitas, siuè absētia, (quæ duo in causa sunt, vt reliqua obiecta, per speciem impressam, intelligantur connaturaliter:) non est, cur in tali casu, dicamus, non connaturalitèr illam potētiam operari: quemadmodùm Angelus, etiam si possibilis sit species impressa, per quam se ipsum intelligat: dum tamèn, per suammet essentiam, & substantiam, videt se, non dicitur se intelligere, supernaturali modo, immo, naturalissimo. Cumque Deus sit intimè præsens cuicunque intellectui: summè immaterialis; summeq; intelligibilis: frustra est, creatam speciem ponere ad illum intelligendum, connaturali modo.

Ad Quartū. 8 Ad Quartum, respondeo, negando id, quod assumitur. Ad cuius probationem, dico; quod Deus immediatè dicitur efficere intellectionem, vna cum intellectu, informato lumine gloriæ; eodem prorsus modo, quo dicitur creare, seù producere aliquid ad extrà: cum enim opera Trinitatis ad extrà sint indiuisa, (ex doctrina August.) illa actio dicitur esse ab ipsa Essentia, quæ est principium operandi ad extrà, elicitiuè; tamèn imperata à voluntate, & sic, naturalis, quoad specificationem: libera verò, quantum ad exercitium.

Ad confirm. 9 Ad confirmationem tandem, respondeo; negando sequelam; ad cuius probationem, dico; falsum esse, relationes, vt tales, præcisè, esse, de facto obiecta, actu intelligibilia, intimè præsentia intellectui, per se ipsa: dicam enim suo loco: Relationes non pertinere ab obiectum primarium Visionis: sed secundarium: sola etenim Essentia sufficiens obiectum est Beatificæ visionis; itaùt, si per possibile, vel impossibile, videri posset Essentia, sine personis, illa sola bearet videntem: esset etenim sola Diuina Essentia, tunc, adæquatū Diuinæ Visiōnis, & beatificæ, obiectum; quod si de facto non potest, sine personis, Essentia videri; id est: quia obiectum nostræ beatitudinis, cum sit ipsa Essentia, prout est à parte rei: & illa sit in tribus; prout in tribus, est obiectum: ita tamen, quod semper intelligātur, personæ, quasi concomitanter, se habere; & sic, pertinere ad obiectum secundariū; non verò primarium. Ex quo sequitur, non videri personas, præcisè, à Beatis; itaut, relationes sint rationes videndi; sed quatenùs includunt Essentiam, quæ prima est illis, & sufficiens videndi ratio. Eodem modo philosophandum est, de efficientia, in ordine ad intellectionem; nimirū, non pertinere ad Relationes; sed ad ipsam Essentiam; etiam si omnes personæ dicantur concurrere: in operationibus namque ad extra, nec Essentia dicitur seclusis personis, operari; nec vna persona, sine alijs; sed tota simul Trinitas operatur: non tamèn, per Relationes, quibus personæ constituuntur; quæ non sunt operandi rationes: bene verum, subsistendi; sed operari tota simul Trinitas dicitur, per Essentiam, quæ vnum, idemque, in omnibus Personis, operandi ad extra principium est.



DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

An de Potentia Dei absoluta dari possit species impressa creata, per quam, tanquàm per Diuinæ Essentiæ Vicariam, Beati possent Deum, sicuti est, videre?

CAPVT PRIMVM.

In quo ponitur sententia negans; & adducuntur varij modi inefficaciores illam defendendi.

§. I.

1 N præcedenti Disputatione supponimus possibilitatẽ talis speciei impressæ creatæ: in præsenti, verò, illam examinabimus: non enim adeò certum est, non implicare contradictionem, huiusmodi speciem creatam posse dari: Imò certissimum est, D.Tho. eiusque scholâ illam omninò e medio tollere, vt videre est apud Recentiores. Difficultas tamèn est inter Thomistas, in assignãdo implicantiæ rationem. Nos ergo, in præsenti capite, quinque dicendi modos minùs probabiles referemus, eosque confutabimus. (D.Thom.)

2 Primus modus dicendi est: ideò hanc speciem implicare: quia esset infinita in sua perfectione, intrinsecè, & entitatiuè. ita Zumel. Bañes, & alij. Probantq; diuersimodè sequelam: Primo, ex calculatione: quia species, quæ repręsentat obiectum perfectionis, vt duo, debet esse alicuius perfectionis. Illa, quæ repręsẽtat obiectum perfectionis, vt tria; maioris perfectionis, necesse est, quod sit: ergò illa species, quæ repręsentat obiectum infinitæ perfectionis, simplicitèr; erit simplicitèr infinita. (Prima ratio partis negan. tis. Zumel. Bannes.)

3 Secundo, tota Essentia speciei est, *esse repræsentatiuum*; ergo, quæ habet repræsentationem infinitam, infinita est in sua Essentia: sed talis species esset repręsẽtatiua infinitè: quod sic probatur; tùm quia repręsentaret infinitum: tum quia debet species, in repręsentando, proportionari obiecto repræsentato; quod, cum sit in se infinitum, species, in repræsẽtando, erit infinita; ergò, cum tota entitas speciei consistat in esse repræsentatiuo, erit infinita, in essendo. (Secũda ratio)

4 Tertio, Deus nõ posset facere speciem perfectiorem illa: Ergo esset infinita: antecedens probatur, quia non potest dari species perfectior illa, quę repręsentat Deum: quia nil repræsentabile est perfectiùs ipso Deo. (Tertia ratio.)

5 Sed hæc fundamenta non bene probant (nisi aliud addatur,) hanc speciem futuram infinitam: primò, quia ex illis æquè probatur, lumen gloriæ, & Visionem ipsam Beatificam esse infinitã; aut certè neutrum dari posse. Idem probaretur de actu amoris Dei. (Non sufficiũt propositę rationes.)

6 Vnde ad primam probationem. Dicendum, per illam calculationẽ tantùm concludi infinitatem, cum promouetur in eodem ordine rerum; alioquin tantum colligi, aliquid esse superioris ordinis: & ad summum infinitum extrinsecè. (Soluuntur.)

7 Ad Secundam Respondeo; aliud esse, repræsentare infinitè; aliud, verò, repræsentare obiectum infinitum: Primum est falsum. Secundum verum: cæterum id, quod repræsentat obiectum infinitũ, non habet infinitam repræsentatiuitatẽ, intrinsecè; sed extrinsecè, per denominationem ad id, quod repræsentat.

8 Ad Tertiam dico; quod, licet non posset dari species, quę, in esse speciei impressæ, esset essentialitèr nobilior illa, quæ repræsentaret Deum: posset tamèn, quacunq; data, creari alia perfectior indiuidualitèr. Et prætereà, posset dari alia perfectior natura, & entitas, essentialitèr,

litèr, quam esset illa species: non sequitur ergò, forè quid infinitũ, ex eo, quod, in sua Essentia, non posset dari quid essentialiter perfectiùs.

§. II.

9 Secundus modus dicendi est, implicare talem speciem: quia nulla res creata, potest effectiuè beatificare Hominem: hoc enim spectat ad solum Deum: Talis autem species impressa, si daretur, effectiuè concurrendo ad Beatificam Visionem, beatificaret effectiuè: Non est tamèn inconueniens, Hominem formalitèr beatificati per quid creatum; cum Deus non possit hoc, per se ipsum, facere; siquidem imperfectionem inuoluit, quemadmodum potest effectiuè facere. Ità Sot. Canar. & alij.

Secũdus modus tuẽdi partem negantẽ.

Soto. Canar.

10 Sed hoc fundamentum est certè priori longè debiliùs. Primo, nàm Intellectus, & lumen gloriæ effectiuè concurrunt ad Visionem beatificam. Secundo, quia effectiuè beatificare, vt agens principale, & Iudicem, ad quem spectat coronare merita, & date gratiam, est solius Dei: minùs tamèn principalitèr, & instrumentalitèr, potest etiam esse aliorũ, vt Christi, luminis gloriæ, &c.

Explóditur.

11 Tertius modus dicendi est: implicare speciem hanc: quia perfecta similitudo Dei, in aliqua re existens, arguit etiam in illa æqualitatem in natura cum Deo: sed implicat, quid creatum esse æquale Deo: ergo, &c. Maior probatur ex D. Paulo ad Hæb. 1. vbi, ex eo, quod Verbum Diuinum est similitudo perfecta Patris, colligit, ipsum illi esse æquale in natura.

Tertius modus dicendi.

12 Sed hæc ratio laborat in æquiuoco: nàm id, quod est, in perfectione, simile, in natura, est etiam illi æquale; Hinc D. Paulus, ex eo, quod Filius est similis in natura Patri, colligit æqualitatẽ. Species autem, si daretur, non esset similis in natura Deo.

Reijcitur.

§. III.

13 Quartus modus dicendi est, non posse dari talem speciem: quia Deus est actus purissimus. Quam rationem indicat D. Thom. q. 12. art. 2. Et Recentiores illam sic explicant: nàm nullum obiectum, quod, comparatione cuiuscunq; facultatis intellectiuæ, per suam ipsius Essentiã, est propriè intelligibile, atque vnitum potentiæ, vt illam moueat, potest repræsentari per similitudinem impressam: tale autẽ obiectũ est actus purissimus, qualis est Deus; ergò. Maior probatur; quia nulla res potest essentialitèr esse ordinata ad dandũ alicui rei certum quendam determinatum effectum, quẽ illa, per suam Essentiam, habeat: Vndè, quia Deus est essentialitèr Homini omne bonum, nulla res creata potest esse ordinata, ad dandum illi hanc, vel illam particularem rationẽ Beatitudinis. Quemadmodum, si substantia creata esset essentialitèr ordinata, per se ipsam, ad producendam aliam substantiam: non possent esse accidentia ordinata ad producendam substantiam. Similitèr, si potentia esset ordinata ad facile per se operandum, non possent dari habitus, qui essent ordinati, vt illæ facilè operarentur. Cum igitur species impressa sit naturalitèr ordinata, ad faciendum obiectum proximè intelligibile; impossibile est, dari talem speciem, respectu obiecti, quod est, natura sua, & per suam Essentiam, tale. Deum autem esse per se intelligibilẽ, per suam Essentiam, constat; quia est actus purissimus; & se ipso, est actu intelligibilis, & potens mouere potentiam ad sui intellectionẽ, per se ipsum; vt Disputatione præcedẽti probatum est.

Quartus modus implicãtiæ.

14 Sed hic mòdus dicendi, licèt habeat aliquam maiorem probabilitatis speciem; deficit tamen adhuc. Contra quem sic aliqui insurgunt: Quemadmodum Deus est actu intelligibilis, ex parte sua, quia est actus purissimus; ita, ex parte sua, est amabilis, quia est summa bonitas: sed, hoc non obstante, datur habitus Charitatis, quo redditur actu proximè amabilis Homini, & Angelo: ergo, non obstante, quod sit actu, ex parte sua, intelligibilis, posset dari species, qua redderetur, proximè, intelligibilis huic, vel illi.

Improbatur.

15 Cõfirmatur Primò hæc ratio: quia sicut Charitas reddit amabilem, in habitu, & non amatum; ita species reddit intelligibilem, & non intellectum.

16 Confirmatur eadem ratio; quia sicut Deus est per se intelligibilis: quia est summa actualitas, quæ est origo omnis intelligibilitatis; ita est per se amabilis, quia est sũma bonitas, quæ est origo omnis amabilitatis.

17 Sed certè huiusmodi argumenta non conuincunt: posset enim responderi, disparẽ esse rationem, de Habitu Charitatis,

Argumenta proposita nõ sunt efficacia

ritatis,

ritatis,& specie impressæ:hæc enim se tenet ex parte obiecti,præcisè;licet,aliquo etiam modo, quædam exerceat munera circa intellectum; sed,principaliter,se tenet ex parte obiecti, & reddit obiectum proximè intelligibile,& adęquatè,quantum est de se;quia illud repręsentat intellectui: quamuis,ante repræsentationem, quodlibet ens dicatur intelligibile, saltē, remotè. At verò habitus Charitatis,omninò, se tenet ex parte potētiæ,illam eleuans ad actus superioris ordinis, dans ei vires intrinsecas, quibus fit potens, proximè,ad huiusmodi actus. Non autem propriè dicitur, Habitus Charitatis reddere Deum,proximè,amabilem; nisi velimus dicere, illum reddere amabilem proximè, denominatione quadam omninò extrinseca; scilicèt,quia reddit voluntatem proximè potentem, amoris actum erga Deum elicere; vndè, consequenter dici potest, obiectum proximè amabile, ab illa proxima potētia voluntatis;& licèt illa proxima intelligibilitas, quam habet obiectum à specie,sit etiam extrinseca (nulla etenim in obiecto fit mutatio, ex eo, quia per speciem repræsentatur potentiæ;) tamē non dicitur extrinseca, per ordinem ad intellectum, proximè potentem,circa illud,ferri,præcisè: sed potius ratione approximationis,seu vnionis factæ cum intellectu,media illius Vicaria, & non per se ipsum, immediatè:vnde disparitas patet. Quarè non sequitur; quod, sicut datur Habitus Charitatis, ita posset etiam dari species intelligibilis.Ex quo soluta manent omnia argumenta,quæ laborant super falso fundamento:& non impugnant,quod est impugnandum.

Disparitas inter habitū Charitatis & speciem impressam.

§. IV.

Obiectio cōtra 4. dicendi modum.

18 ARgui tamen potest contra hunc quartum modum dicendi, sic: Esse, per se, intelligibile, duo dicit; primum,posse terminare intellectionem:secundum,posse mouere intellectum ad se intelligendum: primum illud,omnis entitas, quæ,per se,entitas est,profectò habet: quia omne ens per se, potest terminare intellectionem;sicuti omne ens potest intelligi: si enim non posset terminare, nec posset intelligi. Posterius verò, quod est, posse mouere; certum etiam est,quod omnis res est,per se,intelligibilis, quæ potest mouere intellectum, taliter,vt,per se ipsam,immediatè,repræsentetur potentiæ.Si igitur concedatur,Deū esse,sic,intelligibilem,per se, ex natura sua, nō sequitur inde, non posse dari speciem, quæ illum repræsentet. Quod sic ostendo:nam Angelus est sibi ipsi, per se ipsum,intelligibilis; & tamen potest dari species impressa, quæ illum repræsentet in alio Angelo.

19 Dices; non posse dari hanc speciē impressam in se ipso, qui se ipsum videt, per suam Essentiam. Effugium.

20 Contra: quia species eadem, quæ est in Gabriele,repræsentans Raphaelē; posset, per Diuinam potentiam, infundi in Raphaelem: nulla enim apparet implicantia; cum non depēdeat illa species à principio vitali Gabrielis, nec sit actus vitalis. Impugnatur.

21 Secundò argui potest: Deum esse intelligibilem,per se ipsum;est,posse,per se ipsum, mouere, sine media specie, intellectum ad eliciendam sui intellectionem: sed,quod,se solo,Deus potest facere, ad id idem potest aliqua res creata esse ordinata; dummodò id non sit faciēdum per creationem: ergò, licet Deus, per se ipsum, possit mouere intellectum ad intellectionem sui, poterit nihilominus dari species impressa, ordinata ad eandem intellectionem faciēdam. Consequētia patet, quia mouere intellectum ad sui intellectionem, est aliquid, quod fit efficienter à Deo, & dicit intellectionem factam, dependenter à Deo, non tamen per modum creationis. Minor constat: quia, alioquin sequeretur, vel Deum non posse facere id, ad quod sunt ordinatæ causæ secundæ; vel causas secūdas nihil omninò posse operari eorum, quæ facit Deus:quod vtrumquè erroneū est. 2. obiectio.

22 Ad fundamētum verò istius quarti modi defendendi tepugnantiam speciei, facilè responderi potest: neg. mai. Ad cuius probationem,Dico;quod,licet nulla res possit essentialiter esse ordinata ad dandum alicui rei certum quendam determinatum effectum, quem illa, per suam essentiam,habeat: posset tamen accidentaliter,esse ordinata: hoc est,per accidens, posset in tali casu deseruire, non necessariò, maximè si res illa, quæ, per suam essentiam, talem habet effectū, non naturaliter, & necessariò, illum habeat;sed liberè. Ita in proposito; licèt Deus,per suam Essentiam,habeat se vnire intellectui Beati: Vnde non est necessaria species creata, sicuti in reliquis obie- Soluitur ratio 4. modi.

obiectis necessaria est, ad hoc, vt intelligi possint: tamen, quia Deus non necessario sic se vnit intellectui; ita vt necessario ei assistat, vt cum illo ad sui visionem concurrat; sed liberè: posset producere speciem creatam sui, per quam concurreret cum intellectu, ad modum, quo cętera dicuntur concurrere obiecta, per eorum species: hoc autem, per accidens, esset: quia tunc liberè Deus non applicaret voluntatem ad vniendum se, immediatè; sed media illa specie, modo exposito.

Solutur instantiæ adductæ.

23 Nec est simile de instantijs adductis: & primò; ita Deus est essentialiter Homini omne bonum, vt non possit non esse: & sic nequit ordinari aliqua res creata ad dandum Homini hanc, vel illā particularem rationē Beatitudinis, quæ necessario sita est in Deo summo bono.

24 Itā, si substantia creata esset essentialiter ordinata, per se ipsam, ad producendam aliam substantiam, vt agens naturale, & necessarium; non essent accidētia ordinata ad eundem effectum: quia Deus & natura nil agunt frustra: Ast, si illa substantia esset de se ordinata ad immediatè producendam, liberè tamen, aliam substantiam; posset, vtiquè, nolle illam immediatè producere, sed medijs accidentibus; quæ, in tali casu, per accidens, substantiam producerent, non necessario. Et eodem modo dicitur ad illud, de potentia ordinata, per se, ad facilè operandum, quę non indigeret habitu, per quem facilis redderetur ad operandum.

§. V.

Quintus dicendi modus

25 QVintus modus dicendi est; implicare talem speciem, quia est impossibilis illius effectus: Illa etenim forma impossibilis esse dicitur, cuius effectus formalis implicat, vel impossibilis est: (& sermo est, de forma, non subsistente, sed actuante, ordinata ad informandum: (verbi gratia; si esset impossibile, dari aliquod quantum; certū est, impossibilem fore Quantitatem: Et si repugnaret dari aliquod subiectum viride, proculdubio viriditas impossibilis esset: & sic de reliquis formis. Sed impossibile est, dari effectū formale speciei impressæ in Beatifica visione: ergo, &c. Probatur minor: quia implicat, vt per aliquā formam possit fieri id, quod semper essentialiter supponimus factum; sed effectus, quem deberet facere illa species impressa, semper essentialiter supponitur factus: proprius enim effectus illius esset, vnire Deum cum potentia, in Esse intelligibili; quod iam supponitur semper factum, per Essentiam Diuinam, quæ, se ipsa, sufficientissimè vnitur intellectui Beato: Vnde, sicut, quia Deus supponitur semper ex Essentia sua bonus, non potest dari entitas creata, qua reddatur bonus: ita, quia semper supponitur Dei Essentia vnita, per intimum illapsum, intellectui: non potest dari species, qua media fiat talis vnio.

26 Sed neque hic modus dicēdi placet: & (quicquid sit de assumptis in fundamento;) illud sufficiat; quod, cū Deus, per modum obiecti intelligibilis, non necessariò se vniat, sed liberè, posset nolle se immediatè vniri intellectui, in esse intelligili; .i. posset nolle sic assistere potentiæ, vt immediatè cum illa concurrat ad sui visionem: sed mediante specie: & in tali casu, possibilis esset effectus speciei impressæ: & ex consequenti, illa non esset impossibilis: aliud enim est, Deum esse omnibus rebus intimè præsentem, per suam immensitatem; quo modo non potest non esse omnibus præsens: aliud verò, esse vnitum intellectui creato, in ratione obiecti, immediatè, cum intellectu concurrentis ad sui visionem; quo pacto liberè se vnit. Impugnatur.

CAPVT II.

In quo refertur alius modus probabilior defendendi implicantiam speciei.

§. I.

1 REiecimus iam minus probabiles dicendi modos, quibus Thomistę probant, implicare contradictionem speciem creatam impressam Essēriæ Diuinæ. In præsenti capite examinandus nobis est aliorum probabilior modus hanc eandem implicantiam defendendi.

2 Is autem deducitur, ex natura speciei intelligibilis, se tenētis ex parte obiecti principaliter, prout distinguitur à specie expressa, & à quocunque alio, se tenente ex parte potentiæ. Quia, nimirum, Alius modus tuendi superiorem sententiam.

species

species quælibet impressa intelligibilis intrinseca talis est, ex natura sua, vt sit repræsentatiua obiecti, quantum ipsum repræsentabile est: quod si ipsa talis non sit, sed adæquetur, vel obtemperetur potentiæ, iam non habet rationem speciei impressæ, sed luminis potius: non enim aliquod discrimen, videtur, posse assignari, inter speciem, de qua loquimur, & lumen, si semel admittamus, speciem intelligibilem non debere correspondere rei repræsentatiuæ obiecti repræsentabilis. Cum igitur implicet, dari speciem creatam, quæ ita repræsentet Deum, sicut est repræsentabilis: implicat etiam, dari speciem impressam ipsius Dei, qua videatur in se, intuitiuè, & clarè.

Per partes explicatur fundamentũ.

3 Primum ergo huius sententiæ dictum sit; *speciem intelligibilem, obiectum clarè, & intuitiuè repræsentantem, debere illi proportionari, in repræsentatione: vt quantum ipsum, pro statu, situ, & conditione sua requirit, ita ab illa repræsentetur.* Hoc dictum probatur primò à posteriori: Quia vna, & eadem species, vel, saltè, eiusdem omninò rationis, vni intellectui plus repræsentat, quam alteri, pro diuersitate perfectionis in potentia; & eidem potentiæ, nunc magis, nunc minus repræsentat, pro diuersitate dispositionis, & attentionis: Iudicium hoc est non obscurum, vnamquamquè speciem, (quantum est de se,) suum obiectum adæquatè repræsentare, pro statu, in quo est; & totam diuersitatem prouenire à potentia, magis, vel minus disposita.

4 Secundò probatur à priori: Quia finis speciei intelligibilis est, vt sit Vicaria obiecti, ipsum repræsentando, in ordine ad quamcunquè potentiam: ad hoc autem opus est, vt ipsa proportionetur, in repræsentatiuitate, obiecto repræsentabili; alioquin non benè ipsa fungeretur vice obiecti; nec posset, quantum est ex se, determinare quemcũquè intellectum ad cognoscendum obiectum, prout interest: sed aliud requireretur: & hoc, vel esset quid distinctum ab obiecto, vel non; si primum, hoc est, quod dicitur species intuitiua: si secundum: ergò non datur species intuitiua illius obiecti: sed ipsum sibi sufficit ad determinandum intellectum quemcũquè ad se perfectè cognoscendum.

§. II.

5 Secundum dictum est: *Deum non posse repræsentari per speciem creatam, quantum ipse repræsentabilis est:* patet hoc: Tum quia impossibile est, vllam formam creatam esse, ita, repræsentatiuã Dei, vt ipse Deus sui ipsius: Sed si daretur aliqua species, ita repræsentatiua Dei, vt ipse est repræsentabilis, esset aliqua forma creata, ita repræsentatiua Dei, vt ipse sui ipsius; ergò, &c. 2. pars fundamenti.

6 Præterea: illa forma est impossibilis, cuius effectus formalis dicitur vndequaquè impossibilis: sed impossibile est, vt possit quilibet intellectus creatus esse actuatus ad cognoscẽdum Deum, quantum repræsentabilis est: quia, sic, illum posset comprehendere: ergò talis species dari non potest.

7 Tertium dictum: *Cuiuscunquè rei creata, & creabilis posse dari speciem intelligibilem intuitiuam*; Patet; quia omne creatum potest benè cognosci, quantum in se ipso cognoscibile est, ab intellectu creato. 3. pars.

8 Quartum, & vltimum Dictum: *quod, licèt sit liberum Deo, producere res, vel non producere: posito tamen, quod velit producere, non potest mutare rationes illarum. Itaquè, si velit alicuius rei speciem intuitiuam ipse per se producere; talem debet, qualem exigit natura, & essentia talis speciei, & obiectum repræsentabile*: alioquin enim si id, quod concurrit ad repræsentationem Dei, hoc haberet ex potentia obedientiali, & non ex natura sua; non posset appellari species; sicut nec simpliciter aqua dicitur sanctificatiua, licet in Baptismo purificet; quia id tantum habet, ex potentia obedientiali. Vlt. pars.

§. III.

9 Et si primò obijcies, contra hunc dicendi modum: species sensibilis coloris, intuitiuè ipsum repræsentans; non omnis, totum obiectum repræsẽtat, quantum est repræsentabile: ergo falsum est, de ratione speciei intuitiuæ esse talẽ adæquatam repræsentatiuitatem. Antecedens patet: nam, quo remotiores sumus ab obiecto, eo imperfectius illud videmus; & quo propius, eo perfectius videmus: ergo, cum sit eadem potentia; tota diuersitas est, ex diuersitate speciei sensibilis, quæ perfectius repræsentat in propinquo, quam in remoto. Occurritur obiectionibus contra hũc modum.

10 Re-

10 Respondere possunt authores huius modi dicendi; primo, hic esse sermonem de speciebus intelligibilibus, non sensibilibus: differunt autem istæ, inter se: quia obiectum sensibile pendet, etiam, in suarum specierum productione, a distãtia locali & aliis conditionibus, à quibus non pendet, vt sic, species obiecti intelligibilis.

11 Vel secundò; etiam verum esse, quod omnis species intuitiua obiecti sẽsibilis, tantum ipsa repræsentat, quantum ipsum postulat, pro statu, conditione, & distantia, in qua est: & quia intelligibile obiectum ab his conditionibus non coarctatur, nec situs, nec distantiæ, nec subiecti materialis; idcircò non sunt in illo tot varietates specierum intuitiuarum: quia species intuitiua Dei, vel Angeli, nõ determinatur, vt sit tantæ, vel tantæ repræsentatiuitatis; sed prorsus tantum repræsentat, quantum obiectum postulat; abstrahendo ab omni situ, & distantia, quia nullam habet.

2.obiectio. 12 Si secundò obiicias: Species repræsentans Angelo res materiales, intuitiuè, est multo perfectior specie, eas repræsentante Homini; ergo de ratione speciei intuitiuæ non est, vt quælibet tantum repræsentet obiectum, quantum ipsum repræsentabile est; nam species, repræsentans Homini, est intuitiua, & tamen non repræsentat tantum, quantum illa, quæ idem obiectum Angelo repræsentat: species enim, quam habet Homo, elicitur ab intellectu Agẽte & phantasmatibus, cum magno labore: species autem Angeli fit ab ipso Deo, non dependenter à phantasmatibus; sed immediatè tendens in ipsas nudas substantias materiales.

1. solutio. 13 Respondebunt; (quicquid sit de quæstione, An Homines in hac vita habeãt species intuitiuas, & quidditatiuas? &c.) concedendo, perfectiores esse species intelligibiles Angeli, quam Hominis: &, cum hoc, verum etiam esse, speciẽ intuitiuam, in Homine, talem esse, qualem requirit repræsentatiuitas obiecti, comparati ad talem suum modum essendi, & ad talia phantasmata, ex quibus debent eligi species. Vt enim color, in tanta distantia, postulat talem speciem; ita substantia materialis, vt relucens in phãtasmate, postulat talem speciem. Vnde non negant ipsi, posse eiusdem obiecti esse plures species intuitiuas; Sed aiunt, in omni obiecto, tantæ repræsentatiuitatis esse debere speciem, quantæ repræsentabilitatis est obiectum, pro statu, & conditione, in qua est.

14 Vel secundò; duplicem esse cognitionem intuitiuam: alteram claram, distinctam, & quidditatiuam: alteram verò confusam, & indistinctam: cum sermo est de priori, omnis species intuitiua, ordinata ad obiectum, clarè, distinctè, & intuitiuè repræsentandum, ita ipsum debet repræsentare, quantum, ex se, illud obiectum repræsentabile est; (quicquid sit de specie, ordinata ad non clarè, & distinctè repræsentandum.) quod si aliqua sit differẽtia, ea prouenit, non ex parte speciei, sed subiecti, & potentiæ. 2. solutio.

15 Si tertiò obiicias. Intellectus agẽs potest elicere species intuitiuas, quæ non sunt tantum repræsentatiuæ, quantum obiectum est repræsentabile; ergò & hoc poterit Deus. Occurritur tertiæ.

16 Respondebunt; antecedens loqui, & esse verum de specie intuitiua, quæ nõ repræsentat clarè, distinctè, & quidditatiuè obiectum; (iuxta dicta in superiori solutione.) Vel secundò, speciem intelligibilem intuitiuam dupliciter posse perfectiorem esse alia specie, similiter intuitiua; vno modo, formaliter, in ordine ad repræsentatiuitatem: alio modo, quasi materialiter, in ordine ad conditiones repræsentandi: primò modo, aiunt, omnem speciem esse æquè perfectam; si sit sermo de illa, quæ repræsentat clarè, distinctè, & quidditatiuè: secundò modo, non item: quia vna potest celerius, ac firmius repræsentare. 1. solutio. 2. solutio.

17 Si quartò obiicias; quod licèt obiectum quodlibet postulet talem speciem repræsentatiuam eius, quantum ipsũ repræsentabile est; & hoc, ex exigentia naturæ suæ; tamẽ liberum est Deo, illam producere sic, & sic temperatam: vt, licet ignis postulet calorem: potest tamen Deus, sine vllo calore, ignem producere. Occurritur quartæ.

18 Respondebunt; non posse Deum mutare essentias rerum; Vnde, posito, quod species intuitiua postulet esse repræsentatiuam obiecti, quantum ipsum obiectum repræsentabile est: quicquid faciat Deus, absquè tanta repræsentatiuitate, non erit species intuitiua; Verum tamen est, posse facere Deum, quod illa species, quæ essentialiter est talis repræsentatiuitatis, actu non repræsentet, secũdum totam vim suam repræsentandi, impediendo actum secundum illius; non autem poterit facere Deus, quod, relicta illa specie naturæ suæ, non repræsentet Solutio.

obie-

obiectum suum, quantum omninò est repræsentabile. Quemadmodum, optimè posset Deus producere ignem sine calore actuali: non tamen facere posset, quod ignis non esset, ex sui natura, calefactiuus: ita vt, si relinqueretur postea suæ naturæ, non calefaceret, etiam, in actu secundo.

Occurritur 5. 19 Si tandem obijcias quintò: Visio Beatifica est perfecta repræsentatio intuitiua Diuinæ Essentiæ: non tamen illi adæquatè respondens, vt tantum repræsentet illam, quantum repræsētabilis est; ergò de ratione intuitiuæ repræsentatiuitatis non est hæc adæquatio.

Solutio. 20 Respondebunt: duplicem esse repræsentationem; alteram formalem, & expressam; alteram antecedentem, & impressam: formalis, & expressa est ipsamet intellectio in facto esse, quæ dicitur Verbum, (de quo suo loco:) quæ species non debet proportionati repræsentabilitati obiecti, cum se teneat omninò ex parte potentiæ: antecedens verò, & impressa, tantum, proportionatur obiecto, vel absolutè considerato, vel in talibus conditionibus.

Cōclusio huius sentētię. 21 Concludunt ergò Authores huius modi dicendi, hanc speciem implicare, non ex parte repræsentatiuitatis, præcisè; sed ex parte talis repræsentatiuitatis, qualis debet esse in specie intuitiua, quæ non potest, respectu Dei, esse in vlla entitate creata. Quam rationem videtur attigisse D. Tho. tum ar. 2. quæst. 12. tum in 4. dist. 49. & alijs locis, in quibus docet, non posse dari speciem, qua videatur Dei Essentia intuitiuè: quia omnis entitas creata in infinitum deficit à Diuina Essentia. Quod non est intelligendum, de defectu per comparationem inter entitatem, & essentiam: nam certum est, non debere speciem intelligibilē proportionari, in entitate absoluta, suo obiecto; cū species naturaliter sit accidens; & obiectum, vt plurimum, substantia, quæ maximè distant. Sed benè intelligi debet de defectu à repræsentabilitate obiecti. Vnde supponit, quod si aliquid videatur intuitiuè per aliud, vt per speciem, illud debet, per talem speciem, repræsentari secundum omnem repræsentabilitatem; legatur Nazar. super illum ar. 1. quęst. 12. controuer. 1. per totam.

D. Thom.

Nazar.

CAPVT III.

In quo refertur sententia asserens, Possibilitatem Speciei in Visione Dei.

§. I.

1 Oppositum communius est in Scholis; nimirum, non implicare contradictionem, speciem creatam intelligibilem impressam, per quam intellectus creatus, in Patria, Deum intuitiuè, & clarè videre possit. Ita necesse est doceant, qui de facto Deum per hanc speciem videri fatentur. Et Herrera in 1 Scoti disp. 10. q. 4. ar. 1. in principio, & ad secundum principale affirmat, in ea sententia conuenire omnes Scotistas; consentit Rada in 1. part. contr. 10. ar. 1. concl. 3. Mayron. quodl. 4. in 6. difficul. ait, non dari rationem euidentem, quæ huius speciei impossibilitatem probet. Illam amplectuntur apertè Molin. Suar. Vasq. Valen. Pezant. Palarius, Putean. & innumeri alij.

Communior sententia.

Herrer.

Rada. Mayron.

Molin. Suar. Valen. Vasq. Pezant. Palarius, Putean.

2 Hæc sententia multifariam solet ab eius Patronis probari: Nos tamen relictis facilioribus rationibus, eas dumtaxat adducemus, quæ aliquam vim videntur habere efficaciæ. Prima ergò ratio sit. Quotiescunquè, intra eundem ordinem, possibilis est actus creatus repræsentans aliquod obiectum; & præterea, possibilis est virtus creata intellectualis elicitiua talis actus, non videtur impossibilis species intelligibilis creata eiusdē ordinis, commensurata tali actui, & virtuti. Sed possibilis est intellectio creata ordinis diuini, tendens in Deum, prout in se est: possibilis est etiam virtus intellectualis eiusdem ordinis elicitiua talis actus, quæ est ipsum lumen gloriæ, (vt infra dicam;) ergo non videtur impossibilis species creata eiusdem ordinis. Minor cum consequentia patent manifestè: Maior verò, in qua est difficultas, probari potest inductione: est etenim vera in omnibus alijs intellectionibus, respectu omnium aliorum obiectorum: ergo non est cur aliud dicamus de intellectione Dei, prout in se est. Et confirmatur; quia nulla ratio impossibilitatis fingi potest in specie, quæ in actu, & virtute illa intellectiua non procedat: visio enim, lumen,

1. ratio pro illa.

Confirmatur

& species seruant inter se proportionem: igitur sicut datur lumen superioris ordinis, quod ex parte potentiæ potest esse principium visionis, ita potest dari species, quæ ex parte obiecti sit principium eiusdem visionis, & eiusdem ordinis cum illa, illiquè commensurata.

§. II.

Aegid. Lusit. iudicium de hac ratione.

3 LVsitanus lib. 8. 2. p. q. 2. art. 2. §. 1. num. 4. ait, hanc rationem non esse omninò efficacem: non enim est par ratio (inquit) de proportione inter speciem, actum, & virtutem, in ordine ad obiectum creatum; & in ordine ad obiectum increatum. Et rationem huius disparitatis assignans, ait: nam obiecta creata, quæ sunt extra intellectum, cum non possint, se ipsis, vicem speciei subire, & intellectum sibi assimilare, vt illum in actu primo reponant, necessariò indigēt specie impressa, qua intellectum in actu primò constituant; cuius oppositum reperitur in obiecto increato Diuinæ Essentiæ: hæc enim non solum, se ipsa, absq; Verbo creato, potest visionem sui terminare; sed etiam vicem speciei subire, & intellectum reponere in actu primo ad eliciendam visionem. Quarè, licet valeat hæc consequentia, etiam in ordine ad obiectum increatum: *Possibilis est potentia, & virtus intellectualis, valens intelligere obiectum: possibilis, item, est actus, quo illud intelligatur: ergo possibilis est, vel species formalis talis obiecti, vel aliquid, quod subeat vicem speciei.* Non tamen valet, si inferatur: *ergò possibilis est species formalis, repræsentans tale obiectum:* quia possibilitas virtutis, & actus saluatur cū impossibilitate speciei formalis; posita possibilitate alicuius, quod se habeat ad instar speciei. Quarè, absolutè loquēdo, inquit, possibilitas speciei Diuinæ Essentiæ non satis sufficienter ostenditur ex possibilitate virtutis intellectiuę & actus intelligendi, in ordine ad Diuinam Essētiam: possibilitas enim virtutis, & actus tunc infert possibilitatem speciei, cum talis possibilitas, sine possibilitate speciei, constare non potest; & inde etiam habent commensurationem ad speciem. Quam impugnationem, non ex proprijs fundamētis, adducit Lusit. sed ex Aduersariorum: ipse enim, vt vidimus, alia incedit via.

Non placet.

4 Sed certè inefficax est hoc, quod dicitur; neque vim superioris rationis eneruat. Conuinceret quidem, quando Diuina Essentia se vniret mentibus Beatorum naturaliter, & necessariò: at quia liberè se vnit immediatè, posset etiam liberè non se vnire immediatè, per modum obiecti intelligibilis; sed media specie creata: cum enim sermo est de possibilitate alicuius rei, non debemus illam arguere ab eo, quod de facto est; sed ex eo, quod fieri potest, non seruato hoc rerum ordine, qui de facto seruatur: Vnde aliud est dicere, non esse necessariam simpliciter huiusmodi speciem, sicuti necessaria est in intellectionibus obiectorum creatorum, quæ nequeunt, se ipsis, vniri potentijs: aliud verò, nullo modo posse dari: præcedenti discursu primum tantum concluditur, non posterius. Quemadmodum, si quis petat. An de potentia Dei absoluta fieri possit, vt igne debitè approximato combustibili, aqua combustibile comburat? & respondeatur, id implicare contradictionem; nam ignis, de se, est combustiuus, & sic, debitè approximatus passo, illud sua actiuitate comburet: & ex consequenti nō potest Deus facere, quod aqua comburat illud combustibile ad præsentiam ignis.

5 Hæc, inquam, responsio futilis omninò esset; nam cum loquimur de potentia Dei, non supponimus ordinarium causarum cursum; sed alium superiorem, & miraculosum: in eo erenim casu, Deus desineret concurrere cum igne ad combustionem: (Si quidem liberè cum causis secundis concurrit, & non necessariò; & si concurrat cum illis secundum earum indigentiam;) & assumeret aquam, vt instrumentum superioris ordinis, ad eundem effectum præstandum in combustibile, quem præstaret ignis, si eius naturæ relinqueretur, & Deus cum illo concurreret, iuxta suæ naturæ exigentiam. Ita à simili, certum est, Deum, de facto, se ipso, immediatè vniri intellectui Beatorum, ad visionem beatificam producendam, (prout dictum est supra.) Cæterum, quia non necessariò id facit, sed liberè; posset, de potentia absoluta, non immediatè se vnire, in ratione obiecti intelligibilis; & producere speciem, qua media posset Beatus Diuinam Essentiam intueri.

6 Se-

§. III.

2. Ratio huius sententiç.

6 SEcunda Ratio est satis communis: existimatur enim ab omnibus satis efficax; & desumitur ex hipothesi de specie expressa: nàm qui expressam speciem negant, nihili faciunt hoc argumẽtum; est autem ratio: quia assignari nõ potest ab Aduersarijs, quæ maior repugnantia sit in specie impressa, quam in expressa: sed datur expressa: ergò & poterit dari impressa.

Variè solui- tur à Thomistis.

7 Ex Thomistis, qui expressam speciem admittunt, valdè hac ratione torquentur; & sic diuersimodè nituntur vim eius elidere. Et Primò aliqui, in eo disparitatem inter speciem impressam, & expressam censent esse collocandã: Nàm species impressa debet esse spiritualior, ac purior suo obiecto; vt inductione patet in reliquis speciebus obiectorũ creatorum: non item expressa.

1 Solutio.

8 Quod si petas: cur impressa species immaterialior suo obiecto esse requiritur; expressa verò nequaquam? Respondet Sotus in 4.dist.49.q.2.art.3. post secundam conclusionem *§. Respondetur igitur alitèr*; quia species impressa se tenet ex parte obiecti: expressa verò ex parte potentiæ tantum.

Sot.

Nõ satisfacit

9 Sed quia, nisi aliud addatur, deficit hæc responsio; vlterius enim quæri posset: cur species impressa, ex eo quod se teneat ex parte obiecti, debet esse spiritualior illa, quæ se tenet ex parte potẽtiæ; Si vtraque species habet idem obiectum repræsẽtare; & expressa perfectius repræsentat, quàm impressa, vt suo loco dicam?

10 Cui addo, speciem impressam repręsentatiuam Angeli in alio Angelo, nõ esse ipso Angelo puriorẽ. Quod si de speciebus obiectorũ materialiũ id verũ est; ideò hoc est, quia impuritas, & materialitas obiecti in causa est, vt nequeat intellectui vniri: cũ intellectus sit potentia spũalis, & materiale nequeat in spirituale agere; vnde necesse est, intellectum moueat, & in illum agat media specie spirituali, vt sic commensurari valeat, & proportionari tali potentiæ: quod si obiectum sit purum ab omni materialitate, & sit spirituale; in tali casu non obstabit eius impuritas ad hoc, vt possit in intellectum agere.

Pos eadem solutione.

11 Ideò, vt aliquã vim habeat superior Soti solutio, sufficiet, si pro ea dicatur; quod species impressa debet esse, saltem, æquè pura, ac suum obiectum, si illud spirituale sit, propter rationẽ à Soto assignatam; nimirum, quia species impressa se tenet ex parte obiecti; expressa, verò, ex parte potentiæ. Et huius disparitatis posset assignari ratio, quam forsan attigit Ferrar. 1. cont. gent. c.53. conc.5. Quia species impressa obiecti spiritualis, cum eius vices gerere debeat, vti obiecti Vicaria, nequit esse suo obiecto impurior; sed vel eo purior, vel saltem æquè pura: de specie autẽ expressa non est par ratio: cum enim ipsa non se teneat ex parte obiecti, nec sit Vicaria ipsius; sed omninò se habeat ex parte intellectus, sufficit potiatur puritate actus vitalis intellectualis. Cumque implicet, dari speciem aliquam creatam, quæ eadem puritate, ac spiritualitate potiatur, qua Deus ipse potitur, qui omni spiritualitate est spiritualior, & actualitate purissima quacunque, est purior: implicabit etiam, dari ens creatum puritatis, ac spiritualitatis æqualis cum ipso Deo. Ferrar.

§. IV.

12 SEd certè totũ hoc gratis asseritur: tùm quia, de rõne speciei impressæ non est, quod sit æquè pura, vel non minus pura, ac suum obiectum: sed sufficit immaterialis sit, vt possit subiecto spirituali inesse, nempè, intellectui: in tantũ enim species reliquorum obiectorum materialium purior est ipsis obiectis; in quantum, cum hæc impura sint, & materialitatibus immersa, &, vt sic, nequeant in intellectum agere, qui est potentia spiritualis; ad hoc vt fiant intellectui præsentia, & in illum agant, necesse est id efficiant, media specie puriori: data autem quacunque specie denudata à conditionibus materialibus, illa proculdubio poterit intellectui inesse, absque eo, quod requiratur tanta, vel tanta puritas in illa. Nihilominus reijcitur.

13 Tùm etiam: quia, cum omne recipiens se habeat per modum recipientis; & species debeat recipi in intellectu, tanquã in suo proprio subiecto; potius eius puritas est per ordinem ad intellectum cõmensuranda; nec intellectus, cui inest, puritatem, ac spiritualitatem superare debet; sed, ad summum sufficit, sit æquè pura, ac ipse intellectus; quam rationem videtur attigisse Molin. art.2. disp.1. post 4. concl. *§. Ratio verò est.* Molina.

14 Tum Tertio, quia vel talis species

debet esse æquè puta, ac obiectum suum, in essendo; vel in repræsentando; non in essendo: nàm puritas accidentis, nequit æqualis esse eum puritate substantiæ spiritualis, quæ, ex suo genere, spiritualis est; omnis autem species est accidens: si in repræsentando, nulla est difficultas; eo enim modo, quo dicimus, speciem hominis esse hominem, in repræsẽtando; speciẽ Angeli esse Angelum, &c. ita etiam dicimus speciem repræsentantem Angelum purissimum esse in repræsentando eiusdem puritatis, & spiritualitatis; & in hoc nullum discrimen cum specie expressa.

15 Tum tandem conuincitur falsitatis illa ratio: quia species impressa, quæ in Angelo inferiori repræsẽtat Angelum superiorem, certum est, non posse esse, in Angelo inferiori, æqualis spiritualitatis, ac puritatis cum puritate, ac spiritualitate Angeli repræsentati; siquidèm debet commensurari eius subtilitas, & immaterialitas cum subiecto, in quo recipitur: extra autem omnem controuersiam est, Angelum inferiorem non esse paris subtilitatis, atque Angelum superiorẽ; & ex consequenti, neque id, quod in illo recipitur.

§. V.

Alia solutio Soti.

16 Adhibet & aliam Sotus disparitatem, inter speciem impressam, & expressam; Vndè infert, non implicare expressam, sicuti impressam: quoniam species impressa ita repræsentat rem, vt eius repræsentare sit efficere cognitionẽ illius: quod non cõuenit speciei expressæ; siuè ea verbum dicatur; siuè actualis intellectio: quia nec verbum, repræsentando, efficit cognitionem rei, cuius est verbũ; nec ipsa actualis intellectio, Implicat autem, creaturã aliquam ita posse repræsentare Deum, vt repræsentando, efficiat illius visionẽ: fieret enim, vt creatura posset efficientèr nos beare; quod, esse absurdum, inde probari potest: quia sicut fieri nõ põt creatura, quę, ex sua natura, faciat gratiã, & amicitiam cũ Deo; quãuis, & gratia, & amicitia sint res creatę: ita fieri nequit creatura, quæ efficiẽtèr faciat, aut Visionem Dei, aut Verbum illius; quamuis vtrumque sit creatum. ita Soto loco supra citato, & etiam *§. Et similiter respondetur*; quem sequitur Torres de Trinit. q. 27. art. 1. disp. 5. in 2. pat. illius dub. 4.

Torres.

17 Lusit. 2. par. lib. 8. q. 2. ar. 2. §. 5. n. 26 Suar. cap. 13. n. 16. Molin. art. illo 2. disp. 1. post 4. conclus. *§. Ad rationem igitur*. Pezant. ibid. disp. 1. in 3. dicto, Salas 1. tom. ad primam secundæ tract. 2. disp. 5. sect. 2. nu. 21. in 1. solut. & communitèr omnes Recentiores, hanc doctrinam reijciunt. Et iure quidẽ, si enim aliquid valeret hęc ratio, è medio etiam tolleret lumen gloriæ, quod efficientèr concurrit ad eandẽ Visionem beatificam. Item necesse foret fateri, neq; intellectum Beati efficere Visionem. Quorum neutrum concedẽt Sotus, & Torres.

Impugnatio ex Lusit. Suar. Molina. Pezant. Salas.

18 Neque exemplum de Gratia, & Charitate est ad propositũ: nàm (vt optimè Suar.) dispar est ratio de actu secũdo, & de actu primo: respectu enim actus secundi, qui, ex natura sua, pendet effectiuè à potentia creata, potest dari aliquod connaturale, per modum actus primi. At verò respectu ipsiusmet actus primi, per se infusi, non datur aliud principium: Tùm quia non datur alius actus primus prior illo; Tùm quia produci nõ potest à suo simili: quia nullus habitus est effectiuus alterius habitus similis. Tùm tandem quia produci nõ potest per actus ab ipso manantes, sicuti reliqui habitus naturales acquisiti dicũtur producti, cum sint habitus infusi à Deo.

19 Quod si adhùc dicatur; non consistere implicantiam in eo, quod nos efficientèr posset illa species beare, vt sic, & absolutè: nàm etiam lumen gloriæ, & intellectus efficientèr cõcurrunt ad Visionem beatificam, vt optimè dictũ est: Sed in eo, quod nos efficiẽter bearet illa species, tenens se ex parte obiecti; quod solius est Dei, qui solus est nostra Beatitudo obiectiua.

Aliud effugium.

20 Sed certè nullum est hoc effugiũ, quod tunc valeret, quando ipsa species impressa esset obiectum motiuũ, & terminatiuũ intellectionis beatificæ; itaùt ipsa esset *qua* videretur, & in cuius visione nostra consisteret beatitudo; quo pacto dicitur *Deus* beatitudo nostra obiectiua: Cæterum species impressa non est id, *quod* videtur: sed potius medium, quo obiectum videtur, ipsa specie non visa; & sic cessat implicantia.

Improbatur.

§. VI.

21 Alij ideò implicare speciem impressam Dei, censent, non verò expressam: quia si daretur impressa, dari non

Altera solutio Thomistarum.

non posset expressa: vel saltem non esset expressa species Dei similitudo; quod implicat;ad hoc autem;vt hæc implicantia tollatur, omninò neganda est, etiam de possibili, species impressa. Hoc autem dictum sic explicant. Negari non potest, in visione Beata dari speciem expressam creatā,quæ est formalis similitudo Dei: hæc enim est ratio, & natura speciei expressæ, esse similitudinem formalem sui obiecti. Vt autem species expressa Dei sit formalis similitudo Dei: necesse est, immediatè procedat ab ipsa Essentia Dei: & ratio est: quia nulla res creata posset conferre formalem similitudinem Dei,eiusquè propriam,nisi Deus ipse; Vndè in tantum species expressa, quam Beati efformant de Deo, est própria,& formalis Dei similitudo, in quantum manat ab ipsamet Essentia Dei,immediatè intellectui Beatorum vnita,in ratione obiecti intelligibilis, & principij coefficientis ipsam visionem. Quod si daretur species impressa Dei, tunc species expressa non dimanaret immediatè ab Essentia, sed ab illa qualitate creata, & ab intellectu; quæ,cum dare non possent formalem Dei similitudinem,non posset ipsa species expressa esse Dei propria similitudo;& ex consequenti,nec esset species expressa,de cuius ratione est, quod sit formalis similitudo obiecti. Vndè optimè ponitur in visione Beata species expressa,non verò impressa,ita videtur annuere Ferrar. 1. con.gen.cap.53. Ferrar.

Occurritur obiectionib' ad eam tuendam.

22 Quod si dicas;Illa species impressa, si daretur,produceretur etiam immediatè à Deo; & sic, posset Deus illi tribuere sui propriam, ac formalem similitudinem, vt eam communicaret speciei expressæ.

Ferrar.

23 Respondet Ferrar. (teste Suar. nu. 17.)hoc non fore satis:quia posita specie impressa, oporteret, speciem expressam non esse immediatè à Deo: sed ab hac specie creata: Et hæc est repugnantia: Hoc idem discrimen assignasse Siluestrū in Conflato q.12.art.2.versiculo, *Item §. eodem pro quarta ratione*, refertur à Lusit.nu.18. Videntur enim hi Doctores (ni fallor) sentire, in tantum speciem expressam, de facto,esse formalem,ac propriam Dei similitudinem, in quantum ab ipsa Diuina Essentia immediatè dimanans, ab ea infinitatem consequitur, vt distinctè possit essentiam infinitam repræsentare: non autem hanc infinitatem habere posset à specie impressa creata. Siluest. Lusit.

24 Quod si quæras ab his Doctoribus: Cur species expressa,de facto dimanans immediatè à Diuina Essentia, quāuis entitas creata sit,habeat esse perfectā similitudinem Dei;& species impressa, vel etiam expressa,non immediatè à Diuina Essentia,sed à specie impressa,si daretur,non possint esse tales? Petitio

25 Respondet Siluester: quia species expressa semper retinet imitationem speciei,à qua exprimitur:Vnde cum Verbū, quod de facto datur in Beatis, exprimatur immediatè ab Essentia Diuina, quæ, se ipsa,se repræsentat,eandem cum illa habet imitationem, & repræsentationē: species autem impressa non habet vnde sumat hanc repræsentationem rei infinitæ: nec id haberet illa species expressa, quæ dimanaret immediatè ab aliqua qualitate creata, si daretur, quæ esset Vicaria Essentiæ Diuinæ. Ita Siluester. Resp. Siluest.

Superior doctrina reducitur ad formam.

26 Quæ tota doctrina reduci posset ad hoc argumentum in forma;vt facilius vis illius percipiatur.Sicuti implicat,neutram speciem in visione Dei assignare; expressam, scilicèt,& impressam; ita implicat, vtramquè simul dare: Sed negari non potest expressa; ergo necessario neganda est impressa.Consequentia est euidens: minor supponitur à nobis vera, & infra demonstrabitur. Maior,in qua est difficultas,probatur. Et quo ad priorem partem,ex suppositione minoris,de specie expressa,illa certissima est. Quare tātum probanda restat secunda pars, qua dicitur implicare,vtramquè simul speciē in visione Dei dare. Illa autem sic probatur,ex superiori doctrina: De ratione speciei expressæ est, quod sit formalis similitudo obiecti sui: sed si daretur species impressa in visione Diuinæ Essentię, vel nulla daretur species expressa, quod est contra suppositum:vel si daretur, qualitas illa creata, quæ species expressa dicitur,non posset esse formalis similitudo Dei; & ex consequenti, non posset dici species expressa; de cuius ratione est, quod sit formalis similitudo obiecti: ergo implicat, vtramquè dari in visione Dei. Maior cum cōnsequentia patent. Minor verò probanda est; & sufficit probetur, quod data tali specie impressa,nil dari posset in visione Dei,quod esset formalis similitudo Dei, & ex consequenti species expresa:probatur autem sic. In tantum, de facto, species expresa, quæ datur in Beatis, est formalis similitudo Dei,in quantum immediatè dimanat ab ipsa

ipsa Essentia Diuina, intellectui Beatorum, per se ipsam, vnita per modū obiecti intelligibilis; a qua Diuina Essentia consequitur ipsa expressa species quandam infinitatem, vt possit esse formalis similitudo obiecti infiniti: Sed, data specie impressa, non posset expressa consequi ex ea illam infinitatem ad repræsentandum formaliter obiectum infinitum; ergo, &c. Maior supponitur vera à Siluest. Minorem verò sic probat: Quia species expressa retinet imitationē speciei, à qua exprimitur; ergò, cum de facto exprimatur ab ipsa Essentia Diuina, ab ea habet formaliter repræsentare obiectum infinitum; quia infinita est; quæ verò dimanaret à specie creata, & finita, retineret imitationem illius, & ex consequenti, cum ab ea non fortiretur aliquam infinitatem, non posset esse formalis similitudo Dei. Hæc est tota vis doctrinæ Ferrar. & Siluestri.

Not. non benè Suar. & Lusit. tribuere superiori solutioni petitionē principij.

27 Quam volui, non ab re, hic in hos terminos, & in hanc formam reducere, propter Suar. & Lusit. locis cit. & Salas. cit. supra n. 17. qui volunt, in superiori discrimine, quod assignatur inter speciem impressam, & expressam à nominatis Doctoribus; ex quo conceditur ab ipsis in visione Dei, expressa, & non impressa, peti principium: Ego tamen non video, in quo talis principij petitio sita sit: optimè namquè currit in forma totum argumentum; vt ponderanti singulas propositiones, parebit facilè. Et certè non est, modus hic defendendi speciem expressam, negando impressam, adeo spernendus: habet enim non nihil probabilitatis, & forsan maioris reliquis alijs: Ad minimum, non ita facile impugnatur.

§. VII.

Impugnatur tamen.

28 QVarè, quicquid sit de impugnatione Suar. & de his, quæ congerit contra hanc doctrinam Lusit. à nu. 29. vsquè ad 33. Ego arbitror, non leue argumentum posse desumi cōtra hūc modum dicendi Ferra. & Siluest. ex illa probatione minoris secundi syllogismi; & præcisè, ex maiori illius propositione, vbi dicitur. *In tantum, de facto, species expressa, quæ datur in Beatis, est formalis similitudo Dei, in quantum immediatè dimanat ab ipsa Essentia Diuina, intellectui Beatorum, per se ipsam, vnita per modum obiecti intelligibilis; à qua Essentia Diuina consequitur ipsa expressa species quandam infinitatem, vt possit esse formalis similitudo obiecti infiniti.* Quæ propositio, si falsa probabitur, ruet tota illius rationis, & doctrinæ machina, quæ supra eam fundata videtur. Duo autem dicit; primum est, *Speciem expressam habere esse formalem similitudinem obiecti sui, nempè Dei, in visione Beata, ex eo quod immediatè dimanat ab ipsa Diuina Essentia, intellectui Beatorum, per se ipsam, vnita per modum obiecti intelligibilis.* Secundum verò est, quasi quædam probatio prioris; nimirum; *In tantum illam speciem expressam habere esse formalem similitudinem Dei, in quantum consequitur à Diuina Essentia infinitatem quandam, sine qua non posset Deum, propriè, et formaliter repræsentare: sed nisi immediatè dimanaret ab Essentia Diuina, non cōsequeretur infinitatem illam; ergo nisi immediatè dimanaret ab Essentia Diuina, non haberet esse formalem similitudinem Dei, obiecti infiniti.*

29 Prima pars vniuersaliter falsa est, vt patet: nam species expressa, quæ datur in reliquis omnibus intellectionibus, (excepta beata,) profectò est formalis similitudo sui obiecti, & tamē certum est, nullam illarum immediatè dimanare ab ipso obiecto, sed à specie impressa, quæ supplet vicem obiecti: ergo ad hoc, vt species expressa propriè, & formaliter repræsentet obiectum, non est necesse dimanet immediatè ab illo. 1. pars falsa ostenditur.

30 Quare tantum intelligi potest de specie expressa Beata, in quātum est formalis similitudo obiecti infiniti, quæ requirit dimanare immediatè ab ipsa Essentia Dei infinita, à qua habeat infinitatem, vt possit esse repræsentatiua formaliter talis infiniti obiecti.

31 Contra hoc igitur sic insurgo primò. Nam vel hæc sententia intelligit, speciem expressam de facto in Beatis consequi à Diuina Essentia aliquam infinitatem intrinsecam; vel tantum extrinsecam, & obiectiuam; nō intrinsecam, quia sequeretur, nō posse dari vnam visionem beatam alia perfectiorem, quod est contra totam Theologiam: Et probatur sequela; nam (vt infra suo loco dicam,) species expressa nil aliud est, quàm ipsa visio in facto esse: quod si esset intrinsecè infinita talis species expressa, cum vnum infinitū non sit alio maius, ac perfectius, intra idem genus; sequeretur, quod vna visio Beata non posset esse perfectior alia. Si autem sit sermo de infinitate extrin- 2. etiam improbatur.

trinseca,& obiectiua;huiusmodi infinitatem non habet species ex eo, quod immediatè manat ab Essentia Diuina, præcisè: hoc patet: nam omnes actus supernaturales,qui habēt pro obiecto Deum; etiam si dimanent ab habitu, dicuntur habere eamdē infinitatem extrinsecam, & obiectiuam,vt actus amoris Dei,spei, &c.qui immediatè dimanant ab Habitibus Charitatis, Spei, &c.

Confirmatur impugnatio.

32 Et confirmatur: nam etiam peccatum dicitur, hoc modo, infinitatem habere obiectiuam: sed dici non potest illam habere ex eo, quod immediatè dimanat à Deo:nam esset hæresis:ergò in quantum est offensa Dei. Ergo,etiam si species expressa non dimanaret immediatè ab ipsa Essentia Diuina, esset hoc modo infinita,ratione obiecti infiniti.Et ex consequenti, si ratione huius infinitatis haberet species expressa, quod sit formalis similitudo Dei: etiam si non procederet immediatè ab Essentia Diuina, sed à specie impressa eius Vicaria; quia, hoc non obstante, illam infinitatem haberet; esset profectò similitudo propria, & formalis Dei.

2.ratio cōtra eundem modum dicēdi.

33 Secundò insurgo; Quia Diuina Essētia non se vnit intellectui Beato per modum obiecti intelligibilis, quatenus infinita est; itaut,vt sic moueat intellectum, & cum illo coefficiat visionem; sed tantum, vt quid repræsentatiuum sui ipsius: ergo,in quantum ab ipsa dimanat species expressa,nequit cōsequi aliquam infinitatem; sed tantum repræsentatiuitatem illius.Consequentia patet:nam effectus nequit habere plus entitatis, quā habeat causa actiuitatis erga illum: cūq; Diuina Essentia non concurrat ad productionem speciei expressæ, actiuitate infinita;sequitur,quod,ex vi talis causalitatis, nequeat ipsa expressa species aliquid infinitatis habere. Maior vero probatur,ex eo,quod Diuina Essentia non se vnit intellectui Beatorum, quatenus *est*, præcisè; sed potius quatenus *vult*; accommodando se capacitati creatæ: & sic, illa ratio, qua Diuina Essentia concurrit ad visionem; licet elicitiuè sit à se ipsa,quatenus *est*; & sic,naturalis,quoad specificationem: tamen imperatiuè est ab eadē,quatenus *vult*; & ex consequenti,dependens à libera eius voluntate; vnde habet,quod sit libera, quoad exercitium.

Vlt. ratio.

34 Tertiò tandem insurgo: quia,sublata hac ratione infinitatis, non est, cur impossibilem iudicemus impressam speciem in visione Beata, ex vi superioris doctrinæ Ferrar. & Siluest. patet:nam, quicquid sit de illa propositione;nempè; quod *species expressa semper retineat imitationem speciei impressæ,à qua dimanat,* cū nil aliud requiratur in specie expressa,quam formalis repræsentatio obiecti, iuxta eorummet sentētiam;& hanc optimè reliquæ omnes species expressæ rerū creatarum consequantur, non immediatè ab ipsis obiectis, per se ipsa, vnitis intellectibus; sed à speciebus impressis:cōsequens est, posse etiam speciem expressam Beatam hanc formalem similitudinem Diuinæ Esētiæ consequi ab aliqua specie impressa, ab ipsomet Deo creata, vt sui Vicaria. Nec immotor hic in examinando: An species expressa retineat eandem imitationem speciei impressæ? & An habeat, quod sit formalis similitudo obiecti,ex eo, quod dimanet à specie impressa? & alia, quæ iure possent controuerti ex his,quæ congeruntur in superiori doctrina Ferrar. & Siluest. dicta enim sufficiunt pro impugnatione huiusmodi defendendi implicantiam speciei impressæ in visione Beata,cuiuscunquè ille sit; nam Lusit. aliter intelligit Ferrariensem; licet hunc modum adducat diuisim.

§. VIII.

35 ALij tandem existimant, forè desumendam rationem discriminis inter vtramquè speciem, impressam, scilicèt,& expresā: quia species impressa repræsentat obiectum, adæquatè, & comprehensiuè: at species expresa non est necese,vt adæquatè repræsentet. Et ratio est: quia species impresa nil habere potest,à quo limitetur,vt inadæquatè repræsentet obiectum suum; cum postulet, ex se, & sua natura, vt exeat ab obiecto,quatenùs obiectum est: Vnde debet esse tanta, quantum illud:Species tamen expresa non exit ab obiecto, quatenus in se est, sed tantum,quantum cognitum est;ac proindè,species expresa naturam cognitionis imitatur;imò est ipsa cognitio:cognitio autem non solum limitatur à virtute finita intellectus Beati,sed etiā a lumine gloriæ: quia tantum exprimit de Diuina Esentia, quantum illuminatur; & sic,non est necese,quod adæquatè,& comprehensiuè repræsentet.Cumq; implicet,dari quid creatum tantum quātum

3.solutio pro Thomistis.

tum ipse Deus est, & quod Deum adæquet, & comprehendat; fit, vt species impressa Dei creata implicet, non tamen expressa.

Impugnatur à Lusit.

36 Contra hanc doctrinam insurgit Lusit. q. 2. ar. 6. §. 2. n. 13. dic: obiectum speciei non specificat speciem, vt res est; sed vt obiectum est, formaliter: nam & hoc modo specificat, tùm intellectum, tùm actum intelligendi: est autem formaliter obiectum, prout est intelligibile, & secundum rationem intelligibilem, secundum quam cognoscitur, & repræsentatur. igitur obiectum infinitū non specificat speciem suam, vt res est; sed vt intelligibile est; & secūdum rationem intelligibilem, secundum quam repræsentatur: hæc autem, in ordine ad intellectum creatum, non est infinita, & adæquata, in cognoscendo; seu in modo cognoscendi; sed inadæquata, & finita; sicut etiàm inadæquata, & finita, in ordine ad visionem; specificat, igitur, non vt est intelligibile infinitum, sed solum vt est finitum, quoad repræsentari, & cognosci; quia repræsentatur, secundum limitatas intelligibilitates; non in essendo, (quia quælibet illarum, in essendo, est infinita) sed in modo, quo cognoscuntur, & repræsentantur; qui est limitatus, inadæquatus, & finitus. Itaquè, ait, obiectum infinitum, vt est intelligibile ab intellectu creato; quamuis, quoad esse, sit infinitum; non est tamen tale, quoad cognosci, & repræsentari, sed finitum; & inde est, vt, in ratione obiecti specificantis, non excedat in infinitum obiectū creatum, in ratione obiecti cognoscibilis: & ideo speciei intelligibili, quam specificat, non tribuit infinitatem, in repræsentando. Valeret, inquit, illa disparitas, si obiectum infinitum semper specificaret speciem, vt formaliter est infinitum, in ratione obiecti: at tamen non semper sub illa ratione specificat, nisi solam speciem increatam, in ordine ad Diuinum intellectum; & ideò Diuinus intellectus, adæquatè, & comprehensiuè, sine limite aliquo, Diuinam intuetur Essentiam; non sic intellectus creatus, ex vi talis speciei impressæ Dei, si daretur.

Non placat.

37 Sed certè hæc impugnatio videtur quædam petitio principij; in superiori namquè doctrina authores illius supponunt, speciem impressam exire ab obiecto, quatenus in se est; & inde non habere limitationem: non verò ab obiecto, quatenus à nobis cognitum, vel cognoscibile est. Quare hoc esset impugnandum, & non eius contradictoria assumenda; prout assumitur in discursu Lusit. qui, licet consequenter ad ea, quæ docet, verus, & optimus sit; tamen nil facit contra allatū discrimen: semper enim eius Authores negabunt, in eorum sententia; speciem non specificari ab obiecto, quatenus in se est, in ratione obiecti intelligibilis, absolutè.

§. IX.

Alia ratione impugnatur à Suar.

38 Suar. cap. 13. n. 12. insurgit: quia illa species non manaret ab obiecto, vt ab agēte naturali: sed vt ab agēte libero; ergò non oportet esse adæquata obiecto, sed actui, in ordine ad quem datur, iuxta sapientem dispositionem liberi agentis, infundētis illam. Adducit exemplum de specie infusa inferiori Angelo, ad videndum superiorem, quam non oportet esse cōprehensiuam: quia Deus, qui illam infundit, dat eam proportionatam virtuti intelligentis. Vndè talis species, naturaliter, repræsentat obiectum, quamuis liberè procedat ab agente: quid enim repugnat, naturalem similitudinē, cuiuscunquè ordinis, vel similitudinis sit, liberè ab agente imprimi, vel fieri? nam imago facta ab Artifice repræsentat naturaliter, seu per naturalem similitudinē, licet liberè facta sit.

Occurrit effugio.

39 Quod si ad exemplum adductum dicatur, speciem superioris Angeli, existentem in inferiori, de se esse comprehēsiuam obiecti; licet Angelus habēs illam non possit ea vti, secundum totam repræsentationem eius, ex defectu virtutis suę.

40 Contra, ait; hoc sine fundamento dici: nam species datur mensurata virtuti intelligendi, & actui, ad quem ordinatur; ergo non est, cur Angelo inferioris virtutis detur species sufficiens ad actum impossibilem tali virtuti.

41 Itē cur magis repugnat, dari speciem repræsentantem naturaliter, & non comprehensiuè, quam dari actum, visionem, seu Verbum, eodem modo, repræsentans obiectum, prout in se est, & non comprehensiuè? nam, ex parte agentis, non potest assignari repugnantia. Quinimò, subdit, quamuis obiectum imprimēs speciem, naturaliter ageret, non esset necessarium, vt imprimeret illam adæquatam, & comprehensiuam; sed iuxtà recipientis capacitatem, seu dispositionem; nam actio agentis sæpè limitatur, ac definitur ex dispositione recipiētis, & obie-

ctа,

cta, etiam sensibilia, fortius, & efficacius imprimunt speciem in potêtiam melius dispositam, igitur nulla est repugnantia ex hac parte. Hæc Suar.

Non videtur efficax.

42 Cęterum nequè hæc impugnatio eneruat vim superioris modi dicendi: nā licet illa species dimanaret ab agente libero, (respondere possent patroni illius sententiæ,) non tamen posset aliter produci: de ratione enim speciei impressæ, prout distinguitur ab expressa, est, quod sit adæquata suo obiecto, ex parte cuius se tenet: Dicebant namquè hi Doctores supra cap. 2. n. 2. & seqq. in eo differre speciem impressam, à lumine, à visione, & specie expressa, & à quocunquè alio, se tenente ex parte potentiæ; quia impressa intuitiua talis est ex natura sua, vt sit repræsentatiua obiecti, quantum ipsum repræsentabile est; quod si ipsa talis non sit, sed obtemperetur potentiæ, iam non habebit rationem speciei impressæ, sed luminis potius; quod, cū se teneat ex parte potentiæ, obtemperatur ipsi potentiæ: sic etiam visio, & ex consequenti, species expressa. Vndè, quamuis producatur talis species ab agente libero, non potest non produci sic, alias non diceretur produci species impressa.

43 Ad exemplum de specie Angeli superioris, impressa Angelo inferiori, optimè ibi respondetur. Sed ad id, quod contra obijcitur à Suar. negabūt Aduersarij, *id sine fundamento dici*, vna cum assumpto, vt ex dictis patet. Quod si illa species, infusa Angelo inferiori, sit in ordine ad actum impossibilem eius virtuti; non facit ad rem, supposita natura illius speciei, quæ mutari non potest, vt etiam infra dicetur.

44 Ad confirmationem, iam constat, cur magis repugnet, dari speciem repræsentantem naturaliter, & non comprehēsiuè; quam dari actum, visionem, seu verbum, eodem modo, repræsentans obiectum, prout in se est, & non comprehensiuè; quia species, cum se teneat ex parte obiecti, principaliter, petit produci, ex sui natura, vt sit repræsentatiua obiecti, quantum ipsum repræsentabile est: at visio, lumen, &c. cum se teneant ex parte potentiæ, commensurantur, & adæquantur capacitati potentiæ, & non obiecti. Quare cōcludimus, oppositionem Suar. facilè solui ab Aduersarijs.

45 Germanior igitur huius modi dicendi impugnatio colligenda videtur ex sequēti capite, in quo adducemus aliam rationem, qua communiter probari solet possibilitas speciei impressæ in visione Dei, ex solutione argumētorum, quibus Aduersarij illius repugnantiam demonstrare nituntur.

CAPVT IV.

Adducitur alia ratio, ostendens possibilitatem speciei impressæ, de potentia Dei, in visione Beatifica; ex solutione argumentorum cōtrariæ sententiæ; Vbi notatur modū peculiarem defendendi hanc possibilitatem.

§. I.

Suppositum certum.

1 Certum est, quod cum agitur de potentia Dei absoluta, illud dumtaxat ei denegandum est, quod à parte rei implicat contradictionem: si enim aliquid non implicare cōstauerit, illud profecto de potentia saltem absoluta Dei fieri poterit. Demonstraturi ergò in hac secunda sententia, speciem impressam Dei posse de potentia absoluta dari in visione Beatifica, ferè vnicum medium est, ostendere, huiusmodi speciem contradictionem non implicare; idquè soluendo implicantiæ rationes, quæ à Doctoribus oppositæ sententię adducuntur.

Percurruntur faciliores quædam rationes Aduersariorum.

2 Et omissis facilioribus, quibus Aduersarij probant, illam speciem debere esse substantiam increatam; &c. quæ rationes, si secundum esse intelligant, falsæ sunt; & concedendæ, si secundum repræsentationem, & rationem obiectiuā. Item quod esset connaturalis Angelo, & posset naturaliter cognosci ab Angelo, & per eam posset Angelus Diuinam Essentiam intueri, quæ longè a vero distāt, quia illa species esset ordinis superioris, & non posset ab intellectu creato, sine superiori lumine, cognosci. Item, quod in tali casu, res superioris ordinis repræsentaretur per rem ordinis inferioris; contra Dionys. cap. 1. de Diuinis nominibus: hoc enim falsum est: illa etenim species non esset ordinis inferioris, in repræsentando, licet esset ordinis inferioris, in essendo. Dionys.

T

sendo. Item, quod illa species deberet esse suum esse, quod implicat in creatis: nam & hoc extra rem est: cum species illa esset repræsentatiua Dei, in ratione obiecti intelligibilis; hoc autem, quod est, *Deum esse suum esse*, pertinet ad rationem materialem Dei, sub ratione obiecti intelligibilis considerati, non verò ad rationem formalem. Vel esset vtiquè illa species suum esse, in repræsentando; quia repræsentaret id, quod est suum esse.

Non placent quædam solutiones Recentiorum.

3 Non tamen placent instantiæ adductæ, pro solutione huius vltimi argumenti, quod est Caiet. & videtur desumptum ex D. Thom. & à multis efficacissimum existimatur, ad probandum impossibilitatem speciei; nimirum, quod visio beata non est suum esse, & tamen repræsentat Deum, qui est suum esse. Verbum etiam Diuinæ Essentiæ repræsentat Diuinam Essentiam, quæ est suum esse; cum tamen non sit suum esse. Ita respondent Molin. Pezant. Suar. Vasq. Rad. p. 1. controu. 1. ar. 10. post 4. concl. ad 2. pro sent. D. Thom. & noster Lusit. q. 2. art. 4. §. 1. & §. 4.

Mol. Pezant. Suar. Vasq. Rada. Lusit.

4 Quia possent respondere Caiet. Nazar. & alij; non omnem speciem, repræsentantem Deum, debere esse suum esse, sicuti ipse Deus, per eam repræsentatus: sed dumtaxat illam, quæ se tenet ex parte ipsius obiecti, & quæ non habeat limitari à potentia; qualis est species impressa: Visio: Verbum, &c. se tenēt ex parte potētiæ, à qua limitātur. Aliqua etiam ad hoc argumētum, eiusquè solutionem concernentia, dicemus infra.

5 Quarè, his omissis, soluēdæ nobis sunt, principaliter, illæ rationes, quæ supra cap. 2. in fauorē vltimi modi defendēdi speciei impossibilitatem, adducuntur.

§. II.

Quomodo fiat satis rationibus adductis cap. 2.

6 DIcebant ergò fautores illius dicēdi modi, Speciem impressam intelligibilem habere, ex natura sua, esse repræsētatiuam obiecti, quantum ipsum repræsentabile est; itaut, quantum ipsum obiectum, pro statu, situ, & conditione sua requirit, tantum debere ab illa specie repræsentari. Ita habetur nu. 3. in 1. dicto; & etiam nu. 2. Quod quidē, meo iudicio, non esset negandum, etiam à Doctoribus secundæ sententiæ: Tum quia vtraq; ratio ibi posita, & à posteriori, & à priori, videtur mihi satis efficax: Tum etiam, quia, adhuc hoc concesso, & supposito, optimè videtur saluari posse speciei possibilitas; Tum tandem, quia non videtur posse assignari alia congruentior differētia inter speciem impressam, ex vna parte, & lumen, & speciem expressam, ex altera. Præterquam quod in eodem cap. 2. facilè fit satis omnibus obiectionibus, quæ ab Aduersarijs obijciuntur contra illum modum dicendi.

Species impressa est repræsentatiua obiecti, quātū repræsentabile est.

7 Quibus illud dūtaxat videtur addendum, quod cum huiusmodi species sit Vicaria obiecti; eodem modo habere se debet in ordine ad potentiam, in ratione repræsentatiui, quo ipsum obiectū se haberet, si se ipso immediatè vniri posset, seruato tantum ordine principalis repræsentabilis, & instrumentarij repræsentatiui: prout infra explicabitur; sed sic est, quod si obiectum, immediatè se vniret potentiæ illi, se totum, ac totaliter repræsentaret, repræsentandumquè se exhiberet; ergò obiecti Vicaria totum obiectum, & totaliter, quantum est ex se, debet repræsentare potentiæ; seruato tamen ordine, infra melius explicando. Et ne recurratur ad libertatem obiecti, & dicatur, quod, in tali casu, obiectum liberè se vniret, iuxta capacitatem potentiæ: supponamus, illud obiectum esse substātiam aliquam creatam; verbi gratia, *Angeli*: cum enim, de potentia absoluta, non implicet penetratio corporum, vt dicitur in phisicis, ita non esset id, quod supponitur implicantia; vniatur à Deo immediatè Angeli substantia intellectui Francisci, & eodē modo intellectui Michaelis Archangeli; peterem, quis nam eorum melius illam intelligeret substantiam? profectò absquè scrupulo dicetur Michael, longè perfectius, illam nedum videre, sed etiam comprehendere, quod non est concedendum Francisco; Supposito, quod non augeatur intrinsecè eius vis intellectiua; ergò manifestum id iudicium est, non dari obiectum proportionatum in cognoscibilitate, & repræsētabilitate viribus potentiæ, sed illud totum quantum est se repræsentare potentiæ, sumptum in ratione obiecti, intelligibilis, pro statu, situ, & conditione; &c. prout supra cap. cit. Nota.

8 Præterea, id videtur necessariò dicendum de omni eo, quod se tenet ex parte obiecti. Statuatur excellentissima pictura corām plurimorum conspectu; quis dicat, illam diuerso modo se exhibere videndam, & contemplandam ab in-

Exemplum quod videtur aptum.

inexpertis, & expertis in arte pingendi? & tamen certum est, quod licet omnes totam picturam viderét, non omnes eodem modo; nàm, quis dubitat, pictorem eam perfectius forè contemplandam, quàm non pictorem? & inter pictores, illum, qui excellentior erit in arte? & nihilominùs omnibus adstantibus, eodem modo, eadem imago contemplanda proponitur: Igitur tota diuersitas nō dependet ab obiecto proposito; cum vniformitèr, æqualiterq; omnibus se præbeat contemplandum; sed à diuersitate virtutis conspicientium.

9 Et idem omninò iudicium faciēdum est de reliquis obiectis reliquarum potentiarum, tàm sensibilium externorum, quàm internorum; & ex consequēti etiam intellectus. Summoperè exoptarem aliqua ratione conuinci ex his, quæ pro contraria sentētia circunferuntur: Eę enim, quas vsq; modo vidi, inefficaces sunt, & iàm solutæ manent cap. 2. citato.

Conclusio superioris doctrinæ.

10 Itaq; statuimus, vt verum, Speciem impressam ex sui natura debere representare obiectum cuicunq; potentiæ, quantum ipsum obiectum representabile est. Quod erat primum dictum illius vltimi modi defendendi impossibilitatem speciei impressæ in visione intuitiua Diuinæ Essentiæ.

§. III.

11 NEc vertendum est in dubium tertium dictum einsdem capit. num. 7. vbi dicitur: *Cuiuscunque rei creata, & creabilis posse dari speciem intelligibilem intuitiuam*. Imò certum etiam existimo quartum dictum ex num. 8. vbi habetur; *Quod licet liberum sit Deo, producere res, vel non producere; non tamen potest mutare rationes illarum*, quod in Philosophia difficultatē non habet: Vndè, cum de ratione speciei intelligibilis sit, representare obiectum omni modo representabili, seù quantum ipsum representabile est; etiam si liberè huiusmodi speciem producat; non tamen eam potest producere, quin producat illam cū tali representatiuitate obiecti sui. In his tribus dictis Ego facilè conueniam cum patronis illius sentētiæ, quicquid reliqui ex defensoribus possibilitatis speciei impressæ dicant.

§. IV.

12 AST in secundo dicto, ex num. 5. disconuenio; in quo dicitur, *Deum non posse representari per speciem creatam, quantum ipse representabilis est, secundum statum, situm, conditionem, &c.* Pro quo dicto, supponendum est; quod, cum dicitur, *Per speciem impressā representari obiectum quantum ipsum representabile est*: semper intelligendum est, *seruato ordine representatiuitatis*. Duplicitèr enim aliquid representari potest alicui potentiæ; vel principalitèr, se ipso immediatè, quod se habeat in ordine ad potentiam, vt *Quo*, & vt *Quod*: vel instrumentalitèr, per sui Vicariam speciem, quæ tantum se habeat, vt representatiuum, vt *Quo*, seù vt instrumentum obiecti principalis: Discrimen inter hos duos modos representandi præcipuum illud est; quod representatiuiuitas representatiui principalis fundatur in omnimoda identitate naturæ, & entitatis. Ast vero representatiuitas speciei non fundatur in aliqua identitate naturæ, essentiæ, & entitatis realis: sed tantum in vnitate adæquationis in representādo vnius ad alterum. Vel dicas, priorem fundari in omnimoda identitate naturæ: posteriorem verò in vnitate virtutis. Sæpius enim dictum est, speciem impressam virtualitèr continere suum obiectum; quemadmodum dicitur esse virtus generatiua in semine, &c. Vndè cum dicitur, *Per speciem impressam representari obiectum, quantum ipsum representabile est*: intellige: *quantum representabile est, per speciem, obiecti Vicariam, & instrumentum, quæ non representat illud, tanquam quid vnum, siuè entitatiuè, siuè essentialiter cum illo*; vt malè Caietan. §. *Ad euidentiam horum scito*, & §. 2. *quoq. ratio.* Ferrat. 3. contr. gent. cap. 49. in 5. ratione D. Thom. Hispalens. in 4. distinct. 49. quæst. 5. art. 4. ad argum. Aureol. contra primam. §. *Nec valet secunda responsio*. Cabrera 3. par. quæst. 11. art. 1. disp. 5. §. 6. num. 161. & 162. Nauarret. 1. par. controu. 34. §. 2. & §. 8. Soncin. in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. conclus. 1. §. *Secunda etiam non valet*. & Nazar. par. 1. quæst. 12 art. 2. controu. 1. per totam. Qui omnes docent, speciem intelligibilem impressam eiusdem esse rationis specificæ cum re, cuius est species, & intellectui in vnitate quidditatiua copulari; Itaùt, in hac sentētia, species lapidis, recepta in intel-

Nota benè.

Potest aliqd representari principalitèr vel instrumētalitèr.

Contra plures Thomist. Caiet. Fer. Hispal. Gabre. Nauarret. Soncin. Nazar.

jectu, dicatur habere eſſe quoddam reale, & ſubſtantiale lapidis; & cum ipſo intellectu fieri eſſentialitèr, & ſubſtantialitèr lapis, in eſſe tamen intelligibili.

D. Thom.

13 Quę Philoſophia in intelligibilis eſt, eo modo intellecta, quo eā citati Doctores explicant: imò videtur eſſe contra ipſum D. Thom. qui quæſt. 8. de veritat. art. 1. in eo ſenſu vult, ſpeciem lapidis eſſe formā lapidis, in repreſentando, eiuſq. ſimilitudinem; quia, in repreſentando, habet conuenientiam cum lapide; vt optimè adnotauit Luſitan. artic. illo 4. cit. §. 4. num. 14. Et verba D. Thom. ſunt hęc, *In omni cognitione, qua eſt per ſimilitudinem, modus cognitionis eſt ſecundum conuenientiam ſimilitudinis ad illud, cuius eſt ſimilitudo: & dico conuenientiam ſecundùm repreſentationem; ſicut ſpecies in anima conuenit cum re, qua eſt extra animā, non ſecundum eſſe naturale.* Et eam ob rem dici poteſt illa ſpecies conuenire cū re repreſentata, quia talem eam repreſētat, qualis ipſa eſt repreſētabilis, vt idem D. Thom. habet 3. de Anima cap. 7. lect. 12. comment. penult. dicens: *Et omninò intellectus in actu per ſpeciem eſt res intellecta; quia ſicut res in ſua ratione habet materiam, vel non habet, ſic ab intellectu percipitur.* Patet igitur ex D. Thom. quomodo ſpecies lapidis in anima dicitur eſſe forma lapidis, in repreſētando: quia in repreſentādo habet conueniētiam cū lapide, vt eſt à parte rei; ridiculum enim eſſet aſſerere, intellectum Franciſci, intelligendo Bouem, fieri realitèr, ſubſtantialitèr, & eſſentialitèr ipſum Bouem.

§. V.

Quo ſenſu hæc doctrina ſit vera, & ſecundum dictum improbatur.

14 VEra ergo erit Thomiſtarum doctrina hæc, ſi loquatur de eo repreſentatiuo, quod ſimul, & ſemel eſt id *quo*, & id *quod*: non tamen loquendo de ſolo repreſentatiuo *quo*; quia illud eſt principale repreſentatiuum; iſtud verò tantùm inſtrumētale. *Qua* ſpeculatione ſic expoſita facile ſuſtineri poteſt hic noſter peculiaris modus defendendi poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ Dei, quæ repreſentet Deum, quantum repreſentabilis eſt, inſtrumentaliter. Et ſic illud ſecundū dictum non approbo.

Reſpondetur ad primum effugium.

15 Ad cuius probationes Reſpōdeo, & primò ad primam: conced. maio. neg. min. quia illa forma creata non eſſet repreſentatiua Dei, eo modo, quo ipſe Deus ſe ipſum repreſentat, iuxtà ſuperiorem doctrinam.

Ad ſecūdum.

16 Ad ſecundam reſpondeo: tranſeat illa maior, qua dicitur. *Illa forma eſt impoſſibilis, cuius effectus formalis dicitur vndequaquè impoſſibilis.* Ad minorem: cum dicitur; *Sed impoſſibile eſt, vt poſſit quilibet intellectus creatus eſſe actuatus ad cognoſcendum Deum, quantum repreſentabilis eſt.* Primò dico, aliud eſſe, *intellectum eſſe actuatum per ſpeciem repreſentantem Deum, quantum Deus eſt repreſentabilis per ſui Vicariam.* Aliud, *Intellectum eſſe actuatum per talem ſpeciem; ita vt debeat exire in actum adæquatum tali ſpeciei.* Primò modo intellecta illa minor; negatur, illud eſſe impoſſibile: cùm enim entitas illius ſpeciei eſſet finita, & limitata: cur nō poſſet informare intellectum creatum? Secundo verò modo intellecta illa minor, concedimus, eſſe impoſſibile, dari intellectum creatum informatum tali ſpecie impreſſa; itaut per illam debeat exire in actum adæquatum tali ſpeciei, & intelligat Deum quātum ipſe intelligibilis eſt. Cæterum hoc non eſt neceſſarium; nam ſpecies impreſſa non cogit potentiam rationalem ad hoc, vt operetur ſecūdum vltimum actiuitatis ipſius ſpeciei; ſed ſufficit operetur ſecundum vltimum actiuitatis, & virtutis propriæ ipſiuſmet potentiæ, cum ſpecies non augeat intrinſecè vires potentiæ; etſi, cum illa concurrens, dicatur complere actiuitatem illius. Ita in tali caſu, licet ille intellectus eſſet informatus tali ſpecie, non per hoc poſſet exire in actum viſionis adæquatę Dei: quia eius vis intrinſeca nequit tantum augeri. Neque indè valet inferri. *Ergò talis ſpecies dari non poteſt*; nàm licet non habeat adæquatum effectum ſuum, ſufficit habeat inadæquatum; & quod intellectus tali ſpecie informatus exeat in actum iuxta virtutem ſuam intrinſecam, quam habet, vis luminis gloriæ.

Aliter etiam reſpondetur.

17 Vel ſecundo Reſponderi poteſt; Animam Chriſti, v. g. informatam tali ſpecie, potuiſſe videre Diuinam Eſſentiam, quantum ipſa per ſpeciem viſibibilis eſt; Et cum dicitur, quod ſic poſſet intellectus creatus, informatus tali ſpecie, comprehendere Deum; negatur hoc; nam (vt optimè noſter Puteanus articulo illo 2. dub. 3. num. 7.) ad hoc, vt Deus comprehendatur ab aliquo, ſimpliciter & abſolutè, requiritur, vt nil planè ſit intra Diuinam eſſentiam, quod nō cognoſcatur

ſcatur

ficatur ab eo, qui eam videt; per illam autem speciem impressam non cognosceretur illud omne, quod est intra Diuinã Essentiam; nam attributa libera sunt ex se, & ex sua natura, occulta; ac proinde non possent intelligi, ex vi visionis illius speciei, & ex consequenti, non comprehenderetur Deus.

Occurritur quibusdam obiectionibus.

18 Nec valet, contra nos indè colligere: ergo illa species non esset representatiua Dei, quantum ipse representabilis est; nam ideo nos diximus, non debere sic absolutè intelligi propositionẽ hanc, sed cum addito; scilicet, *Quantum est representabilis per sui instrumentum, seu Vicariam*, quæ, dumtaxat, representaret Diuinam essentiam, cum omnibus his attributis, sine quibus esse nõ posset; & vt sic illam represẽtaret perfectissimè, eo modo, quo representabilis est. At libera Dei decreta non necessariò in Deo sunt (loquendo quoad terminationem;) sic non necessariò representabilia. Vel, *Quantum est representabilis, pro sua conditione, &c.* quod idem est; cum talis sit conditio Dei, vt eius libera decreta sint, ex sua natura, occulta, & soli sibi aperta, & cui voluerit ipse reuelare.

Obiectio.

19 Dices: sequeretur, Deum non posse producere aliquid præstantius specie illa, quod est cõtrà commune illud axioma: *Data quacunque re creata, potest Deus aliam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum producere.*

Solutio.

20 Respondeo, negando sequelam: posset namq; Deus aliam speciem producere, perfectiorem illa, entitatiuè; & si non formaliter, in ratione representatiuæ: entitatiuè quidem; quia secundùm entitatem posset perfici; cum esset accidens finitæ perfectionis, &c.

§. VI.

Corolarium.

21 EX dictis collige, quid sentiendum de illa ratione discriminis, assignata ab Authoribus vltimi modi defendendi impossibilitatem speciei huius, inter speciem impressam, & expressam, supra cap. 3. num. 36. cuius iudicium huc remisimus. *Speciem impressam representari obiectum adaquatè, & comprehensiuè: quia nil habet à quo limitatur, vt inadaquatè representet obiectum suum; cum postulet, ex sui natura, vt exeat ab obiecto, quatenus obiectum est, &c.* Ad quod dico, hanc propositionem longè diuersam esse à nostra: dicimus enim nos, *Speciem impressam, quia se tenet ex parte obiecti, principaliter, non producit commensuratam potentiæ; sed potius proportionatam ipsi obiecto; & sic debere representare obiectum suum, quantum ipsum representabile est, pro situ, & conditione illius, &c.* Vndè non sequitur, necessariò debere esse comprehensiuam obiecti; nàm si obiectum eius summè liberum sit, eius, vt sic, conditio postulat, vt illius libera decreta non necessariò representenrur, sed liberè: Species igitur impressa talis obiecti, erit vtique illius representatiua, quantum ipsum representabile est; non tamen comprehensiua.

Summa sententiæ Authoris.

22 Quare conclusio nostra est. non implicare speciem impressam Dei in visione intuitiua, represẽtatiuam ipsius, eo modo, quo represẽtabilis est per sui Vicariam, siuè instrumentum, iuxtà naturalem conditionem illius; cuius representatiuitas, in actu primo, non commẽsuratur potentiæ, sed ipsi obiecto, ex parte cuius principalitèr se tenet.

Ostenditur inefficacitas communis rationis quæ solet adduci pro possibilitate speciei impressæ.

23 Quibus patet tãdèm, illam rationem supra c. 3. n. 6. adductam, aliàs communem, in fauorẽ possibilitatis speciei impressæ Dei; ex eo, quod datur expressa; in nostro modo dicendi non videri adeò efficacem: Posset namq; assignari ratio disparitatis in eo, quod, licet vtraq; representet Deum, sicuti est; & sic in representando Deum, non sit maior ratio vnius, quàm alterius; tamen, in modo representandi, discriminantur; cum expressa cõmensuretur, quantum est ex se, suiq; natura, cum potentia, eiusq; virtute, tanquam effectus illius; impressa verò, cum obiecto ipso, à quo dimanat, vel secundum cuius representabilitatem perducitur. Non enim contendimus, necessariò speciem debere ab obiecto dimanare, cũ possit etiam à Deo produci; verum, iuxtà id, quod exigit ipsius speciei natura, & producibilitas; nempè, quod producatur cum represẽtatiuitate obiecti, modo exposito, & non alitèr.

Finis Quodlibeti Quarti.

QVODLI-

QVODLIBETVM QVINTVM.

De lumine gloriæ, eius necessitate, ac munere.

DISPVTATIO PRIMA.

Quid nomine luminis gloriæ intelligatur? & quam certum sit, illud requiri ad visionem Beatificam?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & refellitur quædam Vasq. opinio; & etiam alia Aureoli.

§. I.

D. Thom. Quid intelligant aliqui nomine luminis gloriæ.

1 Oc est aliud; quod requiritur in Beatis, ad videndum Deum, se tenens ex parte potentiæ, vna cũ Verbo mẽtis, seu specie expressa, de qua infra. Per lumen, autem, gloriæ D.Thom.ar.5.& cum eo Discipuli eius intelligunt, in primis, quid distinctum ab ipso Deo; vt ipsemet S.D. declarat in titulo illius articuli, inquirens: Vtrum intellectus aliquo creato lumine indigeat? Secundò, quid de nouo receptũ in ipso intellectu Beati; quod, in corpore at. appellat dispositionem superadditam intellectui. Tertiò intelligunt quid distinctum ab ipsa visione Beatifica. Quartò intelligunt, per lumen gloriæ, virtutem intellectiuam gratuitam, seu augumentũ virtutis intellectiuæ, ordinis supernaturalis. Nos autẽ hæc omnia in vnum colligentes, intelligemus, nomine luminis gloriæ, qualitatem supernaturalem, ordinatam ad corroborandam potentiam, vt possit videre Deum in sua Essentia, & alias res supernaturalis ordinis; Quæ qualitas, propriè, appellatur lumen: quia (vt ipsemet D.Thom. dicit) ordinata est ad manifestandum; omne autem, quod manifestat, lumen est; secũdum Apostolum. Diciturautem lumen gloriæ; quia ad visionẽ beatificam spectat; quæ, cum sit Beatitudo nostra, est etiam gloria nostra. D.Th. Apost.

2 Hinc patet, improbabilem esse, Primò, singularem opinionem Vasq. 1.p. disp.43.c.7.n.32. *§. Deindè ego non dubitarem*, & 3.p.disp.54.c.2.nu.5. vbi vult, lumen gloriæ nil aliud esse, quam speciem impressam Essentiæ Diuinæ; quam opinionem probabilem existimat Lorca 1. 2.q.5.ar.1.disp.30. si Vasq. eam intelligat, tantum, de identitate reali; distinguantur tamen ab inuicem ratione; ita vt, sub vna ratione dicatur species, quatenus erit pro obiecto, & illud vniet intellectui; quod est propriũ speciei: sub alia verò ratione dicatur lumen, eleuans intellectum, illumque confortans. Opin. Vasq. improbabilis. Lorca.

3 Quæ

Minimè placet.

3 Quæ opinio, in nostra sententia, qua dicimus, de facto non videri Deum per speciem creatam, sed per suammet Essētiam, immediatè vnitam intellectui; sustineri nullo modo potest; cum lumē sit quid creatum, finitum, de genere accidentium; Quod si esset idem cum specie, de facto idem esset cum Diuina Essētia, quod est absurdissimum.

Opinio Aegid. Lusit.

4 At in sententia Lusitani, & aliorū, qui volūt, de facto videri Deum per speciem creatam; non ita facilè hæc Vasq. opinio impugnatur. Lusit. lib. 9. q. 8. ar. 1. postquam multis, aliorum Doctorum impugnationes insufficientes esse, demonstrasset nu. 35. 36. 37. 38. 39. efficaciter fore impugnandam existimat argumento, quo vtitur D. Thom. sic tamen dispositio. Omnis forma, quæ, in suo genere, principalis sit, & vltima; (siuè naturalis, siuè supernaturalis illa sit;) necessariò exigit in potentia illam receptura præuiam aliquam dispositionē, realiter ab ipsa distinctam; Sed species impressa Essentiæ Diuinæ est forma supernaturalis, in suo genere vltima, & principalis; ergò necessariò exigit in intellectu Beato dispositionem eiusdem ordinis supernaturalis, ab illa distinctam realiter. Sed hæc dispositio non potest esse alia à lumine gloriæ; hoc .n. munus à D. Thom. lumini tribuitur in cit. art. 5. ergo, &c. Maior est certa, in omni bona phylosophia, quæ non requirit, respectu omnium formarum non principalium, nec vltimarum, dispositionē præuiam in subiecto; alias daretur processus in infinitum; Si enim, eodem modo, quo, in naturalibus, respectu formæ substantialis, qua vltimo constituitur compositum, acquiritur vltimata dispositio; ita respectu illius dispositionis; cum etiam sit forma; requireretur alia dispositio; &, respectu huius, alia; non posset assignari terminus in dispositionibus, & formis. Ita, si eodem modo, quo dicimus, gratiam habitualē requirere præuiam dispositionem in anima; nempè, Contritionem; & contritionem, aliam præuiam dispositionē, eiusdem ordinis; ita, illam, & alias dispositiones petere introduci in eādem animam, medijs alijs, & alijs dispositionibus supernaturalibus; in infinitum procederemus. Quod autem dispositio vltima, ad vltimam formam requisita, sit ab illa realiter distincta, ex eo patet; quia dispositio antecedit formam, ad quam disponit, saltē, in aliqua prioritate naturæ, quæ est prioritas realis; & non in genere causæ formalis; sed potius, vel efficientis, instrumentaliter; vel, ad minimum, materialis.

5 Minorem probat Lusit. quia sola species cum intellectu, tamquam cum potentia, constituit vnum compositum; cui primò, & per se conuenit elicere actum; ex quo videtur efficaciter, concludi, lumen gloriæ esse quid realiter distinctum à specie; quia nō apparet, quid nam, à lumine gloriæ, posset assignari, quod habeat rationem dispositionis, respectu speciei?

6 Quod si quis pro Vasq. respōdear, neg. min. non enim species est vltima, & principalis forma; sed ipsa visio; cum non per speciem beemur, sed per visionem; in ordine autem ad visionem, sufficienter poni, pro dispositione vltimata, speciem, quæ est lumen ipsum gloriæ, quod est eiusdem ordinis supernaturalis cum visione beante. Contra solutionem vrgetur.

7 Contra hoc insurgit Lusit. nam intellectus eleuari debet ad esse proportionatum visioni, ad quā intellectus primò, & per se ordinatur; sed tale esse debet esse reale, ordinis diuini; non intentionale, tantum, & repræsentatiuum; ergo per aliquid, per quod in tali esse reali ordinis diuini constituatur; sed species non potest communicare, nisi esse intentionale; cum eius esse consistat in esse repræsentatiuo; ergo aliquid aliud, præuium ad speciem, assignati debet, per quod eleuetur intellectus ad tale esse reale supernaturale, & diuinum; illud autem nihil aliud esse potest, nisi lumen, ergo, &c. Obiectio Lusit.

§. II.

8 Caeterum, meo videri, hac ratione non cōuinceretur Vasq. tum quia benè videtur satisfieri prioti argumento, responsione posita; nimirum, vltimum actum, & præcipuam formam non esse speciem, sed ipsammet visionē, propter rationes satis notas, quibus Doctores docent, nos non Beari per habitum, sed per actum. Non conuincitur Vasq.

9 Tum etiam; quia ad replicam Responderi posset quis, pro Vasq. quod licet species, formaliter sumpta, & reduplicatiuè, consistat in esse intentionali, & repræsentatiuo; tamē, specificatiuè sumpta, habet etiam suum esse phisicum, & reale, ordinis diuini; est enim forma, etiā

secũdum esse, supernaturalis; cum autem intellectum informat, dat ei suum proprium esse, & eiusdem ordinis supernaturalis; Unde optimè dicere posset Vasq. sufficienter eleuari intellectum ad tale esse diuinum, verum, & reale, per ipsam speciem, quæ simul sit lumen; in quo non apparet aliqua difficultas.

Efficax argumentum cõtra Vasq.

10 Quarè, (vt verum fatear,) illud mihi videtur, vel vnicum argumẽtum contra Vasq. ad probandum, lumen gloriæ non esse idem, ac speciem; sed quid realiter à specie distinctum; quia, apud omnes Doctores, hodie certum est; ad vidẽdum Deum requiri lumen gloriæ; ita vt tantum quæstio sit inter illos; an hoc sit de fide, cum tamen, nedum certum non sit, dari speciem impressam; immò communior sententia docet, de facto non dari; sed Essẽtiam Diuinam, immediatè, vniri intellectui Beati, (vt dictum est;) Igitur impossibile est, lumen, & speciem, non distingui realiter.

§. III.

Reijcienda opinio Aureoli.

11 Secundò etiam patet, nec substineri posse opinionẽ Aureoli; & aliquorum aliorum, asserẽtium; lumen gloriæ non distingui a Visione ipsa; nam (pro vt ex Concil. Viennensi, infra citando, colligunt Doctores) lumen datur ad eleuandam potentiam ad hoc, vt Deum videat; illam in actu primo constituens ad videndum; cum tamen, per ipsam visionem, nõ dicatur eleuari intellectus Beati ad vidẽdum: sed potius formaliter illum videat. Addo, quod id idem philosophari oportet de lumine gloriæ, in ordine ad Visionem claram, & intuitiuam intellectualem Dei; ac de reliquis luminibus, tàm naturalibus, quã supernaturalibus, in ordine ad reliquas, seu visiones, seu intellectiones; Sed quis vnquam dicet, visionem, qua oculus videt colorem, seu parietem coloratum, non distingui ab ipso lumine medio? lumen fidei non distingui ab ipsis assensibus, quibus fidelis articulis assentitur? Intellectionem, qua intellectus intelligit naturaliter, & speculatur Leonem, v.g. non distingui à lumine intellectus agentis? &c. ergo pari ratione, absurdum est asserere, lumen gloriæ non distingui à Visione, qua intellectus, in patria, intuitiuè videt Deũ.

Infr. Occurritur modo loquẽdi SS PP.

12 Et licet aliquando PP. vocent Visionem Beatam, lumen; ideo est, (vt benè Lusit. lib. 9. cit. q. 8. ar. 2. §. 3. nu. 5.) quia sit cum lumine; Neque inde valet inferre cum Adam. in 2. dist. 1. q. 5. quod, in tali casu, anima non esset immediatè Beata; sed, mediante illa qualitate luminis, reciperet beatitudinem; hoc enim falsum est; Non enim lumen est dispositio receptiua, .i. quæ in se recipiat formam: sed dispositio actiua, quæ disponit ad recipiendum; & ideo non tollit, quominus visio immediatè informet animam; sicut dispositio materiæ non impedit, quominus forma substantialis immediatè eam actuet; Constat igitur ex dictis, quid intelligatur nomine luminis gloriæ.

Occurritur tacitè obiectioni Adam

CAPVT II.

Indubitatum est, dari de facto lumen gloriæ in Beatis: et an sit hoc de fide?

§. I.

1 Hoc autem lumen gloriæ, sic intellectum, de facto dari in Beatis, ad videndum Deum, hodie indubitatum est, post diffinitionem Concil. Viennẽsi; licèt ante illam non defuerint, qui illud negauerint; nedum ex Hæreticis, inter quos citantur communiter Begardi, & Beguinæ; verum, & ex Nostratibus, vt videre est apud recẽtiores, præsertim apud Lusit. qui lib. cit. q. 4. ar. 1. §. 1. multos citat, huius fuisse opinionis.

Distinguitur lumen habit. ab actuale.

2 Sed aduertendum est, quod dupliciter loqui possumus de lumine gloriæ. Primò de lumine habituali, quod est qualitas quædam permanens, ordinis supernaturalis, intellectui cuiuslibet Beati infusa à Deo, per quam constituitur intellectus ille in esse ordinis Diuini, & supernaturalis, & completur ad hoc, vt valeat connaturaliter elicere actum visionis circa Diuinam Essentiam. Secundò de lumine gloriæ actuali, quod censetur esse auxilium quoddam, motio, seu concursus, quo Deus, vna cũ intellectu creato, producit visionem Diuinæ Essentiæ. Dari igitur, dicimus, necesse est, de facto aliquod gloriæ lumen, ex his, siuè habituale, siuè actuale, in Beatis ad vidẽdum Deum, quidquid male senserint, qui pro opposita recensentur opinione; cui visus etiam est adhærere Scot. in 3. dist. 14. q. 1. art. 2.

Scot.

art. 2. lit. D. dum inquit: *in quocunque instanti priori naturaliter ipsa visione, nulla est causa naturaliter prior ipsa visione; vsquè enim ad illud instans naturæ, quo intellectus videt, nō habet intellectus vnde possit in istam visionem; sed tantum præcedit naturaliter ipse intellectus in se; & obiectum, quod non potest elicere ipsam visionem; quia non est motiuum naturaliter proportionatum huic passo; nec natum naturaliter mouere ipsum;* per quę verba videtur excludi lumen gloriæ: si enim illud affirmaret Scot. profectò non diceret, in nullo instanti naturæ, ipsa intellectione priori, nil esse in intellectu, vnde possit visionem elicere: Nam, cum per lumen eleuetur intellectus ad esse ordinis Diuini, & constituatur in actu primo potens; iam, in priori saltem naturæ, antequam exeat intellectus in actum intellectionis, potens est illam elicere. Et in 4. dist. 49. q. 11. lit. H. ita habet; *Sed quia, secundum scripturam, & fidem, habemus ponere Charitatem, saltem necesse est eam ponere in Beato, propter operationem eliciendam, lumen autem gloriæ ad visionem, non videtur mihi necesse poni;* Et licet hoc non definiat Scot. assertiuè; tamen, certum est, potius illum in hanc partem inclinare, (vt ex citatis locis patet.)

3 Cęterū posita veritas satis liquet ex his, quæ diximus supra in 3. quodlib. disp. 2. vbi probauimus ex sac. Script. Patribus, & etiam ratione, non posse Deum intuitiuè videri ab intellectu creato, proprijs naturæ viribus; vnde necessario indiget eleuari creata quacunq; Potentia.

4 Quibus addo; quia formalis Sanctorum Beatitudo non est æqualis, sed ad mensuram meritorum (vt de fide est,) sed nisi detur lumen gloriæ, infusum à Deo vnicuiquè, iuxta eius merita, non haberemus argumentum, ad ostendendum, Beatitudinem formalem respondere vniuscuiusquè meritis: sed potius maiori, vel minori vi naturali intellectiuæ, vt patet; ergo necessariò dandum est lumen gloriæ.

§. II.

Obiectio ex Scot.

5 SEd obijcies: lumen, quod quamcumquè visionem, siuè sēsitiuam, siue intellectualem præcedit, tantum requiritur propter imperfectionem obiecti: vel quia est intelligibile in potentia, indigens, vt fiat actu intelligibile; vel si ex se est actu intelligibile, non est sufficiēs ad mouēdum intellectum ad actum secundum, nisi sub lumine; Sed Diuina Essentia est summa lux; ex se, actu, intelligibilis; & motiua intellectus ad visionē; ergo non requirit aliud lumen, à se; quod sit cooperatiuum secum. ita Scot. in 3. q. 1. cit. ad 3. principale lit. F. Scot.

6 Confirmatur: nam ideo Sol, ad hoc, vt videatur, non indiget alio lumine, à se; sed sua propria luce videtur, quia suaptè natura est fons luminis naturalis; Ita à pari, cum Deus sit, suaptè natura, fons luminis supernaturalis, non indiget videri, medio alio lumine, sed sua propria lux sufficit, vt videatur. Confirm.

7 Respondeo ad principale; lumen, in quacumque visione, vt sic, non requiri, absolutè, propter imperfectionē obiecti; vt patet, quando obiectum visibile, seu intelligibile est immateriale; tunc enim lumen intellectuale, licet non sit necessarium, vt obiectum fiat actu intelligibile, intelligibilitate reali, quæ consequitur immaterialitatem; est tamen necessarium, vt obiectum fiat actu intelligibile, intelligibilitate obiectiua; Nil enim esse potest sic intelligibile actu, nisi obiectiuè repræsentetur sub aliquo lumine, quo intellectui manifestetur; quod nequaquam imperfectionē arguit in obiecto; quare maior propositio illius argumenti neganda est. Cum autem dicitur in min. *quod Diuina Essentia est Summa lux; & ex se actu intelligibilis, & motiua intellectus ad visionem;* si sermo sit de intelligibilitate essentiali, & reali, quæ immaterialitatem consequitur, verissima est; & vt sic, est verè motiua, (quantum est ex se, & essentialiter) intellectus ad visionem; in actu tamen primo; At verò si sit sermo de intelligibilitate actuali proxima, & obiectiua, falsa est; nam requiritur lumen medium, modo dicto; sine quo, ex consequenti, nequè, tali motione obiectiua, dici potest Diuina Essentia motiua intellectus ad visionem, videantur infra cap. 4. n. 14. ea, quæ circa hoc dicemus. Soluitur principale.

8 Ad confirm. Dico, quod, quidquid videtur, etiam si secundum essentiam sit fons luminis, necessario debet videri per lumē, à se ipso realiter distinctum; Nam licet lux, qua lucidum dicitur esse, etiam per essentiam, fons lucis, sit forma, per quam lucidum ipsum formaliter ostenditur, in esse lucidi; &, ex consequenti, per eandem lucem dicatur esse visibile, Ad Confirm. Nota ꝓ his, quæ dicemus infra c. 4.

V esen-

essentialiter, & secundum se; non tamen ipsa eadem lux poterit esse forma, sub qua lucidum videatur; cum talis lux debeat esse lumen, quod per medium diffunditur; nam nisi medium illuminetur, obiectum, quantumuis lucidum, non poterit sui speciem emittere; & ex consequenti nec videri; ita dicimus de Sole, qui, vt videatur, non sufficit in se esse lucidum: sed necesse est, quod, per lumen à sua luce diffusum, & realiter à se ipso distinctum, illuminet mediū interiacens, per quod possit sui speciem in potētiam visiuam immittere, & sic videri. Eodem modo dicendum est de Deo, qui licet increata, & infinita lux sit, per Essentiam; &, vt sic, in se ipso visibilis essentialiter: tamen non sufficit illa lux ad hoc, vt videatur à nobis; sed necesse est, aliud lumē ipsemet producat, ab illo distinctum omninò, illudq; intellectui infundat; & sic, sub tali lumine videbitur.

§. III.

Post Clemēt. indubitanter requiritur lumen habit. in Beatis.

9 Certum ergo est, aliquod lumen, quodcumq; illud sit, siue habituale, siue actuale requiri ad visionem Beatam. Immò post Concil. cit. indubitatum etiam est, ex lege, saltem, ordinaria requiri lumen habituale, Cum.n. visio sit perpetuò duratura, & æternaliter; lumine permanente, & per modum habitus opus est. Addo, quod nisi, modo connaturali, illa Visio eliceretur a Beatis, nō videretur esse perfectus status ille felicissimus. Connaturaliter autem operabuntur per habitum, non per auxilium, seu motionem, vel concursum; vt patet.

An sit de fide Capreol Caier. Ferra. Zumel.

10 Tantum difficultas esse posset. an Hoc sit de fide? Aliqui affirmant, vt Capreol. Caier. Ferra. Zum. & alij multi, & ratio est: tum quia in sac. Script. habetur; in Visione beatifica adfuturum nobis lumen, & lucem Diuinam, qua illustrari, videbimus Deum in se ipso. Ita Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Isai. 60. *Non erit ibi amplius Sol ad lucendum per diem, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apocal. 21. 22. *Ciuitas non eget Sole, neque Luna, nam claritas Dei illuminabit eam.* Vndè Nazianz. orat. 10. inquit: *Magno Regi adstans, hinc, atque illinc, magno lumine implebitur.* Tum etiam, quia in Concil. Viennensi, quod fuit celebratum ann. Domini 1311. (vt author est Honuphrius in Chronico Pōtificum Maximorum) damnatus fuit error Beguinotum, & aliorum, qui asserebant, Animas non indigere lumine gloriæ, ipsos eleuante ad videndum Deum, (vt habetur in Clementina, *ad Nostrum.*)

Ps. 35. Isai. 60.

Apocal. 21.

Cōcil. Vien. nēl quo tempore celebratum.

11 Alij asserunt, de necessitate huius luminis nil posse colligi, ex diffinitione Ecclesiæ; ita, inter cęteros, Vasq. Sententia Vasq.

§. IV.

12 Dico tamen primò; non esse omninò certum de fide definitum, lumen gloriæ, sumptum pro habitu, (pro vt explicuimus) requiri, de facto, in Beatis. Hoc dictum est Vasq. & magis probabile censetur à Recentioribus; Et ratio est; quia nullum verbum reperitur vel in sacris literis, vel in Clementina cit. quod nos cogat id asserere: nam, licet adsint nomina *lucis, luminis, claritatis, splendoris, &c.* quibus Deus videtur; non cogimur, per huiusmodi, & similia nomina, habitum luminis gloriæ intelligere: *Auxilium .n. Fauor, Benignitas, Inspirationesq; Dei; lux, lumen splendor, &c.* optime dici possunt. Immo, ipsa lux increata, Verbum Aeternum, æterniq; Patris Filius, illis nominibus possunt intelligi: nā ipsum lumen æternum ipsiusmet Dei est id, per quod Diuina Essentia essentialiter visibilis est à quocumq; intellectu, etiam increato. Verbum, aurem, lumen illud de lumine est, cuius auxilio visuri Deum sumus. Non igitur ex diffinitione Clement. seu ex sac. Script. licebit colligere, de fide esse, Beatos videre Deum per lumen gloriæ habituale. 1. concl.

13 Probant etiam aliqui hoc idem dictum; quia Durandus, præ cęteris, qui fuit post Concil. Viennense, (cum è Vita migrasset ann. 1318. vbi Concilium celebratum est sub Clem. V. 1311.) docuit, lumen gloriæ habituale non esse necessarium ad videndum Deum, sed sufficere actuale: Et tamen, nemo Doctorum, inter Hæreticos, ausus est, connumerare Durandum. Duran.

14 Sed quia ad hoc dici posset, forsan; Durandum nullam habuisse huius diffinitionis notitiam; siquidem in sua disput. *de lumine gloriæ*: huius decreti nullam mētionem fecit: & ratio est; nam licet illud Concilium fuerit celebratum ann. 1311. sub Clem. V. non tamen fuit sub Clem. publicatum; sed sub Ioanne 22. qui Clementi successit anno Domini 1316. Illiusq; Concilij decreta publicata fuere per præfatum Ioannem, mense No-

Quo tempore fuerit Duran. & quando publicatum Concil. Vienn.

Lusit. Nouembris 1318. vt constat ex proœmio Clementinarum; & benè aduertit Lusit. q.4.ar.2.§.2.concl.1.nu.5. Et forsan Durand. interijt ante prænominatum publicationis tempus; & sic eius scripta, ante publicationẽ Concilij facilè prodierunt; Putean. vt etiam sentit noster Puteanus art.5.dubit.1.in fine.

Quid negabāt Begardi, & Biguinæ. 15 Ideo aliter dictum confirmatur; nam Concilium rātum damnat errorem Begardorum, & Biguinarum, eo modo, quo ab his asserebatur; sed hi non negabant, præcisè, in Visione Beata, lumen gloriæ habituale: sed omne lumen supernaturale; ergo Concilium non damnat, præcisè, eos, qui negant, de facto, in Beatis lumen habituale; dummodo saltem actuale, vel quid aliud eiusdem ordinis ponāt. Maior est omnibus nota, vna cum consequentia: minor probatur, refertur .n. in d. Conc.5. loco, error Begardorum, & Biguinarum; quod .f. quælibet intellectualis natura, in se ipsa, naturaliter est beata; quodq; anima non indiget lumine gloriæ, ipsam eleuante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum; ergò error istorum erat; Intellectum, uiribus naturæ, elicere visionem Dei, absq; aliqua eleuatione ordinis supernaturalis; & ex cōsequenti, negabant, non solum lumen habituale, sed omne lumen gloriæ, etiam actuale.

§. V.

2. concl. 16 Dico secundò, qui in Vniuersum negaret, dari in Beatis, de facto, ad videndum Deum aliquod lumen ordinis superioris; hic profectò Hæreticus censendus esset, post Conc. Vienn. manifestè patet hæc conclusio, ex ipso Concilio; quod quidem huiusmodi errorem apertè damnat.

3. concl. 17 Dico tertiò, qui negaret, dari in Beatis, de facto, ad videndum Deum lumen habituale gloriæ; licet non esse Hæreticus formaliter: tamẽ temeritatis notam non aufugeret; ita communiter sentiunt qui nostræ primæ assertioni fauent; Putean. Mol. Valen. Suar. Banies Salas Pezāt. Lorca Sot. Zum. Lusit. præsertim Puteanus loco cit. Mol. Valen. Suar. Ban. Salas. Pezant. Lorca, & alij; Immò hoc erroneum esse, probat Sotus in 4.dist.49.q.2.ar.4.dum ait: *dari lumen gloriæ habituale; vel esse determinationem Ecclesiæ, vel esse ei quam simillimam.* Cui videtur accedere Zumel, & alij, cum quibus nouissimè concordat Lusit. art.2.cit. concl.6.nu.26. Quod dictum probari potest: nam satis credibile est, Concilium accipere lumen gloriæ in sensu, in quo illud tunc temporis accipiebant Scholastici, apud quos de hac re erat maxima controuersia. Sed Scholastici disputabāt de necessitate luminis habitualis; vt ostēdit Capreolus in 4.d.49.q.4.art.3.& alij; Capreol. ergò satis probabile est, Cōcilium damnare negantes tale lumen habituale: &, ex consequenti, nedum temerarium, & periculosum est hoc negare, sed erroneū.

18 Confirmatur, quia de fide est, hominem Iustificari, formaliter, per Gratiam, & Charitatem: (ex Trident. sess.6. Trid. cap.7.) sed accedit ad Fidem, Gratiam, & Charitatem; quibus iustificamur formaliter, esse qualitates permanentes, ex cōmuni doctrina; ergo hoc idem dicēdum est de lumine gloriæ.

19 Adde, quod, de facto, illi felicissimo Statui tribuere debemus quidquid perfectionis possibilis excogitari potest; sed, Deum videre, modo connaturali, maxima perfectio est; ergò hoc modo dicendum est, Beatos de facto Deum videre: Ast connaturalius videtur Deus habitu luminis gloriæ, quam actu; Igitur fateri, videtur necesse, Beatos, lumine habituali, de facto videre Diuinam Essentiam.

Corollarium contra Mayron. & Bassol. 20 Ex dictis sequitur, lumen gloriæ non poni tantum ad decorem, & ornamentum intellectus, (prout docuerunt Mayron. in 3.dist. 12.q.2. in vltimis verbis, & Bassol. in 3.dist.14.q.1.art.1. *§. sic ergò.*) quę sententia post Conciliū Vienn. hæretica censenda est; quia præfatum Concilium definiuit, animam indigere lumine gloriæ, per quod eleuetur ad videndum Deum; ergò lumen non datur ad ornamentum; sed in ordine ad Visionem ipsam; Vnde Scot. in 4.dist.49.q.11. Scot. lit.G. *§. ex hoc sequitur Corollarium*; inquit, *Non potest poni aliqua forma in Beatis, solum ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionem.*



DISPVTATIO SECVNDA.

In quo nonnulla breuiter, & facilè expenduntur, quæ diffusè, & confusè solent ab aliquibus pertractari, circa modum, quo, tàm intellectus, quàm lumen, ad Visionem concurrunt.

CAPVT PRIMVM.

Tàm Intellectum, quàm lumen actiuè concurrere ad visionem Beatam.

§. I.

1. supponendum intellectum actiuè concurrere ad visionem beatificam.

1 Rimò loco supponendum est, ex his, quæ diximus in quodl. de verbo mentis: intellectum Beati actiuè concurrere ad actum visionis Beatificæ; cum existimem, implicare contradictionem, posse potentiam vitalem cognoscitiuam circa suum obiectum ferri, per actionem, nō productam ab ipsa: quidquid aliqui velint in contrarium. De ratione .n. intrinseca, & essentiali actionis Vitalis est, quod sit à suo principio vitali, actiuè; in quo, vt actio immanens, recipitur; aliàs non esset immanens, sed transiens: Si, ver. gra. Deus illā produceret, & infunderet intellectui; sicuti producit, & infundit habitus supernaturales, & infusos. In quo autem consistat formaliter intellectio, explicabimus in citato Quod.

§. II.

2. supponendum etiam lumē gloriæ actiuè concurrere.

2 SEcundò loco supponendum est; lumen gloriæ, etiam actiue cum intellectu concurrere ad Visionem: Ita cōmuniter DD. qui in superiori supposito nobiscum conueniunt, & lumen gloriæ non reijciunt: quod inde efficaciter suadetur: quia, cum Deus non possit, intuitiue, sicuti est, videri ab intellectu creato, proprijs ipsius intellectus viribus; (siquidem Deus, licet sit intra latitudinē obiecti adæquati potentiæ intellectiuæ creatæ; est tamē extra latitudinem obiecti proportionati,) ad hoc, vt intellectus sic diuinam intueatur essentiam, indiget eleuari per aliquam formam ordinis superioris, per quam cōstituatur in eodem ordine cum ipsa re intelligenda; ita vt obiectum proportionetur ipsi potentiæ; item indiget compleri in sua virtute, quę de se incompleta est, & inchoata, dumtaxat, in ordine ad tale obiectum; & sic cōstitui potens illud attingere; Formam autē eleuare potentiam ad operandum; illam constituere potentem, ac in sua virtute complere, vt possit elicere operationem, nō possumus intelligere, absq; eo, quod dicamus, illam formam, simul cum potentia, concurrere, & in ipsam operationem influere, actiuè, (vt de se patet:) ergo, cum intellectus creatus eleuetur per lumen gloriæ ad videndum Deum; constituatur in eodem ordine supernaturali; & potens beatificam elicere visionem; compleaturq; in sua virtute actiua; necessario fatendum est, lumen gloriæ actiuè etiam cum ipso intellectu ad eandem visionem concurrere.

3 Quod potest etiam, & alia ratione ostendi, ex Vasq. disp. 43. c. 5. num. 25. Vasq. quam, esse à posteriori optimam, ait Lusit. lib. 10. q. 3. ar. 1. §. 2. n. 17. Quando aliquod agens, ad eliciendum suam operationem, indiget aliqua qualitate; ita vt, sine ea, effectum suū producere nequeat; & cum illa, de facto producat; proculdubio talis qualitas erit actiuè principium illius effectus, vel conprincipium; sed intellectus creatus, sine lumine gloriæ, nequit visionem intuitiuam diuinæ Essentiæ producere; & cum lumine, illam elicit; ergo, dicēdum est, lumen gloriæ actiuè in visionē, simul cum intellectu creato, influere. Lusit.

4 Tandem addi potest, & alia ratio po-

potissima, ex philosophicis principijs deducta. Est communissimum in philosophia proloquium, desumptum ex Arist. in libris de Cælo; quod *principium operandi sequitur principium essendi; & ad esse sequitur operari*; ita vt forma, quæ constituit aliquod ens in tali esse, sit etiã in illo ente principium actiuum operationum connaturalium tali esse: Hoc modo anima, quæ dat esse humanum homini, dicitur in homine esse principium actiuum operationum humanarum: forma ignis, quæ dat esse igneum igni, dicitur esse in ipso igne principium actiuum igniendi; Et calor, qui dat esse calidum calido, dicitur esse in calido actiuum principium calefaciendi; Sed lumen gloriæ, natura sua, dat esse supernaturale, & ordinis Diuini intellectui creato, in ordine ad actum beatificæ visionis (vt certũ est apud omnes Theologos, qui lumen hoc admittũt) ergo est in intellectu actiuum principium huiusmodi operationis supernaturalis, & ordinis Diuini; nempè, Visionis Beatæ. Hoc, autem, qui negaret, non esset in fide tutus, supposita actiuitate intellectus creati in ordine ad visionem, vt benè aduertit Lusit. loco cit. §. 3. num. 25. non posset. n. aliter intelligi, quomodo lumen gloriæ compleat virtutem actiuam intellectus, in ordine ad visionem, nisi dicatur esse virtus actiua visionis ipsius; Immò Zumel. q. 12. ar. 5. q. 1. concl. 5. *§ item in Clement.* Medina p. 1. q. 3. art. 3. concl. 2. in principio; Et Petrus Ledesma de Diuina perfectione q. 8. in 2. concl. docent absolutè, id, sine periculo fidei, negari non posse.

Arist. Principium operandi sequitur principium essendi.

Lusit.

Zum. Medina Petr. Ledes.

§. III.

Obiectio. 5 NEquè valet; ex eo, quod lumen sensibile non est principium actiuum visionis sensitiuæ; nec lumen intelligibile intellectionis naturalis, (vt dicitur in libris de anima.) colligere, à simili, quod nec, per consequens, lumen gloriæ est principium actiuum Visionis Beatificæ; Nam dispar est ratio: non. n. intellectus, & Visus recipiunt naturalitatem videndi, & intelligendi, à lumine, siuè intelligibili, siuè sensibili; sicuti intellectus videns Deum recipit suam supernaturalitatem ex lumine gloriæ. Hinc est, quod diuerso modo, concurrit lumen gloriæ cum intellectu, ad Visionem Beatam; ac lumen intelligibile naturale ad intellectionem naturalem; & lumen sensibile ad visionem sensibilem; Hæc. n. lumina concurrunt, tantum, vt media, *sub quibus* obiecta intelligibiliter apparent intellectui, & oculis; at verò lumen gloriæ concurrit etiam, vt principium vidẽdi, intrinsecè actuans intellectum; seu, vt Virtus ipsius; & sic, vt *quo*. Intellectus. n. respectu visionis Beatificæ, concurrit, vt potentia eliciens ipsam Visionem; & sic, vt principium, *quod* proximum; nam, absolutè loquẽdo, Anima est propriè principium, *quod*, cuiuscumquè actionis vitalis: Potentia, Verò, potius, respectu animæ, dicitur principium *quo*: Nos tamen, comparando potentiam cum eius virtute, seu lumine; dicimus, potentiam posse dici principium *quod* proximum; eius vero Virtutem, seu lumen, principium *quo*: Animam autem, principium *quod* radicale, & remotum.

Solutio. Nota disparitatem inter lumen naturale, & lumẽ gloriæ.

6 Vnde sequitur, Intellectum, & lumen non esse duas causas omninò partiales in ordine ad Visionem; sicuti duos æquos currum trahentes: quorum alter, & si nequeat, se solo, currum totaliter trahere: potest tamen, se solo, currum mouere, & aliqualiter trahere: Non sic intellectus, & lumen gloriæ; nam Intellectus, absq; lumine, saltem secundum legem ordinariam, nullo modo potest in Visionem Beatificam; nec lumen gloriæ sine Intellectu: sed posse dici duas causas partiales totales: partiales, quidem, partialitate causæ: neutra. n. sine altera valet visionem, vllo modo, producere: totales, verò, totalitate effectus: non. n. pars visionis tribuitur intellectui, & pars lumini: sed tota Visio in intellectũ refunditur, & tota in lumen; Vel etiam, posse dici duas causas, absolutè, totales, subordinatas; & duo principia totalia: alterum totale, vt *quod*, tamquam Visionem eliciens; & alterum totale, vt *quo*, & tamquam formã, intrinsecè actuãtem ipsum intellectum, eiq; dantem esse Diuini ordinis. Non excludimus tamen ipsum lumen à ratione etiam medij *sub quo*: qua ratione quodlibet aliud lumen potitur; sed dicimus, præter hanc rationem, habere aliam etiã principij *quo*. Vel tandem dicere possumus, Intellectum, & lumen esse Vnicam causam, Vnicumq; principium intellectionis; quemadmodum Ignis, & calor vnicum principium sunt calefactionis, licet Ignis calefaciat, vt *quod*: Calor verò, vt principium *quo*: & vt virtus. Ita à pari, Intellectus intelligẽs, vt principium *quod*: & lumen, vt eius Virtus, seu virtutis augu-

Intellectus. & lumen gloriæ sunt duæ causę partiales totales visionis beatæ, vel duo causæ subordinatæ.

Nota.

Vel possunt dici vnica causa, & vnicum principiũ visionis.

augmentum, principium, *quo* dici possunt vnum intellectionis principium.

CAPVT II.

An Intellectus habeat aliquam virtutem sibi innatam, & connaturalem in ordine ad hanc visionem Beatam?

§. I.


Quo pacto in lellectus dici possit concurrere ad visionem visua cō naturali.

1 AN autem lumen gloriæ sit tota vis creato intellectui ad intelligendum: an verò etiam intellectus, sua propria actiuitate sibi innata, & distincta à virtute, per lumen ei super addita, influat in visionem? non est concors scholasticorum sententia. Ego tamen, quicquid multis cæteri, circa hoc, docent; dicerem, nullo pacto dici posse intellectum, vi sua naturali, & distincta à virtute, sibi à lumine communicata; in visionem influere: alias enim oporteret, in visione assignare effectum, illi naturali virtuti, & actiuitati intellectus, respondentem; qui necessariò naturalis esse deberet; & in visione nil naturale potest effingi, cū sit, & secūdum substantiam, & secundum modum, totaliter supernaturalis. Potest tamen dici, concurrere ad visionem visua propria, sibiq. naturaliter indita obedientiali, prò vt, roborata, & eleuata per lumen, quæ virtus, licet entitatiuè sit naturalis, in quantum identificatur cum ipsa entitate potentiæ naturalis; Est tamen, formaliter, initiatiuè, & connotatiuè, supernaturalis; in quantum dicit ordinem ad Deum agentem supernaturalem; cui, in omnibus, contradictionem non inuoluentibus, subijcitur; Et eleuata postea per principium supernaturale, fit omninò eiusdem ordinis supernaturalis: Itá vt, eadem, secundum se totam, refundatur in ipsum intellectum; Eademq. eodem modo, in lumen gloriæ; Et hinc est, quod dicitur virtus inchoata; quia habet in se principium potestatiuum, ad hoc, vt eleuetur ad ordinem Diuinum. Et lumen dicitur in eo cōplere virtutē intellectus, quia, illum eleuando, perficit id, quod tātum inchoatiuè erat in eo; Sed de hac virtute, seù potentia obedientiali actina erit peculiaris sermo cum, (Deo dante) de Gratia disputabimus infra quodl. De Causa Gratiæ.

Cur virtus intellectus dici tur inchoata.

2 Itaq. vt quædam ambiguitas tollatur, not. est, ex dictis, quod virtus, seù actiuitas intellectus bifariam dici potest naturalis; si secundum se consideretur, et entitatiuè. Primo itá vt, ly *naturale* idem sit, ac à natura datum, vel tamquā essentia, vel vt dimanans ab essentia. Secundo ita, vt, ly *naturale* sit idem, quod trascendentaliter respicere obiecta, actione agentis naturalis ab eo perceptibilia: priori mòdo dicitur naturalis, tàm in ordine ad obiecta naturalia, quàm supernaturalia; quia illa ipsa est, qua intellectus, & naturalia, & supernaturalia intelligit. Secundo verò modo solum dicitur naturalis, per ordinem, ad obiecta naturalia; nam respectu obiectorùm supernaturalium, nec est, nec dicitur naturalis, sed obedientialis. Cum ergò dicitur intellectus concurrere, actiuè influendo in visionem Beatificam, vi sua naturali; intelligendum est de naturalitate; primo modo accepta. Siquidē illa vis, qua concurrit, est sibi à natura data; Et quia eadem vi naturali hoc modo respicit, tàm obiecta naturalia, quàm supernaturalia, ad hoc, vt influat intellectus per hanc vim in visionem, tēdentem ad obiecta supernaturalia; necesse est, eleuetur ad esse eiusdem ordinis supernaturalis, modo exposito: Et hac doctrina tollitur omnis æquiuocatio: & optimè intelligitur; quomodo intellectus non concurrit ad visionem per vim aliquam naturalem, distinctam à virtute, quam sibi communicat lumen gloriæ; cum in visione non distinguantur huiusmodi virtutes, & actiuitates; sed per eandem influant intellectus, & lumē: prò vt latius infra disp. 3. cap. 1. à num. 5.

Nota duplici ter dici posse naturalē virtutem intellectus.



CAP.

CAPVT III.

An intellectu concurrat, vt cauſa principalis; an verò, vt inſtrumentalis ad viſionem Beatam?

§. I.

Intellectus concurrit vt cauſa principalir ad viſionem.

1 VIdetur, ex dictis, poſſe colligi deciſionem alterius cõtrouerſiæ, quas DD. diſputant: An intellectus ad viſionem concurrat, vt cauſa principalis; an verò vt inſtrumentalis? Et licet Suar. 1. to. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. in ſolutione 4. argum. *§. mihi verò dicendum videtur*, & lib. 3. de auxilijs cap. 15. nu. 10 & in metaph. diſp. 30. ſect. 11. num. 26. & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 10. num. 14. Medina etiam 1. 2. q. 3. ar. 2. dub. 1. & pauciſſimi alij dicant, intellectum, in viſionem Diuinæ Eſſentiæ, influere merè Inſtrumentaliter: & alij DD. alia incedant via: Nos tamen, breuitati conſulẽtes, in rebus nõ tàm difficilibus, dicimus; Intellectum elicere viſionem Beatam, vt cauſam principalem, in genere ſuo: hoc eſt; non principalem primam: ſed principalem ſecundam: quo pacto poterit dici, non incongruè, concurrere, vt cauſam inſtrumentalem, largo modo: quatenus quælibet cauſa ſecunda, in quantum à prima in operari dependet, dici poteſt inſtrumentum, vel quaſi inſtrumentum primæ cauſæ; ita Vaſq. 1. p. diſp. 43. cap. 4 ad finem; & diſp. 176. quam ſententiam vt probabilem refert idem Suar. lib. 3. de Auxil. c. 15. num. 19. in fin. eidem ſententiæ adhærent Bañes q. 12. art. 5. dub. 3. contra tertiam ſententiam; & ad vltimũ art. in fine art. Zumel diſput. 2. *§. Cæterũ vrget vlterius*. & *§. ſecundo perſuadetur*; Et generaliter, de intellectu, in ordine ad actus vitales, hoc idem probat tom. 2. ad 1. 2. q. 109. art. 1. diſp. 1. concl. 2. & ad 6. arg. & ar. 4. ad 2. Nauarret. 1. to. contro. 39. §. 1. concl. 1 Salas 1. to. ad 1. 2. q. 3. tractat. 2. diſp. 5. ſect. 5. num. 74. Cabrer. 3. p. q. 9. art. 2. diſp. 11. §. 2. concl. 1. num. 36. Peruſ. Ledeſ. de Diuina perfectione in ſub articulo art. 8. concl. 1. C. D. & tãdem Luſit. noſter lib. 10. q. 3. art. 5. §. 2. n. 8.

Suar. Medin.

Quopacto poſſit dici cã inſtrumẽtalis

Vaſq. Suar. Bannes, Zum. Nauarr. Sal. Cabre. Pat. Ledeſ. Luſit.

2 Quæ ſanè ſententia videtur communior, & rõni conformior: ſi .n. intellectus ſua vi naturali, modo ſupra expoſito: eleuata tñ, roborata, & cõpleta per lumen gloriæ, ad viſionẽ cõcurrit; ità vt, ſimplicet, intellectum intelligere, Intellectione nõ elicita per ipſum, vt ſupra annuimus, & ſuo loco latius demoſtrabimus, cur ei deneganda eſt principalitas?

3 Nec obſtat eleuatio: nam licet Agentia actione tranſeunte, cum eleuantur ad huius generis effectus, operentur, vt vera inſtrumẽta virtutis eleuãtis: Agẽtia tamen per actionem immanentem, quando eleuantur ad aliquod obiectum, (quod, & ſi eis ſit adæquatum extenſiuè, non tamen eſt illis proportionatum) non eleuantur, vt vera Inſtrumẽta: ſed vt cauſę principales; quæ, virtute ſibi innata, & incompleta; influunt in actiones; prò vt dictum eſt ſupra quodl. 3. diſp. 1. cap. 1. nu. 23.

Occurritur tacitę obiectioni.

§. II.

Corollarium cont. Suar.

4 SEquitur etiam ex dictis; non rectè Suar. 3. p. diſput. 31. & lib. 3. de Auxilijs cap. 15. num. 20. in 1. arg. & alibi; tribuere cauſæ principali, quod per virtutem, aut nobiliorem, aut æquè nobilem, cum effectũ, influat in Actionem, per quam effectus producitur, Idq. per virtutem; ſibi propriam; non ſolum, quia eſt innata, & intrinſeca: ſed etiam, quia ex ſe, illam habeat, ità effectui proportionatam, vt præter generalem concurſum primæ cauſæ, (quem ſibi poſtulat, quatenus eſt ens participatum) nulla alia indigeat eleuatione; quod eſt potiſſimum huius Doctoris fundamentum, potius ſuppoſitum, quàm probatum ab illo; cum Illud probare debuiſſet; nam (vt egregiè Noſter Luſitanus loc. cit. §. 4. nu. 54. licet de ratione cauſæ principalis ſit, quod agat virtute propria ſibi intrinſeca, & innata; & hoc, modo naturali: non tamen verum eſt, quod ſit neceſſe, vt virtus illa ſit completa, nulla indigens eleuatione: ſed ſufficit, quod cauſa principalis habeat virtutem Innatam, ſibi propriam, ſaltem, incompletam: & quod, Saltem eleuata, attingere valeat effectum. Ità etiam docent Salas 1. to. ad p. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. num. 76. & Zumel. 2. to. ad eandem 1. 2. q. 109 art. 1. diſp. 1. §. *etiam ad argumentum*; Et ratio huius eſt: quia repugnat inſtrumentum, continere in ſua natiua virtute effectum, ad quem; inſtru-

instrumentaliter tantum concurrit: Cũq. Intellectus contineat in sua illa naturali, ac innata virtute, licet Inchoata, visionẽ ad hanc, Beatificam, nullo pacto dicendus est concurrere, vt Instrumentum, sed, vt causa principalis, ad Illam.

Nota

5 Vbi aduerte, quod cum intellectus in visione Beata eleuetur ad operandum intra idem genus, quod naturali virtute potest attingere; & solum eleuetur ad agendum in specie altiori, quam illa sua naturali virtute possit efficere, semper dicitur retinere, etiam, in visione Beata, modum agendi causę principalis. Non est autem simile in agentibus per actionem transeuntem: v. g. quando eleuatur aqua baptismalis ad producendam gratiam in anima, non dicitur eleuari ad agendum intra idem genus, quod naturali virtute potest aqua attingere; licet, in specie altiori: tum quia gratia non continetur sub eodem genere, quod natiua sua virtute potest aqua efficere; Aqua enim naturali virtute sua, tantum potest frigefacere; & ad omne id, quod sub frigefacere continetur, dicetur proculdubio aqua principaliter cõcurrere; Sed quis vnquam dicet, Gratiam sub frigefacere contineri? cum videre Deum contineatur sub intellectione; Vndè, licet aqua, vt agens principale, frigefaciat, quando tamen eleuatur ad producendã gratiam, non poterit ad eam cõcurrere, nisi vt Instrumentũ; Quẽadmodũ si intellectus aliquis creatus eleuetur ad producẽdũ ignem in stuppa, tunc certè non concurreret ad talem ignis productionẽ, principaliter, sed merè instrumẽtaliter: Siquidẽ ignis productio non continetur sub eodem genere, quod natiua sua virtute efficere potest intellectus.

2. potentia obedientialis in entibus nota.

6 Vndè possumus in entibus creatis duplicem distinguere potentiam obediẽtialem: Alteram, merè obedientialem: alteram, verò, obedientialem mixtam (vt ita dicam) Potentia obedientialis merè, illa dici potest, secundum quam aliquod eleuatur ad effectum, respectu cuius nullam prorsus aliam habet illud ens propriam efficientiam; sed tantum ad illum concurrit in virtute simplici Eleuantis, & præcipui operantis; Huiusmodi est potentia obediẽtialis rerum inanimatarũ; cum enim aqua eleuatur ad producendã gratiam, nulla prorsus virtute propria; sed omninò, extranea, nempè, Dei eleuãtis, ad Illam concurrit, Et etiam huius generis est potentia obedientialis potentiarum vitalium, in ordine ad effectus transeuntes, ad quos possunt eleuari à Deo; respectu quorum nullam prorsus habent vim naturalem: vt si eleuaretur oculus ad producendum ignem, &c. At potentia Obediẽtialis mixta ea dicetur, secundum quam potentiæ vitales eleuantur ad producendum actum vitalem Superioris ordinis, intra idem tamen genus; quod earum vi natiua, ac propria efficere possunt: Cuiusmodi est ea, secundum quam eleuatur intellectus ad videndum Deum &c. Intellectus .n. sua vi innata, ac propria, habet transcẽdentalem respectum ad obiectum, sub ratione abstrahente à naturali, & supernaturali, & indè est, vt, ex sua natura, respiciat actus supernaturales, per virtutem radicalem, inchoatam, habentem obedientiam, vt possit ad illos eleuari.

7 Cuius discriminis non leue argumentum est; quod ad actus illos, ad quos eleuantur non viuentia, seù agentia per actionem transeuntem, possunt, & alia diuersarum specierum, imò prædicamentorum eleuari; v. g. quando Deus eleuat aquã ad producendam gratiã: potest eleuare ignẽ ad eãdem gratiam producendã: Lignum, Stuppam, lapidem, Albedinẽ, & quicquid aliud: nã productio gratiæ nullam habet cõnexionem essentialem, seù naturalem, cũ aqua, quam nõ habet cũ ignẽ, lapide, &c. vbi quando eleuatur intellectus ad Visionem Beatam, taliter eleuatur ad illam producendam per hãc potentiam, vt nõ possit eleuari quicquid aliud immaginabile ad eandem visionem: nam intellectio essentialiter depẽdet ab intellectu, ita vt nec p Dei omnipotentiam valeat ab alia potentia, etiã vitali, quæ non sit intellectus, produci; Immo, neque eleuari potest intellectus vnius ad producendam in alio intellectionem, per quam intelligat, (vt suo loco ostẽdam.) Argumentum inquam hoc est quod, & si aliqua entia eleuata per potẽtiam obedientialem meram, ac simplicẽ; ad actus, & effectus superiores, concurrãt ad illos merè instrumentaliter: Potentiæ tamen vitales, quando eleuantur, media earum potentia obedientiali mista, ad actus Superiores, intra tamen Illud genus, quod naturaliter efficere possunt, concurrunt vt causæ principales: non verò instrumentales; Nam, licet etiam dicantur potentiæ vitales eleuatæ operari in virtute principalis eleuantis; non ex hoc sequitur, operari instrumentaliter;

nam

nam tunc instrumentaliter dicitur agēs operari, quando in sola virtute alterius, & nullatenus propria, operatur. Potentię autem Vitales verè operantur in virtute propria: radicali, tamen, & inchoata; perfecta verò, & completa, vi luminis eleuantis.

Quæ nā causa principalis debet esse perfectior, vel æque perfecta, ac suus effectus?

8 Cū verò Suar. asserit, causam principalem debere esse, vel ęquè perfectam, vel suo effectu perfectiorem; quo pacto esse nequit intellectus sua incompleta, & inchoata Virtute, respectu Visionis Beatificæ. Ad hoc possumus respondere, propositionem illam verificari de causa cōpleta, dumtaxat: non verò de incompleta. Cui addo, quod etiam intellectus, secundum quod habet virtutem illam radicalem propriam, & innatam, seu incōpletam, & inchoatam, dicitur simpliciter perfectior ipsa Beatifica Visione: Siquidem omne id, à quo aliud essentialiter in suo esse dependet, & in cuius Virtute essentialiter quomodolibet cōtinetur, perfectius est eo, quod ab ipso dependet, & quod continetur in sui virtute; cumque visio Beata essentialiter dependeat ab intellectu, & in eius virtute, quantumcumq; inchoata, essentialiter contineatur; consequens est, intellectum perfectiorem esse quocumque suo actu, etiam ipsa beatifica visione; & licet, ratione supernaturalitatis, dici possit visio quodammodo perfectior intellectu: hæc maior perfectio est *secundum quid*, non *simpliciter*.

CAPVT IV.

Quomodo Intellectus per Gratiam, per Diuinam Essentiam, per Habitus infusos, & per lumen dicatur eleuari, roborari, etc.

§. I.

Difficultas.

1 SEd hic oritur non leuis difficultas contra dicta: nam, certum est, quod, antequam intellectus informetur lumine gloriæ, supponitur eleuatus ad ordinem Supernaturalem, & Diuinum: per gratiam namq; habitualem, & habitus infusos, qui supponuntur, & in essentia, & in potentijs animæ; proculdubio efficitur tota anima ordinis Diuini, & eleuatur ad esse supernaturale. Item, dictum simili modo est supra quodl. 4. multis in locis, quod Essentia Diuina, quando vnitur intellectui Beati, eleuat illum, roborat, constituit in actu primo, complet actiuitatem illius, & concurrit cum eo ad Visionem actiuè, Illumq; determinat ad hūc, speciē, actū, &c. cum tamen vnicam agnoscamus eleuationem in intellectu: Vnicum principium cōstitutiuum illius in actu primo, Vnicumq; conprincipium completiuum virtutis eius, & non totuplex.

Soluitur. Quomodo anima per gratiam eleuetur, eiusq; potentiæ per habitus infusos.

2 Cęterum ad primum horum, de gratia habituali, & habitibus infusis, dicendum est; verum esse, per gratiam, animam eleuari ad ordinem Diuinum, & supernaturalem; nec indigere alio principio eleuante illam ad eundem ordinē: cum gratia habit. habeat rationem essentiæ, in ordine Supernaturali, (vt alibi dicitur;) Ita etiam per habitus infusos, ipsam gratiam comitantes, eleuari potentias, in quibus illi habitus subiectantur; & respectu illorum actuum, ad quos illi habitus ordinantur, non indigere aliquo alio nouo habitu: Verum, respectu aliorum actuum, ad quos non ordinantur habitus illi; dicimus, proculdubio debere potentias eleuari: Cumq; Nullus habitus infusus, gratiam habitualem concomitans, eleuet intellectum ad actum Visionis claræ Diuinæ Essentiæ, (vt certum est,) eam ob rem ponitur in Patria lumen gloriæ; per quod dicitur eleuari intellectus formaliter ad ordinem Diuinum, ad hoc, vt clarè Diuinam intueatur Essentiam; Et medio intellectu sic eleuato, dicitur etiam Anima eleuata in ordine ad eosdem actus.

Discrimē inter modum concurrendi Diuinæ Essētiæ, & luminis cum intellectu, illudq; determinandi, & in actu primo cōstituendi.

3 Ad alterum, de Diuina Essentia vnita Intellectui Beati. In primis dicimus, quod, non obstante actiuitate luminis gloriæ, ipsa Diuina Essentia actiuè concurrit cum intellectu, per modum obiecti extrinsecè assistentis; cum lumen gloriæ influat per modum formæ intrinsecè actuantis ipsum intellectum: Et eodem modo dicitur Essentia Diuina intellectum determinate ad hunc speciem actum; cum lumen gloriæ se habeat vniuersalius; nam, si per possibile, vel impossibile, Deus alicui daret lumen gloriæ; & nollet palam fieri eius intellectui; tunc, per tale lumen, esset ille potens intueri omnia alia obiecta supernaturalia; v.g. Sanctorum merita, gratiam, gradus gloriæ, &c. Item, quod Diuina Essētia compleat actiuitatem intellectus: extrinsecè

tamen, & in ratione obiecti; non minus est certum; nam ex obiecto debitè approximato, & palam facto; & potentia aptè disposita, pariter notitia. Per lumen gloriæ intellectus aptatur, & disponitur ad videndum Deum; Diuina autem Essentia est ipsum obiectum visibile, quod nisi præsentetur, vel per se, Vel media sui specie potentiæ cognoscenti, nunquam parietur Visio.

4 Et quia diximus, intellectum habere, ex se, virtutem inchoatam respectu visionis; completur intrinsecè per lumē, per quod eleuata talis incōpleta virtus, iam fit completa, potens in visionem; & per obiecti manifestationem, ac concursum ad actum, proximius dicitur, & adæquatè compleri. Ità etiam dicitur Diuina Essentia constituere intellectum proximè in actu primo; nunquam .n. intelligitur potentia proximè potens exire in actum suum, nisi prius, saltem prioritate naturæ, habeat suum obiectum debitè approximatum sibi, & manifestatum; cum tamen; etiam lumen gloriæ (quicquid Lusitan. & alij negent, absq; probabili fundamento,) cum det intellectui, posse in Deum ferri; & simul Deum ei manifestet, vt obiectum clarè videndum, proculdubio dicatur constituere intellectum in actu primo; inadæquatè tamen; nam si Deus nolit se manifestare; etiam posito lumine, per possibile, vel impossibile; non poterit intellectus in actum claræ visionis exire: & adæquatè dicetur in actu primo proximè constitutus, posito lumine, & palàm potentiæ facto obiecto; sicuti, si per impossibile, posset Deus se manifestare intellectui; nulla eleuatione Virtutis in intellectu facta; neq; diceretur intellectus adæquatè in actu primo constitutus: quia nec posset in tali casu actum visionis elicere.

§. II.

Quomodo per Essētiam Diuinam dicatur eleuari intellectus.

5 Difficultas, tamen esse posset, circa eleuationem; siquidem, per lumen gloriæ, supponitur sufficienter, & intrinsecè potentia eleuata ad ordinem supernaturalem, & Diuinum: Frustranea igitur erit illa noua Diuinæ Essentiæ eleuatio. Ad hoc dicimus; quod dicitur Essentia Diuina eleuare potentiam, obiectiuè; non formaliter, Vel, potentialiter, & Virtualiter: Hoc est, si Deus, dato casu, (de quo infra) non daret Beato lumen gloriæ habituale, potens esset Diuina Essentia eleuare eius intellectu, siue id præstaret per auxilium, & suum specialem concursum; quo cum intellectu concurrit ad actum visionis; siue per aliquam aliam qualitatem, a lumine distinctam; si fit possibilis talis qualitas; siue aliquo alio modo; licet non esset in eo casu connaturalis modus intellectui operandi; sicuti cum lumine habituali connaturaliter operatur; eo modo, quo dici solet à Theologis, voluntatem connaturaliter Deum diligere cum habitu charitatis; non tamen connaturaliter cum auxilio; licet etiam cum auxilio diligat; & idem de omnibus alijs actibus supernaturalibus, qui cum habitibus connaturaliter eliciuntur: cum auxilio, tamen; licet elici possint à potentijs, per ipsum auxilium eleuatis: non tamen eliciuntur connaturaliter: ita in proposito, intellectus eleuatus lumine habituali, connaturaliter Deum videt; at si Deus vellet ab aliquo clarè videri absque tali habitu; tunc, medio auxilio, vel aliqua alia qualitate, saltem, transeūte; vel per concursum suum, eo saltem modo, quo dicitur visus fuisse à Paulo, Moyse, & alijs, eleuaret illius intellectum ad se clarè videndum; non tamen hic videndi modus esset ei connaturalis; sed an possit sine lumine videri? infra disputabimus in sequentibus disputationibus.

§. III.

Insurgit Dur. lumen non augere virtutē intellectus

6 Et quia, sæpè dictum est, & sæpius dicemus, lumen gloriæ complere, & augere virtutem intellectus ad intelligendum; potest esse contra hoc argumētum Durandi; Nam, vel augeri vim intellectus est, ipsam intendi, & fieri maiorem intensiuè, vel extensiuè, per adiunctionem alterius coagentis: neutro modo potest augeri: nam, non primo; tum quia intellectus non suscipit magis, & minus; tum quia, quod facit formaliter magis tale est ipsum conformiter tale: Calor.n. non fit maior, nisi per adiunctionem caloris: at lumen non est intellectiuum: quia sic esset potentia intellectiua; non secundum, quia tunc intellectus, & lumen essent duo agētia partialia respectu visionis; & consequēter lumen etiam esset potentia intellectiua: quod non est concedendum; ergo non potest dici lumen complere, & accipere Virtutem intellectus.

7 Respondeo; hoc argumētum æquè mili-

militare contra omnes habitus infusos, respectu actuum supernaturalium: quos tamen, certum est, fieri à potentijs corroboratis per illos habitus. Vt igitur illud soluat Vasq multa dicit disp. 43. ar. 8. quibus omissis, dicimus, quod lumē gloriæ auget vim intellectus, vt ratio agendi: Est .n. respectu visionis Dei, & quorumcumq; obiectorum supernaturalium, principium, quo intellectus redditur potens complete, in ratione potentiæ, qui ex se, tantum, potest intelligere Deum: non tamen clarè, & intuitiuè; Nec opus est, vt id, quod est alteri ratio afficiendi aliud, sit eiusdem rationis cum eo; vt constat, primò de specie intelligibili, & sensibili, respectu intellectus, & oculi videtis; secūdo de figura, & duritie, respectu gladij, & securis, quibus vtraq; est ratio scindendi. Tertio de Diaphano, & lucido, quæ est ratio suscipiendi species. Quartò de quantitate, quæ est substantiæ ratio suscipiendi figuram; Igitur poterit lumē gloriæ augere vim intellectiuam, per hoc, quod est illi ratio intelligēdi Deum; non quomodocuuquè: sed clarè, & intuitiuè; Nec inde sequitur, lumen ipsum esse intellectiuum; sicut nec species est intellectiua, aut visiua: Nec intellectum suscipere magis, & minus, propriè loquendo, sicut nec oculus dicitur suscipere magis, & minus per hoc, quod redditur proximè potens ad videndum, per infusionem luminis, & speciei.

Responsio. Quomodo lumē augeat vim intellectus,

§. IV.

7 Hinc patet, non benè de munere luminis gloriæ philosophari Durandum in 4. dist. 49. q. 2. dum ait, illud tantum requiri, vt immutetur, Diuina virtute, modus connaturalis operandi intellectus nostri; qui est, ex sensibilibus, prius cognitis, ad insensibilia peruenire.

Nota contra Dur.

Pro quo est breuiter aduertendum, Durandum ibi negare in visione Beata omnem concursum speciei impressæ; & prætereà illius luminis, quod confortat potentiam, ipsam eleuando: non tamen audet negare, requiri peculiarem concursū Diuinæ Virtutis, Vt Illa Visio fiat: Hanc autem Diuinam Virtutem, dicit, esse necessariam, non vt potentia confortetur; vel Essentia Diuina operetur in ratione obiecti: Sed tantum, vt immutetur naturalis modus intellectus, qui est (si loquamur de humano) ex sensibilibus peruenire ad insensibilia intelligenda: si verò sermo sit de quocumque Intellectu creato; ex essentijs creatis ad ens increatum pertingere.

8 Poßet igitur Durand. vel qui eius vellet opinionem, ex parte, temperare, & diffinitionibus Ecclesiæ accommodare; dicere; quod requiritur lumē gloriæ, tantum, vt, immutetur modus hic intelligēdi: nomine luminis, accipiendo quodcunq; donum supernaturale.

9 Sed hæc opinio, vel omninò falsa est; sic intellecta, vt primò se offert; vel certe, explicata, coincidit cum alijs, quas ipse Duran. reijcit; nam ibi Duran. simul, & semel vult assignare modū, quo Deus clarè Videtur; & ostendere, per illum assignatum, Claram Dei visionem esse possibilem; quod negat, à D. Thoma præstari; qui tantummodo dicit, virtutem intellectus, de se, insufficientem esse; eleuari autem à Deo; nam eo ipso, quod aliquid non potest fieri per vires naturæ ab aliquo, non sequitur, quod possit fieri ab eodem per Diuinam Virtutem, nisi aliud ostendatur; Ita Philosophatur ibi Duran. Ego igitur probo modum, quem Ipse affert, & esse falsum, & non ostendere possibilitatem Visionis Beatæ.

10 Primò: nam, cum dicitur, per lumen immutari naturalem modum intelligendi; vel vult, per id, potentiam in se ipsa, ratione sui, variari, & roborari, vt possit illud attingere, quod antea non potuit; vel non. Si primum: ergo admittit lumen, eleuans potentiam ad visionem efficiendam. Si secundum, ergo admittit potentiam, se ipsa, proportionatam ad actum Visionis Beatificæ.

11 Secundò, vel modus intelligendi variatur sine Vlla permutatione potentiæ, & obiecti; & hoc quomodo potest esse? si .n. omnia sunt sicut antea, quomodo mutatus est ille ordo intelligendi, vt antea talis esset, & postea diuersus? Si cum aliqua mutatione; Peto: quæ est ista mutatio? Si dicatur, per solam receptionem visionis. Contra: quia mutatio ordinis intelligendi antecedit visionē ipsam; Ideò .n. Videtur clarè Deus, secundum Duran. quia mutatus est ordo intelligendi: ergo non potest, pro ratione huius immutationis, assignari ipsa Visio: ergò quid antecedens visionem, quod afficiat potentiam, & faciat illam potentem sic intelligere, cum antea non esset; Et hoc est addere actiuitatem potentiæ. Nam facere, quod oculus modo aliquid Vide-

re possit, quod antea non poterat; est addere illi de nouo aliquid actiuitatis, quod antea non habebat; Cum igitur intellectus antea non posset Intelligere Deum sine dependentia à phantasmatibus; nunc autem possit; signum est, quod aliquid de nouo accipit actiuitatis.

12 Præterea: solus ordo intelligendi Variatus non facit quidquam; nisi, vt id, quod antea poterat intelligi per sensibilia, eodem modo intelligatur, sed sine dependentia ab illis: sed ex sensibilibus non potest intelligi Deus clarè, ergò sublato Impedimento sensibilium, nisi aliud addatur, non erit necesse, intelligi Deum intuitiuè. Maior huius rationis probatur; nam modus intelligendi, cum se teneat ex parte potentiæ tantum intelligentis, nullo habito respectu ad modum, quo cognoscitur obiectum; Variato Illo, nequit iste Variari, nisi aliquid aliud ponatur; & loquimur tantum de Variatione negatiua, de qua videtur loqui Durand. quæ fit, solum, per sublationem alicuius rei, sine positione alterius. *Quod* etiam sic explicatur; Intellectus meus modo, hic Romæ, intelligit præsentia Christianorum Principum bella, quę nostra, & totius Italiæ; imò Christianitatis præcordia adeò vexant; sed cognitione abstractiua, ex consimilibus certaminibus olim visis; siue etiam tantum lectis, vel excogitatis; sicut, eodem modo, intelligit Florentissimam Studiorum Matrem Salamanticam. Si Velis hunc cognoscendi, & intelligendi Subtrahere modum; nempè, abstractiuè: dici ne poterit, quod per solam hanc sublationem abstractionis, absquè positione alicuius positiui de nouo, intellectus meus, modo hic Romæ, intuitiuam haberet Visionem, tàm de præfatis certaminibus, quam de Salamantica Academia? ridiculum id esset asserere: Ita Videtur à simili dicendum in casu nostro; quod, licet subtrahas modum, quo, de facto, noster intellectus Deum in Via intelligit, per cõuersionem .s. ad phantasmata; qui est modus abstractiuè cognoscendi; si nil aliud addatur, & nulla alia fiat positiua mutatio in intellectu; & insuper obiectum nõ fiat nouo modo præsens, .s. vel per se ipsum, vel per sui speciem, non iam emendicatam à sensibus, sed nouo modo in intellectum immissam, & infusam; nullo pacto poterit creata mens Deum clarè, & intuitiua cognitione videre.

13 Valeret hic tamen dicendi modus Durand. quando conuersio ad sensibilia esset nobis impedimento ad claram Dei Visionem; eo modo, quo perspicilli viridis coloris; v.g. sunt oculis impedimento ad videndum parietem album; & sic, illis sublatis, albedinem parietis Vtiquè videt oculi; At non ita se habet Deus clarè visus cum intellectu creato; cum .n. excedat limites sui obiecti proportionati; nedum quatenus annexus est organo sẽsui; sed etiam quatenus creatus intellectus est; Hinc fit, quod indigeat, per aliquid ei superadditum, eleuari, & roborari.

§. V.

14 Ex huc vsq; dictis sequitur, non benè de lumine sensisse Vasq. dum inquit, lumen tantum habere, vt vniat obiectum cum potentia, & suppleat vicẽ eius in agẽdo, tanquam similitudo illius; & hoc esse totum, & Vnicum munus luminis; ita vt totam actiuitatem conferat, ex parte obiecti, non ex parte potentiæ; Hic inquam dicendi modus non placet; quia supponit, intellectum ex se habere quantum actiuitatis requiritur, in ratione potentiæ, ad Visionem Beatificam, & tãtum deesse illi, quod se teneat ad complementum illius, non ex parte potẽtiæ, sed ex parte obiecti; quod totum est omninò falsum. Primò, quia D. Th. ar. 2. q. 12. dicit; in omni Visione requiri Virtutem, ex parte potentiæ visiuæ; & præterea, aliquem concursum ex parte obiecti vidẽdi; & apertè docet, intellectum nostrum, ex se, posito toto concursu ex parte obiecti, non habere virtutem sufficientem. Art. autem 4. probat, intellectum nullam habere sufficientem actiuitatem, ex parte sui, ad Vidẽdum Deum; Et ob id ar. 5. requirit lumen. Refellitur modus dicẽdi Vasq. D. Th.

15 Secũdò: intellectus ad actus fidei, posito toto concursu ex parte obiecti, adhuc remanet improportionatus; & requirit habitum, vel saltem aliquod auxilium ordinis supernaturalis, supplens defectum actiuitatis illius. Item Voluntas, proposito obiecto diligibili per charitatem, & toto, quod ex parte illius requiritur, adhuc remanet improportionata, & non habet sufficientem actiuitatem ad hoc, propter supernaturalitatem illorum actuum; ergò cum visio sit supernaturalissima, posito toto, quod requiritur ex parte obiecti, adhuc intellectus creatus erit illi improportionatus.

16 Tertiò sequitur; nil plus requiri ad vi-

videndum Deum, quam ad intelligẽdum quodlibet aliud obiectũ naturale; quod est falsissimum; nam, sequeretur indè; quod, sicut possumus dicere, intellectũ, natura sua, hominem, ac Leonem intelligere; ita, intelligere Deũ. Sequela patet; quia intellectus ad intelligendum quodlibet aliud obiectum ordinis naturæ, ex se, est aptus; & tantum indiget concursu obiecti, vel per speciem, vel per se ipsum; ergò si nil vltra requiritur ad Videndum Deum; par est ratio de Deo, & de quolibet alio obiecto naturali.

17 Neq; Valet si dicatur; quod concursus, quo lumen concurrit cum intellectu ad Videndum Deum, est supernaturalis; nam cum lumen non sit ordinatũ ad augendam actiuitatem intellectus; semper erit verum dicere, quod ille, quãtum est ex parte sui, ita aptus est ad videndum Deum clarè, quàm ad vidẽdum Angelum, & se Ipsum; quod est falsum.

§. VI.

Refellitur sententia Maior. Marsil. & aliorum.

18 Sequitur etiam ex dictis, nec rectè de lumine philosophari Maior. Marsil. Heruæum; Et alios, qui videri possunt apud Iuniores; dum docent, lumen tãtum requiri, vt sit dispositio quasi materialis ad recipiendam Ipsam visionem. Qui modus dicendi potest dupliciter intelligi. Primò, si supponant, Visionem fieri à solo Deo; & Intellectum tantum passiuè concurrere, illam recipiendo; prout Nominales volunt, & alij plures, (de qua sententia redibit sermo in quod. de Verbo mẽtis, eamquè Implicare demonstrabimus. (Secundò modo potest Intelligi, vt Intellectus concurrat quidem actiuè ad visionem, absquè indigentia luminis: necessarium tamen sit lumen, tantum ad hoc, vt passiuè ipsam recipiat visionem; Ita vt lumen nullo negotio, ad eam actiuè concurrat cũ intellectu Illam eliciente: sed tantum, dispositiuè cum eodem intellectu, visionem in se recipiente.

19 Sed & hic modus dicendi pariter falsus est: nam prius intelligimus intellectum effectiuè elicere visionem, quàm Illam in se recipere: vel ergò Illa Visio, prout elicita, est ordinis naturalis, vel supernaturalis: non naturalis, vt patet; ergo supernaturalis; ergo etiam ad illam eliciendam, præcisè, indiget eleuari intellectus; alias diceretur, Viribus naturæ actũ supernaturalem producere: Quod si eleuari indiget; ergò antequam Ipsam in se recipiat visionem, indiget qualitate eleuante, & ex consequenti, nedum indiget lumine gloriæ ad visionem recipiendam, quàm ad visionem eliciendam.

20 Quę ratio potest etiam confirmari; quia est contra naturam potentiæ vitalis, quæ cum sit, respectu operationis suæ, principium effectiuum, & passiuum; non est maior ratio, cur sit alicui operationi improportionata, in recipiendo, & non in agendo; nam ad quid seruiret cõpleta ratio effectiua, si deesset passiua?

§. VII.

Reijcitur modus dicẽdi Suar.

21 Tandem nec modus dicendi Suar. nobis probatur, qui è contra ponit lumen, vt Intellectus suppleat actiuitatem; non tamen, vt aliquo modo, sit dispositio receptiua visionis. Qui modus videtur esse contra D.Th. art. 5. vbi ponit hoc generale principium; *quod omne, quod ordinatur ad aliquid supra suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, qua sit supra suam naturam*; quod est intelligendum, de ordinatione vltima, tamquam ad terminum, & complementum; Item idem D.Tho. cum doceat, lumen requiri ad augendam virtutem intellectus; & Virtus, tàm sit confortanda in eliciendo, quàm in recipiendo; Videtur ponere lumen ad disponendum etiam Intellectum ad receptionem visionis, & non solum ad eius elicitionem. D.Th.

22 Huius autem ratio à priori videtur posse desumi ex natura potentiæ Vitalis, quæ est, respectu suæ operationis, tàm actiua, quàm receptiua: Vnde necesse est, vt ita sit Improportionata vno modo, sicut, & altero: si n. esset completè actiua, & non receptiua; frustranea esset illa potentia actiua, quæ ex defectu receptionis non posset agere. & pariter, si esset completa potentia passiua, & non actiua; illa vacaret, & esset frustra. Vnde sic potest efformari efficax ratio contra Superiorem modum dicendi. Virtus vitalis, ea ratione, qua est actiua, est etiam receptiua suæ operationis: quia hoc est, operationem vitalem recipi in eodem, à quo fit; ergo id, quod mouet principiũ actiuum, ita iuuat etiam passiuum.

23 Nec inde sequitur, dari processum in infinitum, (vt quidam arguit,) nam si lumen est necessarium, vt disponat ad Visionem supernaturalem; cum & ipsum sit forma supernaturalis, indiget alia supernaturali dispositione; & sic in infinitum: Obiectio.

tum:

olutio. tum: Non inquam hoc Valet,(vt supra tetigimus:) quia quando subiectum ordinatur ad aliud, vt ad vltimum complemētum, requirit priorem dispositionem ad illud; vt patet etiam in naturalibus; nam accidentia requiruntur, vt dispositiones ad formam Substantialem, quæ est Vltimum Complementum materiæ; at quando aliquid ordinatur ad aliud suscipiendum, non vt Complementum, sed vt aliquid potius dispones ad aliud, non requiritur alia præuia dispositio ad dispositionem; vt patet de quantitate, quæ est dispositio materiæ ad recipiendam qualitatem; & de Diaphaneitate, quæ disponit ad lucem suscipiendam; & de ipsa luce, quæ disponit ad species sensibiles.

24 Ex quo patet etiam minus rectè argumentari Suar. nu. 25. dum ait, *in formis accidentalibus non requiri propriè, & phisicè dispositiones; nisi simul sint, vel potentia receptiua, vel concurrant aliquo modo ad actionem; vel per se, vt principiū efficiens; vel saltem minuendo resistentiam passi; vel alio simili modo*; vnde videtur inferre, lumen gloriæ non requiri ad visionem ad disponendum intellectum ad illam recipiendam. Nam potius, ex illo antecedenti, oppositum huius consequētiæ clarè infertur; & sic posset argumentum ad hominem efformari. Informis accidentalibus; tunc propriè, & phisicè dispositiones requiruntur, quando, vel simul sunt potentiæ receptiuæ; vel concurrunt aliquo modo: ad actionem; vel per se, vt principium efficiens; vel saltem minuendo resistentiam passi; vel alio simili modo: sed sic est, quod lumen gloriæ, licet non ponatur a nobis, vt potentia receptiua; tamen concurrit efficienter ad ipsam visionem, vt principium *quo*; & licet non habeat minuere resistētiam passi, quia intellectus habet potentiam obedientialem ad Visionem, & non resistit illi: habet tamen proportionare subiectū formæ recipiendæ; quæ, cum sit ordinis Diuini, & intellectus de se ordinis naturalis, est illi proculdubio improportionatus, etiam in ratione subiecti; ergo lumen gloriæ propriè dicitur concurrere, nedū effectiuè, sed dispositiuè, ad ipsam Visionem Beatam.

25 Benè verum est, quod principalius lumen concurrit ad visionē eliciendam, ad quam ipsa Vnio Dei cum intellectu ordinatur per modum actus primi proximi, in ratione obiecti intelligibilis; Vnde merito ait D. Th. lumen requiri, vt fiat ista vnio proximè: quia, certum est, ad id non sufficere solam intimam præsentiam Dei cum Intellectu creato; nam Damnatis non est vnitus Deus, in ratione obiecti intelligibilis; licet & illis sit intimè præsēs. Vnde oportet esse aliquid aliud, non ex parte Dei, qui semper est inuariabilis: ergo ex parte intellectus; & hoc est lumen gloriæ; quod sufficienter fundat illam nouam denominationem, secūdum quam, modo dicitur Deus Vnitus proximè, in ratione obiecti intelligibilis, & non antea. Quo autem modo lumen dicatur necessarium, vt fiat ista vnio Dei sub ratione obiecti Visibilis cum intellectu, seq. disp. aperiam. Not.

DISPVTATIO TERTIA.

Quanta sit necessitas luminis gloriæ?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur titulus Disputationis, & supponitur, non posse suppleri lumen per quid extrinsecum.

§. I.

Conc. Vienn. 1 HIc quærimus, non de potentia ordinaria; quia adest Conc. Viennense; quod, necessarium de facto esse lumen ad videndum Deum, decernit; pro vt supra vidimus disp. 1. cap. 2. vbi nonnullas etiam rationes, ad idem probandum, adduximus, sed de Potentia Dei absoluta: An, hac potentia, fieri aliquo modo possit, vt intellectus clarè Deum vi-

videat, absque lumine gloriæ?

Dari lumen per modum qualitatis permanẽtis, & transeũtis. Couar.

2 In qua controuersia, animaduertendum est; quod sicut visio (vt benè Couar. cap. 16. n. 4. lib. 2.) potest esse, vel permanens; vt est in Beatis; vel transiens; vt multi censent fuisse in D. Paulo, & alijs; ita possumus dicere, quod dari potest lumen per modum qualitatis permanẽtis, in ordine ad Visionem permanentem; & lumen per modum auxilij transeuntis, in ordine ad visionem transeuntem: Nemo .n. dicet, Diuum Paulum (si verum est, ipsum Diuinam Essentiam clarè vidisse) habuisse lumen, per modum habitus, & qualitatis permanentis; sicuti nemo dicet, Beatis tribui lumen, per modum trãseuntis; siquidem per modum permanentis Deum vident; Cum idem lumen requiratur ad conseruandam, quod requiritur ad efficiendam visionem: non est ergo sermo: An de potentia Dei absoluta suppleri possit in Beatis lumen permanens per lumen transiens? tamen, quia sicuti visio permanens, & visio transiens sunt eiusdem speciei; ita lumen permanens, & transiens eiusdem speciei sunt: tum etiam, quia eo ipso, quo, ad Videndum Deum clarè permanenter, daretur lumen illud, necessario esse deberet permanens; alias non esset permanenter Beatus, videns Deum.

Quæstionis sensus.

3 Quæstio ergo tantum in eo sita est; vtrum de potentia Dei absoluta fieri possit, vt sine tali lumine, siuè permanenti, siuè transeunte, quis Deum videre possit, siuè permanenter, siuè per modum transeundi?

§. II.

4 NEc est, cur immoremur in referenda illorum sententia, qui volunt; quod de potentia Dei absoluta non sit necessarium tale lumen ad vidẽdum Deum: sed sufficere concursum extrinsecum, & auxiliũ speciale ipsiusmet Dei, absq; eo, quod ponatur de nouo aliqua virtus, seù qualitas, intrinsecè intellectui inhærens; quem dicendi modum amplexati sunt, ex Iunioribus Val. 1. to. disp. 1. q. 12. punct. 3. Vasq. disp. 46. cap. 2. Suar. c. 16. cit. nu. 3. Sal. 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 4. Molin. q. 12. art. 5. disp. 1. §. *Contraria tamen sententia*; & in concord. disp. 26. in fine. Zumel. eod. at. 5. q. 2. concl. 3. Albertin. q. 1. Theolog. in 1. Corollar. ad 4. §. *Quæ res secundo*, in hac sentẽtia, omnes conuenire, affirmat Lorca 1. 2. q. 5. disp. 30. in 2. dicto, & nonnulli alij; Qui omnes, ex eo, quod velint, intellectum, & lumen concurrere ad Visionẽ, vt duas causas partiales; vel, intellectum tantum instrumentaliter concurrere; inferunt, partialitatem luminis posse suppleri per Ipsum Deum, extrinsecè concurrẽtem, extrinsecumq; auxilium; sicut, & posse intellectum extrinsecè eleuari, vt instrumentum; Nam, cum in nostra sententia habeamus, intellectum, & lumen concurrere, vt duas causas totales, totalitate effectus; & intellectum principaliter attingere visionem, (vt supra visum est:) non verò, vt duas causas partiales; eo modo, quo præcitati DD. sentiunt, dicẽtes, quod lumen non augeat intrinsecè virtutem Intellectus, nec illum roboret ad agendum: Hinc est, quod hic modus dicendi, eiusq; rationes non militant cõtra nos.

Non requiri, de Potentia absoluta, intrinsecum quid ad Deũ videndum. Valen. Vasq. Suar. Salas. Mol. Zum. Alber. Lorca

Non potest extrinsecè suppleri lumen gloriæ.

5 Quare tantum lis est cum illis, qui volunt, suppleri posse à Deo lumen, per aliquam aliam qualitatem intellectui infusam, ab Ipso lumine omnino distinctã: cum, apud sentientes, lumen roborare, augere virtutem intellectus, & intrinsecè illum constituere potentem ad videndũ, &c. fit simpliciter necessarium affirmare quid intrinsecè inhærens ipsi intellectui, ad hoc, vt possit Diuinam intueri Essentiam, (Quicquid illud intrinsecum de nouo infundendum, loco luminis, sit.) Omnis .n. actio, quæ procedit ab aliquo, tanquam à causa principali, & totali, exigit in eo principium intrinsecum, & formale, vt sit proportionata cum effectu; cumq; intellectus, ad Visionem Beatam, necessariò concurrat actiuè, & vt causa principalis, & totalis; saltem, totalitate effectus; & non sit, ex sui natura, naturaliter proportionatus visioni; quæ est ordinis supernaturalis; necessario debet proportionari per formam intrinsecam; cum sit dispar ratio de causa totali, ac de causa partiali; Hæc .n. poterit proportionari effectui, cui est improportionata, per solum extrinsecum concursum alterius causæ partialis, vt alter ex trahentibus nauem proportionetur tractioni nauis (cui de se solo est agens improportionarum;) per adiutorium alterius extrinseci, eandem nauem trahentis, absq; eo, quod huiusmodi concausa extrinseca, ei intrinsecè aliquid de nouo cõmunicet: Non ita benè philosopharemur de causa totali, cui desit intrinseca connaturalis virtus ad operandum; & quæ ex sui natura

Causa principalis, & totalis exigit formam sibi intrinsecam, vt sit proportionata effectu.

natura sit improportionata ad opus; debet .n. fieri potens; & proportionari per quid illi intrinsecum; alias Deus diceretur vti tali causa, solum vt instrumento; sicut, cum ignis sit causa principalis, & totalis caloris, vt octo; si Deus ab igne virtutem subtrahat naturalem; licet posset igne illo vti ad producendum calorē, vt octo, absq; eo, quod illi communicet aliquam intrinsecam virtutē; sed solum per extrinsecum motum ipsius: Non tamen tunc diceretur ignis illum calorem producere, vt causa principalis, sed vt instrumentalis; quia non ageret virtute sibi intrinseca, sed potius in virtute sibi extranea, nempè principalis agentis Dei, extrinsecè ignem applicantis, ad producēdum calorem illum; Restat ergo, quod si Deus potest supplere vices luminis gloriæ, in Visione Beata, id præstet per aliquod positiuum intellectui infusum, loco luminis, ab ipso lumine distinctum.

CAPVT II.

Ponuntur rationes ad probādum posse lumen suppleri per quid aliud, à lumine distinctum; & statuitur cōtraria opinio, vt verior.

§. I.

1 ET vt verum fatear, non videtur, cur hoc omnipotentiæ Dei denegari possit, si nil aliud tribuamus lumini, nisi & efficientiam, respectu visionis cum intellectu ad illam concurrendo, præscindendo à quocunq; alio causalitatis genere; item causalitatem formalem, respectu intellectus; illum .f. eleuando, constituendo in actu primo formaliter, eius virtutem augendo, ac roborando, præciso quocunq; alio ordine; & tandem rationem dispositionis; cum supra diximus, per lumen gloriæ disponi intellectum ad recipiendam visionem; Quod pertinet ad munus causalitatis materialis; siquidem facilè probari potest, posse per Diuinam potentiam hęc omnia suppleri.

Pater posse suppleri lumē per aliud intrinsecum à lumine distinctum.

1. ratio.

2 Et primò certum est; Deum, se solo, posse, quicquid cum causa secunda efficienti potest; dummodo non sit actus vitalis; qui, cum essentialiter à potentia vitali dependeat, non potest Deus, se solo, sine tali potentia, illum producere: cumq; visio Beata efficiēter producatur à lumine gloriæ; & non dependeat essentialiter ab illo, tanquam a principio vitali; cum tale principium vitale sit intellectus; sequitur, quod Deus, absq; tali lumine, speciali concursu, & motione sua, imprimēdo in intellectu aliquam aliam qualitatem, posset efficienter cum intellectu visionem producere; non minus, ac actum contritionis, sine habitu Charitatis; actum fidei, sine habitu fidei, &c. Hoc fundamēto vtuntur Scot. & Vasq. ad probandum; simpliciter, posse lumen suppleri à Deo.

Scot. Vasq.

3 Secundò, nec contradictionem inuoluit, posse Deum supplere ea munera, quæ diximus n. 1. lumen formaliter exercere erga intellectum; præciso tamē ordine ad omne aliud; & si non per se immediatè; cum ipse non possit intimè, in ratione formæ vniri intellectui, ipsumquè formaliter in actu primo constituere, eleuare, eiusq; virtutem accrescere; tamē producēdo in eodem intellectu aliquam aliam formam supernaturalem, à lumine distinctam, eoquè Nobiliorem, quæ ei præstet hæc omnia. In quo videtur non posse esse aliqua difficultas: non .n. Omnipotentia Dei intelligitur euacuata; ita vt nequeat producere formam supernaturalem, alterius speciei, dignitatisq; sublimioris, quàm sit ipse habitus luminis gloriæ; quæ digniori modo ea munera præstet intellectui, per intimam informationem, & inhærentiam; quæ lumē ipsum præstat; nempè, eleuare illum ad ordinē Diuinum; quod fieri potest per omnem formam supernaturalem: Omnis namq; forma supernaturalis hoc habet, quātum est ex se: (Et loquor de Eleuatione, vt sic, præciso quocunq; ordine ad aliud, quàm ad ipsum intellectum.) Item eodem modo quacunq; forma, quæ est principium operationis, potens est; quantum est ex se, constituere potentiam in actu primo ad operandum; Præterquàm quod videtur, quod vtrūq; hoc munus poterit præstare Deus intellectui, per suum specialē concursum, & auxilium supernaturale: sicut etiam, eodem modo posset intellectus augere virtutem, quo se gerit cum eodem intellectu ad actus fidei; & cum Volontate ad actus charitatis, sine habitu: Itaquè, præscindendo à ratione luminis

nis gloriæ, in isto rigore luminis considerati, non implicat, posse per Diuinam potentiam suppleri ea munera, quæ formaliter erga intellectum, præcisè, per lumen ipsum gloriæ exercentur; Vbi, non abs re, dixi, *quod sermo est modo de eleuatione, vt sic, præcisò quocunquè ordine ad aliud, quàm ad ipsum intellectum*, propter ea, quæ infra dicam, de eleuatione potētiæ in ordine ad tales actus; Et de constitutione ipsius in actu primo ad operandum has operationes; & de augumento virtutis illius ad illas eliciendas; Vnde rationem non spernendam desumam ad probandam implicantiam.

3. ratio. 4 Tandem, non minus certum videtur, posse, de potentia absoluta, suppleri illam dispositionem, qua intelligitur dispositus per lumen intellectus ad visionem supernaturalem recipiendam, præcisè, sub ratione supernaturali; tum quia id posset præstare Deus per quamcunq; aliam formam supernaturalem; iuxta nutum suæ infinitę sapientiæ: tum etiam, quia (vt benè Zumel) non implicat, formam introduci in subiectum, absq; vlla dispositione antecedente. Deus. n. sua potentia, potest vnire formā materiæ, absq; dispositione præuia; & de facto, absq; vlla dispositione, se ipsum hypostaticè vniuit naturæ humanæ. Et gratia recipitur in anima, absq; vlla præuia dispositione; vt in pueris per baptismū. Et posset Deus peccatori dormienti, sine aliqua dispositione præuia, illam infundere: cur igitur non poterit facere, vt visio, sine aliqua dispositione, recipiatur in intellectu? Præter quam quod, posset Deus ponere visionem Beatam D. Augustini in intellectu meo, absquè alia dispositione præuia (non quod sentiam, posse aliquem, per visionem à se non eliciram, videre, prout dicam in quodl. de verbo mentis;) sed quod illa visio D. Augustini supernaturalis, in ratione qualitatis supernaturalis, posset recipi, absq; præuia aliqua dispositione, in intellectu meo. [Zum.]

§. II.

5 CAeterum mihi videtur dicēdum; quod licet, quantum ad supradicta, non implicet, posse habitum illum, qui dicitur lumē gloriæ, suppleri à Deo: tamen nullo pacto concederem; *lumen gloriæ, sub ratione præcisa, qua lumen gloriæ est, posse à Deo suppleri, etiam de sua absoluta potentia*; Et sic, decisiuè, difficultati præpositæ respondeo; *implicare contradictionem, Beatum posse Diuinam intueri Essentiā clarè, absq; qualitate creata supernaturali, quæ sit verè, & propriè lumen*. Huius sententiæ, quæ ferè communior est hac tēpestate, ex iunioribus, sunt Bannes art. 5. dubit. 3. §. *Nobis igitur placet*, & 2. 2. q. 23. art. 2. dub. 2. Nauarr. 1. tom. controu. 39. §. 1. concl. 1. & clarius §. 2. concl. 3. Cabrera ad 3. p. q. 9. art. 2. disp. 11. concl. 1. n. 36. Eandem probauit Caietan. super art. 5. dum in principio comment. declarat, *Intellectum indigere lumine gloriæ, vt Deum videat; non propter melius, sed simpliciter, & absolutè*; in quibus verbis videtur satis clarè loquutus Caiet. quicquid Ripa, & Zumel dicāt, Caiet. posse aliter explicari. Ipse etiam Ripa eidem adhæret sententiæ 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. c. 2. concl. 2. & nouissimè noster Lusitanus lib. 9. q. 4. art. vnico §. 3. 5. & 6. [Implicat, posse suppleri lumen sub ratione luminis.] [Bannes. Nauar. Cabrer. Caiet.] [Rip. & Zum.] [Lusit.]

6 Quod dictum non sufficienter videtur posse probari illis medijs, quibus communiter, tamquam efficacibus, vtūtur Bannes, Nauarrette, & alij; Nimirum, intellectum, nullo alio modo posse fieri in actu ad agēdum; nisi per lumen: Item; virtutem intellectus augeri non posse, nisi per lumen; Item; non posse, nisi per lumen proportionari; & similibus; nam in illis proculdubio petitur principium; hoc enim est, quod controuertitur; an s. Deus, de potentia absoluta, sine lumine, possit constituere intellectum in actu ad operādum; eius virtutem augere; illumq; proportionatum reddere actui supernaturali, & Deifico obiecto? Quare aliuudè petenda est ratio huius implicantiæ. [Rationes inefficaces aliorum.]



DISPVTATIO QVARTA.

Cur implicet, Deum sine lumine posse clarè videri?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit de ratione luminis, sub ratione luminis, præcisè?

§. I.

Not. 1. Quæ non cõueniãt lumini sub ratione luminis: & quid sit propriũ luminis?



1 PRo inuestiganda huius implicantiæ ratione, summoperè adnotãdum censeo. Primò, quod lumen gloriæ, in ordine ad ea munera superius enumerata, quæ videtur exercere erga intellectum, præcisè cum eo concurrendo, illum actuando, roborando, eleuando, ac disponendo; non dicitur propriè, & in rigore *lumen*: Nil .n. horum proprius, & rigorosus effectus luminis (*i.e quantum luminis;*) est; cum de ratione luminis, considerati sub sua vera luminis formalitate, sit potius, illuminare, manifestare, &c. Sicuti proprius effectus caloris, sub sua propria formalitate caloris, est, calidum reddere; albedinis, facere Albũm, &c. &, quemadmodum hoc, quod est, album facere, est effectus formalis albedinis; & facere calidum est effectus formalis caloris; Ita hoc, quod est, Illuminare, & manifestare obiecta cognoscibilia, vt ipsis potentijs cognoscitiuis palam appareant; est effectus formalissimus luminis, sub hac formali ratione *luminis*. Hinc D.Th.p.1.q.67.ar.1. docet expressè: *proprium esse luminis facere manifestationem secundũ quamcunq; cognitionem*; Et ex D.Paulo ad Ephes.5. habemus; *quod omne, quod manifestatur, à lumine manifestatur*. Hoc est, faciendo manifestationem eius, quod absconditũ erat, & non apparebat: secundum eundẽ Paulum eodem loco, vbi ait; *Quæ in occulto fiunt, à lumine manifestantur*; Et ad Ephes.3. dicit; *Mihi autem, omnium Sanctorum minimo, data est gratia, illuminare omnes, quæ sit manifestatio Sacramenti absconditi*. Et 1. Corinth.4 *Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit abscondita cordis*. Et in eod. cap. *Qui dixit, de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ*: ex his, & alijs locis liquidò constat, proprium, & formalissimum effectum lucis, & luminis esse, illuminare, illustrare, manifestare, seu facere, vt splẽdeant, & appareant ea, quæ in occulto, & abscondito sunt, siue in tenebris, & non apparent.

D.Th. S.Paul.

§. II.

2 SEcundò loco non minus certum existimo, nil posse à nobis videri, & cognosci, siuè cognitione sensitiua, siuè cognitione intellectiua, absquè eo, quod obiecta videnda, seu cognoscenda per aliquod lumen appareant, & manifestentur potentijs cognoscitiuis. Quæ veritas colligitur apertè ex præcedenti notabili; Præter quam quod habemus verã Aristot. Philosophiam, de Visione sensibili. 2. de Anima cap.7. tex.67. & 73. vbi docet; colores, cęteraq; visibilia, sine lumine, non videri. De intellectione, verò, passim hæc veritas à D.Th. ostenditur; & præsertim, de verit. q.9. art.1. ad 2. ita ait: *Omne, quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis, cognoscitur*; & de potentia q.5. art.1. ad 18. docet. *Omnem cognitionem deriuari à lumine*; & de verit. q.18. ar.1. ad 1. Supponit, tamquam notissimũ, in omni visione, tàm corporea, quàm intellectuali, dari lumen, sub quo res cognoscitur. Quid nam autem sit hoc lumen in nobis intellectuum? non est nostrum disputare: sed communi omnium Philosophorum placito; præsertim, Perhiparheticorum, cum Aristot. 3. de Anima cit. cap.5. tex.18. ponitur intellectus agens.

Non cognosci sine lumine.

Arist.

D.Th.



CAP.

CAPVT II.

De ratione formali obiecti; & medijs videndi; & quod munus luminis sub ratione luminis circa Intellectum?

§. I.

Quid ratio formalis obiecti, & quid mediũ videndi?

1 TErtio loco ſuppono; non eſſe eandem rationem, de medio videndi obiectum, & de ratione formali obiectorum; ratio .n. formalis, intrinſecè ad ipſa pertinet obiecta; ſiuè ſit ratio formalis, *qua*, qualis eſt, v.g. ratio coloris: ſiuè ſit ratio formalis, *ſub qua*; qualis eſt ratio viſibilis: cum media videndi, potius extrinſecè obiectis conueniant; Hæc autem eſſe triplicia poſſunt: *ſub quibus*: *quibus*: *& in quibus*: ex D. Th. quodlib. 7. ar. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 1. ad 15. & de Verit. q. 18. ar. 1. ad 1. Medium, *in quo* vocat D. Tho. Id, per quod, vt cognitum, venit intellectus in cognitionẽ alterius rei: vt Creatura, ex cognitione cuius deuenimus ad in cognitionem Creatoris. Medium, *quo*, vocat ſpeciem. Et medium, *ſub quo*, vocat lumen; quæ tria, vt patet, non ſpectant ad aliquam intrinſecam rationem obiectorum cognoſcibilium: ſed illis ſunt potius extranea. Quod ſi lumen tantum habeat hanc rationem medij *ſub quo*; & ſi perficiat quidem potentiam in ordine ad cognitionem; (vt idem D. Th. docuit:) non tamen perficit illam, determinando ad aliquod particulare obiectum; & conſtituendo illam in actu primo; eo modo, quo ſpecies dicitur eandẽ perficere potentiam, illam actuando, & determinando; Attamen, ſi præter hanc rationem medij, *ſub quo*, aliquod lumen ſit, quod habeat rationem principij, *quo*; tunc illud lumen perficiet etiam potentiam, conſtituendo eam in actu primo; Huius generis diximus ſupra cap. 2. nu. 5. eſſe lumen gloriæ. Verum hoc, quod eſt, potentiã eleuare, actuare, &c. vt ſupra diximus, non pertinent ad lumen gloriæ, ſub ea præciſa ratione, qua lumen eſt: ſed potius, quatenus eſt habitus quidam ſupernaturalis, & diuini ordinis; cũ tamen, eſſe *medium, ſub quo*, propriè, & in rigore, ad lumen gloriæ ſpectet, ſub ratione, qua lumen eſt. Vnde D. Tho. quodlib. 7. at. 1. de verit. loc. cit. ſicut etiam in 4. ſent. pariter loc. cit. ad 15. & tandem p. 1. q. 12. art. 5. ad 2. expreſsè docet, *lumen gloriæ eſſe medium, ſub quo Deus videtur*.

D. Th.

Quid mediũ in quo?

Quid mediũ quo? & ſub quo?

2 Quarto loco Adnoto, quod diſcrimen inuenio non paruifaciendum, præ cęteris, inter habitum luminis gloriæ, & reliquos habitus, tàm naturales, quàm ſupernaturales, ſiuè intellectus, ſiuè voluntatis; Horum .n. munera, dumtaxat, exercentur ab ipſis circa potentias, quibus inſunt; vt diſcurrenti facilè patebit; Et ſic, abſolutè, dicũtur ſe tenere ex parte ipſarum potentiarum, quas informãt, eleuant, actuant, perficiunt, robotant; & cum quibus ad actus efficienter concurrunt: Cum tamen lumen gloriæ (& idem ſuo modo videtur poſſe Theologari de habitu fidei) licet ſub ea ratione, qua eſt habitus ſupernaturalis, & conſequenter, habens rationem *principij quo*, modo expoſito; procul dubio ſe teneat ex parte potentiæ; ſicut, & reliqui: Cęterum ſub ratione, qua lumen gloriæ eſt, & *medium ſub quo* potius videatur ſe renere ex parte diuinæ Eſſentiæ, prout eſt obiectũ intellectui repræſentatum.

Nota diſcrimẽ inter habitũ luminis gloriæ, & reliquos habitus.

3 Quod a ſimili, de lumine Corporali, conſtat: lumen .n. corporale, quo mediante oculus videt colorem; non dicitur præciſè ſe tenere, ex parte oculi videntis; ſed potius, ex parte coloris viſi; nam eius munus eſt illuminare colorem, & facere, quod potentiæ viſiuę appareat, & manifeſtetur; cum in abſentia luminis non appareat color, ſed in abſcõdito ſit, & in tenebris: quod autem palam fiat, & coram appareat in conſpectu potentiæ; ita vt videatur ab ea, beneficium luminis eſt, circa colorem exercitum; Ita de lumine gloriæ dicendum eſt, ſub ea ratione, qua *lumen eſt*, & præciſè, *medium, ſub quo*: non tenere ſe, propriè & principaliter, ex parte intellectus, quatenus eſt potentia cognoſcitiua Dei; cum intellectus non ſit id, quod intelligibiliter apparet: ſed ex parte potius ipſiuſmet Dei, qui, cũ intellectui creato ſit abſconditus, lumen facit, vt appareat, & videatur ab eo, & fiat coram illo palam.

§. II.

4 PEtes tamen exercet ne lumen gloriæ, ſub iſta ratione luminis, aliquod proprium munus circa intellectũ? Re-

Quod munus luminis circa intellectum.

Lusit. Respondeo cum nostro Lusit. lib. 9. q. 5. art. 8. §. 2. nu. 16. in probat. concl. 3. quod intellectus Beati recipit in se ipsum lumen, tamquam formam; cuius receptionis, formalis effectus, non est alius, quam intellectum manere subiectiuè illustratum, vt appareat lucidum, & transparẽs: sicut .n. lumen corporale, dum recipitur in Diaphano, illud formaliter reddit actu lucidum, transparens, perspicuum, & perlucidum, ex 2. de Anima cap. 7. tex. 69. ita intellectus, quem idem Lusit. q. 2. art. 2. concl. 4. n. 13. probat esse quoddam Diaphanum intellectuale, dum ipso perfunditur gloriæ lumine; fit actu perlucidus, luciditate gloriosa, qua intellectus, in se ipso, per lumen in se receptum, redditur potentia proportionata, vt Diuina Essentia fiat illi palam, & intelligibiliter appareat coram eo; etenim, sicut potentia visiua nequit visionem elicere, nisi in se ipsa, & in suis organis, lumine corporeo, actu illustretur, vt sit proportionata, & apta ad recipiendas species visibiles, in quibus coloratum illi visibiliter eluceat, & coram appareat: ex D.Tho. q. 9. de ver. art. 1. quod & alij etiam docent; præsertim, Salas 1. to. ad p. 2. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 3. ob quam rationem, & potentia ipsa visiua, & organa illius sunt actu perspicua, & Diaphana; sicut etiam intellectus nequit videre, nisi in se ipso illustretur lumine, aut intellectus agẽtis, aut fidei; vt in se ipso, facto, intellectualiter, perlucidus, & transparens, aptus sit ad recipiendas species, in quibus obiectum luceat, & appareat; Ita etiam intellectus Beati, ipso lumine gloriæ, quod in se recipit, fit actu lucidus, & transparẽs, luciditate quadam gloriosa, & ordinis Diuini; vt ita sit proportionatus ad recipiendum Ipsam Diuinam Essentiam, in ratione obiecti intelligibilis sibi vnitam; factam iam, per tale lumen, palam, quæ antea non apparebat.

(Margin: Arist. — D.Th. — Salas.)

5 Neq; ex hac doctrina licet colligere aliquam mutationem in ipsa Essentia Diuina; cũ forma non immutet obiectum, sed subiectum; & quemadmodum lumen corporale illuminando colorem non causat mutationem aliquam physicam, & realem in ipso colore: sed tãtum obiectiuam, seu terminatiuam; quæ est, dumtaxat, noua quædam, & extrinseca denominatio; Ita lumen gloriæ, cum intellectui inhæreat, & subiacetur in illo, intellectum immutat, non Deum, nisi immutatione obiectiua, & terminatiua, quæ non dicit imperfectionem; sicuti Deum esse intelligibiliter præsentem, & non esse sic præsẽtem intellectui, nullam dicit in Deo imperfectionem; cum non fiat de nouo præsens per aliquid, quod de nouo ei intrinsecè adueniat, sed tantum obiectiuè per denominationem extrinsecam.

(Margin: Forma non immutat obiectũ, sed subiectum.)

§. III.

6 Ex quibus liceat primò colligere, lumen gloriæ, sub ratione præcisè, qua est *medium, sub quo*, nullum munus exercere circa intellectum, sed circa Diuinam Essentiam: At quaterus est habitus supernaturalis, & forma phisica accidentalis, cum subiecto inhæsionis indigeat, nec possit in Deo subiectari, in intellectu Beati recipi, & circa illũ exercere omnia munera, quæ sub ratione habitus operatiui, & formæ supernaturalis ei conueniunt; Et quia *lumen*, tandem, est; eodem modo se habet erga intellectum, quo lumen corporale erga potentiam Visiuam, & medium Diaphanum. Cum intellectus, respectu luminis gloriæ, & habeat rationem potentiæ cognoscitiuæ, & subiecti Diaphani, receptiui luminis; quomodo intellectus recipit effectum illustrationis, quẽ lumen quodcunq; naturale causare solet, & potest in potentia, & in subiecto.

(Margin: Lumẽ vt mediũ nil exercet circa intellectum, & circa Essentiam Diuinã.)

7 Quod, si velimus cum Auerr. in 2. de Anima com. 68. D.Thom. Aegid. nostro Columnio, & multis alijs sustinere, lumen tenere se ex parte medij, (quod est corpus Diaphanum,) illud actuando, tãquam veram illius formam, qua formaliter fit transparens; ad colorem autem tãtum terminari, quatenus illuminat totũ mediũ interiectum, vsquè ad illud, quod ipsi colorato est immediatum; vt color, alioquin ex se visibilis, emissis per medium, vsq; ad visum, speciebus, possit ipsi visui, iam illustrato, elucere, & visibiliter apparere; & ad hunc sensum dici, lucere visui sub lumine, tamquam medio *sub quo*. De qua opinione modo non disputo; sed forsan est quæstio de solo nomine; eodem modo possemus, & de lumine gloriæ pariter discurrere, proportionabiliter, vt optimè Lusit. loc. cit. n. 19. & 20. Nimirum, illud se habere, respectu intellectus, vt formam intrinsecam; Deum, tamquam quoddam Diaphanum materiale, formaliter actuantem, & illuminãtem: Respectu verò Diuinæ Essentiæ, se ha-

(Margin: Auer. D.Th. Aegid. — Lusit. Lumẽ forma intrinseca intellectus illuminans Deum, tanquam quodda Diaphanũ materiale)

habere, tamquam medium circa terminum, vt ipsa intellectui obiectiuè manifestetur, & appareat: quæ, sinè tali medio, non apparebat; etiam si in se ipsa sit summa lux: Hoc enim quod est, esse summam lucem, in se, solum facit, quod in se ipsa sit actualiter lucida, & summè visibilis: At quod palam fiat creato intellectui, necesse est, lumen creatum gloriæ intercedat: Quemadmodum, licet in corporalibus visibilibus, Sol sit in se, naturaliter loquẽdo, perfectissimè lucidus; & ex consequenti, in se visibilis perfectissimo modo: tamen, vt videatur ab oculo, & fiat potentiæ visiuæ apparens, necesse est, vt ab eo, tamquam à fonte luminis, lumen emanet in medium distinctum ab illo, quo in se dicitur luminosus; per quod etiam potentia visiua, in se ipsa, & in suis organis illustretur actu, vt sit proportionata, & apta ad recipiendas species visibilos, in quibus coloratũ illi visibiliter eluceat, & corã appareat, (vt dicebamus,) ita prorsus, à simili, de lumine gloriæ discurrito, & de summo Sole Deo, eiusque immensa luce, qua in se infinitè lucidus est.

Non sufficit ad hoc vt videatur Deus, quod sit summa lux.

C A P V T III.

Qui effectus formales possint, vel non possint suppleri à Deo?

§. I.

1 ET quia supra nu. 8. probauimus, *non implicare, posse Deum supplere ea munera, quæ formaliter lumen exercet circa intellectum*, ne quis æquiuocatione laboret, & seducatur: cum aliàs, communi omnium Philosophantium, nec non, etiam Theologantium voto decernatur, *effectus formales suppleri non posse à Deo*: Colligendũ Secundo, aliud esse loqui de formis, per quas agens formaliter agit, aliud verò de formis, quibus agens formaliter constituitur in esse potentis agere: Implicat contradictionem, posse suppleri effectum formalem formæ, per quam agens formaliter agit; non tamen implicat, posse suppleri effectum formalem formæ, per quam agens constituitur formaliter in esse potentis agere: Explico doctrinam hanc, exemplo ignis, qui facit calidum lignum formaliter, per calorem à se efficienter productum in ipso ligno; Et nequit Deus, etiam de sua absoluta potẽtia, huiusmodi effectum producere; nempè lignum illud calefacere, sinè calore. At verò dicitur idem ignis formaliter cõstitui potens calefacere, per calorem, qui est igni potentia, qua actiuè calefacit: Et hic effectus potest per Diuinam suppleri Omnipotentiam: posset enim Deus facere ignem potentẽ calefacere, sinè eo, quod hanc potentiam ad calefaciendum habeat ab aliqua forma, quæ sit formalis calor; sed vel comunicando igni suammet virtutem, quæ est; non formaliter, sed eminenter calefactiua; aut virtutem, quæ est in Sole, quæ pariter est eminenter, & virtualiter calefactiua; & sic ignis, absque eo, quod esset formaliter calidus, per suam connaturalem formam caloris, sed benè eminenter, potensq; calorẽ producere; & per calorem à se productum calefacere; poterit facere lignum calidũ; igitur id, quod implicat, est, posse subiectum aliquod fieri sinè calore formaliter calidum: non verò posse aliquam causam, seu principium fieri potens, sinè illa forma, qua formaliter constituitur in esse potentis agere.

Cuius formæ potest Deus effectum formalẽ supplere, & cuius non. Nota

§. II.

2 ASsignat Lusit. lib. 9. cit. quæst. 6. art. vnic. §. 5. nu. 111. huius doctrinæ discriminis rationem; nam effectus formales illarum formarum, per quas agentia operantur, dicunt essentialem ordinem, & dependentiam ad ipsas formas, quæ sunt formaliter tales; quia semper sunt vnius rationis, habentq; vnam, atq; infimam rationem. Ceterum effectus formales potentis influere in formas, quibus effectus sunt formaliter producendi, cum non sint vnius generis: (Vnũ enim agens est, potens facere calorem, vel per potentiam formaliter calefactiuam, vel per potentiam calefactiuã virtualiter, siuè eminenter,) non dicuntur essentialiter dependere, & dicere essentialem ordinem ad hanc formam; Virtus enim radicalis actiua alicuius effectus, qualis est forma substantialis cuiuscunque causæ, seu principij efficientis, potest fieri formaliter potens, vel per potentiã, quæ sit formaliter talis, sibi connaturalem; vel per potentiam, virtualiter, Lusit.

ter,siuè eminenter talem, supernaturaliter sibi communicatam; quia, licet substátia, radicaliter actiua, habeat connaturalem dependentiã à sua connaturali potentia, vt per eam fiat formaliter potens agere: non tamen habet dependentiam essentialem à sola illa; sed à quacumque alia, quæ eminenter contineat actum secundum, cuius illa est naturaliter actiua; vt, in exemplo Calidi, manifestum apparet hoc totum: Calidum enim, quo aliquid est formaliter calidũ, per calorem, productum ab igne v.g. in subiecto facto calido, habet vnam, atq; infirmam rationem calidi; & ex consequenti,dicit essentialem dependentiam, & ordinem ad illam formam caloris,per quam formaliter habuit esse calidum: At verò potentia calefaciendi in igne, licet sit effectus formalis illius caloris, qui formaliter in ipso igne est: Non tamen dependet huiusmodi potentia formalis ignis ad calefaciendũ essentialiter ab illo calore, qui formaliter calor est; quia effectus ille non est vnius generis; poterit enim ignis fieri potens calefacere, per potentiam, nõ formaliter calefactiuam: sed virtualiter,vel eminenter:cũ id non implicet,vt patet.

CAPVT IV.

Adducitur potissima ratio, cur implicat, posse à Deo suppleri lumẽ per aliquid à lumine distinctum?

§. I.

Potissima ratio implicantiæ; cur non potest Deus videri sine lumine.

1 ET ex his omnibus volo colligamus tandem rationem potissimã,cur implicet contradictionem, posse quem Deum clarè, & intuitiuè videre, sine lumine gloriæ. Ratio autem potest sic efformari. Implicat, duo contradictoria posse simul, & semel verificari de eodẽ; Sed si Deus non conferret Beatis lumen, & alias essent Beati, Diuinamque essentiam clarè videntes, tunc darentur duo contradictoria simul,& semel: ergo Deũ videri clarè, sinè lumine, implicat contradictionem. Maior cum conseq. patet; minor verò prob. nam si Deus clarè videretur sinè lumine à Beatis,sequerentur huiusmodi propositiones; *Deus clarè ab his Beatis, non habentibus gloria lumen, videtur* 1 (quæ propositio supponitur iam vera ab aduersarijs;) *& Deus ab his Beatis,non habentibus gloria lumen, non videtur clarè*: Sed,*Deum videri clarè*, Et, *non videri clarè ab eisdem, eodem tẽpore*; sunt duo cõtradictoria; ergo &c. Quod autem illa secunda propositio esset vera, probatur; quia id, quod non fit palam potẽtiæ cognoscitiuæ: sed est in abscondito,non videtur: Sed, in casu, Deus nõ esset palam intellectibus illorum Beatorum,non habentium gloriæ lumen: ergo Deus non posset ab illis videri. Maior cum consequentia constant euidenter. Minor verò probatur: nam proprium, & formale munus luminis est, palam facere potentiæ cognoscitiuæ obiectum cognoscendum, quod alias in abscondito est, & clam, (vt diximus supra cap.1. num.1. & 2.) ergo si, in casu posito, illi Beati non haberent gloriæ lumen, Diuina Essentia non esset illis manifesta; sed abscondita: & ex consequenti, non esset illorũ intellectibus manifesta, ita vt posset ab eius clarè videri: quomodo ergo videbitur?

§. II.

Obiectio. Argent.

2 DIces cum nostro Argentina in 4.dist.49.quæst.2.art.1.Deus sua omnipotentia potest fieri præsens intellectui, sub ratione obiecti; & illum sufficienter mouere ad visionem, absq; alio intermedio lumine: ergo potest facere, vt intellectus,sinè lumine,suam clarè intueatur Essentiam: antecedés supponit, vt certum, maximè cum Deus ex se sit lux intelligibilis, potens mouere ad visionem: consequẽtia etiam videtur certa; quia, si potentia non cognoscit aliquod obiectum; vel non cognoscit,quia non habet illud præsens, in esse obiecti; vel si est præsens,ab eo sufficienter non mouetur; ergo non potest illud non cognoscere, si ab eo præsente sufficienter mouetur: Intellectus igitur non potest Deum non intueri, si illum habeat præsentem,& mouentem: Deus enim continetur sub obiecto intellectus adequato.

Solutio.

3 Sed respond. Deum etiam de sua potentia absoluta, nõ posse fieri præsentem (præsentia obiectiua, sufficienti ad motionẽ intellectus) si in intellectu non sit lumen; siquidem obiectum visibile, seu cognoscibile, quodcunque illud sit, fieri

fieri

fieri non poteſt præſens ad mouendum intellectum, & ad terminandum viſionẽ, niſi intellectui obiectiuè manifeſtetur, & appareat: Si enim ſupponamus, obiectum viſibile eſſe intellectui pręsẽs obiectiuè; per ſpeciem; v.g. de potentia Dei abſoluta, cõſeruatam, abſque vllo lumine; tale obiectum non erit ſufficienter præſens ad monendum potentiam cognoſcitiuam; cum illi non manifeſtetur, nec appareat: id autem, qnod non apparet, & non eſt manifeſtum cognoſcenti, quo nam pacto poterit cognoſci? Itaque licet obiectum ſit præſens, præſentia reali, & obiectiua intellectui; ſiuè per ſe ipſum immediatè, ſiuè mediante ſpecie; ſi lumen non adſit; nunquã dicetur eſſe ſufficiẽter præſens; itaut valeat potẽtiam mouere, vt ab illa videatur; cum, per lumen, formaliter fiat potentiæ palam, & manifeſtum.

Scot.
Non poteſt Deus lumine ſuo manifeſtare ſe ipsũ intellectui creato.
Ferrar.

4 Cum autem dicitur, Deus eſſe ex ſe ipſo eſſentialiter lumen intelligibile, (quod eſt etiam fundamentum potiſſimum Scoti,) ergo vt videatur, non indiget alio lumine. Reſpondeo neg. conſeq. & ratio eſt; nam Deus non poteſt, ſuo increato lumine, manifeſtare formaliter ſuam Eſſentiã intellectui creato; vt benè Ferrar. 4. cont. gent. cap. 10. *§. pro declaratione Corollarij*; vbi docet, quod lux increata effectiuè, quidem, illuminat: ſed formaliter per ſplendorẽ, à ſe emiſſum; Vndè Baſil. in lib. de Spiritu sãcto cap. 9. lit. F. ait; *lucem intelligibilem vniuerſæ potentiæ rationalis ad veritatis inueſtigationem, veluti illuſtrationem quandam, ex ſeſe præbentem*. Et licet lumen illud infinitum, noſtro concipiendi more, poſſet dici, quaſi, medium, *ſub quo* Intellectus diuinus ſuam clarè intuetur Eſſentiam; Nequit tamen tale munus exercere, reſpectu intellectus creati: Etenim, ſicut intellectus creatus, nec videt, nec videre poteſt, per quãcumq; potentiam, formaliter Deum, per viſionem increatam: (vt ſuo loco demonſtrabimus:) ita nec poteſt, per aliquam potentiam, formaliter eundem Deum intuitiuè videre, per increatum lumen: fieri namque non poteſt, vt lumen increatum, ſe ipſo, ſine aliquo creato, formaliter eleuet intellectum creatum; Illiq; formaliter vniatur: ſiuè formaliter ei repręſentet ipſam diuinam Eſſentiam; niſi per aliud creatum lumen, a ſe emiſſum, iuxta modum loquendi Baſil. & reliquorum omnium Patrum; & licet in ſacris literis habeamus, *In lumine tuo videbimus lumen*; Et alia huiuſmodi loca: Ea tamen, vel exponẽda ſunt de medio, *in quo*, prout exponit Baſil. ita vt ſenſus ſit *in lumen tuo*; ideſt, *in Verbo*, tamquam in obiecto, *in quo: videbimus lumen*, ſcilicet *increatum*, quod eſt *Deus*. Vel de lumine increato, quatenus effectiuè illuminat Beatorum mentes: medio tamen lumine creato: quo pacto explicat D. P. Auguſt. in ſoliloquijs animę cap. 36. tom. 9. Et ſic optimè Pater Suar. lib. 2. de attrib. negat c. 14. num. 5. Zumel. 1. par. q. 12. art. 5. q. 1. concluſ. 1, & ferè omnes Scholaſtici recentiores reijciunt ſententiam aſſerentium, Deum, ſuomet lumine increato, à Beatis in Patria videri; cui ſententiæ viſi ſunt adhęrere Boſſol. in 3. diſt. 14. q. 1. ad ſecundum, Mayron. in 3. diſt. 12. q. 2. *§. ſed dubium eſt*. Lychetus in 1. diſt. 3. quęſt. 3. ad fin. *§. ad illud de Clementina*. vbi ponit, *Deitatem ipſam dici lumen increatũ, & lumen gloriæ, dans intellectui, vt glorificetur in ipſa*: Et alij. Videantur etiam quæ ſupra diximus circa hoc idẽ diſp. 1. cap. 2. nu. 7. & 8.

Baſil.
Pſal. 35.
Baſil.
Auguſt.
Suar. Zumel.
Boſſol. Mayr.
Lychet.

Obiectio.

5 Sed dices: ſi lumen *formaliter* diceretur palam facere obiectum potentiæ cognoſcenti, huiuſmodi effectus ſuppleri certè nõ poſſet immediatè à Deo, ſuoq; increato lumine: cũ nequeat cauſalitas formalis à Deo immediatè ſuppleri: at non videtur poſſe dici lumen creatum *formaliter* manifeſtare obiectũ: cum forma & eius formalis effectus in eodem ſubiecto ſint, & non diſtinguantur ab inuicem realiter: lumen autem ſubiectatur in intellectu (vt ſupra dictũ eſt,) & eius effectus; nempè, manifeſtatio, eſt ex parte obiecti; ergo non videtur poſſe dici, qnod in genere cauſæ formalis obiectum manifeſtet; & ex conſequenti, potius videtur huiuſmodi effectum manifeſtationis cauſare in genere cauſæ efficientis; & tale genus cauſæ poteſt immediatè à Deo ſuppleri.

Solutio.
Duplex formalis cauſalitas.

6 Reſpondeo; duplicem eſſe cauſalitatem formalem: intrinſecam, ſcilicet, & extrinſecam: intrinſecam: vt cum albedo facit parietem eſſe album: quia parieti inhęret: & calor productus ab igne in ligno, reddit calidum lignum formaliter, & intrinſecè; cauſalitas verò formalis extrinſeca potius videtur poſſe explicari per denominationem; vt eſſe viſum; eſſe cognitum, amatum eſſe &c. paries enim formaliter dicitur viſus, nõ ab aliqua forma, ſibi intrinſecè inhærẽte;

ſed

sed potius, existente in alieno subiecto: à visione namque, quæ est in animali, dicitur visus paries, absque eo, quod parieti aliquid de nouo adueniat, præter illã denominationem, quæ nil reale ponit in pariete: & hæc dicitur causalitas formalis extrinseca, pro modo. Mitto aliam causalitatem formalẽ extrinsecam, qualis est, inter rationalitatem, & risibilitatẽ: risibilitas enim cum demonstretur de homine per rationale à priori, tamquã per causam formalẽ, vt dicitur 1. poster. videtur esse effectus formalis rationalitatis: & cum realiter ab inuicem distinguantur, vt alibi dicitur, non videtur inter rationabilitatem, & risibilitatem posse esse causalitas formalis intrinseca, sed extrinseca; & formalis quidem potius, quam efficiens: tùm ob assignatam rationem; tùm etiam, quia illa simplex emanatio nequit propriè dici efficientia: sed potius ad genus causalitaris formalis reducitur; sed de hac causalitate formali non est in præsentiarum sermo: sed de alia iam explicata, per denominationem extrinsecam.

1. Poster.

§. III.

Quo genere causalitatis dicitur lumẽ manifestare obiectum.

7 Dico ergo; lumen creatum, huiusmodi causalitatis genere, dici formaliter manifestare, & palam facere obiectum potentiæ; ita vt, cum obiectũ dicitur manifestatum potentiæ, id non est per aliquid de nouo adueniens ipsi obiecto, realiter ab illo distinctum; sed potius ita dicitur à lumine existente in medio, tamquam in subiecto, siuè in intellectu, quem intrinsecè immutat alio formalis causalitatis genere; nempè, intrinsecæ, quarè potius dicitur denominatio obiecti, & termini, quam subiecti.

Tale genus causalitatis formalis extrinsecæ non potest suppleri à Deo.

8 Hoc autem causalitatis formalis, & si extrinsecæ, genus, nequit suppleri à Deo immediatè; quod sic suaderi efficaciter potest: de ratione denominationis extrinsecæ est, quod non consurgat, nisi posita forma denominante in alieno subiecto; ea autem posita, non potest nõ resultare: &, ea ablata, non potest non auferri, etiam de potentia Dei absoluta; vt facilè consideranti patebit: non potest enim paries denominari visus, etiã de potentia Dei absoluta, nulla data visione in aliquo animali, ad parietem terminata; &, posita tali visione, sic terminata ad parietem, non potest, etiam de potentia Dei absoluta, non denominari paries visus; &, ablata tali terminatione visionis ad parietem, non potest; etiam de potentia Dei absoluta, non auferri denominatio illa visi: sed fieri palam potentiæ cognoscitiuæ, eique manifestari, est denominatio extrinseca obiecti, seu termini: ergo ab aliqua forma manifestatiua in externo subiecto existente, necessariò prouenit, qua posita, obiectum dicatur manifestum potentiæ; &, qua ablata, dicatur occultum; sed hæc forma nequit alia esse, nisi lumen creatum, respectu cuiuscunque obiecti cognoscibilis; siuè sit lumen naturale, respectu obiectorum naturalium; siuè supernaturale, respectu supernaturalium: ergo, eo posito, etiam in Visione Beata, diuina Essentia fit palàm intellectui Beati; &, lumine ablato, non potest, etiam de potentia Dei absoluta, manifestari, ita vt clarè, & intuitiuè videatur. Totus primus discursus legitimus est; Maior enim constat exemplo denominationis visi in pariete, iam assignato; & consequenter inductione, discurrendo per singulas denominationes extrinsecas. Minor etiam patet ex his, quæ supra docuimus num. 6. & 7. ex quibus præmissis, sequitur necessaria consequentia.

9 Minor verò subsumpta, præter quam quod ex supradictis satis constat; ipsi aduersarij illam non negabunt, respectu cuiuscunque obiecti creati; cum tantum ipsi hoc negent in visione diuinæ Essentiæ; cum sit summa lux, & increata; & sic facilè negabunt vltimam consequentiam; ni velint primam minorem distinguere; sed quomodocunq; hoc fateantur, nobis probandum restat; eodem modo esse philosophandum de manifestatione diuinæ Essentiæ intellectui Beatorum, ac de manifestatione cuiuscunque alterius obiecti cognoscibilis, in ordine ad potentiam cognoscitiuam: & sic, non sufficere lumen increatum, ad hoc, vt diuina Essentia actu manifestetur, in ratione obiecti clarè visibilis, mentibus Beatorum; sed necessarium omninò esse lumen creatum. Probatur autem sic; & pariter confirmatur nostra assertio. Implicat contradictionem, quod, rebus eodem modo nunc, sicut antea existentibus, absque eo, quod aliquid de nouo illis adueniat, vel omnibus, vel saltem alicui illarum, aliter dicantur se habere nunc, quàm antea se habe-

habebant; sed quando Beatus diuinam intuetur E entiam, saltem in illo priori naturæ, aliter omninò se habet in ordine ad diuinam Essentiam, quàm antea se habebat: nam tunc se habet, vt potens proximè, immò, debens Dei Visionem elicere; (cum non liberè, sed necessariò illam eliciat, in posteriori naturæ;) & antè illud tunc, non erat potens, neque debens elicere diuinę Essentiæ visionem; ergò aliquid de nouo, in eo tunc, est, quod anteà non erat; sed illud nequit excogitari esse in diuina Essentia, cui nil de nouo in tempore aduenit, nec mutatur vnquam: ergo in intellectu: sed nil aliud de nouo additur intellectui, nec excogitari potest, quod de nouo ei addatur, nisi lumen gloriæ, per quod fit potens Intellectus, & ei palam præsentatur, & manifestatur Deus, ab illo clarè videndus; ergò nō nisi ex positione talis luminis creati potest diuina Essentia intueri.

10 Confirmatur hoc idem; nam Deus, dè facto, secundum omnia sua naturalia attributa, & essentialia, est intimè præsens omnibus, etiam viaroribus; immò, & damnatis; nec est vllo negotio dicendum, quod dum est sic præsens viatoribus, & damnatis, cęlet radios sui luminis increati; alias non diceretur esse totus in toto vniuerso, & totus in qualibet vniuersi parte: & tamen, nec Viatores, nec damnari Deum clarè vident; alias, nec nos Viatores, nec illi essent damnati, sed Beati, & comprehensores: ergo aliquid aliud, ab ipso increato lumine, requiritur ad hoc, vt clarè videatur Deus; Nam, etsi per increatum lumen diuina Essentia sit in se summè intelligibilis essentialiter; tamen vt fiat intelligibilis à nobis, necesse est assignetur lumen, per quod fiat nobis manifesta.

§. IV.

Effugium. 11 DIces; Deŭm esse vtique, secundum se totum, intimè præsentē omni creato enti, sed præsentia reali, & essentiali, quæ non sufficit ad hoc, vt videatur à nobis; cum autem vult clarè videri à Beatis, fit illis nouo modo præsens, præsentia obiectiua, quæ certè diuersa est à præsentia reali, & essentiali; & hinc est, quod non videtur à damnatis, & à Viatoribus, & videtur à Beatis.

Reiicitur. 12 Cæterum hoc effugium inane est; petit tamen, vt explicemus, quid dicat de nouo præsentia obiectiua, supra præsentiam realem? & breuiter recolite ea, quæ supra diximus quodlib. 4. disput. 1. cap. 3. num. 20. & cap. 6. num. 19. & alibi, dum egimus de Vnione diuinæ Essentiæ cum intellectu, in ratione obiecti; ibi enim dicimus, Vnionem diuinæ Essentiæ in ratione obiecti, cum intellectu, consistere præcisè in ordine ad efficientiam, scilicet, quod præter indistantiam realem, quæ supponitur, sit etiam subordinatio quędam ad agendū eudem actum; non tamen eo modo, quo quælibet causa secunda dicitur subordinati primæ in omni sua operatione, prout dicitur 2. phys. quia talis etiam subordinatio supponitur in quocunque ente; in quo, cum Dei   fit per potentiam, eo ipso intelligitur illud ens Deo subordinatum in operando, tanquam causæ primæ: sed eo prorsus modo, quo potentia, & obiectum, respectu eiusdem actus vitalis, dicuntur ad inuicē subordinata; quæ subordinatio non potest intelligi esse inter lapidē, & Deum; Et si in lapide sit Deus per præsentiam, potentiam, & essentiam; quia in lapide non est Deus obiectiuè præsens; neque lapidi dicitur esse Deus vnitus, in ratione obiecti. Deus ergò assistēdo intellectui, non quomodocunque, sed per modum principij innantis ad intelligendum; in ratione tamen obiecti, non causæ primæ; dicitur sufficienter applicatus, & vnitus ad hoc, vt intellectus possit claram sui visionem elicere. Hoc ibi dicebamus, cum Suar. Quod si nil aliud, præter hoc, ponamus, nulla prorsus mutatio realis cognosci potest; nam, ex parte Dei, indecens esset, mutationem concipere: Ex parte autem intellectus, nulla apparet; cum ex vi talis assistentiæ, præcisè, diuinæ Essentiæ, nil intrinsecè de nouo adueniat intellectui, vt videtur manifestum, & Suar. cap. 12. ostendit.

Nota quid dicat de nouo præsentia obiectiua supra realem.

2. Phys.

Suar.

13 Sed concipi minimè potest, quomodo Deus velit de nouo assistere intellectui D. P. Augustini; v.g. in Patria, per modum principij innantis ad intelligendum, in ratione obiecti; quo pacto noluit assistere in via, absque eo, quod assignemus aliquam mutationem, vel in ipsa Dei voluntate; quod absurdum est: vel in intellectu Augustini; cum, ex vniuersa Theologia, habeamus, nunquā intelligi, Deum modo velle, quod antea nolebat, absque noua aliqua reali mutatione, saltem, ex parte termini, & creaturæ; Vndè si nil ponamus de nouo

in intellectu inintelligibilis est talis noua ũnio, seu assistentia, per modum principij, &c. quia, rebus eodem prorsus modo se habentibus, & immutatis, omninò, permanentibus, non est cur dici possit Deus sic vnitus in Patria Beatis, & non eodem modo Viatoribus; immò, & damnatis: & ex consequenti, si ex vi talis assistentiæ quis Beatus esse posset, non minus damnati Beati essent: Igitur superius effugium non euacuat vim argumenti propositi.

Nota hanc explicationẽ Authoris.

14 Dicendum igitur mihi omninò videtur, pro explicatione huius nouæ assistentię, (quidquid Suar. & alij fateantur;) quod, sublato lumine à Beatis, non esset, nec esse posset aliter illis præsens Deus, & assistẽs, quàm de facto reliquis omnibus dicitur esse præsens, & assistens creaturis, tàm rationalibus, quàm irrationalibus, ac etiam in sensibilibus; nempè, per præsentiam realem, essentiam, & potentiam; & cum illis concurrendo ad earum omnes effectus, tantum concurreret, vt causa prima, & vniuersalis; nullo modo, vt obiectum. Et ratio est; quia obiectum, ad hoc, vt dicatur esse sufficienter applicatum potentiæ ad concurrendum cum illa ad eundem actum, ad idem obiectum terminatum; eamque mouere ad illum actum eliciendum, necessè est, sit debitè præsentatum, & manifestatũ potentiæ; Eo enim ipso, quod non sit potentiæ palam, & manifestum, non intelligitur esse illi sufficienter applicatum ad eam actu mouendam, & ad concurrendum cum illa in ratione obiecti: sed si possibilis esset talis manifestatio fieri per lumen ipsum increatũ, semper, & respectu cuiuscunque intellectus, etiam damnati, diceretur Essentia diuina sufficienter sic applicata; quod nefas est dicere: ergo, cum hæc manifestatio non nisi per lumen fieri debeat; cum sit effectus proprius, & formalis luminis; aliud lumen omninò est necessarium de nouo productum, quod id de nouo præstet; sed nequit aliud intelligi, quàm lumen gloriæ: igitur non nisi mediо tali lumine intelligi potest fieri huiusmodi applicatio; & sublato huiusmodi lumine, nulla intelligitur noua assistentia, seù applicatio diuinæ Essentiæ.

§. V.

15 Hic modus explicandi mihi videtur facilior, & verior, omnesque difficultates euacuãs. Dico ergò, quod primo loco, in aliquo priori naturæ, intelligimus in Beatis lumen glorię, intrinsecè eorum eleuans intellectus; illosque formaliter constituens potentes visionem elicere, &c. &, in posteriori naturę, intelligimus diuinã Essentiam, ex vi talis luminis, tanquam medij sub quo, fieri palam, per modum obiecti intelligibilis, ipsis Beatis; quæ antea non erat eis manifesta, sed abscõdita, licet illis esset præsentissima, sua præsentia reali, & essentiali; ex vi autem talis manifestationis intelligitur habere rationem obiecti clarè visibilis; & ex consequenti, principij assistentis, ac iuuantis ipsos Beatorum intellectus ad eundem visionis claræ actũ. Hoc autem videtur debitum intellectui tali lumine illustrato; nempè, vt obiectum debitè sibi propositum, & præsentatum, cum illo concurrat ad actum; quod si Deus, pro sua libertate, de potentia absoluta, nollet cum aliquo Intellectu illustrato concurrere ad actum Visionis; inferretur vis potentiæ; eique summa fieret iniuria; eo modo, quo dicimus; si igni approximetur stuppa, ita vt nil aliud desit ad illam comburendã; & Deus denegaret igni concursũ ei debitum; sicuti pro sua libertate posset denegare, vt certum est; proculdubio vim ignis pateretur; ita in proposito. Et quemadmodum; & si Deus semper eodem modo sit igni præsens, non tamen semper est cum igne concurrẽs ad stuppam comburendam: Et quando stuppa igni est approximata debitè, tunc, & non antea dicitur concurrere, absque aliqua mutatione ex parte liberorum decretorum Dei; & tantum tunc dicitur actu applicatus Deus ad concurrendũ; quia reliqua sunt disposita, quæ requiruntur ex parte causæ creatæ; quæ aliquo modo, in suis operationibus, dicitur modificare Dei concursum, & causalitatem; siquidem in tantum Deus dicitur cum secunda causa concurrere, in quantum causa secunda se determinat ad operandum, si sit libera; vel si sit necessaria, in quantum ipsa proximè determinata est ad operandum, & non aliter; ita, & si Deus, quantum est ex se, sit semper idẽ, eodemq; modo pręsẽs omni intellectui; non tamen semper, & omni intelligitur assi-

Si Deus non concurreret cum intellectu illustrato ad actum visionis, vim inferret intellectui.

assistens, vt principiũ adiuuans, &c. Sed quando, medio lumine, tanquam conditione necessarijssima, & medio *sub quo*, fit debitè palam, & manifesta Essentia diuina alicui Intellectui; tunc, & non antea, dicitur, absque vlla sui mutatione, assistere, per modum obiecti motiui, & iuuantis &c. quia eo ipso, quo fit palam; tenetur iuuare potentiam, & cum illa concurrere, per modum obiecti; quia iam omnia adsunt ex parte potentiæ requisita ad elicitionẽ claræ Visionis; quod si nolit tunc Deus iuuare Intellectum illuminatum, vim inferet illi; & sic explicata manet illa noua præsentialitas, quomodo debeat intelligi, absq; mutatione.

16 Concludamus ergò; quod, licet ex vi, præcisè, talis assistẽtiæ, quam de nouo intelligimus, nulla causetur realis mutatio; supponit tamen, in aliquo priori naturæ, mutationem factam in Intellectu per lumen gloriæ; & ex vi talis mutationis, oriri nouam illam denominationem extrinsecam in diuina Essentia, principij assistentis, & coadiuuantis, in ratione obiecti. Nec aliter huiusmodi denominationem nouam exoriri posse, etiam de potentia Dei absoluta; & consequenter, implicare contradictionem, posse Deum clarè videri sinè lumine; An autem possit Deus aliud lumen superioris ordinis creare; illudq; Beatis infundere ad se videndum? Non videtur inconueniens asserere; An in tali casu Visio esset eiusdem ordinis cum Visione, quæ de facto elicitur à Beatis? libenter negarem: si enim lumen, quod est virtus Intellectus, esset diuersæ speciei, & ordinis superioris; actus, à tali virtute procedens, alterius etiam ordinis proculdubio esset.

Alia ratio implicantiæ. 17 Tandem possumus hanc eandẽ implicantiam cõtradictionis, ex eo probare: quia nefas est asserere, Beatos de facto non videre diuinam Essentiam, modo connaturali; sed si posset videri Deus sine lumine creato, modo tamen, dumtaxat, increato; sequeretur, quod de facto non videretur connaturaliter per lumen creatum; ergo &c. Prob. seq. min. ex his, quę diximus supra quodl. 4. disp. 1. cap. 8. nu. 7. ad tertium principale; quod quando obiectum, se ipso, potest immediatè vniri potentiæ, absque intermedia specie, tunc magis connaturaliter Intellectus fertur ad tale obiectum; si immediatè sibi vniatur, quam si mediante specie impressa vniretur; quod si nequeat obiectum immediatè vniri; tunc connaturaliter per speciem videtur. Ex qua doctrina sic infero: ergo si Deus, medio suo increato lumine, potest debitè præsentari Beatis, absq; lumine creato: dum, de facto, per lumen creatum vult videri à Beatis, non connaturaliter videtur; quod ab omnibus dicetur absurdum.

18 Dices tamen, Deum per auxilium suum, seu specialem concursum; vel media aliqua alia qualitate supernaturali, posset se præbere alicui; saltem, per modum transeundi, clarè videndum: sicuti cõmuniter de Paulo, Moyse, & alijs Sanctis dicitur: ergò sinè lumine, &c. Respondeo, quod si illud auxilium, concursus, qualitas, &c. habeant luminis rationem, concedo: sin autem, nego. Obiectio. Solutio.

19 Ex huc vsque dictis, habemus, neminem posse Deum clarè videre, siuè permanenter, siuè per modum transeuntis, absque aliquo vero lumine creato; sinè permanenti, & per modum habitus; siuè transeunte, & per modum fluxus, quod intrinsece Intellectum eleuet, eiq; palam faciat, ac manifestet ipsum Deũ per modum obiecti.



DISPVTATIO QVINTA.

An duo Intellectus inæqualis perfectionis naturalis, æquali tamen lumine præditi, inæqualem eliciant Visionem?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur titulus; Aliqua necessaria supponuntur; & referuntur præcipuè Doctorum opiniones.

§. I.

1 Ponamus huius difficultatis, quæ communiter à Doctoribus agitatur, casum; quod ex vna parte detur Intellectus præditus vi sua naturali intellectiua, vt quatuor: ex altera detur Intellectus acutiori, ac perfectiori vi intellectiua præditus v. g. vt sex: & in vtroque sit æquale lumen gloriæ v. g. vt quinque: Quæritur, an posterior Intellectus, qui excedit priorem in perfectione; non obstante, quod lumen, quod habet, sit tantum, vt quinque; possit elicere Visionem vt sex; iuxta sex gradus perfectionis naturalis ipsius; An verò Visio, quam eliciet, erit iuxta gradus luminis gloriæ, scilicet, vt quinque; non obstante, quod eius vis naturalis sit vt sex?

2 In hac controuersia, illud primo certū esse debet; tàm Intellectum, quàm lumen gloriæ actiuè influere in Visionē beatam; & Beati Animam, tanquam principium radicale elicere actum Visionis beatificæ, mediante Intellectu, & lumine: Dispari tamen ratione: nam Intellectus concurrit, vt actus quidam, & quædam forma essentialiter actiua, actiuitate potentiæ elicitiuæ operationis, vt *qua*; & immediatè, (cum anima dicatur illā elicere, mediante Intellectu, tanquam instrumēto, & parte intellectiua, tanquam vt principium subsistens, & vt quod, remotum tamen.) At vero lumen concurrit, determinando ipsum Intellectum ad elicitionem einsdem Visionis actus. In hoc enim differunt potentiæ (Vitales præsertim) ab habitibus, reliquisque huiusmodi formis actiuis, superadditis ipsis potentijs; quod potentiæ, cum sint quædam animæ partes, naturaliaq; instrumenta, ipsi animæ à natura data, vt per ea valeat operari; sunt qualitates essentialiter actiuæ, actiuitate elicitiua actuum; siuè actiuitate potentiali. Habitus autem, & reliquæ huiusmodi formę actiuę, licet concurrant etiā ad ipsam actuum elicitionem, non concurrunt, eliciendo actus ipsos; sed, vel determinando potentias ad certum, & determinatum obiectum; vel facilitando actiuitatem illarum; Hinc est, quod Arist. cap. de qualit. & quali, statuit, potentias naturales pertinere ad secundam qualitatis speciem: habitus verò, & reliquas huiusmodi actiuas formas, ad primam.

Disparitas in ter actiuitatē intellectus, et luminis in ordine ad visionem.

Arist.

3 Ex quo supposito, aliud sequitur, nimirum, tàm animam, quàm Intellectū Beati concurrere etiam ad ipsum actum beatificæ Visionis, sua essentiali actiuitate; & in hoc differt anima Beati, lumine perfusa gloriæ, ab aqua v. g. calore perfusa; hæc enim licet dicatur calefacere actiuè; non tamen dicitur actiuè calefacere, aliqua sua essentiali actiuitate; cum potius, secundum suam essentialem actiuitatem, habeat frigefacere: sed calefacere dicitur, actiuitate accidentali, & extranea sibi; & sic non per se, sed per accidens; & se habet ad calefaciendum, velut instrumentum ignis, in cuius virtute, & non propria, dicitur calefacere; & vt suppositum quoddam sustentans, dumtaxat, hypostaticè calorem, emendicatū ab igne; Anima verò, non item; sed ad omnes actus vitales, cuiuscunque ordinis, cum actiuè concurrit, concurrat vtique, vt principium *quod* radicale, & proprium;

Animā, & intellectū concurrere ad visionem beatam essentiali actiuitate: nota.

prium; & per actiuitatem suam essentialem, non aliunde emendicatam; ita suo modo intellectus.

Intellectus dici potest concurrere ad visionem vi sua naturali.

4 Vnde non licet inferre, animam, & intellectum Beati elicere Diuinæ Essentiæ visionem, vi naturali: cum potius supponendum semper sit (vt ex superius dictis diffusè liquet) in tantum intellectũ creatum ad huiusmodi actũ Diuini ordinis concurrere, inquantum, medio lumine gloriæ, eleuatus intelligitur ad eundem ordinem Diuinum; licet non incongruè dici possit, concurrere, vi sua naturali; quatenus ly *naturali* idem est, ac à natura insitum, & congenitum; siue essentiale, siuè intraneum; non verò si ly *naturali* dicat respectum transcendentalem ad obiecta ordinis naturalis; quatenus ad ea cognoscenda reduci potest actione agentis naturalis, per media, eiusdem agentis naturalis actione, recepta: Et quemadmodum ex D.P. Augustino circumfertur illa vulgata propositio (*posse habere fidem naturæ est hominis*) non tamen lapidis: ita dicimus, quod, posse habere cognitionem rerum supernaturaliũ; & elicere actum visionis Beatificæ, & habere media ad illum actum necessaria, naturæ est rationalis creaturæ; nõ quod hæc illi naturaliter conueniant; sed quia sola creatura rationalis talis naturæ est, vt possit eleuari ad videndum Deum, & non alia.

Nõ est intellectui lumen tota vis actiua, sed, augmentum virtutis. Vasq. Suar. Mol. Lusit.

5 Et ex his suppone tertio loco cum Vasq. p.1. disp.43. c.4. n.11. §. *quo circa*, & §. *deinde*. Suarez lib.2. de attribut. negatiuis c.9. n.13. Molin. p.1. q.12. art.6. disp.2. §. *ex his duabus sententijs*. ad 1. argumentũ Lusit. lib.10. q.3. art.2. per totum, & alijs innumeris; lumen gloriæ non esse intellectui totam virtutem actiuam ad videndum: sed intellectum, sua propria actiuitate sibi innata; tamen vt per lumen eleuata; visionem elicere. Indè est, quod lumen à D.Tho. passim dicitur augmentum virtutis; ita præsertim p.1. q.12. art.5. & 3. con. gen. cap.53. in ratione quarta. Augmentum autem virtutis, non est tota virtus; imò idem D.Th. tùm locis citatis; tùm etiam eadem q.12. art.13. annuit; ipsum lumẽ confortare, & augere virtutem naturalem intelligẽdi; quod autem confortatur, & augetur ad agendum, sua virtute, dicitur agere, iam per aliud additũ confortata, & aucta.

D.Th.

Nota contra nonnullos DD. Cabrer.

6 Vbi miror satis doctissimos viros Cabreram 1. tom. ad 3. p. q.2. art.2. disp.4. §.4. concl.2. & disp.9. §.5. cõcl.3. vbi probat quartam sententiam, quam præmiserat §.2. n.14. & §.6. n.40. & q.1. ar.1. disp.6. dub.6. §.4. concl.2. per totam. Petrum Ledesmam de diuina perfectione q.8. ar. 8. ad 6. arg. in 4. sent. & §. *Dico quarto*, & Nauarettum 1. tom. controuers.37. citatos diffusè, à Lusit. loc. cit. §.1. qui, ex vna parte concorditer fatentur; intellectum cum lumine actiuè concurrere in visionẽ; immo duo posteriores apertè etiam docent, intellectum, per suam naturalem virtutem; eleuatam tamen per lumen, actiuè influere in visionem. Cabrera autem non admittit, virtutem naturalem, siue radicalem ipsius intellectus, etiam eleuatam, actiuè influere: quod pugnat cum suo antecedenti; vt benè vidit Lusit. §.4. n.26. cum potentia intellectiua nullo modo distinguatur à sua innata actiuitate; ita vt intellectus dicatur esse quid habens, seu sustentans actiuitatem; sicuti incongruè loqueretur qui diceret, quod calor sit quid habens, & veluti subsistens in sua actiuitate calefactiua: huiusmodi enim potentiæ sunt simplices quædam qualitates, excludentes compositionem habentis, & habiti; cum verè, ex se, sint ipsæ actiuitates potentiales, quibus principiũ substantiale operatur. Et sic, eo ipso, quo Cabrera conuenit cum reliquis, (intellectum actiuè ad visionem influere,) debet necessario fateri, illum influere per suam innatam actiuitatem, cum Ledesm. & Nauar.

Ledes. Nauar.

7 Ex altera verò parte volunt, lumẽ gloriæ esse intellectui totam virtutem ad videndum. Quod posterius mihi videtur apertè cum priori pugnare; quomodo enim potest intelligi, quod intellectus actiue, per suam propriam, innatamquẽ virtutem, influat; & quod lumen sit illi tota virtus ad videndum? si secundum hoc verum esset, certè intellectus concurreret ad videndum, virtute extranea sibi, non natiua; vt ex ipsismet terminis patet; Et notanter dixi. (*natiua*) vt euitetur æquiuocatio vocis (*naturalis*) prout supra nu.4. adnotauimus, & latius disp.2. cap.2. Et in 3. cap. annuimus, intellectum concurrere ad visionem, vt causam principalem; & potentiam obedientialem intellectus, in ordine ad visionem beatam, non esse merè obedientialem; sicuti est potẽtia obedientialis aquæ ad producendam gratiam in baptismate; sed esse obedientialem mixtam. vide hæc præsertim n.5. & 6. ex quibus faciliè reijci potest hic modus dicendi horum Doctorum. Conclu-

cludimus ergò, lumen gloriæ non esse intellectui totam virtutem ad videndum, sed complementum virtutis; eo modo, quo exposuimus dictis capitibus.

§. II.

Obiectio Nauar.

8 Dices cum Nauarrette loco cit. §.4. lumen gloriæ dat intellectui primam actiuitatem ad actum visionis; ergò est illi tota virtus; prob. antec. quia lumen gloriæ dat intellectui esse simpliciter, ad modum formæ substantialis: Hoc .n. discrimen est inter formas accidentales aduenientes substantiæ constitutæ in suo esse completo; Et inter formas supernaturales; quod illæ præhabētur in substantia, & ab ea recipiunt esse simpliciter; & educuntur de potentia naturali illius; & ideò possunt dare substantiæ solum esse secundum quid: at formæ supernaturales dant esse simpliciter; nec aliquod esse supernaturale supponunt; & per consequens, nullam supponunt actiuitatem in subiecto; ergò lumē dat primam actiuitatem intellectui.

Solutio 1.

9 Hæc obiectio reuocat quæstionē illam, quam exagitabimus infra quodl. 11. An. s. habitus supernaturales educantur de potentia animæ, ad modum reliquorum accidentium, quæ educuntur de potentialitatibus suorum subiectorum? quo loco, tàm de Gratia, quàm de reliquis formis ordinis Diuini nos partem affirmatiuā sustinebimus; sed quidquid sit de ista quæstione, Respondeo neg. anteced. Ad cuius probationem, primò dicerem; quod, cum lumen gloriæ supponat in Anima Beati Gratiam; & in potētijs, reliquos habitus infusos, & supernaturales, qui gratiam sanctificantem concomitātur; necessario supponit, tàm animæ Essentiam, quàm eius potentias iam constitutas in esse ordinis Diuini; & sic non dat lumē gloriæ intellectui esse simpliciter; sicut Gratia habitualis illud dicitur dare animę, ad modum formæ substantialis; & sic nullius roboris est argumentum.

2. solutio.

10 Vel secundò dicere possem, *lumen dat intellectui esse simpliciter, ad modum formæ substantialis*, .i. quemadmodum forma substantialis dat materiæ primæ primum esse completum in ordine naturæ; ita, in ordine Diuino, lumen dat esse simpliciter intellectui, in ordine ad visionem Diuinæ Essentiæ; quia complet actiuitatem illius; quæ, cum sit inchoata, perficitur, & completur per lumen; sine quo proculdubio, simpliciter, non posset intellectus Diuinæ Essētiæ visionem elicere; ex quo tamen non sequitur, lumen gloriæ date intellectui primam actiuitatem: nam cum dicatur complere actiuitatem illius, iam supponit in intellectu actiuitatē inchoatam, quam complet, & perficit in ordine ad elicitionem actus visionis.

11 Hinc optimè deducit Lusit. §.5. nu. 38. 39. 40. lumen gloriæ, & si habitus nuncupetur, non tamen verè, & propriè habitus rationem habere: Sed alterius speciei qualitatis, ordinis Diuini: prout de Gratia suo loco Deo dante id idem docebimus. Est ergo lumen simplex quędam supernaturalis qualitas, quæ dici potest virtus completiua, siue augumentatiua virtutis, & actiuitatis potentialis intellectus creati ad elicitionem actus visionis Essentiæ Diuinæ.

Lusit. Lumē gloriæ non est in rigore habitus, admodum habitus.

§. III.

12 His ergò præhabitis; in proposita difficultate duæ sunt celebres sententiæ; Altera Scholæ Thomisticæ, asserentis; nullo modo, ex maiori perfectione naturali intellectus creati oriri posse maiorem perfectionem Beatificæ visionis; Et sic, duos intellectus inæqualis perfectionis naturalis, si æquale habeant gloriæ lumen, æqualem omninò elicere visionem. Hoc dictum proculdubio est D.Th.p.1.q.12.art.6. vbi, in corpore, satis clarè docet; intellectum, qui plus de lumine gloriæ participat perfectius Deum videre. Et ad tertium argumentum dicit, diuersitatem vidēdi prouenire ex diuersitate facultatis intellectus; non quidem naturalis, sed gloriosæ; & idem alibi.

Sententia D.Th.

13 Neque valet adducere locum ex 3.p.q.10.ar.4.ad 2. vbi habet: *Visio Diuina Essentia excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ; & ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiæ; (in quo Christus est Excellentissimus,) quàm secundum ordinem naturæ, secundum quem, natura Angelica præfertur humanæ*; in quibus verbis, solet ab aduersarijs huius sententiæ, ponderari illud, *magis*; Ita vt videatur D.Tho. (secundum illos) non negare, perfectiorem visionem aliquando prouenire à perfectiori vi intellectiua naturali; sed comparare potius lumē gloriæ cum intellectu; & sic affirmare, vim naturalem minus conferre, quam lumen.

14 Non,

Fasol. 14 Non, inquam, ex eo D. Thomæ loco id potest colligi; nam (vt optimè Pater Fasol. p. 1. q. 12. art. 6. dub. 3. n. 14.) ibi, particula, *magis*, nō sumitur comparatiuè; sed aduersatiuè: ita vt, non significet, *plus* seu *principaliter*: sed *potius*: Et faciat hunc sensum negatiuum: gradus perfectionum in visionibus Beatis non attenduntur ex intellectu, & natura: sed potius ex lumine, & gratia; Adducitq; Fasol. nonulla sacræ Scripturæ loca, in quibus ly, *magis*, hoc modo intelligitur; vt Psal. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorū*; & 2. Macab. c. 6. de Elcazaro dicitur: *gloriosam mortem, magis, quàm odibilem vitam complectens*: & alia huiusmodi: itaquè, absq; dubio, D. Thom. fuit huius sententiæ primæ. Quam etiam ex iunioribus amplexati sunt idem Fasol. loc. cit. Zumel. ibi d. 1. concl. 1. & 2. Valen. pun. 4. Vasq. d. 47. c. 6. Suarez p. 1. tract. 1. lib. 2. cap. 21. Salas p. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 7. n. 88. Nazar. contro. 1. concl. 1. Beccan. tract. 1. cap. 9. q. 10. Arrub. d. 22. Oregius tract. 1. de Deo vno cap. 9. q. 8. & multi alij.

Zum. Val. Vasq. Suar. Salas. Nazar. Beccan Arrub. Oreg.

Sentētia Scotistarum. 15 Altera sententia, ex opposito, est Scholæ Subtilis; asserentis; ex duobus intellectibus, in perfectione naturali, inæqualibus; & si æquale habeāt lumē gloriæ: perfectiorē tamē, proculdubio, visionē perfectiorem, & intensiorē elicere. Ita Scot. in 3. dist. 13. q. 3. quo loco (vt optimè adnotant Mol. p. 1. q. 12. art. 6. disp. 2. & Fasol. ibidem dub. 3. n. 15.) licet non loquatur, præcisè, de intellectu vidente Deum: tamen in casu omninò simili tenet, voluntatem Angeli, naturaliter perfectiorē voluntate humana Christi, cum æquali gratia, & charitate producturam actum fruendi perfectiorem: Et idem docet in 4. d. 50. q. 6. §. *Si autem ponatur*. Riccard. in 4. d. 49. art. 2. q. 8. & art. 3. q. 2. Durand. in 3. d. 14. q. 1. num. 8. & 9. & in 4. d. 49. q. 2. n. 28. licet Lusit. lib. 12. de adept. Beatitud. q. 11. art. 1. §. 1. nu. 3. aliter mentem Durandi interpretetur: verum pro hac sententia communiter citari solet. Item Caiet. 3. p. q. 10. ar. 4. ad 2. vbi consequēter deducit, & concedit, *quod si Verbum assumpsisset naturam Angeli, cum lumine gloriæ æquali illi, quod Anima Christi de facto habet; Angelus perfectius videret Diuinam Essentiam, quam anima Christi modo videat*. Mol. loco cit. & alij multi grauissimi Doctores; quibus etiam adhæret Lusitanus loco paulò supra cit. ar. 3. §. 3. n. 5. concl. 2.

Scot. Mol. Fasol. — Riccar. Dur. — Lusit. — Caiet. — Mol.

§. IV.

Quædā opinio reijcitur. 16 Mitto opinionem illam, (quæ ad rem non facit) asserentium, totam visionem fieri à solo Deo; secūdum quam foret necesse fateri, omnem æqualitatem, vel inæqualitatē visionum Beatificarum refundēdam in solam Dei voluntatem; vel quia Deus, supposita lege de correspondentia præmij ad meritum, iam nō operatur pro solo voluntatis arbitrio: sed iuxta meritorum mensuram, totam visionum inæqualitatem reducēdam esse ad inæqualitatem meritorum, tamquam ad causam, suo modo, disponentem ad visionem. Quo pacto videtur sentire supplementum Gabrielis in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. dub. 2. & q. 5. ar. 2. proposit. 4. & alij etiam. Quæ quidem opinio ex eo ruit, quod nos sentimus, intellectum effectiuè cōcurrere ad visionem, etiam Beatificam, & vi sibi natiua, prout exposuimus supra n. 2. 3. & 4.

Supplem. Gab.

Quomodo merita dicātur causa beatitudinis. 17 Non tamen negamus, merita esse etiam, aliquo modo, causam Beatitudinis; moralem verò, non phisicam; & iuxta mensuram meritorum, de lege, dari Beatificæ visionis præmium; siue (vt clarius dicam;) multos Beatitudinis gradus dari iuxta mensuram meritorum; quod de Angelis, in primis, dubitandum non est; nam, vel illis prima gratia fuit collata intuitu propriæ dispositionis vniuscuiusq; illorum, (prout receptissima grauissimorum Doctorum opinio est:) vel per modum naturæ, & independenter ab aliqua ipsorum dispositione (siue hæc Dei liberalis largitio fuerit, ex meritis Christi, siue non: quod alterius est negotij:) si sine propria dispositione gratiam Angeli receperūt; proculdubio, licet eorum Beatitudinis aliqui gradus correspondeant proprijs meritis, ex ipsa gratia habitis; portio tamen illa, quæ ipsi primæ gratiæ, nullis præcedentibus meritis, habitæ respōdet; certè dici non potest præmium, & merces meritorum propriorū. Cęterum si gratiam propria dispositione obtinuerunt, tunc omnes Beatitudinis Angelorum gradus proprijs meritis correspondent.

Concil. Florent. Paul. Nota doctrinam hanc de meritis. 18 De Hominibus autem, clamant Patres; clamant Concilia, præsertim Florentinum; clamat Paulus, visionem, quæ datur illis in præmium, dari pro ratione meritorum, & secūdum proprium laborē. Sed hic volo adnotemus grauissimam doctrinam, ac satis necessariam optimo Theo-

Theologo, (non .n. absre diximus; *Visionem, quæ datur illis in præmium*) quod Merita, vel sunt propria ipsius merentis, (vt cum quis, proprio contritionis actu, ex auxilio habito, meruit gratiam: vel alijs actibus, ex ipsa gratia elicitis, meruit augumentū ipsius gratiæ sanctificantis:) vel sunt Christi; Et hæc sunt in duplici differentia; vel .n. ea nobis applicantur, medijs Sacramentis; vel quia illis Christus nobis meruit auxilia, quæ pertinent ad benè operandum, & sunt prædestinationis effectus, quos ipse Christus meruit nobis, in ordine ad salutem consequendam. Inter quos effectus nostræ prædestinationis, Suar. 3. de prædestinat. c. 7. n. 10. & 11. cōnumerat Bonam indolem; Acumen ingenij; seu Complexionem aptam ad virtutem; Circumstantiam Natiuitatis, vel Conceptionis; quatenus ex ea pēdet consequutio boni temperamenti, ad virtutem aptioris; Educationem accommodatam ad virtutem; & alia huiusmodi, quæ, inquit, esse Dei beneficia, & non consequi naturam, etiam hanc, & indiuiduam, naturali necessitate; sed pendere ex circumstantijs, quas Deus, speciali prouidentia, ac voluntate prouidit, ex vi alterius dilectionis, qua præordinauit aliquem ad vitam æternam; & sic huiusmodi bona applicantur nobis ex meritis Christi, tamquam dispositiones antecedentes ad gratiam, & gloriam.

Suar.

Visio potest esse præmiū proprij meriti solum.

19 Hoc adnotato, certum esse debet, Primò, visionē posse esse solum præmium proprij meriti; vt si quis gentilis, absque aliquo Sacramento, in re suscepto, se suæ Idolatriæ pœniteat; & pro vera Christi fide trucidetur, & pereat: Huic tota Beatitudo erit proprijs meritis, dumtaxat, correspondens; non tamen alicui gratiæ sacramentali.

Beatitudo absq; proprio merito.

20 Item secundò non minus certum est, posse Beatitudinem alicui conferri, absq; aliquo merito proprio; vt de facto, pueris baptizatis, qui ante rationis vsum e vita decedunt, confertur gloria correspondens gratiæ Baptismali, ex opere operato, ipsis concessæ.

Absquè vllo merito conferri potest.

21 Imo tertiò certum est; posse Beatitudinem conferri alicui absq; vllis meritis, siuè proprijs, siuè Christi, quocunq; modo cōsideratis: sic gloria, quam Christi Anima ab instanti suæ Conceptionis habuit, nō fuit alicuius meriti præmium; nec .n. Christus meruit sibi gloriam. Ex quibus dictis colligo, non esse de ratione Beatitudinis (præcisa lege, & dispositione Diuina.) quod detur intuitu meritorum eius, cui confertur; & etiam accidere posse, quod duo, qui æqualiter laborauerūt, & æqualia propria merita habuerunt, non sortiantur æqualem Beatitudinem; vt cum alter v.g. decedit cum maiori gratia Sacramentali; Huic proculdubio, præter gradus visionis, correspondētes proprijs ipsius laboribus, dabitur etiā & portio gloriæ correspondens illi gratiæ Sacramentali, quam obtinuit, ex opere operato. Et sic, vniuersaliter, non existimo posse dici, visionem Beatam, necessario, secundum se totam, habere rationem præmij, & mercedis, in rigore; neque, absolutè loquendo, æqualitatem, vel inæqualitatem ipsius esse pēsandam, etiam radicaliter, ex meritis, & laboribus proprijs.

Beatitudo nō potest absoluè dici præmium.

22 Et licet in sacris literis visio dicatur merces, præmium, Corona Iustitiæ, &c. non tamen dicitur, quod, secundum se totam, sit solum merces, prēmium, &c. vt ex dictis oppositum constat; Certum tamen est, quod habentibus propria merita, præter illam gloriam, quæ dabitur intuitu gratiæ Sacramentalis; & ex consequenti, intuitu meritorum Christi, & ex opere operato, correspondebunt etiā tot alij gradus gloriæ, quot erunt gradus meritorum propriorum, in præmium, & mercedem illorum; Et quo maiora fuerint merita, maior erit gloria, non tamen ex solis proprijs meritis habebit, quod sit maior. Benè verum ex solis proprijs meritis habebit, quod sit maior in ratione præmij, & mercedis, in rigore; & hoc ex lege, & Statuto Dei Summi glorificatoris, cuius est dare merita, gratiam, & gloriam.

23 Verum, si sermo sit de gloria, in ratione mercedis, & præmij, præcisè sūpti, & absque rigore; quatenus .s. respicit aliquod meritum, etiam si non sit eius, cui sit ipsa gloria conferenda; indubitatum existimo, quod (excepta gloria animæ Christi) omnis gloria meritis correspondeat, & laboribus; siuè proprijs, siuè Christi; applicatis tamē nobis quocunq; modo. Quod etiam verum erit de gloria Angelorum; si dicatur, quod eorum prima gratia fuit illis data ex meritis Christi. Hoc dictum consequitur necessariò ad superiorem doctrinam.

24 Cumq; Christus etiam applicauerit prædestinatis eius merita (vt diximus supra nu. 18.) ad omnes nostræ prædestinationis effectus; & inter effectus prædestina-

ſtinationis,optimè connumerérur, Acumen Ingenij; Bona indoles, &c. neſcio, cur non poſſimus etiam affirmare, viſionem, ſecundum aliquam ſui portionem, ipſi Deo cognitam,correſpondere huiuſmodi naturæ circumſtantijs; non tamen, præciſè,quatenus ex natura sũt; ſed quatenus ſunt ex meritis Chriſti ordinatæ ad mores,ad virtutem, ad gratiam; ſi .n. potentiæ præmiantur in Cęlo, quia cooperatæ ſunt Gratiæ ad ſalutem;cur illæ, quæ intenſius cooperantur, non magis præmiabuntur? Hæc doctrina valdè notanda eſt; præſertim à nu.18. huc vſquè, pro his,quæ infra occurrent dicenda.

CAPVT I.I.

Ponuntur fundamẽta Prioris opinionis.

§. I.

Rationes pro 1. ſententia D.Th. 1 VTraq; opinio eap.præcedẽti poſita ſua habet fundamẽta,quibus vtraq; probabilis redditur.Et primo loco Sectatores primæ,ſic illam primò probant.

1.ratio. Effectus omnis, pendens à duabus cauſis,debet commenſurari virtuti determinanti,& modificanti alteram ad agendũ; ſed viſio Beata taliter elicitur ab intellectu,& lumine, vt lumẽ habeat rationem determinantis,& modificãtis; intellectus autẽ, cauſæ vniuerſalioris determinatæ, & modificatæ per lumen ad ipſum viſionis actum; ergo viſio commẽſuratur virtuti,& quantitati luminis, non verò virtuti intellectus; & ex conſequenti,cum æquali lumine, duo intellectus,adhuc in perfectione naturali inęquales,æqualem elicient viſionem.

2.ratio. 2 Secundò:viſio Beata eſt actus omninò ſupernaturalis, ſecundum omnes gradus:ergò non poteſt aliqua ſui portio correſpondere alicui cauſæ naturali: ſed ſecũdum ſe totam debet refundi in cauſam ſupernaturalem; nempè, in lumen gloriæ.

3.ratio. 3 Tertiò viſio nõ eſt maior, aut perfectior, niſi propter maiorem,vel minorem concurſum Dei, influentis cum intellectu,cui immediatè vnitur,in ratione obiecti; & etiam coprincipij effectiui; ſed non plus concurrit Deus cum intellectu,quàm ſit quantitas luminis gloriæ; ergo maior, vel minor perfectio naturalis ipſius intellectus non ſatis eſt augere, vel minuere actum ipſum Beatificæ viſionis.

4 Quartò: nam licet demus, intellectum cum lumine concurrere virtute ſuę naturæ; adhuc maior intellectus non ſatis eſt ad meliorem viſionem; probatur; quia intellectus nõ habet, ex ſe,virtutem completam ad viſionem,ſed inchoatam; ergò non poteſt,ſecundum illam,operari,niſi per ſupernaturalem facultatem luminis compleatur; & ſubindè menſura viſionis non eſt ſumenda à menſura virtutis naturalis,ſed luminis. 4.ratio.

5 Quintò:ſic ſe habet intellectus ad lumen, reſpectu viſionis; ſicut ſe habet voluntas ad Charitatem,reſpectu amoris; ſed inæqualitas amoris, & fruitionis ſolũ ſumitur ex inæqualitate charitatis, non verò voluntatis;ergò idem dicẽdum erit de inæqualitate viſionis; maior patet;quia non poteſt aſſignari ratio diſcriminis; minor probatur;quia hæc tria reſpondent meritis; viſio, .ſ. Amor, & fruitio.Quare duo illi,cum habeant ęqualia merita, æqualem habebunt charitatem; at hoc eſſet falſum,ſi cum æqualitate Charitatis, voluntas melior meliorem eliceret amorem. 5.ratio.

6 Sexto: intellectus eleuatus, quantumcũq; habeat virtutem natiuam acutiorem, non poteſt videre aliquas intelligibiles rationes formales, vel eminentiales,niſi ſub lumine gloriæ, obiectiuẽ appareant;quicquid.n.videtur,ſub lumine videtur;ergò vbi fuerit ęquale lumen, erit æqualis viſio;quia obiecta ęqualiter apparebunt,ſi lumen fuerit æquale. 6.ratio.

7 Septimo:æqualitas,vel inęqualitas actuum ſupernaturalium viæ, (fidei, .ſ. Spei,& Charitatis) nullo modo procedit ex æqualitate, vel inæqualitate intellectus,vel voluntatis; ergò nec in patria, inæqualitas viſionis ꝓueniet ex inæqualitate ipſius intellectus:conſequẽtia probatur, quia eadem eſt ratio de actibus viæ,& de viſione Patriæ: Omnes.n.neceſſatio requirunt principium ſupernaturale,quo potentiæ eleuentur; inimò conſequentia vim habet argumẽtum à fortiori;quoniam perfectio viſionis minus poteſt prouenire à naturali virtute;quàm perfectio actuum viæ; quoniam multò plus eſt ſupra naturam viſio patriæ, quã fides viæ. Antecedens verò probatur, quoniam ſicut eſt de fide, hos actus haberi non poſſe ſine gratia; ita eſt de fide, 7.ratio.

inæqualitatem eorum ex sola gratia prouenire:si .n. inæqualitas horum actuum reducitur in virtutem naturalem,vtiq; in naturam refundetur inæqualitas dispositionis;qua homo disponitur ad iustificationē,quæ huic dispositioni adæquatur; ita vt aliquis sit magis iustus, quia meliora naturalia sortitus est; consequens autem alienum est à Patribus, & Concilijs; & hac ratione (teste Lusitan. lib. 12. q. 11. ar. 3. §. 4. nu. 26. arg. 12.) putat Lorca ad 1. 2. disp. 35. de Beatitud. hanc sententiam efficaciter probari, & oppositam omnino expugnari. (Lusit. Lorca.)

(8. ratio.) 8 Octauò, nā licet intellectus creatus se ipso immediatè concurrat ad visionem; tamen concurrit, vt eleuatus à lumine, per vires suas; non vt naturales, sed vt obedientiales; nec intellectus perfectior ab eodem lumine potest, cęteris paribus, magis eleuari: quia intellectus, ex eo, quod sit perfectior, addit tantum maiorem perfectionem naturalem;quæ, vt naturalis est,nullam dicit habilitatem ad actum supernaturalem; & non petit aliquam, vel minimam eleuationem ad actum supernaturalem; & nihil omninò potest,respectu ipsius actus supernaturalis;ergò intellectus addens maiorem perfectionem naturalem, non addit, præcisè ex hoc,maiorem eleuationem; ergo maior,vel minor perfectio naturalis habent se prorsus impertinenter, in ordine ad productionē effectus supernaturalis; sed spectari solum debet Dei eleuatio, quæ,ex natura sua, petit lumen,quod informat intellectum, qualiscunq; naturaliter ille sit: sicut .n. vt eleuetur simpliciter intellectus,est in causa solum lumen simpliciter: ita vt intellectus eleuetur magis,vel minus, esse debet in causa, solum maius, vel minus lumen; & hæc est ratio fundamentalis, & præcipua, qua nititur Pater Suar. l. 2. de attribut. negat. cap. 21. n. 8. ipse .n. substinet,potentiam obedientialem intellectus, secundum quam eleuatur ad visionem, esse distinctam à potentia naturali; & sic, intellectum concurrere ad visionem, vt instrumentum Diuinæ Gratiæ, per potentiam actiuam obedientialem;quam ait,æqualem esse in omnibus intellectibus; etiam si, in perfectione naturæ,sint inæquales; quia omnes sunt æquè capaces Diuinæ gratiæ;& æquè possunt eleuari;& sic maiorem, vel minorem perfectionem naturæ in hoc opere in instrumento,materialiter,tantum,existimat se habere,& nihil conferre ad actionem. (Suar.)

9 Vltimò tandem probatur hæc eadem sententia, argumento Theologico, non contemnendo: si maior perfectio naturalis intellectus aliquid cōferret ad actū visionis Beatificæ;sequeretur,quod merces non corresponderet labori, nec præmium meritis; quod est contra sacrā Scripturam,Concilia,& Patres;probatur sequela;quia;demus duos,æqualia merita habentes, quorum tamen alter perfectiorem habeat intellectum:si hic,ratione huius maioris perfectionis naturalis, perfectiorem eliciat visionem; ergò maius erit eius præmium, & maior merces; & ex consequenti, Beatior altero, qui æqualia merita habere supponitur. (9. ratio.)

§. II.

10 AD hoc argumentum variè solet responderi: sed præcipuę solutiones sunt,quæ à Suario adducuntur,& impugnantur. Primò respondēt nonnulli; non esse inconueniens, vt, qui habet æqualia merita, perfectius videat, ratione maioris perfectionis naturalis;quia gratia non destruit naturam,sed perficit; si ergo natura cooperetur gratiæ,nil impedit,quominus,ex hac parte,aliquam maiorem perfectionem habeat in ipsa visione,vltra illam,quæ debetur ex meritis. (1. responsio aliquorū ad hanc vlt. rationem Thomistarum.)

10 Hanc solutionem (inquit Suar.) parum consonam esse principijs fidei, quia visio beatifica datur, vt merces filiorum Dei: & ideo fieri non potest, vt aliquis absq; pluribus meritis, & maiori gratia,perfectius videat: quod inde confirmat;quia nil perfectius esse potest in illa visione, quod non oriatur ex Diuina gratia. (Reijcitur.)

12 Secunda solutio est aliorum, asserentium; illos,qui sunt inæquales in perfectione naturæ;æquales verò in meritis, habere æquale lumen:tamen,ne inæqualiter videāt,Deum continere concursum suum, & non relinquere intellectum, vt cum illo lumine operetur, quantum potest; sed quantum est meritis proportionatum. (2. responsio ad eundem.)

13 Quam solutionem sic impugnat; quia hoc ipso,quod causa secunda habet principium sufficiens ad aliquam operationem,vel ad tātam perfectionem eius, est illi debitus concursus ad talem actionem; etiam si nulla merita intercedant; presertim,si homo non demeruit priuari (Refellitur.)

illo

illo concursu; quod de Beatis dici non potest; item, quia illud esset perpetuum miraculum. Item; quia, ex parte Dei, est incredibile fieri, vt Beatus non amet ipsum, quantum potest; ergo idem est de visione.

3. solutio. 14 Tertia solutio negat, in eo casu, dari æqualia lumina habentibus æqualia merita; sed dari in ea proportione, quæ sufficiat, vt habeant æquales visiones: quia proprium præmium meritorum est visio; lumen verò datur, vt principium, seù conditio necessaria ad visionem; & ideo, non tantum luminis vnicuiq; dari, quantum visionis meruit; sed quantum est illi necessarium ad eliciendam visionem, proportionatam meritis.

Impugnatur Conc. Viennen. 15 Contra quam sic insurgit; quia videtur parum consona Concil. Viennen. dicenti, per lumen gloriæ eleuari intellectum ad videndum; ex quo rectè inferri videtur, ad melius vidēdum, esse eleuandum per melius lumen. Præterea sequeretur, habitum Charitatis infundi minus perfectum ei, qui habet perfectiorem naturam cum meritis æqualibus, ne magis amet in actu secundo. Quia, si perfectior intellectus, cum ęquali lumine, perfectius videt; etiam perfectior voluntas, cum æquali Charitatis habitu, perfectius amabit; quod consequens, inquit, incredibile esse; quia, ex eo vlterius sequitur; etiam habitum gratiæ esse minus perfectum, & intensum in habente æqualia merita, si habeat perfectiorem naturam; nam gratia, & charitas seruant proportionem in perfectione; & reuera videtur eadem ratio de lumine; nam hæc tria sibi respondent; sicut Essentia animæ, intellectus, & voluntas. Tandem, lumen est magna perfectio animæ; cur ergò dicendum est, quod qui æqualiter meruit, maiorem decorem, ac perfectionem supernaturalem accipiet, solum, quia maiori pollet ingenio? ita Suar.



CAPVT III.

Ponuntur fundamenta sententiæ Scotistarum.

§. I.

Rationes Scotistarum. 1. ratio. 1 EX alia verò patet, Authores secundæ sententiæ, sic illam Primò probant: concursus maior, aut minor potentiæ naturalis conducit ad maiorem intensionem aliorum actuum supernaturalium; vt, quo maior est concursus intellectus, aut voluntatis cum habitu Fidei, Spei, & Charitatis supernaturalis, eo intensior actus Fidei, Spei, aut Charitatis supernaturalis producitur; actusq; est magis meritorius, si fiat ab existente in gratia: ergò, pari ratione, quo maior fuerit concursus potentiæ intellectus cum lumine gloriæ, eo intensior, & maior visio producetur.

2 Secundò: data quacunq; re creata, intellectu prædita, potest Deus creare aliam, atq; aliam, magis, ac magis perfectam, progrediendo in infinitum; cuius vis naturalis ad intelligendum sit in infinitum maior, ac maior; tùm quoad perfectionem essentialem; tùm etiam quoad perspicacitatem, acumen, atq; influxum ad intelligendum; adeò vt Mol. (cuius est hæc ratio) p. 1. q. 12. ar. 5. disp. 2. dicat, non esse improbabile, Deum, ita ascendēdo, posse creare substantiam intellectu præditam, quæ, sine lumine gloriæ, per suam vim naturalem; concurrente Essentia Diuina, loco speciei intelligibilis; Deoquè non denegante concursum suum vniuersalem; videre posset Diuinam Essentiam: quicquid autem de hac quæstione sentiendum sit: cur tantus, ac talis influxus, vna cum lumine gloriæ, in visionem Beatam, tanquam in effectum, immediatè productum ab intellectu, & lumine, nihil omninò cōducet, vt producatur clarior, atq; intensior visio Diuinæ Essentiæ, quā produceretur, si intellectus humanus esset, qui cum eo lumine in visionē influeret? Non. n. intellectus Beati ad visionem Diuinæ Essentiæ se habet, sicut aqua calida, aut ferrum candens, in ordine ad calefaciendum manum, vel comburendum stuppam: hæc. n. nullum influxum habet in huiusmodi actus; cum solus calor, qui aquæ peregrinus est; & ignis, qui 2. ratio. Mol.

eodem modo peregrinus est ferro, influant; aqua vero,& ferrum solum se habent,vt subiecta; quia .f. in se habent,ac sustinet vim illam agendi; & licet dicantur calefacere,& inflammare;hoc est,per omninò alienam, & peregrinam virtutē, & nullo modo propriam; cum aquæ potius sit frigefacere. At intellectus,vitaliter,& vi sua natiua,ac propria, tanquam causa principalis(vt supra dictum est)influet in visionem cum lumine;& lumen non est intellectui tota ratio, & virtus in ordine ad visionem, ita Molina.


3.ratio. 3 Tertiò, nam licet intellectus concurrat ad visionem,media potentia obedientiali; hæc obedientialis potentia est ipsamet entitas intellectus, (vt alibi:) ergò, si est inæqualis perfectio intellectus,est etiam inæqualis potentia: ergo inæqualis intellectus, cum inferat inæqualem potentiam obedientialem, erit etiam principium inæquale visionis.

4.ratio. 4 Quartò: intellectus concurrit per vitalitatem suam ad visionem Beatam; quam vtiq; non habet ex lumine gloriæ, sed ex se, & naturaliter; ergo concurrit per sua naturalia;& ex consequenti, quo perfectior est illa vis naturalis, qua concurrit,eo erit visio perfectior.

5.ratio. 5 Quintò:omnes intellectus in productione visionis Beatæ, concurrunt quantum possunt: ergo inæqualiter:quia non omnes intellectus sunt æqualis perfectionis,& virtutis; ergo neque æqualis conatus; ergò,cum æquali lumine,erunt inæquales visiones;quia est inintelligibile, ex inæqualibus causarum conatibus, & applicationibus prouenire æquales effectus, vt adnotauit Sotus in 4.d.49.q.3. art.2. col.10. contra plurimos,qui huius argumenti antecedens concedunt;& deinde malè negant consequentiam. Sot.

6.ratio. 6 Sextò: intellectiones hominis, & Angeli circa idem obiectum,sunt diuersæ speciei;& per consequens,diuersæ etiā perfectionis, essentialiter; nam intellectiones intellectuum creatorum,quæ sūt accidentia,differunt inter se specie;non solum ob diuersitatem obiectorum: sed etiam subiectorum,à quibus,non minus essentialiter dependent, quàm ab obiectis; & ideo intellectio Angeli inferioris ordinis, est distincta, & minoris perfectionis essentialiter, quam sit intellectio Angeli superioris, etiam circa idē obiectum; sicut etiam intellectiones hominū specie differunt ab intellectionibus Angelorum,etiam circa idem obiectum:ergò,pari ratione, intellectus Angeli superioris intelliget Diuinam Essentiam distincta intellectione essentialiter ab intellectione inferioris Angeli; vel hominis; ac per consequens, eius intellectio erit perfectior essentialiter; Et sic,perfectius repræsētabit, & exprimet Diuinam Essentiam, quam repræsentat visio intellectus Angeli inferioris, vel hominis; licet habeant æquale lumen gloriæ; quod cum non impediat,quominus illi intellectus differant specie;sic neq; etiam impediet,quominus intellectiones, essentialiter dependentes ab illis intellectibus, inter se essentialiter differant; quæ intellectiones, si essentialiter inter se differunt, intellectio Angeli superioris ordinis erit maioris perfectionis essentialiter, quàm sit intellectio Angeli inferioris, vel multò magis hominis; ergo perfectius etiam intelliget Diuinam Essētiam intellectus maioris perfectionis essentialiter; licet habeat æquale lumen gloriæ; quam habeat intellectus minoris perfectionis essentialis.

7 Vltimò tandem probant:quia ferrum candens;(quod est minus calidum, quàm tenuissima flamma;) magis calefacit,& vrit,quam flamma; vt experientia patet; quia est densius ferrum, quam flamma; licet calor,qui est principium calefaciendi, maior sit in flamma, quæ est ignis, quàm in ferro candenti, quod adhuc retinet substātiam ferri; ergo iam principium productiuum,si sit perfectius in substantia; licet habeat minorem virtutem productiuam, ac facultatem; adhuc tamen est magis actiuum,'& productiuum; quam illud,quod habet maiorē virtutem;si sit imperfectioris substantiæ; vel habeat alia accidentia,quibus iuuari potest actio;vt sunt,in quibusdam materialibus rebus,densitas, & durities: ergo pari ratione duo Intellectus,licet habeāt æquale lumen gloriæ;possunt perfectius, aut imperfectius videre Diuinam Essentiam, iuxta maiorem, aut minorem vim naturalem intelligendi. 7.ratio.



CAP.

CAPVT IV.

An posita rationes pro prima sententia sint efficaces?

§. I.

Soluuntur omnes rationes primæ sententiæ.

1 VT verum fatear, non video aliquam ex positis rationibus cõuincere intellectum ad assentiendum alicui ex relatis sententijs:cum omnes facilè solui possint: Et certè ad primum fundamentum primæ sententiæ,authores secundæ possent respondere Primò cum Lusitan. q.illa 11.art.3.§.4.n.16.ad 7.desumptum ex Vasq.p.1.disp.43.cap.4.n.40.quod intellectus non supponit aliam causam secũdam sibi inferiorem, & subalternatam in agendo: etenim intellectus, respectu suorum actuum,nunquam est causa vniuersalis:sed semper est particularis,& secunda; ex se tamen indifferens ad plures actiones,specie,& numero distinctas;vnde indiget determinari ab aliquo; & de facto ad actus talis,aut talis rationis determinatur ab specie intelligibili: ad actus verò supernaturales determinatur, aut per lumẽ gloriæ,aut fidei,aut per virtutes alias supernaturales; nihil aũt horũ se habet ad intellectum, vt causa secunda ad primam.

Ad 1. Lusit.

Vasq.

2. solutio ad eãdem 1. rationem.

2 Vel secundò responderi posset; quod duplex est ratio determinans aliquod agens ad agendum; Altera, quæ determinat ad operandum circa tale,vel tale obiectum; Altera, quæ determinat ad operandum circa obiectum,in tanta, vel tanta intensione:nam benè potest aliquod agens determinari ad operandum circa aliquod obiectum, & non determinari per idem determinans ad tantam, vel tantam intentionem operationis:species,namq; impressa in naturalibus;v.g. species impressa picturæ Ciuitatis Romæ, determinat potentiam visiuam ad eliciendum actum visionis circa illam picturam: cum tamen, si eadem species imprimatur oculis perspicacioribus, & minus perspicaceibus; proculdubio perspicaciores perspicaciorem elicient visionem;cum tamen vis calefactiua ignis, V.g.determinare dicatur ipsum ignem, non ad calefaciendum hoc, vel illud subiectum;sed ad calefaciendum in tanta, vel tanta intensione,quantum est ex se.

3 Ad propositum ergo dici potest, quod licet lumen gloriæ determinet intellectum ad operandum circa tale obiectum; nempè,Diuinam Essentiam:non tamen satis est, se solo,determinare eundem intellectum ad operandum in tanta, vel tanta intensione; quia non est intellectui tota virtus operandi: sed potius augumentum virtutis illius(vt sæpius dictum est.)

4 Ad secundum respondent Molina disp.illa 2.ad 1.& Lusit. nu.10. ad 3.arg. ex Soto desumptum in 4.d.49. q.3.art.2. negando consequentiam; nam cum intellectus concurrat effectiuè, principaliter,vi sua natiua, ad ipsum actum supernaturalem;& habeat ad illum virtutem naturalem, inchoatam tamen, & remotam; cur eius actiuitati non respondebit actus ipse, etiam si sit supernaturalis? Visio igitur non solum fluit à virtute supernaturali; nempè,à lumine gloriæ: sed etiam à natutali ipsius intellectus creati; non autem nudè sumpti: sed prout eleuati, secundum illam suam virtutem, & secundum omnem suam entitatem, ad esse ordinis supernaturalis; ita vt, licet illa virtus,secundum quam attingit visionem,principaliter dicatur omninò naturalis,respectu sui; tùm,quia est sibi congenita simul cum eius natura; tum etiã, quia est à principijs intrinsecis naturæ: nihilominus tamen, prout eleuata per lumen, & prout respicit hunc actum supernaturalem, dicitur etiam supernaturalis.

Ad 2. Mol. Lusit. Soto.

5 Neq; exemplum, quod adducitur à Soto de Aqua Calida(quæ non dicitur calefacere,nisi secundum proportionem solius caloris aliundè recepti, eum calorem natiuum, quo calefacere possit,non habeat:) est ad propositum, vt patet: siquidem aqua calida nullam vim habet, etiam remotam,& inchoatam,in ordine ad calefaciendum: immò potius ad frigefaciendum vim habet naturalem, & propriam; & sic, calor extraneus est sibi tota virtus calefaciendi; secus est de intellectu,& lumine,vt dictum est.

6 Ad tertium,quod eli Zumel ar.illo 6.q.1.concl.1.& 2. & q.vlt. §.*Dico tertio*.& etiam Soti. Respondet Molina; quod si maior illius argumẽti intelligat; visionem non esse maiorem, aut perfectiorem;nisi propter maiorem,vel minorem concursum Dei,quo concurrit cum intellectu, quatenus illi vnitur, loco speciei intelligibilis; hoc est, visionem non esse

Ad 3. Mol.

esse maiorem, quàm sit id, quod efficitur, Deo concurrente vice speciei intelligibilis: simul tamen concurrentibus intellectu, & lumine gloriæ: Vera est propositio illa: falsa autem minor; in qua supponitur, solum lumen gloriæ conducere ad quantitatem visionis; quod est petere principium.

7 Si maior illa velit; ex solo concursu Dei, subeuntis rationem speciei intelligibilis pensandam esse quantitatem visionis; falsa est propositio; quoniam effectus non est pensandus ex vna dumtaxat parte totius causæ; sed ex tota causa. Deus autem concurrens, vice speciei intelligibilis, est pars causæ, quæ cum lumine gloriæ, & intellectu efficit vnam totam, atq; integram causam Beatificæ visionis.

8 Si tandem illa maior velit; tantam esse visionem, quantam Deus exprimit, dum subit vicem speciei intelligibilis; eo quod verbum productum per visionem non sit simile lumini gloriæ, aut intellectui; sed Essentiæ Diuinæ concurrenti vice speciei intelligibilis: vera est maior propositio, & falsa minor, in qua principium petitur; non .n. iuxta quantitatem tantum luminis gloriç exprimit plus aut minus se ipsam Essentia Diuina; dum instar speciei intelligibilis concurrit; sed iuxta quantitatem potentiæ, & luminis gloriæ simul. Ita conformiter suis principijs respondet Molina. Aliter respondet Lusitanus n. 18. ad 9. arg.

Alia solutio. 9 Et alij possent aliter, & facilius respondere; totum argumentum falsum esse; In primis .n. maior est falsa: quia species intelligibilis, vel obiectum non limitat potentiæ virtutem; ita vt non eliciat actum, nisi in tanta, vel tanta intensione; vt tetigimus supra n. 2. benè .n. fieri potest, quod ex duobus intellectibus, eadem specie informatis, alter altero perfectiorem eliciat visionem; vt in naturalibus patet; & licet species effectiuè concurrat ad actum: tamen non est eadem ratio de principio efficienti motiuo, & de principio elicitiuo. Species principiũ est, sed motiuum potentiæ ad operandũ, circa tale obiectum; intellectus autem est principium elicitiuum operationis; & sic operatio non commẽsuratur cum virtute principij motiui; sed elicitiui. Minor etiã falsa est; quia petit principium; vt benè Molina; & ex consequenti, consequens erit falsissimum.

Ad 4. 10 Ad quartum negatur prima consequentia: Ad cuius probationem, verum est antecedens, & verissimũ consequens; non .n. posset intellectus operari circa Diuinam Essentiam, virtute dumtaxat illa sua naturali inchoata, & incompleta, nisi per lumen gloriæ compleatur. Sed vltima consequentia negatur; quia licet intellectus eleuetur per lumen; & compleatur eius inchoata virtus per illud; nõ tamen agit per solum lumen; & ex consequẽti, actio non est soli lumini coequanda, sed etiam intellectui.

§. II.

11 AD quintum, quod alicnius maioris est ponderis: qui asserunt, solam visionem esse præmium essentiale: Et fruitionem, non propriè, sed lato modo dici mercedem; facilè respondebunt; quod, sicut in via intẽsio amoris, & gaudij, ex sola variatione concursus potentiæ, sub eodem habitu variatur; ita etiam in patria melior voluntas intensiorem eliceret amorem, si visio, & charitas sint æquales; Et hinc huius sententiæ authores inferunt; fruitionem non necessariò correspondere visioni; ita vt tanta sit fruitio, quanta est visio; & subindè, nec necessariò fruitionem correspondere meritis. Ad 5.

12 Alij respondebunt; essentiale præmium meritorum esse Visionem; non præcisè sumptam; sed cum connotatione actus voluntatis; quantumcumque ille sit intensus; & sic, non esse inconueniens, ex duobus habẽribus çqualia merita, æqualia lumina, & etiam demus æquales visiones, alterum intensius amare, ac frui, adhuc cum æquali habitu charitatis. Alia solutio.

13 Alij respondebunt; disparem esse rationem de lumine gloriæ, & de habitu Charitatis; & ex consequenti, de intellectu informato lumine; & voluntate informata Charitate; cum .n. Charitas viæ; & Patriæ sint eiusdem rationis; & idem habitus Charitatis, cum quo quis decedit, perseueret in patria; non poterit voluntas in patria elicere intensiorem actum amoris, quàm sit ipse habitus Charitatis; Et ratio esse potest; quia cum vnusquisq; saltem in extremo, teneatur ad Charitatis præceptum; quod est, de amando Deum ex toto corde, tota anima, & totis viribus; eo ipso, quo talem actum elicit amoris, dicitur operari secundum totum conatum suæ voluntatis; & quia habitus debet correspondere tali actui; hinc est, quod Responsio aliorum.

quod charitas, cum qua quis decedit, omninò correspondeat toti conatui voluntatis eius; Et sic, cum in patria actum elicit amoris, non poterit talis actus esse intensior ipso Charitatis habitu: quia Charitas adæquat omnes voluntatis vires, quæ, absq; nouo auxilio, vltra extendi non possent; ex quo sequitur, quod qui habent æqualem habitum Charitatis in patria, æqualiter amabunt, & æqualiter fruebuntur; non sic de lumine philosophandum est; cum.n. non idem sit lumen viæ, & Patriæ: in via, nunquam intellectus tendit in Deum, secundum totum ipsius conatum; nec lumen in patria datur adæquatum viribus, & virtuti ipsius intellectus; eo modo, quo de Charitate diximus; & sic poterit quis cum æquali lumine gloriæ; si habeat perfectiorem intellectum; intensius intueri Diuinam Essentiam; non autem, cum æquali habitu Charitatis, intensius amare: vnde (dato, quod amor, & fruitio sint præmium essentiale,) non sequitur inconueniens, quod intendit argumentum. Molina adducit suam etiam solutionem, consequēter ad sua principia. legatur ipse ad quartum argumentum.

Ad 6. 14 Ad sextum respōdere possunt aduersarij; concedendo antecedens, & negando consequentiam: Nam licet illa obiecta videri nequeant, nisi sub lumine: posito tamen lumine, perfectior intellectus intensius, & perfectius ea videbit; quemadmodum color videri nequit ab oculo, nisi mediante lumine: tamen posito lumine, & repræsentato eodem colore pluribus oculis; acutior oculus clarius videbit illum, quàm oculus debilis; & licet dispar sit ratio luminis naturalis, & gloriosi; hoc.n. nedum habet rationem medij *sub quo*; sicut habet illud: sed etiam medij, *quo*: tamen hæc ratio medij, *quo* non est satis ad hoc, vt dicatur actio elicita ab intellectu, eo lumine informato, commensuranda esse cum solo lumine, & non etiam cum actiuitate ipsius intellectus; vt in alijs responsionibus dictum est, & opposita sententia fatetur.

Ad 7. 15 Ad septimū desumptum ex Lorca, respondebunt Authores oppositæ sētentiæ: distinguendo primum antecedēs: *(æqualitas, vel inæqualitas Fidei, Spei, & Charitatis in via, nullo modo procedit ex æqualitate, vel inæqualitate potētiarum,)* Si potentiæ sumantur in proprijs suis naturalibus; & sic, non eleuatæ per lumen: verum est antecedens: falsum autem, si intelligantur eleuatæ. Et eodem modo est falsa consequentia; & quicquid fit de probatione consequentiæ, quæ probatio veram continet doctrinam; ad probationem antecedentis, dicent; quod, licet de fide sit, illos actus haberi non posse sine Gratia; non tamen inde benè infert Lorca; de fide esse, inæqualitatem eorum ex sola gratia prouenire; hæc.n. exclusiua non colligitur ex illo antecedenti, absolutè sumpto. Quando autem infert Lorca, ex concessione primi antecedentis; *inæqualitatem dispositionis ad iustificationem refundi in inæqualitatem dispositionis naturæ.* Negabunt Aduersarij hanc sequelam; si consequens intelligatur, vt in solam illam refundatur; si autem intelligatur, vt aliquo modo etiam refundatur in illam: facilè concedent: nam licet & habitus, & gratia excitās sint principia principaliora talis dispositionis; perfectio tamen naturalis intellectus (vt docet Lusitanus n. 29.) & etiam volunta- Lusit. tis eleuatæ, aliquid iuuant, cum bona indoles, bona educatio, & uirtutes morales, maximè iuuent, non solum ad faciliorem dispositionem, sed etiam ad meliorem, (vt supponunt Authores secundæ sententiæ,) sunt.n. effectus prædestinationis (vt cap. 1. nu. 18. ex Suar. annuimus,) & in hoc sensu, inquit Lusit. dici potest, aliquem de facto esse magis iustum; .i. assequūtum esse maiorem iustificationis gratiam; quia per meliora naturalia, ex diuina prædestinatione, & prouidentia gratuita Dei assequuta, ad iustificationem melius se disposuit, prima gratia excitatus.

§. III.

Ad 8. Quid sentiat Suar. 16 OCtauum argumentum, quod est præcipuum fundamētum Suarij, & Fasoli, diffusè examinatur à Lusit. lib. 10. q. 3. art. 3. in quo petit, *an virtus, qua intellectus in visionem influit, sit obedientialis innata, distincta à virtute naturali intellectus?* & ar. 4. in quo petit: *Vtrū intellectus ad visionem cōcurrat per virtutem naturalem, quæ illi sit potentia obedientialis?* Suar.n. vult, virtutem naturalem intellectus esse distinctam ab obedientiali; & sic intellectum concurrere ad visionem, non per virtutem naturalē, quæ potest esse inæqualis in pluribus intellectibus; sed per virtutem obedientialem, quæ est omninò eadem in omnibus intellectibus; ita docet multis in locis,

præ-

præsertim in metaph. disp. 30. sect. 11. nu. 46. & 1. to. ad 3. p. disp. 22. sect. 1. §. *Dicet fortasse aliquis*. Et latius disp. 31. sect. 6. §. *Dicunt verò aliqui. &* §. *Atq; hæ rationes*; & post longam disputationem, idem concludit. §. *Mihi verò dicendum videtur*; & tandem lib. 2. de attributis negatiuis c. 10. n. 14. & eam supponit lib. 3. de auxilijs c. 15. n. 20. in quam sententiam videntur inclinare Nauarrett. 1. to. controuers. 37. §. 4. concl. 8. Cabrera 1. to. ad 3. p. q. 9. art. 2. disp. 4. §. 2. concl. 2. n. 58. vbi ostendit, intellectum creatum nullam in se habere virtutem naturalem; etiam radicalem ad visionem; ita vt per illam, etiam elevatam, non attingat visionem. Quam sententiam putat esse longè probabiliorem Petrus de Ledesma, de Diuina perfectione q. 8. art. 8. §. *Secunda pars huius dicti*. Et alij etiam; qui supponunt, lumen gloriæ esse intellectui totam videndi virtutem. Immò Fonseca. 9. metaph. cap. 1. q. 4. sect. 3. §. *Præterea si potentia* putat sapere Pelagianismũ, admittere in nostro intellectu potentiam, etiam inchoatam, naturalem, in ordine ad visionem.

Nauarrett. Cabrer.

Pet. Ledes.

Fons.

17 Cęterum (quicquid sit de modo loquendi horum Doctorum; quorum aliqui, in re hac, adeo confusè philosophantur; vt quid sibi velint, non facilè queat intelligi) communior est opposita sententia, asserens, intellectum influere actiuè in visionem vi sua naturali; eleuata tamen per lumen; & certè, nemo est, qui in bona Philosophia non doceat, obiectum adæquatum intellectus esse ens in tota sua latitudine; quatenus etiã comprehendit Deum ipsum: licet Deus non comprehendatur intra lętitudinem obiecti proportionati; & sic diximus in 3. quodl. disp. 1. cap. 2. 3. & 4. quod licet Deus videri nequeat ab intellectu creato, viribus naturalibus, præcisè sumptis; tamen, de fide est, posse videri ab eodem intellectu creato, eisdem viribus; sed eleuatis: quia continetur intra latitudinem sui adæquati obiecti.

Oppositum communius.

18 Hoc posito tanquam certo: de potentia illa obedientiali, distincta à potẽtia naturali, quam in intellectu Suarius adinuenit; considerans ipsum intellectũ, primò, prout est quædam animæ potentia, essentialiter operatiua operationum vitalium. Secundò, prout est entitas quædam naturalis, ab entitate animæ distincta: & asserens; ipsum non concurrere, primò modo consideratum ad visionem: quia sic, attingeret illam vi sua naturali: sed concurrere secundo modo: quia, vt sic, non habet naturalem vim ad visionẽ: sed obedientialem tantum. Et considerato intellectu, in ratione cuiusdam entis, præcisè; non magis eleuatur ad videndum Deum intellectus, in suis naturalibus perfectior, quàm minus perfectus; siquidem maior, vel minor perfectio pertinet ad intellectum, primo modo consideratum; cum, in ratione cuiusdam entis, eadem sit omnium intellectuum ratio, & æqualiter omnes eandem potentiam obedientialem habeant ad Deum; qui, se solo, potest illos eleuare ad intensiorem, vel remissiorẽ visionem. De hac, inquam, obedientiali potentia, sic explicata à doctissimo viro, prò modo dici posset; quod non est eadem ratio de potentia purè obedientiali; quam omne ens habet, in ordine ad Deum: & de potentia obedientiali mixta: illa .n. non coarctatur angustijs obiecti proportionati, & adæquati; sed se extendit etiam ad obiecta, quæ alias sunt extra Sferam obiecti, & proportionati, & adequati alicuius causæ, v. g. aqua, habet pro suo obiecto adæquato, quod potest frigefacere omne ens materiale, & corporeum: non tamen Anima, Angeli, & Cęteræ substantiæ spirituales continentur intra limites sui adæquati obiecti; vt sic; tamẽ eleuatur à Deo ad producendam gratiã in Anima, per baptismum; & hoc, ratione suæ potentiæ obedientialis purè; cęterùm ad talem gratiæ productionem non concurrit, vt causa principalis; sed tantum, vt instrumentalis; at verò potentia obedientialis mixta suis arctatur angustijs; & tantum se extendit ad ea obiecta, quæ sunt intra latitudinem obiecti adæquati; & non sunt proportionata virtuti naturali, præcisè. Quare id, quod talem potentiam dicit ad Deum, debet ab ipso Deo eleuari, media huiusmodi obedientiali potentia mixta, ad hoc, vt possit attingere obiecta illa; & tunc concurrit, non vt instrumentum, propriè, & in rigore; sed, vt vera causa principalis; huius modi sunt, præsertim, potentiæ vitales; intellectus, s. & voluntatis, &c. Deus .n. vt ens summè verũ, & per consequens, summè visibile, non est extra, sed intra latitudinem obiecti adæquati intellectus (vt dictum est) tamen, ob suam supernaturalitatem, nequit ab intellectu intelligi, proprijs suis viribus nudè sumptis; & sic indiget eleuari per lumen; vt tandem eleuatus possit in Diuinam Essentiam ten-

Nota de potentia obedientiali intellectus.

tendere. Ita etiam idem Deus, vt summè bonus, & summè amabilis, est intra latitudinem obiecti voluntatis, tamen nequit a voluntate creata, non eleuata, amari: at eleuata per Charitatis habitũ, vel aliud supernaturale auxilium, vtiq; amabitur. Hac potentia obedientiali mixta potiuntur agentia per actionem immanentem. Ea verò, quæ agunt actione transeunte, quando eleuantur ad effectus supernaturales, eleuantur, vt mera instrumẽta Diuinæ virtutis, quæ illarum actionum est causa principalis; & sic, media potentia obedientiali pura, quæ non habet aliquod certum obiectum, sed vagum.

19 Possunt tamen etiam eleuari agẽtia actione immanenti à Deo ad actiones transeuntes: v.g. potest Deus assumere oculum meum ad producendum calorem in ligno, &c. in quo casu eleuaretur, vt merum instrumentum Diuinæ virtutis; prout etiam diximus quodl. 3. disp. 1. cap. 1. n. 23. non tamen in tali casu eleuaretur oculus, in ratione, qua oculus, & potentia visiua est: quia, quatenus potẽtia visiua, nullo modo dicit ordinem ad calefaciendum, sed ad videndum: eleuaretur autẽ in ratione, qua ens quoddam creatum est; cui per accidens est, quod sit oculus, & potentia visiua.

§. IV.

Duplex potentia obedientialis in potentijs vitalibus.

20 EX his deduci potest, quod in qualibet potentia vitali duplex potentia obedientialis consideranda est. Altera purè obedientialis; Altera obedientialis mixta. Secundum illam, potest eleuari à Deo ad effectus producendos, per actionem transeuntem: quia, vt sic, non habebit rationem formalem potentiæ vitalis, sed dumtaxat entis creati; quod per accidens est, sit potentia vitalis. Secundum autem obediẽtialem mixtam, non potest eleuari à Deo, nisi ad operationes vitales, & immanentes. Probatur autem talis obedientialis potentia mixta; quia intellectus, v.g. non solum in ratione, qua ens quoddam est, & accidens, est Dei creatura; sed etiam in ratione, qua est intellectus, & potentia vitalis: ergò nedum reddi debet obediens Deo in ratione, qua ens; sed etiam in ratione, qua est potentia vitalis; ergò non solum ponenda est potentia obedientialis in intellectu, in quantum est ens; sed etiam debemus ponere potentiam obedientialem in illo, quatenus est intellectus. Patet consequentia; quia in tantum ponimus in entibus creatis potentiam obedientialem, in quantum dependent à Deo, qui ea creauit, & conseruat; & sic, cum Deo debeant huiusmodi beneficia, debent omninò subesse nutui, & obedientię Dei: sed intellectus, non solùm in quantum est ens, vt sic, dicitur Dei creatura; sed etiam in quantum intellectus; ergo, &c.

21 Addo; quia maior obedientia requiritur in aliquo ente, ad hoc, vt eleuetur ad operationes sibi improprias naturaliter, quam ad operationes sibi naturaliter proprias; sed quando intellectus eleuatur, v.g. à Deo ad transferendum montem de loco ad locum, vel ad comburendum lignum, dicitur eleuari ad actiones sibi naturaliter improprias: cũ verò eleuatur ad videndum Deum, dicitur eleuari ad actiones sibi naturaliter proprias; proprium namquè intellectus est intelligere, & videre; non autem comburere, &c. ergò maior obedientia consideranda est in intellectu ad comburendum, &c. quam ad videndum; quia, respectu actionis impropriæ, eleuatur vt instrumentum; & sic, cum pura obedientia: respectu verò visionis, eleuatur, vt causa principalis; & sic, media potentia obedientiali mixta.

22 Tandem addo; quia si intellectus eleuaretur à Deo ad videndum suam Essentiam, per potentiam illam obediẽtialem, quam habet, non vt potentia vitalis est, sed vt ens est, præcisè: ergò intellectus sic eleuatus non eliciet visionem, vt intellectus est, & potentia vitalis; sed vt est ens quoddam: Patet hæc sequela: quia taliter ponitur hæc potentia obedientialis in intellectu a Suario, vt illum præscindat à ratione formali potentiæ vitalis: ita vt, hoc, quod est, esse potentiam vitalem, sit quid accidentale illi enti. Ex quo insuper sequeretur contra ipsiusmet Doctoris doctrinam, & communiorem; nõ implicare, visionem posse à solo Deo produci, absq; eo, quod concurrat intellectus ad illam; vt de se patet.

23 Item; non minus posse eleuari entitatem intellectus ad visionem, quam entitatem lapidis, ignis, &c. Patet hæc sequela; quia, in ratione entitatis, vt sic, præcisè, nescio, cur potius eleuetur intellectus ad visionem, & non possint lapis, ignis, &c. vel assignet Suar. quæ maior ratio est, cur potius entitas intellectus ad

visionem eleuetur,& non entitas lapidis? si.n.dicet,quia illa entitas est intellectus; non autem entitas lapidis; ergo iam intellectus eleuatur formaliter, vt intellectus,& potentia vitalis est formaliter.

24 Ex hac consequentia infertur alia certissima sic; ideo intellectus eleuatur ad visionem,& non lapis;quia intellectus est potentia vitalis, ad quam operatio vitalis dicit essentialem ordinem, & dependentiam, & non ad lapidem; ergo in tantum eleuatur intellectus, in quantum est essentiale principium operationum vitalium. Hinc subsume.Sed in tantum est essentiale principium operationum vitalium, in quantum est potentia naturalis animæ,qua media anima operatur; & sine qua non posset huiusmodi generis actiones operari; cum substantia non operetur, nisi medijs accidentibus (vt alibi ex bona Philosophia dicitur:) ergò quãdo intellectus eleuatur ad visionem, ideo eleuatur,quia est potentia naturalis animæ, qua media, Anima, vt principiũ *quod*,& radicale,naturaliter dicitur videre, intelligere,&c.ergò intellectus eleuatur ad videndum, secundum suam potẽtiam naturalem.

§. V.

25 SEd hic nota,ad æquiuocationem omnem tollendam;quod eadem omninò potentia dicitur naturalis, & dicitur obedientialis.ly .n. *naturale* potest sumi,pro modo,dupliciter(vt alibi dictũ est) Primò prout idem est, ac insitum à natura, vel conueniens ex principijs naturæ;quo pacto homo dicitur naturaliter risibilis,intellectiuus. Canis naturaliter latrabilis,&c. In quo sensu, naturale est intellectui,intelligere;voluntati,diligere; visui,videre,&c. Secũdò modo id dicitur *naturale*, quod fieri potest actione agentis naturalis; vnde illa potentia,siuè passiua sit,siuè actiua,dicitur naturalis,quæ, per vires agentis naturalis, naturali modo operantis, potest reduci ad actum. *Naturale* primò modo sumptum non pugnat cum *obedientiale*;eadem .n.potẽtia, quæ naturalis est, illo modo; .i. conueniẽs alicui ex principijs naturæ; etiam reduplicatiuè, prout naturalis, hoc modo, est; est etiam obedientialis; quia,vt sic,etiam, respicit vires, & actiuitatem a- entis supernaturalis.Cæterum,si ly *na- t rale* Secundò modo sumatur,pugnabit profectò cum *obedientiale*:Non.n.illa potentia, sic naturalis,in quãtum talis,dici poterit obedientialis; quia,posse reduci ad actum per actionem agẽtis naturalis; & sic,dicere ordinem purè naturalem ad agens naturale; eiusq; actionem;& non posse reduci ad actum per actionẽ agentis naturalis;sed dicere ordinem ad agẽs supernaturale, eiusq; actionem; pugnant ad inuicem,vt patet.Quando igitur dicitur, intellectus concurrere ad visionem Beatificam, vi sua naturali,eleuata tamẽ per lumẽ; sumi debet ly *naturale*,primo, & non secundo modo; & quando alibi dicimus, & Patres docent, intellectum non habere potentiam naturalem ad videndum Deum; sed tantum obedientialem; sumitur ly *naturale* secundo modo; & idem est,ac dicere; intellectum non posse reduci ad actum visionis Diuinæ Essentiæ per aliquod agens naturale; sed per agens supernaturale; non tamen hic modus loquendi pugnat cum alio, quo dicitur; intellectus videre Diuinam Essentiam vi sua naturali; eleuatur tamen per auxilium supernaturale; quia hoc idem est,ac dicere,intellectum per illam vim, quæ illi naturaliter connenit,& quã à suis naturalibus principijs habet,eleuatam à Deo ad esse superioris ordinis, & Diuini, elicere visionem Diuinæ Essensentiæ,vt patet ex dictis.

Eadem omninò potẽtia dicitur naturalis, & obedientialis.

26 Ex his ita explicatis,videtur posse apertè colligi; quod si intellectus eleuatur ad videndam Diuinam Essentiam, secundum suam potentiam,& vim naturalem, qua intellectus est, & principium intellectionis; si dentur duo intellectus inæqualis actiuitatis; ita vt, alter sit perfectioris actiuitatis altero; & eleuentur ambo per æquale lumen; quilibet eleuabitur ad actum suæ virtuti proportionatum;quia lumen gloriæ transfert vtrũq;, & vtriusq; uires ad altiorem ordinem, & Diuinum. Patet hoc:tùm quia nulla uidetur posse addũci ratio,quę oppositum conuingat;tũm,quia,ideo dicitur lumen eleuare potentiam, quia illam,cum ea perfectione,quam habet,non minuendo eam,sed potius maiorem addẽdo, transfert ad esse supernaturale. Tùm tandem: quia illa maior perfectio intellectus est effectus prædestinationis, & gratiæ in prædestinatis,comparatus eis ex meritis Christi; qui peculiari, ac gratuita sua prouidentia disposuit, & ordinauit illam maiorem perfectionem naturalem ad bonum ipsorum prædestinatorum; vt, scilicet, per illam melius se disponerent

ad

ad eorum iustificationem, saltem remotè; Ergò non est, cur dicatur, lumen gloriæ, eleuando Intellectum ad Visionem, non eleuare illum cum omni suâ naturali perfectione.

27 Et in hoc casu optimè diceretur illa maior perfectio in actu, aliquo modo correspondere etiam maiori perfectioni actiuitatis naturalis Intellectus. Caeterum (quod etiam dignū notatu est:) illa actiuitas, tunc, licet dicatur naturalis respectu Intellectus; non est tamen naturalis, ordine; sed est verè supernaturalis, ratione eleuationis; sicuti si diceremus; naturale est lumini gloriæ, facere Intellectui patentem diuinam Essentiam; & effectiuè concurrere cum Intellectu ad actum Visionis; & eleuare ipsum Intellectum, &c. Non est intelligendum, quod concursus luminis cum intellectu, eleuatio, illuminatio obiecti &c. sint actiones ordinis inferioris, & naturalis; cum certè supernaturales sint; sed dicuntur naturales ipsi lumini; idest, propriæ, intraneæ, sibique conuenientes ex principijs suis intrinsecis, & naturalibus; ita, cum Intellectus eleuatus iam sit ordinis supernaturalis; eius vires, actiuitas, operatio &c. supernaturales erunt; Attamen dicuntur hęc omnia naturalia sibi; idest conueniētia sibi naturaliter, modo explicato.

Not.

28 Hac doctrina supposita, facilè Authores secundæ sententiæ soluent illud octauum argumentū Suarij; Cum enim dicitur, *quod Intellectus concurrit ad visionem, vt eleuatus à lumine, per vires, nō vt naturales, sed, vt obientiales*: si ly *naturalis* sumatur secundo modo, verum est: falsum, si primo modo. Cum subditur, *quod intellectus perfectior ab eodē lumine non potest, cateris paribus, magis eleuari*; falsum est, & petitio principij. Cum probatur ex eo; quod *Intellectus, ex eo, quod est perfectior, addit, tantum, maiorem perfectionem naturalem; qua, vt naturalis est, nullam dicit habitudinem ad actum supernaturalem; & non petit aliquam, vel minimam eleuationem ad actum supernaturalem; & nihil omninò potest respectu ipsius actus supernaturalis.* Etiam falsum est, si sumatur ly *naturale* primo modo; & sic negatur illa consequentia, qua dicitur: *ergò Intellectus addens maiorem perfectionem naturalem, non addit, præcisè ex hoc, maiorem eleuationem.* Sicuti etiam falsa est alia sequēs, qua dicitur: *ergo maior, vel minor perfectio naturalis habent se prorsus impertinenter, in ordine ad productionem effectus supernaturalis*; vt ex dictis hæc omnia videntur satis constare.

Nūc soluitur in sententia Scotistarū argum. Suar. 8. in ordine.

§. VI.

29 AD vltimum respondebit Molina neg. sequelam, ad cuius prob. dicet; ad Prouidentiam diuinam pertinere, eo ipso, quod Deus statuit perducere in suam Beatitudinē creaturas, habentes facultates naturalis Intellectus, & etiam Voluntatis inęquales; conferreq; illis Beatitudinem, pro quantitate meritorum cuiusque, compensare inęqualitatem illam virium naturalium ipsarum, suo influxu immediato, quo, vna cum lumine gloriæ, & potentijs earum, influit in Visionem, vel etiam amorem, & fruitionem; quod præstabit, influendo tanto efficacius eo influxu, quantum satis sit, vt effectus sint æquales; ita enim fiet, vt vbi merita fuerint æqualia; non solum præmia essētialia æqualia sint; sed, & lumen gloriæ, & etiam habitus charitatis. Quare Intellectus humanus, cum æquali lumine gloriæ, producet æqualem Visionē ei, quàm producet Angelus, Deo per suum influxum immediatè in Visionem compensante maiorem illam vim intelligendi naturalem, qua Angelus hominē superat.

Ad Nonum.

30 Idē dicet de Voluntate; nam Voluntas humana, existente æquali Visione diuinæ Essentiæ in Intellectu, & æquali habitu charitatis in Voluntate, producet æqualem amorem, & fruitionem ei, quam producet Angelus, Deo similiter, per influxum suum immediatū, in amorem, & fruitionem compēsante id, quod plus influit voluntas Angeli, quàm humana.

31 Concludet igitur Molina; ex duobus habentibus inęqualē vim intelligendi: æqualia tamen merita; si lumen in ambobus sit æquale; nullo pacto eum, qui maiori vi intellectiua præditus est, intensius, ac perfectius diuinam Essentiā visurum, sed omninò æqualiter: Deus namque maiori influxu cum habente debiliorem intellectum in Visione totū id compensabit, efficietque, vt Visiones sint omninò inter se æquales.

32 Tertia etiam solutio, quam impugnat Suar. supra cap. 2. nu. 14. & 15. potest optimè defendi, respondendo ad obiectionem Suar. negando, illam esse parum consonam Concilio Viennen. neque

enim ex eo, quod Concilium afferat, *per lumen gloriæ eleuari intellectū ad videndum Deum*, rectè videtur inferri; ad melius videndum, esse elenandū per maius lumen; ficut non bene inferretur; ex eo, quod ad ambulandum requiruntur pedes, crura; ergo ad magis, & velocius ambulandum, crura maiora, maioresq; pedes requiruntùr. Vel ex eo, quod ad volandum requirūtur alæ; ergò ad velocius volandum, maiores alæ requirūtur. Nam multoties animalia habētia magna crura, pedesq; magnos, sūt tandiora ad motum; ficuti etiam nonnullæ aues, paruas alas habentes, velocius volant nonnullis alijs, quæ alas habent maiores. Ita etiā, si quis dicat; Homo ad videndum indiget oculis; ergò ad intensius videndum, indiget maioribus oculis: non est bona consequētia: Immò multi homines grossos oculos habentes, minus vident: ita de intellectu, & lumine proportionabiliter dici posset.

33 Ad aliam sequelam, quā deducit de habitu charitatis; iam ex doctrina supra posita num. 13. in responsione ad quintum facilè etiam respondetur. Vndè patet; nec sequi illud aliud inconueniēs; nimirum, habitum gratiæ esse minus perfectum, & intensum in habente æqualia merita, si habeat perfectiorem naturam; nam certè erit æquè intensus, ac habitus charitatis.

34 Tandem nec erit inconueniens, intellectum maioris perfectionis naturalis carere illo maiori gradu luminis, quo exceditur ab intellectu minoris perfectionis; quoniam lumen non confertur, per se, ad ornatū, (vt optimè annuit Molina in 1. solutione 4.) sed ad visionem: accidit autem, vt simul cedat in ornatum.


Molina.

35 Vel tandem posset Tertio responderi cum doctrina adnotata supra cap. 1. à num. 18. distinguendo sequelam: *mercesnon correſponderet labori, nec præmiū merito*: si intelligatur de proprio merito, & proprio labore; & sensus sit; Beatitudo (in posito casu) esset minor, quàm quis suo proprio labore promeritus est: negatur, immò potius esset maior: quia datur etiam Beatitudo correspondens gratiæ sacramentali, cum qua quis decedit; quæ gratia non acquiritur labore proprio, & ex opere operantis; sed ex opere operato Christi. Si autem velit Suar. quod Beatitudo debeat adęquatè dari ad mensuram meritorum; iam certum est, quod si loquatur de proprijs meritis, debet concedi sequela illa. negando, id esse contra sacram Scripturam, Concilia, & Patres; quia nullo pacto, (dum Patres, Concilia, & Scriptura dicunt; (*Beatitudinem debere æquari meritis, & vbi maiora sunt merita, ibi maiorē Beatitudinem esse dandam*:) intelligi debēt de adequata Beatitudine: sed de illis gradibus, qui, intuitu proprij laboris, dātur; alias nullus daretur gloriæ gradus gratiæ sacramentali: vt patet. Intelliguntur igitur (supposita gloria, quæ confertur, intuitu gratiæ sacramentalis:) quod Deus vniuscuiusque labori dat in Patria correspōdens præmium; ita vt, labori, vt octo, non conferat gloriam vt sex, sed vt octo; quia iustus est Iudex.

3. Solutio.

36 Ad probationem autem sequelæ, responderi posset; quod quādo duo habeant æqualia merita propria, sed alter fuerit proditus perfectiori Intellectu, vndè perfectiorem eliciat Visionem; quod in tali casu, ille excessus respicit merita Christi: cum enim intuitu meritorum Christi comparata sit illi prædestinato maior illa perfectio naturalis Intellectus, tanquam suæ prædestinationis effectus; ad hoc, vt facilius; promptius, & intensius cooperetur gratiæ ad suam salutem: cur absurdo tribuitur, quod aliquis gloriæ gradus, ei conferatur, eorundem Christi meritorum intuitu?

37 Sed nota, quod secundum hunc dicendi modum, nunquam concedendū est, excessum illum Visionis forè simpliciter tribuendum viribus naturalibus illius Intellectus, nudè sumptis: sed benè, prout aleuatis; & quatenus non consequuntur, vt sic, necessariò naturam: sed sunt, ex peculiari prouidentia prædestinationis, effectus ordinati ad gratiam, ad salutem. Patet ergo ex solutionibus argumentorum; primam illam sententiam tot fundamentis non efficaciter probari ab eius sectatoribus. Nota.



CAP.

CAPUT V.

An fundamenta adducta pro secunda sententia illã efficaciter probent?

§. I.

1 Certè, si debiles sunt rationes, quibus nititur opinio prior, debiliores videntur eę, quas pro se habet secunda: prout ex facili illorum solutione constabit. Ad primam igitur positam num. 1. cap. 3. desumptam ex Molina disp. illa 2. respondebunt Suar. cap. 21. nu. 16. ad 2. confirm. & Fasol. dubit. 4. num. 20. ad secundam obiectionem; quod si sermo sit de primo actu Fidei supernaturalis, vel Charitatis, &c. falsum est; concursum maiorem, vel minorem potentiæ naturalis conducere ad maiorem intensionem huiusmodi actuũ. Nam, licet applicatio cognitionis Fidei in via fiat naturali modo per species, apprehensiones, & discursus naturales, qui præcedunt ipsum Fidei actũ; & hos actus perfectiores, atq; perfectiores potentiæ meliores eliciant; quo pacto potest aliquid conducere potentia naturalis; Intellectus. v.g. ad concipiendam maiorem Fidem; tamen ipse Fidei actus, seu Charitatis, &c. tantum, commensuratur cum auxilio, vel habitu; ita vt, vbi maius fuerit auxilium, vel maior habitus, ibi erit intensior actus supernaturalis, si voluerit operari, secundum totum conatum auxilii; vel habitus. Non enim in via habitus, vel auxilia supernaturalia, quæ dantur ad actus supernaturales cogunt potentias ad operandum, secundum totam intensionem illarum; iis namque vtimur ad modum habituũ naturalium (quantum ad hoc;) nempè, cum volumus, & prout volumus; & hoc modo actus (si fiat ab existẽte in gratia) quò fuerint intensiores, eò erunt magis meritorii, & non aliter.

Ad 1. secundæ sententię.

Suar. Fasol.

2 Ad Secundam ex num. 17. desumptam ex Molina (remissa ad suum locũ quæstione: An aliquis Intellectus sua vi naturali, absq; lumine, ad tantam possit peruenire perfectionem, vt attingat diuinam Essentiam, sibi vnitam, loco speciei intelligibilis? &c.) respondere possunt, qui primam sententiam tuentur: concedendo, Deum, data quacumque creatura intellectuali perfecta in vi intelligendi, posse aliam, & aliam perfectiorem in infinitum, Syncathegorematicè, producere &c. Inde tamen non licere inferre, illam maiorem perfectionem naturalẽ aliquid conducere ad Visionem beatificam: cum enim Visio Beata sit alterius ordinis, indiget Intellectus eleuari ad eundẽ ordinem; & eleuatus per lumen, non plus potest, quam ei dat ipsum lumen, posse; licet enim Intellectus cum lumine influat, vt causa principalis, & per proprium influxum; non tamen influit, quatenus naturalis est; sed, prout eleuatus ad talem gradum supernaturalitatis; & cum lumen det Intellectui esse supernaturale; & operari sequatur esse; non poterit intensius operari supernaturaliter, quàm ad mensuram sui esse supernaturalis; cumque esse supernaturale, ad quod eleuatur Intellectus, commensuretur cum lumine; consequens est, vt operatio supernaturalis nequeat excedere gradus ipsius luminis; quantumcunque perfectio naturalis Intellectus sit intẽsa.

Ad Secundã.

3 Ad Tertiam respondebit Suar. potentiam obedientialem, in re præsenti, esse realiter ipsum Intellectũ; sed, vt potentem inseruire Deo ad aliquid supra suam naturam; quæ ratio est in omnibus æqualis; tùm, ratione diuinæ virtutis, cui inseruit; tum, termini, ad quem inseruit.

Ad Tertiam. Suar.

4 Hęc tamen solutio fundatur supra illam sententiam de potentia obedientiali, distincta à naturali; quã Suar. adinuenit, & cuius nos meminimus, & reiecimus cap. præcedenti à num. 18. vbi diximus; quod Deus potest bifariam eleuare potentiam vitalem ad actus supra se; primo ad actiones transeuntes; & hoc modo potentia vitalis respicit Deum secundum puram potentiam obedientialem; nam ad huiusmodi actiones nullam vim prorsus habet naturalem; & sic eleuatur, vt merum instrumentum diuinæ Virtutis; alio modo potest eleuari ad actus proprios immanentes; & tunc eleuatur secundum propriam potentiam suam naturalem; quæ dicitur etiam obedientialis mixta: & non secundum illam primam potentiam purè obedientialẽ, quam haber omnis potentia vitalis, cõmunem cũ omni alio ente creato; quod, præter ea, quæ loco citato dicta sunt, videtur etiam posse demonstrari; nam, si ad Visionem v.g. diuinæ Essentiæ Intellectus eleuaretur secundum illam potẽtiam

Alia ratione confirmatur duplex potẽtia obedientialis in potentijs vitalibus contra Suar.

tiam purè obedientialem; non diceret, vt sic, Intellectus, ordinem, aut proportionem essentialiorem, & connaturaliorem ad Visionem, quàm ad producendū calore in ligno, & ad reliquas huiusmodi actiones transeuntes, quas potest Intellectus, per eandem potentiam purè obedientialem, producere; nō minus, ac aqua, si ad eundem effectum eleuaretur à Deo: Patet hoc: quia hæc potentia purè obedientialis est eiusdem rationis, & æqualis in omnibus rebus, quibus conuenit: quatenus entia creata sunt; quod colligitur ex eodē Suar. li. 2. de Attribut. negatiuis cap. 21. num. 13. Consequens autem est falsum: Nam Visio Beata, ex sua natura, est actus vitalis, & immanēs; immò dicit essentialem ordinem ad Intellectum creatum, & ad Intellectū proprium, à quo elicitur (iuxta sententiam communiorem, & probabiliorem, quam infra probabimus.) Et intellectus illam producit, vt principium proprium; non peregrinum, & extraneum; & vt principium vitale, & actiuum, actione immanente: cum reliqui actus non vitales, & transeuntes nullum ordinem, seù connexionem dicant, & habeant cum intellectu; nec intellectus illos respiciat, vt principium vitale, & actiuum, actione immanente, & propria; sed solum, vt est quoddam ens, vt sic, simpliciter, à Deo creatū; & per consequens, illi subiectum, ad hoc, vt virtute sua, Deus eo vtatur; sicut posset vti qualibet alia creata re ad huiusmodi producendos transeuntes effectus.

Suar.

5 Cui addo, nam si intellectus eleuaretur à Deo ad Visionem, secundum illam potentiam obedientialem, quam habet communē cum alijs entibus creatis; ergò posset eodem modo eleuare lapidem ad eandē Visionem producendam: Patet consequētia: nam si hæc potentia est eadem in intellectu, & in lapide; cum Dei eleuantis omnipotentia sit pariter eadem; cur cum intellectu potest, & non cum lapide? Euidenter igitur infertur, quod intellectus, quando eleuatur ad Visionem, nō eleuatur secundum illam potentiam purè obedientialem, quam habet communem cum reliquis entibus; sed secundum propriam potentiam naturalem, qua Intellectus est, & principium vitale; modo tamen explicato.

Confirmatur eadem ratio, quod potētia vitalis quando eleuatur ad actus vitales eleuetur secundū potentiam obedientialem mixtam.

6 Quare, ommissa illa solutione; possunt alij respondere tertię illi rationi: concedendo antecedens, absolutè: & negando primam consequentiam: & ratio negationis est; nam licet infra ordinem inferiorem, & naturæ, sit inæqualis illa perfectio intellectus; tamen quando transfertur per lumen ad sublimius esse; nempè, supernaturale, & alterius ordinis; iam vis actiua influens in actus supernaturales, non potest esse maior ipso esse supernaturali; quod cum cōferatur medio lumine; necessariò tām esse, quàm operatio, seu vis operatiua, commensurantur cum ipso lumine. Et sic falsa est etiam secunda consequentia.

Alia respōsio Thomistarū ad tertium scotistarum.

§. II.

7 AD Quartam, eodem modo posset responderi: quod licet Intellectus concurrat ad Visionem, vitalitate sua, quam non habet ex lumine, sed ex se, & naturaliter: tamen, cum non concurrat, nisi eleuata prius illa vitalitate ad aliud esse: influxus vitalitatis eleuatæ, eiusque perfectio actiua debent commensurari cum principio eleuante: quia debet æquari superiori esse, ad quod est eleuata; neque enim vltra tale esse potest operari.

Ad Quartum.

8 Ad Quintum conc. antecedens, scilicet; *quod omnis intellectus concurrat ad Visionem quantum potest.* Distinguo primum consequens: *ergò inaequaliter*, si habebant inæquale lumen; Conc. si habebant æquale lumen; nego. Ad probationem, transeat antecedens; sicut eriā & primum consequens; & neg. conseq. qua dicitur: *Ergò cum aequali lumine erunt inaequales Visiones*. Ad cuius probationem, dico, verā esse Philosophiam Soti, loco in argumento citato, quod ex inæqualibus causarum conatibus, & applicationibus, non possunt æquales effectus prouenire: sed non facit ad rem nostrā: nam duo Intellectus, quamuis inęquales in perfectione naturali, si habeāt æquale lumen, dicuntur omninò habere conatū æqualem ad Visionem, per rationem supra adductam.

Ad Quintum

9 Ad Sextum dicent, non semper, quando duo Intellectus differunt specie, etiam eorum intellectiones differre specie, si versentur circa idem obiectum, secundum eandem rationem consideratū, vel cognitum; vti contingit in casu nostro, in quo obiectum formale omnium Beatorum, est Essentia diuina, manifestans se clarè videndam per lumen gloriæ: Quinimò interdum, licet actus potentiæ

Ad Sextum.

tentiæ intellectiuæ speciem sumant ab obiecto: Verumtamen circa diuersa obiecta, non solum specie, sed etiam genere, versantur. Et tamen, cum secundum eandem rationem illa obiecta cõsiderentur; Intellectiones illæ diuersorum obiectorum non differunt specie; quia illa diuersitas est materialis, non formalis; & sic, licet materialiter sint diuersa; quatenus tamen concurrunt in vna ratione formali, sunt vnum formaliter: vt contingit in Metaphysica, quæ considerat *ens vt ens, & species specierum entis*, quæ plusquam genere differunt, vt *Deus, & Creatura*. Attamen quia considerantur sub vna, eademque ratione formali, scilicet *quatenus abstrahunt à materia, re, & ratione*: Ex primo de anima text. 17. & per consequens, sunt, se ipsis, apta facere fidem intellectui, independẽter à sensibus, tàm externis, quàm internis; ideò vnam specie scientiam tantum, scilicet Metaphysicam, extrinsecè specificando, constituunt: quia eodem genere euidẽtiæ cognoscuntur omnia, quæ in Metaphysica tractantur. Non est enim attendenda differentia in obiecto materiali, sed in formali. Cum igitur certissimum sit, actus, & habitus, atq; omnes potentias cognoscitiuas speciem sumere ab obiectis; quæ, si quatenus specificant potentias, habitus, & actus, in vna ratione conueniant; etiam actus, habitus, vel potentiæ sunt eiusdem rationis; quamuis obiecta, secundum naturam, inter se, specie, genere, aut plusquã genere differant; ita, licet actus, in genere causæ materialis, & efficientis, dependeant à potentia cognoscente, omnino diuersa; poterunt tamen esse eiusdem speciei, si præsertim sint circa idem obiectum, secundum eandem rationem consideratum; vti contingit in casu nostro; in quo, obiectum visionis omnium Beatorum, tàm hominum, quàm Angelorum, est Deus clarè visus, vel se manifestans Beatis clara visione per lumen; & sic Visio Beata Angeli superioris non differt specie à Visione Beata Angeli inferioris ordinis, vel etiam hominis; ita Augustinus Oregius tract. 1. cap. 9. q. 8. ad 2. obiect.

Oregius.

Ad Septimũ.

10 Ad vltimam tandem respondet idem Oreg. ad primam obiectionem; Ferrum candens nunquam aptum esse magis calefacere, quam sit ipsum calidum; licet propter eius duritiẽ, ac densitatẽ, minus impediri possit eius actio: quia magis superat reactionem passi; magisq; resistit eidẽ passo, quod patiendo reagit. Quod non contingit in tenuissima flamma; quæ non ita est apta superare resistentiam cuiuslibet passi; & propter suam raritatem minus resistit, & faciliùs dissipatur; sed si apponatur flammæ materia minus resistens, ac minus reagens; vti, stuppa: Flamma statim ita calefacit, vt statim in ignem conuertat admotam sibi stuppam; quod non fiet, si stuppa admoueatur ferro minus calido; nec habenti aliquas partes in se, quæ sint in ignem conuersæ; secundum quas partes, ferrum etiam; vel (vt melius loquamur) partes ferri in ignem conuersæ, producunt ignem interdum: illæ verò partes nõ sunt amplius ferrum, sed ignis; & ideo æquè calidæ, ac flamma, ex tenuiori materia; & hoc verum esse patet: quia agens, in tantum agit, in quantum est in actu, vel virtuali, vel formali; si sit causa vniuoca, vel æquiuoca. Cum ergo ferrum agat in quantum calidum; si est calidum, vt quatuor, nunquam producet calorem, vt quinque; licet possit celeriùs, ac faciliùs agere, & difficiliùs impediri, ob conditiones materiæ. At verò Intellectus, intelligendo, non repatitur ab obiecto; ita vt, virtus eius intellectiua minor fiat; nec obiectum illi resistit. Obiectum enim intelligibiliter, speciem producendo in intellectu, non eum destruit: sed perficit; nec impedit Intellectus actionem, sed adiuuat, determinat, excitat; idque, perfectiori modo contingit in Patria, quando Intellectus est à corpore separatus; vel, si humanus, erit idem coniunctus, post resurrectionem, non intelligit Deum per species rerum sensibilium; sed eleuatus lumine gloriæ intelligit diuinam Essentiam; & quidquid in illa intelligit, per eandem diuinam Essentiam cognoscit; si igitur homo habeat maius lumen gloriæ, quã Angelus; & magis cognoscet diuinam Essentiam; & plures in ea erit aptus cognoscere creaturas, specie diuersas, & de facto cognoscet; cum nulla sit ratio, cur Deus nolit manifestare creaturas illas, ad quas cognoscendas cõstituitur aptus Intellectus per lumen; quod, cum detur iuxta vniuscuiusque meritum; etiam corona iustitiæ nuncupatur: quia est Beatitudo nostra, in actu primo, & illius principium, & causa, ad quam sequitur Visio Beata, quæ est formaliter gloria nostra; non causaliter tantum; vti glo-

tiæ

riæ lumen. Quemadmodum, & Deus ipse, qui est nostræ Visionis obiectum, dicitur etiam gloria nostra, & Beatitudo nostra; non formaliter, sed obiectiuè; ex quibus omnibus patet, quam debilibus nitatur vtraque sententia rationibus.

CAPVT VI.

In quo nonnulla præmittuntur scitu digna, ac necessaria pro hac controuersia.

§. I.

Nota contra hæreticos in Cœlo non esse omnium æqualē Beatitudinem. Iouinian. Luther. Protestant. Centuriat.

1 VT quid in hac difficultate grauissima sensiendū, aperiam: Suppono Primo contra errorem Iouiniani, & Luteri, Protestantium, Centuriatorum, & aliorum nostri tēporis Hæreticorum. In Cœlo non esse æqualem omnium Sanctorum Spirituum Beatitudinem; neque par omnium præmium; prout diffinitum fuit in Concilio Florentino, in litteris sacræ Vnionis; vbi ad finem sic habetur: *Animas Iustorum, quæ nihil iam habent purgandum, in Cœlo mox recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & Vnū, sicuti est: pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius.* Quam veritatem vnanimis Patrum consēsus, & Scholasticorum confirmat; eamque deducunt ex sacris litteris, in quibus Ioan. 14. Christus Dominus inquit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; hoc est. *Variæ & diuersæ, disparibus meritis correspondentes.* Prout Patres vnanimiter interpetrantur. Ita præsertim Ireneus lib. 3. cap. 21. Tertull. in Scorpiaco cap. 6. num. 43. & de Monogamia cap. 10. n. 80. Hilar. psal. 64. in illud *Beatus quem elegisti*. Basil. in lib. de Spiritu sancto cap. 16. ante finem, & in regulis breuioribus, regul. 203. Ambros. lib. 5. in Lucam, in serm. de Beatitudinibus. Hieron. 2. contra Iouinianum cap. 15. Augustin. tract. 67. in Ioan. & in lib. de sancta Virginitate c. 26. & D. Thom. contra errores Græcorum cap. 9. Colligi etiam potest hæc veritas ex 1. Corint. 15. vbi habetur: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorū.*

Concil. Flor. Ioan. Iren. Tertull. Hilar. Psal. Basil. Ambros. Hieronym. Aug. D. Thom. Paul.

quem locum efficacem iudicat Augustinus, ad conuincendum Iouinianum. Itē 2. Corint. 9. habetur: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quorum verborum hic sensus est. Qui parce subuenit pauperibus, illis parcas eleemosynas elargiens, parcam etiam in Cœlo retributionem accipiet; At qui abundāter, & largè subuenit pauperibus, copiosè illi retribuetur in Cœlo. Quibus consonāt illa alia verba Paul. 1. Corint. 3. *Vnusquisque propriam mercedē accipiet, secundum suum laborem*; & innumera huiusmodi loca adducuntur à Patribus pro hac eadem stabiiienda, contra præcitatos hæreticos, veritate. Quibus addo ea verba Christi Domini apud Matth. 5. Matt. quæ mihi videntur patentissima: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Quod si Dominus in Regno Cœlorum asserit, esse magnos, paruos, & minimos; proculdubio non erunt omnes in Beatitudine æquales.

3 Addo Concilium Florentinum Concil. Flor. diffiniuisse in præcitatis litteris Vnionis; damnatorum pœnam esse inæqualem. Impar pœna damnatis. In his verbis: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quod videtur etiam sacris litteris confirmatum, Apocal. 18. Apocal. *Quantum se quisque glorificauit, & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum: nam pro mensura delicti erit & plagarū modus.* Deut. 25. Deut. Ergo, & inęquale erit Sanctorum præmium in Cœlo. Patet consequentia, quia non minus pœna proportionatur culpæ, quam premium merito, & non est Deus promptior ad puniendum, quàm ad præmiandum.

§. II.

4 SEd solet molestissimum adduci ab Argumētum hęreticorum hæreticis argumentum, desumptū ex parabula adnotata Lucæ 15. & Matt. Luc. Matt. 24. qua videtur demonstrari; quod singulis operarijs vineæ; tām, qui diluculo diligentissimè, ad laborandum in vinea patris familias, perrexerunt; quàm illis, qui vsque ad vltimā horam in otio marcescentes inuenti fuerunt ad vineam missi, idem diurnus denarius datus est pro mercede. Et cum longè impares fuerint

fuerint in labore, facti sunt tamen pares in præmio. Quod autem denarius ille Beatitudinis præmiũ significet; est vnanimis Patrum consensus; igitur omnium Sanctorum in patria æqua est merces, & par Beatitudo.

Dilucidatur parabola de denario diurno: & resp. argumento Aug.

5 Ferè omnes recentiores ex professo dilucidant hanc parabolã, pro soluendo hoc argumento, & multa congerunt. Breuiter tamen nos, pro solutione, primo dicimus cum Augustino lib. de sancta Virginitate cap. 26. in dicta parabola fieri tantum discussionem meritorũ ad præmium vitæ æternæ; & non demeritorum ad pœnam: inquit enim Augustinus. *Quid vtique ille denarius, nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicut est ipsa vita æterna?* Hoc contra nonnullos, qui sensiunt, Christum voluisse illa parabola significare; inter omnes vocatos ad gratiam, & gloriam, multos, qui videbantur primi, & electi, futuros nouissimos, ac reprobos; alios verò, qui videbantur nouissimi, & reprobi, futuros, primos, & electos. Qui sensus, licet sit grauissimorum Doctorum; non tamen videtur consonus textui. Cum enim dicit paterfamilias: *Volo, & huic nouissimo dare, sicut & tibi*: Apertè indicat, omnes fuisse electos, ac eadẽ mercede denarij vitæ æternæ præmiatos: vnde subditur in parabola: *Acceperunt & ipsi singulos denarios*. Item primi vocari dicunt de nouissimis; *Pares illos nobis fecisti; qui portauimus pondus diei, & æstus*. Si pares: ergo ipsi etiã primi saluati fuerunt.

6 Et licet in parabola ponatur murmuratio primorũ, quæ inter Beatos esse non potest; Scito, illam esse parabolam: & Chrisostomus hom. 65. in Matt. in medio, ait: *In parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi*: sed spectandus est maximè finis parabolæ, qui, in casu nostro, est, demonstrare vim diuinæ vocationis, & gratiæ, qua breuissimo tempore possumus iustè mereri, & consequi eadem, ac etiam maiora pręmia, quàm alij, qui longiori tẽpore iusti fuerunt, promereantur.

Chrisost.

7 Item adnoto, quod licet Paterfamilias dicat: *Non licet mihi, quod volo, facere?* Ex quibus verbis posset quis inferre, ibi non esse sermonem de retributione mercedis gloriæ, quæ datur ex iustitia operarijs; sed de aliquo denario, gratis, & ex mera liberalitate dati; Sic enim licet alicui facere quod vult; tamẽ, quia etiam in eodem textu dicitur: *Et quod iustum fuerit dabo vobis*; ideò, in retributione illa, pensanda est ipsa merces denarij; scilicet, gloria; & radix meriti, quæ est gratia. De mercede ait; *quod iustum fuerit*: de gratia autem inquit; *licet mihi, quod volo, facere*. Si enim gratia, iam nõ ex operibus, sed ex mera Dei voluntate confertur. Cum ergò illi primi laborauerint tota die in vinea Patrisfamilias, & peruenerint ad meritum mercedis vnius denarij; vltima hora voluit idem Paterfamilias Deus conferre nouissimis tantam gratiam, tamquè intensum auxilium; vt vna illa hora æquarẽt, intensione laboris, laborem primorum, & meritum, quibus conferret postea, ex iustitia, parem mercedem, ac præmium.

8 His adnotatis, facilis est parabolæ sensus; & per consequens, solutio argumenti Hæreticorum; vel dicendo, pro denario diurno, æqualiter dato tàm primis, quàm nouissimis, intelligi gloriã, ac beatitudinem obiectiuam, quæ est ipsa Diuina Essentia; in qua omnes Sancti sunt æquales. Ita D. Thom. 1. 2. q. 5. art. 2. ad primum, & alij; cuius gloriæ æqualitas non tollit diuersam, ac inæqualem participationem; prout aptissimo exemplo D. Tho. ostendit lect. 1. in cap. 14. Ioan. in illa verba. *In domo Patris mei &c. Sicut* (inquit) *si aliquis praberet fontem, vt ad libitum omnes biberent; de quo, qui maius vas haberet, plus acciperet; & qui minus, minus; vnus ergo fons, ex parte sua est, sed non eadem mensura recipientium*. Vel intelligi ipsam æternitatem, qua omnes Sancti æqualiter erunt Beati. Ita Augustinus tract. 67. in Ioan. *Quo vtique denario* (inquiens) *vita significatur æterna; vbi amplius alio nemo viuit: quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura*. Vel tandẽ (si liceat;) intelligi etiam ipsam Beatitudinem formalẽ, in qua Deus paterfamilias voluit, sua gratia, pares facere nouissimos primis; dando illis, in illa vna hora, maius auxilium, quo possent intensius operari, taliter; vt breuiori labore, sed intẽsiori, tantum præmij promeruerint, quantum illi primi, labore longiori, sed remissiori.

D. Thom.

Ioan.

August.

9 Vbi nota, quod Chrisostomus homil. 65. in Matth. acutissimè ponderauit, illa verba, quibus concluditur parabola; videlicet: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*: Non inferri ex ipsa parabola; in qua omnes electi apparent; sed Paterfamilias, à fortiori, argumẽtatur ad pro-

Chrisost.

bandum internum finem parabolæ, explicatum verbis illis, immediatè antecedentibus: *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi*. Hoc est, qui vltimo loco fuerunt vocati ad laborandū, fuerunt primo vocati ad recipiendum premium. Illa enim prioritas non arguit maiorem dignitatem; sed anticipationem temporis, in receptione mercedis; & hoc non debere mirum esse, probat statim, per aliud admirabilius: quia, nimirū, multi; hoc est, omnes, qui multi sunt iuxta intelligentiā Augustini, qui ait in illa verba. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis; idest, pro omnibus*. Hi ergo multi sunt vocati, per gratiam sufficientem, quæ nemini denegatur; & tamen pauci sunt electi; & reliqui omnes damnati; quod multò magis mirandum, ac formidandum est; quàm quod inter ipsos saluos, vltimo loco vocati habeant eandem mercedē, ac primo vocati; imò, ante primos, mercedem recipiant; ita ex multis Patribus, ac Scholasticis colligit Pater Fasol. 1. par. q. 12. art. 2. dub. 1.

August.

Fasol.

§. III.

10 SVppono Secundo; non posse negari, aliquos Beatos esse æqualiter Beatos in ipsa formali Beatitudine; hoc potest colligi ex superiori parabola; si placuerit vltima expositio æqualitatis præmij; & certè paruuli omnes, decedentes cum sola gratia Baptismali, æqualiter Beati sunt; cum non sit, vndè possit desumi in ipsis Beatitudinis inæqualitas; si gratia Baptismalis sit omnibus æqualis; prout dicā infra in Quodlibetis de Sacramentis in genere, cum D. Tho. 3. par. q. 69. art. 6. & idem dicerē cum Suario 1. par. tract. 1. lib. 2. cap. 20. nu. 7. & alijs, de Innocentibus baptizatis, Baptismo sanguinis; quicquid sit de Infantibus legis veteris, qui recesserunt cū sola gratia circumcisionis; cum non sit concors sententia; an circumcisio causabat gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis? Præter quā quod, cur non possunt in via dari plures, æqualia merita habentes? licet, namque, in multis reperiatur disparitas meritorū, & iustitiæ inæqualis, (vt supra dictum est;) cur non dabuntur etiam multi in labore pares, æquales in merito? Ergo in præmio æquales, pares in mercede, & in gloria. Hinc August. lib. 2. contra Aduersarium legis cap. 5. tom. 6. explicans illa verba Christi Domini. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; ita concludit: *Potuerunt esse Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores, nullus autē maior*. En quomodo, in merito, August. admittit æqualitatem, & inæqualitatem; & ex consequenti, debet etiam admitti in Beatitudine, quæ est Corona Iustitiæ.

Aliquos esse æqualiter Beatos.

D. Thom.

Suar.

August.

§. IV.

11 QVod si obijcias, ex sententia plurimorum Patrum, & communi proloquio; tot futuros homines saluandos, quot Angeli ceciderunt; siquidem ad Angelorum ruinas reparandas, eorundemq; replendas sedes, homines assumendi sunt: ergò eiusdem gratiæ, & gloriæ, in quibus (si Angeli non peccassent) fuissent: sed si stetissent Angeli, qui iam ceciderūt, proculdubio fuissent inæquales in gratia & in gloria: ergo cōsequitur, omnes Sāctos homines pariter fore inæquales in merito, & in præmio: non enim mansiones illæ cœlestes, quas fuissent occupaturi illi Angeli, æqualibus debentur meritis, sed inæqualibus.

Obiectio.

12 Ad hoc argumentū respondet Lusitanus lib. 12. q. 9. art. 3. §. 3. nu. 19. & 20. ad quintum, sententiam illam de numero saluandorum, iuxta numerum Angelorum, qui ceciderūt, esse omninò incertam; prout ferè omnes affirmant, cum Magistro in 2. d. 9. §. vlt. vbi D. Tho. q. 1. ar. 8. Aegid. q. 3. ar. 1. & recentiores 1. par. q. 62. art. 6. vbi Zumel in fine comment. & annuit Fasol. eadem 1. par. q. 12. art. 6. in fin. etiam comment. & alij multi; & ex patribus, satis clarè August. in Enchyridion cap. 29. & lib. 22. de ciu. Dei cap. 1. & Gregorius citatus à Magistro. Et sine fundamento certo dicitur, tot, & nō plures, neque pauciores saluādos esse; quot Angeli defecerunt. Immò parum tutè asseritur, singulos ex saluandis habituros tot gradus gratiæ, & gloriæ, quot fuissent habituri illi Angeli peccatores, si perstitissent; & non plures, neque pauciores. Quis enim dicat, Beatam Virginem successisse in mansione, & Beatitudine alicui ex Angelis lapsis? quæ quidem exaltata est super omnes Choros Angelorū; & ad Dei sublimem dexteram sedet, ad quā nulla pura creatura prędestinata est. Vndè (optimè Lusit. ait) argumentum solum potest, ad summum, colligere; eos homines, qui ad reparandas Angelorum ruinas assumuntur, non esse inter se æqua-

Solutio Lusit. Magistr.

Nota, sine fundamento dici tot homines fore beatificādos, quot ex Angelis cęciderunt.

D. Thomas, Aegid. Zum. Fasol. Aug. Greg.

æquales; hoc autem non tollit; quin cęteri æquales esse possint.

13 Immò nec sentiendum est; aliqua esse in cęlo loca, ac sedilia vacua, quæ occupanda fuissent ab Angelis lapsis, si permansissent in gratia; ad eaq; replenda assumi homines: cum .n. dicti Angeli nunquam fuerint à Deo prædestinati; superfluum fuisset, ipsis præparare sedilia, nullo vnquam ab illis tempore occupanda; & sic, quando aliqui Patres asserunt; per electos homines Angelorũ reparari ruinas, eorumquè vacuas mansiones expleri: hæc reparatio, secundum numerum, præsertim intelligenda est; & etiam secũdum ordinem; hoc est; si centena millia Angelorum lapsi sunt, v.g. vnde diminutus est numerus Ciuium Angelicæ Ciuitatis; hic numerus implebitur, & instaurabitur per homines; & si ex illis ceciderunt alij altioris ordinis, & Hierarchiæ, alij ordinis inferioris; & ex consequenti, maioris, vel minoris gratiæ, & gloriæ: ad eundem ordinem, & gratiæ, & glorię alij, & alij homines assumentur; prout videtur Gregorius annuisse hom. 34. in Euangelia; dum ait; *Homines, iuxta perfectionem sanctitatis, singulis Hierarchijs, & ordinibus congruentem, ad hanc, vel illam Hierarchiam, hunc, vel illum ordinem, assumendos esse*. Non ergò pro lapsis fuerãt in Cęlo sedilia præparata, sed quia erant huius, vel illius ordinis, & Hierarchiæ; & Deus singulis ordinibus congruentem gratiam, & gloriam destinauit; inde est, quod dicitur à Patribus; homines assumi ad illam gloriam, vel gratiam, vnde Angeli ceciderunt; non autem tot, tantum, & non plures assumendi sunt; & ad tot, dumtaxat, gratiæ, & glorię gradus, & non ad maiores, & perfectiores; vel etiam, æquales; immò nequè compertum est; an inter aliquos ex ipsis Angelis sit gloriæ æqualitas, & paritas gratiæ? cum adhuc sub Iudice sit; an omnes specie differant: vel sint aliqui solo numero differentes? de qua quæstione, in materia propria de Angelis disputabimus.

Nulla in Cęlo esse loca vacua, quæ fuissent occupanda ab Angelis, nisi peccassent.

Greg.

§. IV.

14 Tertiò suppono; quod licet possit esse quæstio de inæqualitate Beatitudinis; an. s. sit, dumtaxat, sumenda ex parte actus; idest, visionis; an etiam ex parte obiecti? sunt .n. grauissimi DD. qui docent, nullo modo desumendam esse ex parte obiecti: sed tantum ex parte visionis. Ita Vasq. p. 1. disp. 47. c. 6. in fine, n. 43. & disp. 50. c. 6. n. 29. 31. & 33. vbi putat absurdum, Deum alio, & alio modo videri à diuersis; ita vt, sub vno modo aliquid eius lateat minus Beatum, quod sub alio modo à magis Beato videatur; cum Deus, eodem modo, & eadem ratione, semper omnibus appareat; quamuis his clarius, & intensius, alijs minus clarè, & intensè: quomodo videntur etiã sentire D. Th. p. 2. q. 5. ar. 2. & p. 1. q. 12. ar. 6. & in 4. d. 49. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & q. 2. art. 4. vbi Diuus Bonau. ar. 1. q. 6. Riccard. Durandus, & alij; & tandem Scotus in 4. dist. 50. q. 5. ar. 2.

Vnde æqualitas, vel inæqualitas Beatitudinis? Vasq.

D. Tho. Bonau. Riccar. Duran. Scot.

15 Alij sunt, qui hanc inæqualitatem constituunt; tùm, ex parte visionis; tum, ex parte Dei visi. Alij volunt, ex vtraquè parte fore inæqualitatẽ Beatitudinis desumẽdam; sed non ex obiecto primario; verum ex secundario; quatenus is, qui magis Beatus est, ex vi visionis, in Diuina Essentia videt plures creaturas, quam minus Beatus; ita videntur sentire Med. 1. 2. q. 5. ar. 2. q. vlt. cõcl. 2. 3. & 4. & Zumel p. 1. q. 12. ar. 6. q. vlt. propos. 2. & 5. Alij tãdem cum Val. 2. tom. q. 5. disp. 1. punct. 3. ad ipsum dubium; existimant, inæqualitatẽ propriè, & formaliter desumendam esse ex inæqualitate visionis; per quandam, verò, consequentiam, etiam poni in inæqualitate obiecti secundarij: quatenus, ex maiori intensione, & claritate visionis, videntur plures Dei effectus: cui sententiæ videtur fauere Suar. in manuscriptis ad 1. 2. q. 3. ar. 2. vbi ait. Inæqualitatem istam propriè, & formaliter consistere in actu: in obiecto vero solum per quandam denominationem extrinsecã, sumptam ab actu, quatenus ex illo consequitur inæqualitas oppositionis obiectiuæ. Nos tamen, omissa controuersia circa obiectum; ex dicendis .n. facilè colligere licebit; an aliquo modo inæqualitas Beatitudinis ex obiecto desumatur? de inæqualitate ex parte actus disputamus: An. s. solum pensanda sit ex inæqualitate luminis: an verò, aliquo modo, ex inæqualitate perfectionis naturalis potentiæ?

Med. Zum.

Val.

Suar.

16 Et licet, adhuc lis sub Iudice sit: an inter creatos intellectus dari possit inæqualitas, cum non parua controuersia sit inter Animasticos; an inter intellectus humanos, qui sunt eiusdem speciei, detur aliqua substantialis inæqualitas in virtute intellectiua, secundum differentias indiuiduales? quæ quæstio expendi-

Conimbr. tur egregiè à Conimbricen. 2. de anima c.1.q.5.art.3.vbi adducunt opinionem affirmatiuam,& negatiuam; & vtramq; probabilem existimant: quamuis communior videatur esse negatiua, quæ, solum, inter intellectus humanos admittit inæqualitatem accidentariam: quatenus s. vnus intellectus, melioris Corporis dispositione, promptiorìq; phantasiæ ministerio iuuatur,& habet meliores,& distinctiores species, aut lumen agentis intellectus clarius, & distinctius. Sed nec adeò explicatum est; an inter ipsos intellectus Angelicos detur huiusmodi inæqualitas? præsertim apud illos DD. qui docent, dari plures Angelos eiusdem speciei; immò, quod maius est, controuertitur adhuc à doctissimis viris; an intellectus hominum,& Angelorum specie differant? Nonnulli.n.simpliciter volunt, illos esse eiusdem speciei; alij, id simpliciter,& absolutè negant; alij ramen docẽt; quod si considerentur, tàm intellectus hominum, quàm Angelorum, in ordine ad obiecta, sunt eiusdem speciei; si verò considerentur, vt sunt proprietates,& potentiæ naturales, sunt diuersæ speciei. Videantur Conimbricen. de anima separata.disp.1.ar.7.§. *Superest tamen huiusmodi difficultas*; & §. *Authores non pauci*: nos tamen nil de his quæstionibus modò decidentes; sed suo loco illas remittentes; supponimus, dari aliquam inæqualitatem essentialem in virtute; siuè inter intellectus humanos; siuè inter Angelicos; siuè inter humanos, ex vna parte,& Angelicos, ex altera;& quærimus, an (dato, quod reperiatur duo intellectus creati inæqualis perfectionis, & virtutis, tamen æquali lumine gloriæ præditi;) is, qui perfectior est in virtute naturali, intensiorem visionem eliciat? an verò æquè intensam cum eo, qui maiori vi naturali præditus est?

CAPVT VII.

Quæ verior sententia; & quo fundamento efficaciter probanda?

Statuitur authoris placitum, & probatur à priori. 1 IN hac re olim anceps perstiti; cũ apud neminem, hucusquè, reperirim rationem, quæ me conuinceret ad aliquam ex his opinionibus sustinendam. Tandem; licet probabilis sit illa, quę asserit, intellectum perfectiorem naturaliter, cum æquali lumine, perfectiorem, ac intensiorem elicere visionem; (sunt etenim grauissimi Scholastici, qui eam docent.) Tamen mihi videtur longè probabilior illa, quæ hoc negat; tùm ob reuerentiam tot doctissimorum virorum, qui huic sententiæ fauent, tùm etiam propter vnicam rationem à priori, quam existimo satis efficacem, illamq; retigimus supra cap.5. in respons.ad 3. & ad 4. nu.6.& 7. videlicèt: Quia modus operandi sequitur modum essendi; & operatio sequitur esse; ita vt, perfectio operationis nunquam eo poterit prouenire, vt excedat perfectionem esse proprij operantis; (si secundum illud esse operetur.) Quæ doctrina difficultatem non habet in Philosophia; & facilè poterit inductione demonstrari, tàm in operantibus vniuocis, quàm æquiuocis. Quæ quia ipsa luce clarior est, à cęcis dumtaxat posset in controuersiam reuocari; cumq; visio Beata sit operatio intellectus, qui in eam influit, non secundum illud esse, quod habet ordinis inferioris,& naturæ. (Hoc.n.esset hæreticum asserere:) sed secundum illud esse ordinis superioris, & Diuini, ad quod eleuatur media forma eiusdem ordinis supernaturalis; consequens ergo est, quod visio Beata non poterit esse perfectior tali esse supernaturali, secundum quod intellectus in illam influit: habet autem tale esse diuinum intellectus, in ordine ad visionem, à lumine; (vt ex dictis supponitur;) quod, cum in genere causæ formalis huiusmodi esse communicet intellectui; non poterit tale esse Diuinum perfectius esse lumine ipso: sed æquè perfectum cũ illo; forma namquè, quæcunq; illa sit, informando subiectum, debitè dispositum, se ipsam illi communicat, totumq; suũ esse. ergò, si visio debeat commensurari cum esse illo supernaturali, secundum quod intellectus influit in eam; per consequens, in nullo casu, poterit esse perfectior, quàm sit lumen, quod dat intellectui esse Diuinum, vt secundum illud influat in eam; ergò, quantumcunq; vnus intellectus sit altero perfectior, in vi naturali; si ambo habeant idem lumen gloriæ; non poterit perfectiorem elicere visionem, quàm alter eliciat; quia vterquè habet esse supernaturale, (secundũ quod vterq; in visionem influit) eiusdem perfectionis.

2 Po-

Obiectio cōtra hanc rationem. 2 Poterit tamē, contra nostrum hoc singulare fundamentum, vnica esse obiectio, & satis apparens. Lumen, eleuando intellectum ad illud esse supernaturale, eleuat totam ipsius potentiæ vim naturalem; eamq; ad eūdem supernaturalem ordinem transfert; ergo intellectus acuminis naturalis, vt septem, per lumen supernaturale eleuatur ad ordinem supernaturalem, secundum omnes gradus sui naturalis acuminis; & sic, in tali ordine supernaturali, habebit septem gradus, etiam supernaturalis acuminis; & intellectus, qui naturaliter habet quatuor gradus acuminis, cum eleuetur ad esse supernaturale, secūdum omnes illos suos gradus, habebit in illo esse supernaturali eleuato gradus pariter quatuor acuminis supernaturalis; & sic, ex his duobus intellectibus; etiā si per æquale lumē; v.g. vt duo, sint eleuati ad esse supernaturale; prior perfectior videbit, quā posterior; quia ille est eleuatus secundum suos septem gradus acuminis; hic verò tantum secundum quatuor.

Solutio. 3 Fateor, hoc argumentum; (quo Salmanticæ non semel vsus sum, nec à respondentibus aliquam meo ingenio adæquatam illius solutionem vnquam accepi:) nō nihil probationis præseferre. Ceterum possem ad illud respondere, concedendo antecedens; si intelligat de vi naturali, entitatiuè sumpta; & eodem modo, concedēdo pariter primam consequentiæ partem; nego tamen secundam partem, qua dicitur; *& sic in tali ordine supernaturali habebit septem gradus, etiā supernaturalis acuminis*. Et do in naturalibus instantiam manifestam. Demus intellectum profectum in Grammatica scientia, v.g. ita vt habeat habitum Grāmaticæ, vt octo; hic discurret in tali facultate, vt octo; secundum gradus habitus; idem intellectus eleuetur ad superiorem facultatem, nempè, ad Mathematicas scientias (Hoc .n. & quædam species eleuationis est.) Et acquirat habitum Mathematicæ, vt quinque; certum est, hunc habitum Mathematicæ informare totam entitatem, & vim intellectus illius; cum tamen non possit discurrere in Mathematica, nisi vt quinque; quia tantum habet habitum huius scientiæ, vt quinque; licet in Grammatica discurrat, vt octo, secūdum gradus habitus Grammaticæ, quibus præditus est. Et licet per nouos actus postea ille habitus secundus possit magis, ac magis intendi; hoc ideo est; quia est habitus naturalis, & ex frequētatis actibus naturalibus acquiritur, & sic per eosdem actus naturales intenditur.

4 Ita à pari, quātum ad hoc; quamuis intellectus, in suis naturalibus constitutus, fruatur acutissima vi intellectiua, vt octo; & in naturalibus discurrat, vt octo; intelligat, vt octo, &c. tamen, cum ad superiorem alium ordinem euehitur, per nobiliorem habitum, vt quatuor, vel vt quinque; in tali ordine superiori non poterit elicere actus, nisi vt quatuor, vel vt quinque; iuxta gradus habitus eleuantis, & superioris; qui habitus non poterit intēdi ex actibus, etiam eiusdem ordinis; quia non est ex naturalibus, acquisitis; sed ex supernaturalibus, infusis à Deo; & si pariter, sicut & naturales dicantur educti de potentialitatibus subiecti; iuxta communiorem sententiam; vnde non sequitur, quod intellectus maioris perspicacitatis naturalis, eleuatus tamen ad esse supernaturale per lumen gloriæ, plus videat; quàm intellectus minoris acuminis, pariter eleuatus per lumen gloriæ eiusdem intensionis.

5 Et ratio esse potest; quia principiū ordinis superioris, eleuans potentiam ordinis inferioris ad esse eiusdem superioris ordinis; non respicit vires ipsius potentiæ inferioris, secundum earum arithmeticam proportionem; sed tātum curat ipsos nobiliores reddere, & euehere ad nobilius esse, secundum illorum entitatem; ita vt reddat entitatiuè nobilioris, ac sublimioris ordinis; & sic tota potentiæ entitas, ad illud esse nobilius eleuata, operabitur nobiliores operationes; sed secundum proportionem principij eleuantis, non virium, quibus potiebatur in esse inferiori.

Finis Quodlibeti Quinti.

QVODLI-

QVODLIBETVM SEXTVM.

De Verbo mentis, seu specie expressa.

DISPVTATIO PRIMA.

De necessitate Verbi.

CAPVT PRIMVM.

In quo statuitur verbi necessitas in omni intellectione.



§. I.

1  E verbo mentis cõmuniter disputãt Doctores apud Diuũ Tho. p. 1. q. 27. ar. 1. occasione accepta ab illis verbis Sancti Doctoris in corpore dicti art. vbi ait: *quod, quicumq; intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedēs; quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis, &c.* Quorum occasione verborum, ex professo Recentiores ibi de Verbo disputant; & præsertim diffusè Nazarius per quatuor cõtrouersias. Sic etiam eadem 1. p. Alij q. 12. & Philosophi in libris de Anima. D. Th.

2 Nos ergò, quod hic petimus, est; An per omnem intellectionem, necessariò, producatur verbum? nam, cum in quolibet cognitionis actu, (vt benè aduertit Nazar. controu. 1. in exposit. status controuersiæ, in fine; versu, *Præterea cum, &c.*) præter potentiam (secundum communiorem sententiam.) tria inter se distincta reperiantur; s. Obiectum, quod cognoscitur: Species impressa, siue similitudo, proueniens ex obiecto in potentiam, per quam potentia constituitur in actu primo potens ad cognoscendum; quando tale officium præstari nõ potest per ipsummet obiectum. Tertium tãdem est ipse actus cognoscendi, quo potentia cognoscitiua dicitur cognoscere obiectum. Disputatio est; An, vltra hæc tria, assignandum sit, & aliud quartum, nimirum, Species quædam expressa ab ipsomet intellectu, quæ sit similitudo, & imago obiecti cogniti, per actum ipsum cognitionis producta? Exponitur titulus. Nazar.

3 In qua re, absolutè dicimus; necessariò ponendam esse speciem expressam in potentia cognoscente; quæ sit similitudo rei cognitæ; distinctam omninò à specie impressa intelligibili; quæ alio nomine dicitur etiam, Verbum mentis. Nec curandum modo, an hæc similitudo sit ipsa actualis intellectio; an verò sit aliquid ab ipsa distinctum; infra .n. redibit sermo de hac re. Conclusio.

4 Potest assertio nostra primò probari authoritate Augustini 15. de Trinit. c. 15. & 16. vbi ostendit optimè, quomodo in intelligente semper formetur verbum rei intellectæ; & sic dicit cap. 15. *Et tunc fit Verbum, quando illud, quod nos diximus, volubili motione iactare ad id, quod scimus peruenerit; atq; inde formatur, eius omnimodam similitudinem capiens*. cap. verò 16. ait, *cogitatio quippè nostra* Probatur ex Aug.

nostra perueniens ad id, quod scimus, atq; inde formata, verbum nostrum verum est. Tandè in eodem cap. subdit (loquens de Verbo, quod de Deo formamus, & in via, & in patria.) *Quamobrem cum tanta sit nūc in isto ænigmate dissimilitudo Dei, & Verbi Dei.* (hoc est, verbi, quod de Deo concipimus, vt optimè exponit Vasq.) *In qua tamen nulla similitudo cōperta est, illud quoq; fatendum est, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti, &c. Tūc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neq; mentimur, neq; fallimur.* Hæc habet Augustinus.

Vasq.

Probatur ex D. Ansel.

5 Adde secundo loco authoritatem egregiam Anselmi in suo Monologio, cap. 13. vbi hoc ipsum, his verbis, asserit. *Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione; imò ipsam cogitationem sui esse imaginem ad sui similitudinem; tāquam ex eius impressione formatā; quamcūque, enim, rem mēs, seu per corporis imaginationem, seu per rationē cupit veraciter cogitare, eius vtiq; similitudinem, quantum valet in ipsa sua cogitatione, conatur exprimere. Quod, quantò verius facit, tantò rem ipsam verius cogitat.* Et hinc colligit Anselm. Aeterni Verbi à Patre processionem. Ex quibus locis Augustini, & Anselmi, non solum colligitur, quemlibet intelligētem formare similitudinem rei cognitæ, dum intelligit, seu speciē expressam, seu Verbum mentis; sed ipsammet cognitionem esse talem similitudinem expressam, seu verbum; vt ponderanti verba patebit; sed de hac re infra.

§. II.

Ratio quorūdam Thomistarum.

6 SOlet etiam hoc assertum ab aliquibus Thomistis sic explicari; quia ad cognitionem necessaria est debita approximatio, nō solum in ratione principij, sed etiam in ratione termini, actionem cognoscitiuam terminantis; nam, etiam si species visibilis conseruaretur in oculo, absente obiecto, non posset fieri visio; quia obiectum non esset approximatum, in ratione termini; licet, in ratione principij eliciriui visionem, esset vnitum potentiæ: Similiter ergò est necessarium, vt obiectum intellectus approximetur, in ratione termini: Sed hoc semper nō potest fieri immediatè per ipsam substantiam obiecti: tùm quia aliquando res, quæ intelligitur, non est præsens, secundum ipsum intellectum, sed absens; & aliquando præterita in sua existentia: tùm etiam, quia interdum, licet sic præsens localiter: tamen non est ab intellectu perceptibilis immediatè per ipsam: eo quod est res materialis, quæ, secūdum se, non habet proportionem cum intellectu; ergò necessarium est, loco ipsius, ponere aliquod, in quo ipsa res reluceat, & repręsentetur, tamquam in propria imagine; quod gerat vicem obiecti; Et hoc vocatur verbum mētis, quod etiam multis alijs nominibus solet appellari; .s. Species expressa, Conceptus formalis, Intentio rei intellectæ, vel intentio intellecta.

7 Ex his colligit Canar. p. 1. disp. 5. quod quandocumq; obiectum est absens localiter secundum suam substantiam, necessarium est verbum mentale: Immò, etiam si sit præsens; dummodo non sit præsēs in ratione obiecti; nam licet Anima intellectiua sit sibimet pręsens secundū substantiam; tamen quia non est præsens obiectiuè, indiget verbo mentali ad sui intellectionem. Sic etiam videtur probare positam assertionem D. Tho. 1. contra gent. cap. 53. & ibidem Ferrarien. vt Caiet. p. 1. q. 27. art. 1. & q. 12. art. 2. & Conat. p. 1. q. 27. ar. 1. disp. 5.

Cōsectarium Canar.

D. Th. Ferrar. Caiet.

CAPVT II.

Improbatur hac ratio Thomistarum.

8 MOlina disp. 8. membr. 3. super q. 27. art. 1. existimat, nullo modo posse hac ratione verbū mentale constitui; idq; probat multis argumētis, quæ videri possunt apud ipsum. Ego autem euidenter ostendam, rationem hanc non esse alicuius momenti. Et in primis multa continet minor propositio, quæ mihi videntur omninò falsa; immò nequeunt connecti cum his, quæ in maiori propositione dicuntur.

9 Dicitur in maiori propositione: non sufficere, quod obiectum sit vnitum potentiæ in ratione principij elicitiui visionem; ad hoc, vt potentia dicatur actu visionem elicere; nisi etiam sit vnitum, & approximatum illi, in ratione termini, ipsam visionem terminātis: quod verum est; nam primum spectat ad constitutionem

Examinatur, & reijcitur præcedens ratio.

nem intellectus in actu primo; & fit, mediante specie impressa intelligibili, quãdo ipsum obiectum non potest ex se ipso immediatè fieri præsens potentiæ, in ratione principij: quando .n. obiectum potest per se ipsum sic coniungi intellectui, (prout de Essentia Diuina dictum est supra;) Non est necessaria talis species impressa, per quam sic coniungatur.

3 Secundum verò; nempè, esse debitè approximatum, & vnitum obiectum potentiæ, in ratione termini terminantis visionem, potius videtur pertinere ad actum secundum, (vt patet;) Nil .n. dici potest actu terminus actionis, vt sic; nisi, in quantum actu ipsam terminat actionem; & sic iam supponit, in aliquo priori naturę, vel originis, ipsam actionem, actu tendentem ad talem terminum. Hoc autem necessariò fieri videtur per ipsam speciem expressam, quæ vnit obiectum cum potentia in ratione termini. Vnde fit, quod, etiam si sit absens obiectum localiter, secundum suam substantiam, si intellectus informatus ipsius specie impressa abstractiuam visionem eliciat; (prout potest,) ex vi talis visionis fiet obiectum illud actu præsens, & debitè approximatum tali intellectui, nõ solum in ratione obiecti, quod præstatur à specie impressa: sed etiam in ratione termini, quod à nulla alia re imaginabili, præterquam ab ipsa specie expressa, præstari queit. Et sic illa maior propositio vera est, sic intellecta.

4 Vnde etiam sequitur, verum pariter esse id, quod primo loco dicitur in minori; nempè, hoc, quod est, obiectum esse debitè approximatum potentiæ in ratione termini, non semper posse fieri immediatè per ipsam substantiam obiecti. Immò addo, nunquam obiectum, per suammet substantiam immediatè posse vniri potẽtiæ in ratione termini; sed semper vniri per speciem expressam. Hoc autem sic ostendo. Terminus actionis cuiuscumq; in quãtum terminus actualis, & intrinsecus talis actionis, nullo modo præcedere potest ipsam actionem; sed necessariò illam supponet in aliquo priori, saltè originis, vel naturæ, vt viam ad ipsum; ergo quocunq; modo approximetur obiectum potentiæ ante actionem, non poterit dici, vniri tali potentiæ in ratione termini; sed tantum in ratione principij motiui, & eliciti ui; quia, in illo priori, nihil terminat; ergo non nisi per ipsam actionem intelligitur approximari, sub ea ratione præcisè, qua terminus; quia nil aliud excogitari potest, quod id valeat præstare, vt patet.

5 Et sic non est adæquata ratio ea, quæ subditur in illa minori, dum dicitur; ideo nõ semper posse obiectum fieri per se immediatè præsens, in ratione termini; quia aliquando res, quæ intelligitur, non est præsens, sed absens; & aliquando præterita in sua existentia; cum non sufficiat præsentia localis; immò, etiam si absens sit localiter; ex eo tantum sequeretur, non posse haberi, de tali obiecto, visionem intuitiuam: Non tamen absentia tolleret, quin possit haberi de eo visio abstractiua: si adsit in potẽtia species ipsius repræsentatiua impressa: Et, cum hac, si eliciat visionem intellectus, iam obiectum, etiam si localiter absit, fiet per talem visionem præsens, in ratione termini. Ergo quocunq; modo intelligatur res intellecta, siuè absens; siuè præsens; siuè immediatè per suam substantiam; siuè per speciem impressam, non poterit, nisi per speciem expressam, fieri præsens in ratione termini actualis.

6 Nec placet id, quod pro secundo membro rationis eiusdem minoris adducitur; nempè, quod interdum; licet res, quæ intelligitur sit præsens localiter, tamen non est ab intellectu perceptibilis immediatè per ipsam; eo quod est res materialis, quæ, secundum se, non habet proportionem cum intellectu; & sic necessarium est, loco ipsius, ponere aliquid, in quo ipsa res eluceat, & repræsentetur, tanquam in propria imagine, quod geret vicem obiecti, & hoc vocatur Verbum mentis. Non inquam, hæc ratio placet: tùm quia videtur annuere, ideo intellectum non posse aliquando intelligere rẽ aliquam per suam substantiam, etiam si sit localiter sibi præsens, quia est materialis; sequeretur .n. ex hoc, quod Anima posset se ipsam per suammet substãtiam intelligere; cum sit sibi intimè præsens, & immaterialis, absquè eo, quod verbum produceret, quod nequè ipse D. Tho. admittit.

7 Quod si dicas: Animam non esse sibi præsentem in ratione obiecti; sed tãtum secundum pręsentialitatem realem; & sic formare verbum, vt fiat præsens in esse obiectiuo. Sed contra; ergo in Diuinis non formabitur verbum; quia ibi est omnimoda intima præsentialitas, etiam in esse obiectiuo. Si .n. sic præsens Beatis est Essentia Diuina, multo magis Patri intel- Effugium. Reijcitur.

intelligenti. Addo, quod quando D. Tho. asserit, Angelum non indigere specie impressa ad sui cognitionem; ideo est, quia eius substantia est sibi intimè præsens, etiam in ratione obiecti: non tamen in ratione termini; ergo non est eadem præsentialitas obiecti, & termini.

8 Vnde ratio, quare intellectus non potest intelligere obiectum aliquod præsens per suam substantiam; etiam si immateriale sit, est; quia triplex est præsentialitas alicuius rei, & secundum suum esse reale; & secundum suum esse intelligibile obiectiuum; & secundum esse terminatiuum; licet autem res aliqua spiritualis possit esse præsēs alicui intellectui secundum suum esse reale, & præsentialitatem localem; non tamen poterit esse præsens secundum esse intelligibile, nisi per speciē intelligibilem, seu impressam, præsens fiat in ratione obiecti motiui, & principij obiectiui. Et ideo docēt Patres Theologi cum D. Th. q. 12. ar. 2. quod cū Deus sit intimè præsens intellectibus Beatorum, non solum secundum esse reale, sed etiam secundum esse intelligibile, per suammet substantiam, non videtur à Beatis per speciem creatam, (vt supra dictum est;) Et adhuc, facto præsente, secundum has duas præsentialitates, obiecto, non poterit per suam substantiam, quantumuis spirituale sit, & præsentissimum intellectui, præsens fieri in ratione termini actualis, nisi per verbum, seu speciem expressam.

9 Vnde sequitur, falsum etiam esse id, quod infertur, cum dicitur; eam ob rem; nempè, quia res illa materialis est, & non habet proportionem cum intellectu, necessarium esse, loco ipsius, ponere verbum mentis: nam quando res nequit per suam substantiam cognosci, non substituitur loco ipsius, vt cognosci possit, verbum mentis, quod est, vel terminus cognitionis, subsequens in aliquo posteriori naturæ cognitionem ipsam; vel est ipsamet cognitio, (vt infra dicetur,) sed species impressa, quæ dicitur Vicaria illius obiecti, quod per suam substantiam non est cognoscibile; Verbum verò ponitur, ad hoc vt vniatur res intellecta in ratione termini actualis.

Ostenditur falsum corollariū Canar. 10 Ex quo, consectarium Canar. positum in fine præcedentis capituli etiam ruit; dum ait, speciem expressam, in tantum esse necessariam, in quantum obiectum, vel est localiter absens secundum suam substantiam; vel, etiam si sit præsens, est tantum præsens secundum præsentiam realem, non verò secundum præsentiam obiectiuam; Vnde liceret pariter, secundum ipsum, inferre; non esse necessariam speciem expressam in Beatis; cum obiectum Beatificum sit per suam substantiam præsens, etiam secundum esse intelligibile. Quod falsum esse, ostēdam breuiter cap. seq.

CAPVT III.

Necessariò ponendum verbū mentis in Beatis.

§. I.

1 Satis probabilis nonnullis Thomistis videtur opinio negans hoc verbum Beatis, præsertim Caiet. tum q. 27. tum q. 12. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 49. *§. aduerte, quod fundamentum.* Torres q. 27. & q. 34. ar. 1. quam communiter teneri, affirmat Capreol. in 4. dist. 49. q. 5. ad argum. 1. loco con. 1. qui tamen dubius est, & anceps; (vt benè vidit Lusit. to. 2. de Beatitud. lib. 11. q. 7. ar. 3. §. 1. n. 1.) sequitur etiam eandem sententiam Soncin. in epit. ad Capreol. in 1. dist. 27. q. 2. ad 4. Durandi con. 1. in fi. Zumel. q. 12. ar. 2. q. 2. concl. 3. & ad 4. & q. 27. art. 2. Iauellus in annot. ad 1. p. q. 12. ar. 2. & q. 27. art. 1. Nazar. iisdem locis; immò hanc eandem opinionem videtur euidenter probasse Scot. quodl. 14. lit. BB. & q. 15. lit. X. idemq; docet cum eodem, Rada 1. tom. controu. to. art. 2. concl. 2. & Aegid. noster Romanus etiā huius extitit sententiæ, quodl. 5. q. 9. in principio, & inferius in *§. habito quot modis*, & alij multi. Qui negāt in Beatis verbū Caiet. Ferra. Torres. Capreol. Lusit. Sōcin. Zum. Iauel. Nazar. Scot. Rada. Aegid.

2 Tamen longè probabilior sententia est; Beatos, videndo Deum, formare verbum Diuinæ Essentiæ; ita Mol. q. 12. art. 2. disp. 5. concl. 1. Suar. lib. 2. de attrib. negatiu. cap. 11. concl. 1. nu. 5. & concl. 2. n. 9. vbi; docet; nec per diuinam potentiā fieri posse, vt Beatus videat Deum, non formando verbum illius. Admittit hoc idem Vasq. p. 1. disp. 38. cap. 2. post principium, vbi affirmat, in Beatis dari speciē expressam, quæ appellatur verbum; & n. 7. id confirmat authoritatibus August. idem docuerunt Conimbric. 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 4 ad 3. Salas latè 1. ro. 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 2. num. 27. inclinat Beatos formare verbū. probabilior sententia. Molin. Suar. Vasq. Conimbric. Salas. Capreol. Pezant. Beccan. Lusit.

 Capreol.

Capreol.in 1.dist.27.q.2.art.3.ad 10.eorum, quæ secundo loco adducuntur con. primam in principio; dum ait, nullam intellectionem, qualiscumque illa sit, sine verbo compleri. Sequitur eandem opinionem Pezanz. q.12.at.2. adde Beccan. p.1.c.9.q.2.n.7. & satis egregiè præ cæteris noster Lusitan. loco supra citato §.3. à nu.12. & infra à nu.57. eandem multum commendat.

Aug. 3 Et certè, Augustinum in hac extitisse sententia, dubitare non licet; siquidem, in loco superius adducto, satis clarè verbum fatetur in Beatis; dum ait: *etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est, verbum nostrum non erit falsum, quia neq; mētimur, neq; fallimur*. alijs locis ex Augustino petitis hoc idē probat Suar. cap.11.cit.n.6.

D.Th. 4 Possem etiam probare authoritatibus D.Tho. hanc eandem veritatem; qui præsertim q.4. de verit. art.2. expressè habet; in quacunque intellectione exprimi verbum, etiam in intellectione rei per Essentiam. Sed quicquid sit de mente D.Th. de qua certè posset aliqualiter dubitari, ex his, quæ docet q.12. ar.2. veniamus ad rationes.

§. II.

5 VT stabilibus muniatur assertio nostra fundamentis, & simul opposita reprobetur; supponendum est, tamquam nobis certum, & iam communissimè receptum; Beatos non videre Deum per visionem increatam; immò, id implicare contradictionem; cum visio sit actio vitalis; &, vt sic, essentialiter dependens omninò à principio vitali; ergò si principium vitale finitum erit, ac creatum; visio ab eo dependens erit intrinsecè finita, & creata, cumq; Beatifica visio, quæ est formalis Beatitudo nostra, tribuatur Beatis in Patria, eorumq; intellectibus; non tanquam instrumentis, merè passiuè se habentibus, recipiendo, visionem illam: sed tanquam causis principalibus illius visionis; & Beatorum intellectus sint potentiæ finitæ, & creatæ; Nullo modo poterunt Diuinam contemplari Essentiam per visionem, quæ non sit finita, & creata. Hoc ergò certum sit pro modo, & supponendum, Beatos videre Diuinam Essentiam per visionem creatam, ab ipsismet elicitam.

Implicat Beatū posse videre Deum per visionem increatam.

6 Hoc supposito, potest sic primò probari posita veritas. Impossibile est, etiam de potētia Dei absoluta, dari actu actionem aliquam, quin de facto detur terminus illius; siquidem (vt in Phisicis habeo;) actio non distinguitur à termino realiter; & sic, nō poterit, nec per Dei potentiam, à termino separari; nam (prout alibi docui) ea, quæ, saltem per Dei potentiam, queunt separari, realiter distinguuntur; Sed visio, qua Beati vident Deum, est actio elicita ab ipsismet Beatis; sicut quælibet alia intellectio elicitur, ab intellectu intelligentis: ergo necessariò assignandus est terminus talis actionis, per ipsam productus: hic autem est, quem verbum appellamus, ergo, &c.

Ratio, quæ probat Beatos producere Verbum.

7 Et confirmatur illa maior; quia omnis vera actio est quædā productio; & qui verè aliquid agit, dicitur aliquid producere; ergo, qui substinent, visionem Beatificam esse veram actionem, necessario debent fateri, per eam produci terminum, quem verbum appellamus, seu conceptum formalem, qui est quasi vitalis quædam imago rei intellectæ; cum intelligere nil aliud sit, quam vitaliter efformare, seu exprimere imaginem rei intellectæ (vt infra dicam.)

§. III.

8 SEd dices pro Thomistis cum Nazar. q.12. art.2. controu.2. Primò: Visionem Beatificam non esse actionem de prædicamento actionis; sed potius actionem quandam, quę communiter dici solet, grammaticalis; Vnde maior illa propositio vera est de actione prædicamentali; non autem de grammaticali, quæ est quædam qualitas (vt ex infra dicendis patebit.) & hanc qualitatem nullo pacto esse similitudinem Diuinæ Essentiæ, sed esse ipsum intelligere, & cognoscere. Cognoscere autem, & intelligere esse, ipsum intelligentem, & cognoscentem esse in actu secundo ipsum cognitum; siue illius imaginem exprimat; vt intellectus noster in suæ naturalis cognitionis modo; siue non exprimat; vt potentia sensitiua exterior. 1. responsio Nazar.

9 Secundo Resp. ex Nazar. nō omnem actionē habere terminum intrinsecum, productum per ipsammet actionē; cum actiones immanentes, præsertim, nil necessario producant; quæ actiones immanentes, per se primo à natura institutæ sunt, non ad producendum intra, vel extra potentiā operantis; sed ad cognoscendū, vel amandum, &c. & descendens in particulari ad cognitionem, ait; 2. Responsio Nazarij.

co-

cognitionē sufficienter posse fieri actuatam per speciem, cognoscitiua potentia, & obiecto præsente; prout patet in potentia visiua, &c. Nec aliam esse quærendam rationē, nisi ipsam operationis naturam, quæ ad producendum non est instituta. Quod vèro, per talem immanentem operationē aliquid intra producentem producatur, ex tali operandi modo prouenit; puta, quia cognoscit cum absentia obiecti; vt Fantasia; vel etiam abstrahendo à singularibus, vt contingit intellectui nostro in sua naturali cognitione; aut etiam id euenit, quia obiectum quidē præsens est, in esse naturali; nequaquam autem, in esse obiectiuo; vt in nostro intellectu, respectu sui ipsius; & in substātia Angeli, respectu sui intellectus; vel tandem ex naturali talis intellectus fœcunditate, vt patet de Intellectu Diuino. Hæ solutiones colliguntur ex Nazar. loco citato.

§. IV.

Impugnatur 1. Responsio. 10 Sed contra primā, arguo, & probo, quod, etiam si demus, intellectionem non esse actionem prædicamentalem, sed qualitatem quandā (de qua te infra,) ad huc necessario fatendum est, produci verbū à quocunque intelligente: & ex consequenti, etiā à Beatis: hoc autem probo. Primo ex D.Tho. quæst. illa 27. cit. art. 1. vbi hæc formalia verba habet. *Quicunque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellecta, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens; & dicitur verbum cordis.* hæc D.Tho. ex quibus verbis formo sic rationem à priori, ex mente D.Tho. Verbum mentis procedit intra ipsum intelligentē, ex hoc ipso, quod intelligit; ergo si Beatus dicitur intelligere, cum Diuinam intuetur Essentiā, necessario, ex hoc ipso, quod intelligit; siuè intellectio vera actio sit prædicamentalis, siuè grammaticalis; procedere necessariò debet intra ipsum aliquid, quod est cōceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quod dicitur verbum cordis: ergo hoc, quod est, intellectionē esse actionem de prędicamento qualitatis, non tollit quominus in omni intelligente procedat, siuè producatur conceptio rei intellectæ, siuè verbum mentis; patet consequentia, nam cum D. Tho. dicat, *verbum produci in producente ex hoc ipso, quod intelligit*; assignat rationē à priori, cur intelligens dicatur formare verbum? ergo, in quocunque euentu imaginabili, & quibuscunque conditionibus alijs positis, vel sublatis, siuè in re, siuè per intellectū; dum modo demus, intellectum intelligere, ex hoc ipso, verbum formabit; quæ ratio meo videri, in sententia D.Tho. conuincit.

D. Thom.

Impugnatur secundo. 11 Secundo arguo, retorquendo primam solutionem cōtra eundem Nazar. Intellectio, in nobis Viatoribus, naturaliter intelligentibus, est expressiua verbi, (vt dicitur in illa prima solutione) ergò & in Beatis. Patet consequentia: nam peto à Thomistis, & præsertim à Nazar. hæc intellectio in nobis sub qua ratione est productiua verbi? an quatenus intellectio est; an sub aliqua alia ratione?

12 Explico me; adnotando, non posse non concedere ad minus Nazar. qualitatem illam, qua Intellectus formaliter intelligit, ex eo habere formalem rationem intellectionis, quia est apprehensiua obiecti, apprehensione quadam intentionali; (vt infra dicam;) quæ doctrina colligitur ex Arist. 12. Metaph. c. 7. tex. 39. & Commentatoris ibidem, immò ex D.Tho. ibidem, & de malo quæst. 16. art. 12. & in 1. dist. 3. q. 4. ar. 5. & alibi; quē in hoc sequuntur Capreol. Sonc. Hispal. & alij; qui volunt; Intellectionem formaliter esse qualitatem.

Arist. Comment. D.Th. Capr. Sonc. Hispal.

13 Hoc posito: quod inquiro à Nazar. est; an hæc qualitas, quæ est formalis intellectio, sit productiua verbi, quatenus est apprehensiua obiecti, an sub alia ratione, in nobis Viatoribus, naturaliter intelligentibus? si dicat, esse productiuam verbi, vt formaliter est apprehensiua obiecti; non poterit non admittere, in omni intellectione formari verbum; Nam si intellectio, vt est obiecti apprehensiua, ex sua ratione habet producere verbum; cum omnis intellectio, etiam beatifica, ex sua ratione, sit talis; omnis intellectio, etiā beatifica, erit verbi productiua.

14 Nec potest dici, quod sub aliqua alia ratione intellectio hæc in nobis est productiua verbi; nam nulla alia excogitari potest à Nazar. quæ sit ratio producendi verbum; (licet in nostra sententia, infra explicanda, aliter à nobis sentiendum sit.) Addo, quod D.Thom. ait; *Quod id, quod procedit intra intelligētem, est conceptio rei intellecta, ex eius notitia procedens*; & sic dicitur intellectio pro-

 ducti-

ductiua verbi, secundum hanc intelligẽtiam; quia est conceptio, & notitia rei intellectæ. Quod argumentũ, ne videatur contra nos facere, circa finem huius Quodlibeti magis explicabimus.

§. V.

3. Impugnatio. 14 Tertio arguo contra id, quod dicit: *Illam qualitatem non esse similitudinem Diuinæ Essentiæ, sed esse ipsum intelligere, quod est, ipsum intelligẽtem esse in actu secundo ipsum cognitum.* Contra hoc sic arguo: Intellectum fieri rem intellectam in esse intelligibili, nihil aliud est, quàm informari specie representatiua rei intellectæ; ergo si per intellectionem intellectus fit in actu secundo res intellecta, ipsa intellectio, vel qualitas illa, per quam sic redditur intellectus, necessariò erit species representatiua rei intellectæ. Consequentia patet; Antecedens probatur. Nil potest fieri tale in aliquo genere, nisi per illius formam in tali genere; ergò si intellectus, per illam qualitatem, fit in actu secundo, in esse intelligibili, res intellecta; necessariò dicendum est, quod illa qualitas est forma intelligibilis ipsius rei intellectæ; non impressa, cum ab intellectu formetur: ergo expressa.

Effugium Nazar. 15 Dices; tunc solum produci imaginem rei cognitæ in intellectu, quando res cognita, per se, non est præsens intellectui; cum verò per se ipsam præsens est, non est opus eius imagine, & similitudine. Cumque in Visione beatifica sit præsẽs Essentia Diuina, quę est res cognita; nõ opus est vlla imagine, aut specie, quæ illam repręsentet; quod potest à simili corroborari; quia species impressa non est necessaria, quando obiectum est præsens, prout est Essentia Diuina Beatis, sic etiam nec erit necessaria species expressa, propter eandem rationem.

Impugnatur. 16 Sed contra; nam non est simile; cum species impressa solum ponatur, vt suppleat absentiam, & efficaciratẽ obiecti; vndè, si ipsum obiectum sit præsens, non opus est specie impressa: at species expressa nõ ideò ponitur, vt suppleat locum obiecti, sed vt fiat obiectum præsẽs in ratione termini; & quia obiectum nõ potest cognosci, nisi formetur aliquis cõceptus de obiecto; nam quicunque intelligit, inquit D.Thom. ex hoc ipso procedit intra illum aliquid, quod est verbũ mentis; & tandem, quia nulla actio esse potest sine termino intrinseco; vndè siuè obiectum sit præsens, siuè absens, semper est necessaria species expressa.

17 Quod autem præsentialitas obiecti, intimissima quantumcunque sit, non valeat impedire verbi productionẽ; patet in diuinis, vbi Pater cognoscendo suã Essentiam, ex hoc ipso, quod illam cognoscit, non potest non producere Verbum Diuinum: ergo ad productionem verbi nihil interest, quod obiectũ sit præsens, vel absens.

18 Præterea in surgo: in via D.Tho. non potest dari intellectio, nisi res, quæ est intelligenda fiat præsens intellectui, præsentia obiectiua, in ratione termini; sed sic est, quod nulla res potest ita fieri præsens intellectui, nisi per conceptum, siuè verbum; cum non possit fieri præsens obiectiuè, sub ratione termini, per speciem intelligibilem impressam, (vt expresè docet sãctus Doctor de potent. q.8. art.1. & q.9. art.5. & primo cont. gent. cap.53. eandemque doctrinam constantissimè sequuntur Capreol. Caiet. Ferrar. Torr. & Bagn. citati à nostro Lusit. lib.8. de beatitud. anim. par.1. q.4. artic.8. §.2. num.5. Immò apertè hanc eandem doctrinam docet ipse Nazar. art. illo 2. cit. ex 1. par. q.12. in controu.2. §.2. *considerandum est.* vers. *non est itaquè.* vbi hæc habet: *non est itaque necessaria, neque per se sufficit naturalis obiecti præsentia in intellectu, vt intelligat; etiam si eidem intellectui per speciem impressam sit vnitum, nisi fiat actu præsens in esse obiectiuo, & terminatiuo cognitionis, per verbũ, siuè speciem expressam.* Hæc sunt verba illius; licet etiã statim subdat; *aut quod melius est, per se ipsum obiectum actu intelligibile formaliter, & excellenter præhabens omnem verbi perfectionem, & officium; de qua re statim dicam.* ergo in via D.Thom. necessariò, in omni intelligente, dandum est verbum. D.Th. Capr. Caiet. Ferra. Torres. Bannes. Lusitan. Nazar.

19 Sed Resp. ad hoc Nazar. argumẽtum conuincere in via D.Thom. loquendo de intellectione nostra naturali, & alicuius obiecti creati; non tamen de intellectione Diuinæ Essentiæ. Ratio discriminis est; quia obiectum creatum, quantumcunque sit immateriale, & actu intelligibile, intelligibilitate, quæ catentiam materiæ consequitur, ex se non potest per se ipsum fieri obiectiuè præsens; quia per se ipsum non potest subire rationem formæ intelligibilis, siuè impressæ, siuè expressæ: Diuina autem Essentia Aliud effugium Nazar.

tia

tia per ſe ipsã ſupplere poteſt vices tàm ſpeciei impreſſæ, quàm expreſſæ; quia eſt putiſſimus actus, in quo idẽ ſunt Eſſentia, & Eſſe; & intelligere, & intelligi. Ex his enim habet, vt, ex ſe, & per ſe ſit actu intellecta; & omnẽ præhabeat perfectionẽ Verbi, quod dicitur per ſe primo intellectum; & pendet in fieri, & cõſeruati ab actuali intellectione; cum igitur ea nulli poſſint Eſſentiæ creatæ conuenire; proprium erit Eſſentiæ Diuinæ, ſupplere poſſe vicem Verbi. Ita docet hic Doctor loc. cit. ſtatim immediatè ad adducta verba, & infra verſ. *ſciendũ eſt*; & alibi.

§. VI.

Luſit. exiſtimat probabile, Diuinam Eſſentiã poſſe ſubire vicem ſpeciei expreſſæ.

20 PRopter hanc doctrinam Luſit. lib. 11. q. 7. art. 3. §. 2. nu. 53. exiſtimat, hanc ſententiã non poſſe non eſſe probabilẽ; nec facilè aſſignari poſſe diſcriminis rationẽ, cur diuina Eſſentia ſubire poſſit vicem ſpeciei impreſſæ, non verò verbi? priori enim ſpecie admiſſa, difficilè (inquit) admodum eſt, non admittere verbũ; & ſic, in ipſius ſententia, qui negat, Diuinam Eſſentiam ſubire poſſe vicem ſpeciei impreſſæ, vim non habet hæc doctrina.

Oppoſita ſñ'ia vt probabilior explicatur: cur diuina Eſſentia poſſit ſupplere vicem ſpeciei impreſſæ, non autẽ expreſſæ?

D. Tho. Ferrar. Sot. Bannes, Zum. Cabrera, Nauarrette.

21 Cæterum, non licere idem inſerre de ſpecie expreſſa, ſic, explicando, probo; ideo Diuina Eſſentia ſupplere poteſt vicem ſpeciei impreſſæ, quia eſt prima veritas, & prima intelligibilitas; ita D. Thom. 3. cont. gent. cap. 51. & 1. par. q. 12. art. 2. quẽ in hoc ſequuntur omnes Thomiſtæ; præſertim Ferrar. Sotus, Bann. Zumel, Cabrera, & Nauarr. quos citat Luſit. lib. 8. q. 4. par. 2. §. 4. nu. 20. & indè habet, quod eminenter contineat omnem intelligibilitatẽ obiecti intelligibilis, quæ, ex ſe, dicit perfectionẽ ſimpliciter. Hanc autem dicit intelligibilitas ſpeciei impreſſæ: quia, ex ſua natura, eſt actus intelligibilis, quo intellectus fit ipsũ obiectum, in genere intelligibili; & in eodem genere fit in actu primo ad intelligendũ, & ad eliciendam intellectionem obiecti; & eodem modo intelligibilitas obiecti dicit perfectionem: quia conſtituit ipsũ obiectũ in actu primo ad obiectiuè mouendum intellectum; & vt poſſit cum intellectu actiuè concurrere ad actum intelligendi.

Intelligibilitas verbi nulla dicit perfectionẽ in genere intelligibili: quia nullam includit efficientiam.

22 Iam verò intelligibilitas verbi, ex ſe, nullam includit perfectionem, in genere intelligibili; quia ſolum conſtituit obiectum in eſſe intelligibilis, per modũ termini: intelligibilitas autem termini cum nullam includat efficientiam reſpectu intellectionis, (vt omnes admittunt,) nullam dicit perfectionem ſimpliciter; etenim ſolum dicit paſſiuam quandam intelligibilitatẽ; nam (vt optimè Luſit. lib. 8. cit. par. 1. q. 4. art. 9. §. 5. num. 2.) duplex eſt intelligibilitas in re intelligibili; altera actiua, qua habet mouere intellectum ad actualem intellectionem; Vndè obiectum intelligibile, vt tale eſt, dicitur principium cognitionis, (vt etiã aduertit Suar. in Metaph. 1. tom. diſp. 8. ſect. 7. num. 27.) Altera verò paſſiua; quatenus habet rationem termini intellectionis; quia, vt ſic, eſt id, quod intelligitur. Hæc autem intelligibilitas paſſiua nullam denotat perfectionem in genete intelligibili; Ex quo infertur, eam non contineti eminenter in ptima intelligibilitate Eſſentiæ Diuinæ. Quare, cum Diuina Eſſentia, rationẽ ſpeciei intelligibilis ſubire non poſſit, niſi illius, quæ eminenter cõrinetur in ſua prima intelligibilitate; Benè infertur, eam non poſſe ſubire vicẽ Vetbi. Cum verò intelligi non poſſit, niſi in aliqua ſpecie intelligibili intellectui obijciatur ſub ratione termini; nec poſſit ita obijci in ſe ipſa, prout ſubit vicem ſpeciei intelligibilis; (ſi veta eſt D. Tho. doctrina,) non poteſt intellectus non formare Verbum Diuinæ Eſſentiæ, in quo ipſa intelligibilitas repręsẽtetur ſub ratione obiecti terminãtis ſui viſionem.

Luſit.

Suar.

23 Adde, quod de ratione Verbi eſt, eſſe terminum intrinſecum productum ab intelligẽte; cumque repugnet, ipſam Diuinam Eſſentiam dici terminum productum ab intelligente creato; ſequitur &c. Quæ tatio inſerius iterum expẽdetur; Addo tandem contra eandem ſolutionem Nazar. ex ratione diſcriminis inter obiectum creatum, & Diuinam Eſſentiam, deſumptam; Aſſerit enim; *Obiectum creatum, quantumcunque immateriale, & actu intelligibile, non poſſe per ſe ipſum fieri obiectiuè præſens; quia per ſe ipſum non poteſt ſubire munus ſpeciei, ſiuè impreſſæ, ſiuè expreſſæ*. Hoc, inquam, falſum eſt, adhuc in ſententia ipſius Nazar. & D. Thom. Docent enim, Angelos, non per ſpeciem aliqnam, ſed per eorummet ſubſtantias, ſibi intimè vnitas, ſe ipſos cognoſcere; ergò iam poteſt creatum obiectum ſubire munus ſpeciei impreſſæ; quod ſi perfectius eſt tale munus munere ſpeciei expreſſæ: cur non pariter

Nazar.

D. Thom.

pariter docet Nazar. Angeli substantiā subire etiam munus speciei expressæ? Hęc fundamenta maximi facienda sunt; siquidem funditus destruunt oppositam sententiam; immò, meo videri, nullum fieri potest argumentum in contrarium, quod non soluatur facilè ex dictis.

CAPVT IV.

Omnem operantem, per actionem immanentem, terminum producere.

1. Solutio Nazarij impugnatur. 1 Restat impugnanda secunda Nazar. solutio, supra cap. præcedenti §.3. num.9. qua dicebatur; *Non omnem actionem habere terminum intrinsecum, productum per ipsammet actionem; cum per actionem immanentem nihil necessariò producatur; ipsæ enim, per se primo, à natura instituta sunt propter se ipsas, non autem ad producendum aliquid. Quod si aliquando, per immanentem operationem, aliquid intra potentiam operantem, producatur; ex tali operandi modo prouenit; puta, quia cognoscit cum absentia obiecti, vt Fantasia: vel etiam abstrahendo a singularibus; vt contingit intellectui nostro in sua naturali cognitione.*

2 Quod si dicatur Nazario; Intellectum Diuinum Patris, in cognitione, qua suam Essentiam cognoscit, producere Verbum; & tamen præsentissima est, & omninò immaterialissima. Respondet ipse, intellectū id habere ex sua fœcunditate. Ita controu. illa 2. versu *quinto aduertendum.*

Fundamentū Nazar. ex Arist. ad probandū, actiones immanētes nil producere. 3 Quod autem, per actionem immanentem, nihil omninò producatur necessariò; sed fit per se primo à natura instituta propter se ipsam; potest probari ex Arist. 9. Metaph. text. 16. vbi, distinguens actionem immanentem à transeunte, ait; hanc habere aliquid operatum per ipsam, tamquam terminum; illam autē; scilicet, immanentem, nullum habere operatum. Verba autē Philosophi sunt. *Quanquam autem, in quibusdam, vltimū est ipse vsus; vt videndi potentia, Visio; vbi nihil aliud à visu fit opus.* Et sic Scotus, quem refert, & sequitur Rada, præsertim controu. 7. par. 1. cum alijs Scotistis, absolutè docet; per nullam actionem immanentem produci terminum. Hoc tamen non concedit Nazar. sed tantum; non necessario, per immanentem actionem, terminum produci; & sic, non omnem actionem immanentem esse termini productiuam. Ita loco citato, & etiā 1. par. q. 27. art. 1. controu. 1. in solutionibus argumentorum Radæ. Scot.

4 Sed (vt verum fatear) Philosophiā hanc nunquam capere potui; cum non minus existimem, operantem, per actionem immanentem, aliquid producere in se ipso, quod termini rationē habeat; quam operantē per actionem transeuntem aliquid in externo subiecto producere, quod terminus sit illius actionis; & licet non sit præsentis loci huiusmodi disputatio: tamen ea tantum dicam, quæ simpliciter mihi necessaria videbūtur ad impugnationem huius doctrinæ Nazarij; atque ad maiorem corroborationem nostræ sententiæ, de necessitate verbi ad omnem intellectionem.

5 Probo ergo; omne agēs per actionem, etiam immanentē, necessariò producere terminum. Et Primo: Implicat contradictionem, aliquid esse posse tale in rerum natura, absque eo, à quo essentialiter habet esse tale. Sed omnis actio, siuè trāsiens, siue immanens habet, quod sit talis actio, in specie, essentialiter a termino; ergo implicat, dari posse actionē aliquam, siue transeuntem, siuè immanentem, absque suo termino. Maior cum conseq. patent; minor probatur: quia terminus comparatur ad actionem, per modum formæ, & actus vltimi, propter quem primo, ac per se fit; ergo indè sumit specificam, ac primatiam rationem suam. Confirmatur hæc eadem minor: ab eo aliquid sumit specificationem, per quod habet specificè, & essentialiter distingui à quocunque alio, quod non est tale: sed quælibet actio, etiā immanens, habet specie distingui ab alijs actionibus, tantum, per terminum intrinsecum; ergo per eundem habet esse talis speciei: maior cum conseq. patent: minor prob. Sumantur duo actus eiusdem potentiæ; nempe, voluntatis; odium videlicet, & Amor; Spes, & Desperatio; Intellectus, verò, actus Fidei, vel Scientiæ; & actus erroris, vel opinionis; & ne recurratur ad habitus; supponamus, illos esse antè productionem habituum: tunc sic: hi actus procedūt ab eodem principio eliciuo; Intellectu, scilicet, vel Voluntate; & eodem modo dicunt ad idem principium Tertia ratio ad probandum, per actionem immanentē, necessario, produci terminū

pium ordinem; ergò nequeunt per talem ordinem specie distingui; sed in illis nō est excogitabilis alius ordo, ex quo habeant specie distingui; & sic, opponi; nisi ponatur ordo ad terminum; vel assignēt illum, si queunt, aduersarij: ergo, per terminum, specie distinguũtur; & ex consequenti, per eundem specificantur; & sic D. Thom. q. 6. de potent. art. 8. ait; propriè, actionem à termino speciem habere; à principio autem, propriè, quod sit naturalis.

2. Ratio ex Suar.

6 Secundo probatur ex Suar. 2. tom. Metaph. disput. 48. sect. 3. num. 4. conf. 1. quia actio, licet ab agente procedat; tamen essentialiter est communicatio alicuius esse; & sub ea ratione est essentialiter via ad suum terminum: ergò essentialiter respicit illum; ergò nequit dari actio sine termino: quia nil esse potest sinè eo, ad quod essentialiter dicit ordinem; vndè, nisi esset scibile, non esset scientia; & si, per impossibile, nullum esset visibile, non daretur visiua potentia; & ex consequenti, si non daretur terminus; non daretur actio, quæ est essentialiter via ad terminum.

3. Ratio.

7 Tertio probatur: agens per actionem immanentem, (& sit peculiariter exemplũ de ipso intellectu.) Intellectus ergò, vel se habet, vt vera causa effectiua in ordine ad intellectionem; vel tantum vt causa materialis, recipiēdo, nimirum, dumtaxat ipsam intellectionem. (Non. n. dici potest, intellectum in alio causæ genere se habere, respectu intellectionis.) Sed supposuimus supra, intellectum non se habere, vt merè instrumentum passiuum tãtum, intellectionem ab alio productam in se recipiendo; sed verè actiuè, vt causam efficientem, actu operantem; ergò necessario dicendum est; quod, intelligendo, aliquem effectum producat; sed effectus causæ dicitur esse terminus ipsius: ergo &c. Prima conseq. patet; nam causa efficiens actum operans, necessario sibi proportionatũ producit effectum.

8 Quod si dicatur, ipsammet intellectionē habere rationē effectus, respectu intellectus intelligentis actu; ergo (subinfero,) & ipsa intellectio pariter habebit rationē termini, respectu ipsius intellectus; & sic, si non poterit causa, in quãtum actu operatur, & non impediatur, concipi sinè suo effectu: nec poterit concipi sinè termino; & si, per actionem immanentem operetur.

9 Quę ratio magis vrget ipsum Nazarium, & alios, qui sensiunt, (prout & nos cum probabiliori sententia infra sēsiemus.) Ipsas intellectiones esse qualitates; & sic, actiones dici grammaticales tantum; quia, scilicet significãtur per modum actionis, rendētis in obiectum, vt in terminum extrinsecum; cum tamen in obiecto nil producant. Iuxta ergò hanc sententiam, necessariò concedere debent omnes sic sentientes, has qualitates nō esse improductas, sed verè productas; ergò ab aliqua vera causa productas; ergò se habent necessariò, respectu talis causæ, vt effectus illius: productum, enim, in creatis, dicit relationem ad producens, vt effectus ad causam; ergò terminus: nam (vt diximus) effectus dicitur esse terminus intrinsecus actionis agentis; & ex consequenti, ipsiusmet agentis.

10 An, verò, in actibus immanentibus, propriè, actiones prædicamentales intercedant? dicam inferius. De qua tamen re videatur Suar. sect. 2. cit. nu. 12.

11 Nec authoritas Arist. desumpta ex nono Metaphis. text. 16. militat contra nostram sententiam; Ipse enim non dicit; per immanentem actionem nihil produci; sed (vt benè Suar. num. 20.) nihil fieri extra ipsum operantem; Quam interpetrationē annuit etiam Capreol. cit. à Nazar. immò & ipse Nazar. approbat in solutionibus argumentorũ Radæ, Ad tertium. Et pariter Conimbr. tertio de Anima cap. 8. quæst. 1. art. 4. ad secundum, vbi addunt; *Actionem immanenti dici etiam ab Aristot. vltimum operationis; quia non est gratia eius, quod per eam producitur; sicuti actio transiens; ea præsertim, quæ factio dicitur, vt ædificatio; non enim intellectio est propter verbum; sed verbum gratia intellectionis*; Hæc ibi; & ad quartum explicantes; quomodo verbum dicitur esse propter intellectionem, dicunt; *Verbum esse propter intellectionem; quia non potest quicquam sub intellectionem cadere, quin expressa eius imago in intelligente formetur.*

Respondetur ad authoritatem Arist.

Suar.

Capr. Nazar. Conimbr.

12 Vel (quod verius existimat Suar.) nihil fieri, quod maneat, transacta actione; & hoc modo ait Aristot. huiusmodi actiones consistere in ipso vsu; quomodo 1. Ethicor. cap. 1. ait: in nonnullis artibus operationes esse fines, & non aliquid per eas factum, vt in arte citarizandi; quod necessariò intelligendum est de termino facto, & permanente; qui manet

Arist.

manet post actionem. Et licet habitus producatur per huiusmodi actus immanentes; non tamen producuntur per illos, vt actiones sunt; sed per intrinsecum terminum actionis immanentis; idest, per qualitatem illam, quæ est actus secundus, & vltimus potentiæ. Vndè non fit habitus per actum immanentem, illo modo sumptum, tanquam per actionem; sed tanquam per principium agendi; & non sinè præuia vera actione, vt dicam disputatione vltima huius Quodlibeti.

Not. 13 Vbi nota; quod non est facienda comparatio absolutè, inter actionem transeuntem, & immanentem: quia illa Phisica est, & sic, est cum motu; hæc autem Metaphisica, & sic, sinè motu esse potest, & sinè transmutatione alterius; vndè cum dicitur potentia actiua esse principium transmutandi aliud, in quantum aliud; intelligi debet, de potentia actiua, Phisicè operante, & per actionem Phisicam; & licet de ratione actionis sit, passionem inferre, non tamen de ratione omnis actionis est, passionem inferre in externum subiectum: sufficit, si inferat passionem, & aliquo modo etiam transmutet subiectum, in quo ipsa est.

14 Ex his ergò (vt credo) sufficienter confutata manet solutio Nazar. secundo loco posita, qua dicebatur, non per omnem actionem immanentem necessariò produci terminum; & ex consequenti corroborata pariter principalis assertio nostra; qua dicebamus; per omnem intellectionem produci verbum necessariò: idque probauimus, & secundum sententiam eorum, qui asserunt, intellectionem esse verè, & propriè actionem; & etiam in sententia eorum, qui probabilius docent, esse qualitatem, seù (quod idem est) actionem grammaticalem, de prædicaméto qualitatis, non autem de prædicamento actionis; non quod intellectio, quæ qualitas est, sit verbi productiua, vel ipsa verbi productio, cum non distinguatur ab illo (vt dicam:) sed intellectio illa, quæ est ipsa qualitatis elicitio, (vt explicabo disputatione vltima.)



CAPVT VLTIMVM.

Ponitur alia ratio ad probandum, necessario produci verbum à Beatis.

1 Addo tandem & aliam rationem ad probandum, quod etiam Beati, videndo Diuinam Essentiam, verbum producant. Et argumentum est ad hominem contra Nazar. docet ipse quæst. 12. artic. 2. controu. 2. in concl. 4. *Quod Beati, ex illa Beatifica Visione, qua Deum vident, habent, vt possint per alium actum intellectus, qui non est Visio Beata, formare diuersa verba de his, quæ vident in Diuina Essentia.* Quam conclusionem, inquit, esse Soncin. immò & D. Tho. illa quæst. 12. artic. 9. ad secundum, eamque probat; *Quoniam D. Paulus, in Beatifica Visione Diuina Essentia, plura verba de visis in Diuina Essentia formauit, quæ remanserunt in Paulo, etiam postquam desijt Dei Essentiam videre*; vndè 2. Corint. 12. dicitur: *Audiui arcana verba &c. & eadem ratione id poterit quilibet intellectus Beatorum, actualiter semper Deum videntium.* Alia Ratio contra Naz. ad probandum, Beatos producere verbum. S. Paul.

2 Hac ipsius doctrina sic posita, (quicquid de illius veritate sit,) sic arguo; vel Beatus format illa verba per visionem, quæ terminetur ad eadem Diuinam Essentiam immediatè; vel quæ terminetur ad ipsammet Visionem Beatificam; si primum dicatur; non erit maior ratio, cur formetur verbum per hunc secundum actum; quàm quod formetur per priorem: siquidem eodem modo se habet Diuina Essentia respectu vtriusque: si dicatur secundum; tunc, vel nec verbum formabitur per nouam illam visionem; vel, si per nouam formetur, per priorem etiam formari necesse est. Primum patet; nam eodem modo, quo Essentia Diuina est præsentissima respectu prioris actus, vndè non format Beatus verbum per illum: Est etiam prior actus visionis præsentissimus respectu posterioris, & noui; vel dicant, quid deest illi priori actui; Ita vt non possit ex se ipso terminare nouam illam Visionem? Iam ipse immaterialis est; non absens, sed omninò intimè præsens; ergò si hoc sufficeret

ficeret ad per se terminandam intellectionem, nullum formaret, per secundum actum, verbum; quod si, non obstantibus his, Beatus diuersa verba format; ergo etiam & formabit per priorem actum.

3 Concludamus, ergo, ex his omnibus huc vsque dictis; verbum necessarium esse ad quamcunque intellectionē, siuè naturalem, siuè supernaturalem; illudque esse expressam imaginem obiecti cogniti, distinctam realiter à specie impressa. Contra hæc autem, (ponderatis his, quæ diximus.) nullum militate potest, alicuius momenti, argumentum, quod non facilè soluatur ex dictis.

DISPVTATIO SECVNDA.

An Verbum mentis sit ipsa actualis intellectio; an verò aliquid ab illa distinctum?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur sensus Disputationis, & nonnulla sententia referuntur.

Sensus disputationis. 1 X his, quæ dicta sūt, titulus disputationis clarus apparet: vbi non erit nobis inuestigandum; an verbum sit terminus productus per ipsammet intellectionē, formaliter; quatenus intellectio est actio productiua termini, vt sic? De hoc enim erit infra sermo; sed tantum inquirimus: An aliqua distinctio intercedat inter verbum productum, & ipsam intellectionem, formaliter sumptam, præcisè, in ratione intellectionis? Dixi: (*formaliter sumptam præcisè &c.*) quia (vt infra dicā) distinguunt Doctores hoc, quod est, *Intelligere*, ab hoc, quod est, *Dicere*, formaliter sumptis, & præcisè; Sed de his terminis redibit sermo infra: pro modo vero solum de ipsa intellectione instituitur præsens disputatio.

Species expressa repræsentat in actu obiectū: expressa in potentia, vel habitu. 2 Supponamus etiam pariter, ex dictis; verbum esse similitudinem, in Intellectu existentem, repræsentantem obiectum in actu; vbi species impressa, in potentia, siuè in habitu illud repręsentat: non quod hæc nunquam in actu valeat obiectum repręsentare: Nam quando Intellectus actu intelligit, tunc etiā ipsa species impressa dicitur in actu obiectū repræsentare: diuerso tamen modo, ac expressa, siuè verbum: hoc enim formaliter repræsentat; species verò impressa efficienter: siquidem concurrit, vt principium efficiens, simul cū Intellectu, ad eliciendam visionem, siuè intellectionē; ideò autem dicitur species impressa repræsentare in habitu; quia non semper actu repræsentat; vt patet in dormientibus &c. sed potest intellectus ea vti, vel non vti; vt libuerit sibi: at verbum semper actu repræsentat, & tandiū durat, quandiū durat intellectio.

Quando impressa etiam in actu repræsentat; diuerso tamen modo, ac expressa.

Verbum tandiū durat, quandiū Intellectio.

3 Quod si dicas: ergo in visione intuitiua non producitur verbum; si verbum formaliter repræsentat: Patet: quia tunc obiectum non videretur immediatè, sed mediante verbo. Resp. neg. conseq. & ad probationem, pariter negatur assumptum; nam Visio immediatè fertur in obiectum, tanquam in rem cognitam; in verbum verò mentis, tanquam in terminum intrinsecum; nam verbum non est id, quod cognoscitur; sed est terminus, qui per cognitionem exprimitur, & ab intelligente producitur; Obiectum est verè, & propriè id, quod immediatè cognoscitur per intuitiuam cognitionē. Ita Beccan. cap. 8. nu. 7. & est communis doctrina.

Obiectio. 1. Solutio. Beccan.

4 Vel Secundo resp. cum Couar. disput. 5. part. 2. dub. 4. quod quando medium, in quo aliquid videtur, est intrinsecum cognoscenti, & cognitioni, non facit mediatam visionem; secus autem, quando est extrinsecum; Cumque verbum

2. Solutio. Couar.

Ee

bum sit medium, cognitioni intrinsecũ, non impediet immediatam intuitioné; secus est; quando aliquod obiectum videtur in speculo, vel in statua &c. quæ sunt media extrinseca; Et ex his solutionibus oritur difficultas proposita; An verbũ mentis dicatur esse taliter intrinsecum intellectioni, & è contra, vt non distinguantur ab inuicem aliqua distinctione? Ita vt, verbum non sit id, quod intelligitur immediatè, tanquã quid distinctũ ab ipso actu cognitionis; sed sit eademmet intellectio, realiter, & entitatiuè? an verò distinguantur ab inuicem realiter, vel saltem formaliter?

Lusit. Nazar. Fonsec.

5 In hac re plures sunt Doctorum sententiæ, quas enumerant recentiores, præsertim noster Lusit. lib. 11. q. 7. art. 3. §. 2. à nu. 7. & Nazar. quæst. cit. 27. artic. 2. controu. 4. statim in principio; & Fonseca 7. Metaph. q. 2. sect. 5. lit. C. in princ. & & q. 3. sect. 1. in princ. in primis enim sũt qui docent, Verbum realitèr distingui ab actu intelligendi; siuè (quod idem est,) ab Intellectione: Hanc opinionem in terminis ponit Ferrar. t. con. gen. cap. 53. ad finem com. *§. & quamuis aliqui Thomistarum &c.* tribuitur etiam Capreolo in 1. d. 27. quæst. 2. art. 1. in medio, & Caietano q. 27. art. 2. sed nostro Lusitano nó videntur hi Doctores eam expresè docuisse sententiam; quicquid autem sit de illorũ mente, (quam ad hanc trahit opinionem Nazar.) eam probauit Bannes q. 27. art. 2. dub. 3. in 2. sentent. & ad quartum; Esseq; longè probabiliorem, iuxta D.Tho. mentem, asserit Torres ibid. in 2. par. quartæ disputationis conclus. 3. quod etiam affirmat Salas 1. tom. par. 2. q. 1. art. 1. & 2. tract. 1. disp. 5. sect. 3. & eiusdem esse sententiæ Ripam, & Zumel; testatur Nazar. qui eandem approbat, probat, & sequitur in d. controu.

Variæ DD. sententiæ.

Ferra, Capr.

Bannes, Tor. Sal. Rip. Zumel. Nazar.

Sot.

6 Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 3. docet; per Intellectioné Verbum produci, quod sit illius terminus, idem cum ea realiter, & ab ea formaliter tantum distinctus; sicut, calefactione producitur calor, vt eius terminus, formaliter tantum ab ea diuersus. Quæ sententia tribuitur etiam Victoriæ; eam tamen probat Siluest. in Conflato q. 27. *§. quarta dubitatio*; vbi de ea latè agit: sequuntur eandé Conimbr. 3. de anim. cap. 8. q. 4. art. 2. concl. 2. & 3. eandé amplectitur Molina quæst. illa 27. ar. 2. disp. 8. memb. 2. *§. alij, de quorum numero &c.* & probat Zumel. ibid. q. 2. ante primam conclusionem.

Victo. Siluest. Conimbric. Mol. Zum.

Dur. Henr.

7 Dur. in 1. d. 27. q. 2. nu. 26. docet; Verbum, & Intellectionem, ex natura rei, nullo modo distingui; sed simpliciter esse omnino idem re, & ratione. Conuenit Henr. quodl. 2. q. 6. & quodl. 5. q. 16. in princ. vbi simpliciter asserit, (vt citat Lusit. noster,) Verbum esse notitiam actualem, qua Intellectus intelligit; consentit Scot. in 1. d. 5. q. 6. & d. 27. q. 1. vbi, post longam disputationem, concludit; quod Verbum est ipsa actualis Intellectio; in quo cum eo conueniunt Scotistæ; Rada 1. par. contr. 7. concl. 4. Herrera in primũ Scoti disp. 10. q. 2. vbi ait: *Sed intelligere, & Verbum sunt idem, secundum Doctorem; cum actualis Intellectio, & Verbũ sint idem*: Licchetus, Borgius d. 27. inclinare videntur eidem sententiæ etiam Mayron ibid. q. 1. *§. quantum ad secundũ*, Bassol. q. 1. *§. his dictis*. consensiũt Nominales; & ex recentioribus, pro hac sententia citantur à Lusitano nostro, Suar. lib. 2. de Attrib. neg. cap. 11. nu. 8. & lib. 1. de Trinit. c. 6. nu. 7. & Vasq. par. 1. disp. 38. cap. 4. nu. 24. qui tamen à Nazar. citantur pro secunda sententia Soti, & Victoriæ primus lib. 1. cap. 16. & lib. 9. cap. 2. posterior verò q. 34. cap. 4.

Scot.

Rada. Herre.

Licch. Barg. Mayr. Bassol. Suar. Vasq.

Fonsec.

8 . Quartam addit sententiam Lusit. ex Fonseca 7. Metaph. cap. 8. q. 2. sect. 5. lit. D. & clarius q. 3. sect. 1. lit. C. *§. tertia sententia est*; Nimirum, quod Verbum, & actus intelligendi, nec realiter inter se distinguantur, vt res à re; nec ex natura rei, tanquam vna entitas ab alia entitate; sed tanquam vna, & eadem qualitas, atq; entitas; prout est expressa ab Intellectu; est Verbum; vt vero in eodem est recepta, est Intellectio.

C A P V T II.

Præmittuntur, nonnulla scitu digna pro veriori sententia.

§. I.

1 Circa has sententias multa essent dicenda: cęterum, quia mihi videntur eorũ Anthores, maiori ex parte, in ęquiuoco laborare; Ideò, breuitatis, ac claritatis gratia, pro explicatione difficultatis, & pro exactiori intelligentia speciei

expres-

expressæ, siue verbi mentis; nota primò ex Suar. 9. de Trin. cap. 2. nu. 9. verbum, in communi sumptum, in genere signi, seu repræsentatiui constitui: Verbum .n. loquutioni respondet; loquutio autem ad significandũ, vel repræsentandũ aliquid refertur; vnde verbum hunc etiam respectum includit. Similiter verbum dicit ordinem ad naturam; .s. facultatem rationalem, vel intellectualem, quatenus intelligit, seu ratione vtitur; vnde philosophi, nec Brutis, nec sensibus externis, verbum attribuunt; licet hæc etiam, suo modo, forment imagines obiecta repræsentãtes: vt optimè Conimbric. loco cit. ex 3. de Anima cap. 8. art. 4. ad 5. vbi hæc habent: *Commune est omni cognitioni, tàm intellectus, quàm sensus, (siuè internus, siuè externus sit,) effici per assimilationem, & expressionem rei cognitæ.*

Verbum constitui in genere signi. Suar.

Conimbr.

Obiectio. Arist. Solutio.

2 Quod si obijciatur Aristot. 2. de Anima c. 5. tex. 59. vbi ait: visibile; vt est in reb. terminare visionẽ: Intelligibile verò non, nisi prout est in intellectu. Respondent, mentem Aristot. eo loco esse, externum sensum ferri in obiectum; prout à parte rei præsens est: Intellectum verò, quatenus in ipso, secundum notitiam expressam, continetur; non, quasi res, hoc etiam posteriori modo, non sit in sensu externo: sed quia is requirit insuper externam præsentiam rei, quæ sub eius notionem cadit; quam tamen intellectus non poscit; quandoquidem tàm præsentia, quàm absentia intelligimus; eodem prorsus modo, quo glosauimus 1. Phisic. illam aliam propositionẽ Arist. scilicet; *Sensus est singularium, intellectus vniuersalium*; ita vt, sensus sit, tantum, singularium; intellectus verò, & singularium, & vniuersalium.

Vasq.

3 Hoc idem de sensibus sentit Vasq. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 38. c. 2. nu. 9. vbi citat Aristot. 2. de Anima c. 14. tex. 138. & lib. de insomnijs, & imaginibus; & Augustin. 12. de Trin. c. 2. Cæterum huiusmodi imagines obiectorum in sensibus non dicuntur verba; nam verbum cum loquutioni respondeat, actus facultatis rationalis esse debet; .s. ipsa loquutio.

§. II.

Verbi diuisio. Suar.

4 SEcundò noto ex eod. Suar. nu. 10. verbum diuidi in externum, & internum: Externum subdiuiditur in vocale, & scriptum; quæ duo verba vsum, & modũ significandi ferè eundem habẽt; & sic materialiter tantum differunt; & licet Durand. verbum vocale, tantum, metaphoricè velit dici verbum; eo modo, quo imago hominis vocatur homo; cum tantum dicatur verbum, quia repræsentat mentale: Verum si attendatur prima vocis impositio; fortassis primo impositum est tale nomen ad signandum vocale verbum, tanquam hominibus magis cognitum; Et quemadmodum exterior loquutio propriè loquutio est, à ratione procedẽs, eiusq; terminus verè significat, ac repræsentat; ita erit eius verbum propriè verbum; licet quia totum suum esse, & repræsentatio, esse videtur per ordinẽ ad verbum mentale; (vt annuit August. 15. de Trin. c. 11. & sequentibus,) cum voces sint signa eorum, quæ reperiuntur in Anima: ex Arist. ob hoc non est adeò improbabilis Durand. sententia, asserentis, verbum vocale esse analogicè verbũ; nimirum, comparatione verbi mentalis. Idem dicendum de verbo scripto.

Dur.

Aug.

D.Th.

Suar.

5 Subdiuiditur etiam verbum internum à D.Th. non semel, in verbum phãtasiæ, & mentale; seù, immaginationis, & intellectus. De priori adnotat Suar. in imaginatione posse in primis esse conceptus externorum verborum: experientia .n. constat, cum loquimur, formare prius in imaginatione verba ipsa exterius proferenda; atq; hoc modo nemo dubitare potest, quin illa imago phantasiæ sit tam propriè verbum, scilicet vocale, vel scriptum; quia habet eundem vsum, eundẽq; modum significãdi; & eandẽ subordinationem ad rationem. Vlterius verò est in phãtasia imago ipsius rei significatæ per vocem. Et de hac, aliqui nolunt, quod appelletur verbum, sed idolum, vel phantasma expressum, quia non procedit à ratione; sicut in Bruto simile idolum non dicitur verbum; Sed de hac re satis: Non .n. ad rem nostram facit, qui tantum de Verbo mẽtis disputamus; quod est imago expressa, quæ oritur in ratione cogitante; ex Anselm. in Monolog. cap. 29. & seqq. vbi videtur significare, etiam imaginationem ipsam, in cogitatione existentem, esse verbum; & cogitationem ipsam esse imaginationem. Damasc. lib. 1. c. 18. illud vocat naturalem intellectus conceptum, & quasi factum. Basil. hom. 1. in Ioan. dicit, procedere à mente, sicut riuũ à fonte: & Athan. in epist. de sententia Dionisij cont. Arianos dicit esse mentis promanationem. hæc tanquam necessaria ad verbi notitiam mutuauimus ex Suario.

Ansel.

Damasc.

Basil.

Athan.

§. III.

Intellectio in fieri, & in facto esse.

6 Tertiò not. quod possumus intellectionem considerare, vel in fieri, vel in facto esse; siuè intellectio actio sit, siuè qualitas: nam, tàm si actio sit, quàm si sit qualitas, petit successiuè fieri; si creata intellectio sit, & distincta; non successione continua, sed contigua saltem; cum intellectio nostra mensuretur pluribus instantibus, sibi inuicem succedentibus, (vt dicam.) Item intellectio in fieri potest adhuc secundo considerari, (sicuti quæcunq; actio successiua;) vel secundum singulas suas partes successiuas sigillatim sumptas; & sic inadæquatè; vel secundum totam suam successionem continuatam; Fluentia .n. entia, & successiua non petunt esse tota simul; & sic eorum vnitas numerica consistit in tota partium successione: sicuti de fluuio, *Arno*, v.g. possumus philosophari; quod, si consideretur secundum totam suam successionem, secundum quam, aquæ sibi ipsis inuicem succedũt, ac succedent, quousq; fluet; vnum numero flumen est; At verò si consideretur secundum singulas suas partes inadæquatas; Aquæ quæ hodie Florētia transeunt, non sunt eædem aquæ cum iis, quæ die crastina per eandem transibunt Ciuitatem, & per eundem fluuij alueum. Quare dixi 4. Phisicorum disp. de loco sect. 1. quædam esse entia substantialia, quæ, ad suam indiuiduationem, petunt eandem prorsus materiam, & formam, sine vlla variatione; sicut sunt corpora Cęlestia. Quædam verò sunt, quæ tantum exigunt eandem omninò inuariatam formam; vt homines, & animalia; quamuis, in materia, aliquam patiantur variationem; ita quod, diuersam materiã modo habeant, quàm in principio; siquidem, per continuam nutritionem, ablata forma alimēti, eius materiam informat forma animalis; alia verò sunt, quæ, ad sui indiuiduationem, minorem adhuc exigũt vnitatem; vt plantæ, quia, & earum formæ, & etiam materiæ paulatim variantur; ita quod, præcedens recedat, & alia de nouo succedat; sed quia hæc mutatio non fit totaliter in subiecto; sed, ita, quod partes de nouo aduenientes paulatim variētur, cęteris remanentibus; ideo sufficiens est successio ista partium, ad hoc, vt tales res dicantur manere eædem numero, substãtialiter inuariatæ, modo illis possibili.

In quo consistat vnitas numerica successiuorũ, & permanentium.

7 Sic etiam in accidentibus, quædã esse, quæ, ad suam numericam vnitatem, vnicum tantum subiectum numero petunt; sicut albedo, quæ, eadem numero, nequit esse in duplici subiecto discontinuo; Alia verò esse accidentia, quæ ad suã indiuiduationem petunt plura subiecta simul; quæ, licet, per se, inadæquata sint; tamen, simul sumpta, efficiũt vnum adæquatum; vt, in numero; Quaternarius .n. simul postulat quatuor substantias, quas, simul in vnum collectas, respicit per modum vnius subiecti adæquati. Alia tandem esse accidentia, quorum numerica vnitas est ita parua, quod admittat plura subiecta; nõ simul, sed successiuè; quia vnum succedit, vbi erat aliud: vt, in loco, qui ita subiectatur in hoc toto Aere. v.g. vel Aqua; quod toto isto abeunte, & alio succedente in illo, manet idem numero; quia eius vnitas est ita parua, quod admittit diuersitatem numericam superficierum, & relationum, tam continentiæ, quàm distantiæ; quia sola proportionalis successio harum superficierum, & relationum in eodem situ, respectu centri, & polorum, sufficit ad vnitatem numericam loci. Hæc ibi docuimus. Et sic dicimus, quod ad vnitatem numericam fluuij, sat est, quod aquæ inuicem fluentes, & refluentes; etiam si diuersæ sint, eadem proportione sibi succedant per eundem alueum. Ita proportionaliter, de actionibus transeuntibus, philosophari possumus; quod earum totalis vnitas numerica consistit in tota illa successione continuata actionis; licet, si considerentur secundum earum singulas partes inadæquatas, multiplices esse possint; inadęquatè tamen, quia multæ sunt earum partes.

In quo vnitas numerica accidentium

8 Præsertim id verum esse debet in intellectionibus, & volitionibus creatis, quæ successiuæ sunt; non tamē continuæ, sed discretæ: & sic 4. Phisic. disp. de tempore, sect. 2. in 2. not. docuimus, huiusmodi intellectiones, & volitiones, indiuisibiles esse: quia non continuæ: successiuas tamen, quia non omnes instantaneę; & sic, eas mensurari tempore spirituali, siue discreto: quod nihil aliud est, quàm collectio plurium instantium discretorũ; in quo, à tempore materiali, diximus, differre; quia partes temporis materialis sũt continuæ, non discretæ; item, quia partes temporis materialis diuisibiles sunt, diuisibilitate continui.

9 Concludimus ergo; quod intellectio in fieri, cõsiderari potest, inadæquatè,

tè, & secundum suas partes discretas; & adæquatè, secundum totam successionē harum partium discretarum; sic etiam de Verbo mentis, seu specie expressa sentiendum est; quod concipi potest, vel secundum suam vnitatem adæquatam totalem, & completam, correspondentem toti intellectioni, complete sumptæ; vel secundum suas partes discretas, quibus correspondet, nostro modo considerandi, partibus discretis ipsius intellectionis.

§. IV.

Multiplex comparatio intellectionis cum Verbo.

10 QVartò nota, quod possumus intellectionem multipliciter cum verbo comparare; Primò, ita vt comparemus intellectionem, in fieri, consideratam, secundum suas partes inadæquatas, cum verbo, eodem modo cōsiderato. Secundò; ita vt comparemus eandem intellectionem, eodem modo conceptam, cum verbo adæquatè sumpto, & in esse completo. Tertiò; ita vt cōparemus eandem intellectionem in fieri, consideratam tamen secundum totam suarum partium successionem, cum verbo, considerato in facto esse, siue in esse producto. Quartò; ita vt consideremus eandem intellectionem, eodem modo cum Verbo totali, tamen in fieri concepto. Vltimò tandem considerare possumus, & comparare ipsam intellectionē, iam completam, & terminatam; & sic, in facto esse, cum verbo adæquato, pariter in facto esse considerato, & iam producto.

In vna intellectione plura partialia verba; vnum totale.

11 Quintò not. quod in vna intellectione possumus plura verba partialia considerare; Vnum tamen, dumtaxat, totale, adæquatum, & completum: quemadmodum, si quis per integram horam continuò loquatur, dicetur plura verba facere; immò, sub hac phrasi, propriè solent grāmatici explicare, cum quis orat, vel sermocinatur de re aliqua; dicentes; *Verba facit, vel habet, de re tali*; cū alias vnicam, dumtaxat, orationem, seu sermonem, per totam illam horam, recitet: Sumunt autem, in eo loquendi modo, verba partialia, non totalia; cum, in tota illa orationis serie vnius horæ, vnicum dumtaxat totale, & completum proferat verbum; vnde dicitur, sermonem habuisse; dictionem; orationem; non autem, sermones, dictiones, & orationes. Ita à simili prorsus dicendum est de verbis mētalibus partialibus vnius intellectionis continuatæ; cum tamen vnicum tantum producatur totale verbum perfectum, adæquatum, & completum.

§. V.

Quædam vt certa supponuntur.

12 HIs adnotatis; quædam etiam supponenda sunt, tanquam certa, in hac difficultate. Et primò certū sit; quod, si loquamur de intellectione, in fieri, inadæquatè considerata, .i. secundū partes inadæquatas; realiter distinguitur à Verbo, in facto esse, concepto, & secundum suum esse completum, perfectum, & adæquatum. Hoc omnibus certum esse deberet. Diximus enim 1. Phisic. totū realiter distingui à suis partibus, seorsim sumptis; hoc modo se habet Verbum, consideratum in toto suo esse cōpleto, in ordine ad intellectionem in fieri, secundum partes eius inadæquatas. ergò realiter distinguuntur. Addo, quod quādo sunt illæ partiales, & discretæ intellectiones, sic inadæquatè, nondum est Verbum in facto esse. De hoc nullam prorsus habeo difficultatem.

13 Secundò: idem dico de verbis partialibus, in ordine ad intellectionem, consideratam in facto esse, vel etiam in fieri; secundum tamen totam suam successionem; prout diximus supra in 3. & 4. notab.

14 Tertiò: immò idem dicendum esse, patet, de ipsis intellectionis partibus discretis, seorsum consideratis inter se; nimirum, realiter distingui; sicut etiam ipsa verba partialia, inter se, & à verbo totali, & adæquato.

CAPVT III.

Statuitur verior sententia.

§. I.

Conclusio.

1 QVibus, tanquam certis positis; Dico primo. Intellectio in fieri, considerata secundum totā suarum partiū successionem, comparata cum adæquato verbo, in fieri considerato, vt adæquato tamen; sicut etiam, Intellectio in facto esse, comparata cum adæquato verbo in facto esse; sunt vnum prorsus, & idem; non solum secundum iden-

identitatem realem;sed etiam secundum identiratem formalem obiectiuam;licet dicere possimus, tantum inter se dissidere, secundum quandam distinctionem expressioris conceptus. In hac conueniũt Doctores tertię sententiæ,& etiam quartæ;præsertim,hanc esse mentem Suar.lib. 1.de Trin.cap.6.nu.7. patet ex verbis ipsius: Postquam .n. ibi posuisset Scoti sententiam,asserẽtis; verbum mentis nostræ non esse rem distinctam ab actu intelligendi, vt est qualitas in facto esse:subdit hæc verba. *Quam sententiam ego certissimam censeo; immò opinor, non distingui ex natura rei; nec in aliqua proprietate absoluta,per illas voces significata: sed solum in hoc, quod nomen verbi expressius indicat realem emanationem à dicente.* Et idem docet lib.9.c.2.nu.12. & 13. vbi adducit authoritates Anselmi, Damasc. Basil. & Athan. à nobis etiam citatas supra not.2.dicentium;Verbum esse ipsam cogitationem in mente existentem; & cogitationem existentem in mente esse ipsum Verbum;& in n.13. assignans conuenientias inter verbum creatum,& Diuinum,ait; *vtrumq; esse ipsummet intelligere eius,à quo procedit.* Idem tandem annuit lib.2.de attrib.negatiu.c.11.n.8. impugnando quandam Thomistarum doctrinam;vbi dicit. *Si per intellectionem intelligãt qualitatem aliquam intellectus, distinctam à verbo,multiplicant res sine fundamento, & contra doctrinam Augustini, & explicare nõ possunt quos formales effectus distinctos habeant illa qualitates,vel ad quid multiplicentur?*

Suar.

Anselm. Damasc. Basil. Athan.

2 Eiusdem sententiæ manifestè est Vasq.disp.38. cap.2.nu.5. & clarius disp. 141.cap.4.nu.17.vbi hæc habet. *Puto .n. in nobis intellectionem formaliter esse ipsam qualitatem expressam in mente, quæ fit intellectui rei præsens: atq; rem intelligere,nil aliud esse,quã similitudine actuali illius intellectum informari, vt notaui disp.112.c.4.* vbi sub num.12.hæc habet. *Potius in nobis intellectio est ipsamet qualitas speciei expressa, quæ est actualis, & viua rei repræsentatio: Atq; intelligere formaliter nil aliud est, quam illa specie expressa informari intellectum,qua etiam ferri dicitur intellectus in rem repræsentatam per modum actionis, quam vocant, grammaticalem.* Et idem docet disp.43. c.7.sub nu.36.legito illum. Itaq; non est, cur dubitetur de mente horum Doctorum; licet diuersimodè citẽtur à Nazar. & Lusit.

Vasq.

3 Quod autem eandem doceat assertionem dictus Lusitanus noster, meridiana luce clarius est,legatur ipse cit.lib. 11.q.7.ar.3.§.3.à n.13.vsq; 28. inclusiuè, vbi hanc explicat sentẽtiam, probat, approbat, respondetq; obiectis in contrarium;& præsertim nu.22.ait. *Si quis à me quærat;vtrum hanc sententiam absolutè probem? Affirmatiuè respondebo:quia absolutè probo; Verbum, & actum intelligendi realiter, & formaliter esse idem; ita vt vtrumq; sit vna, & eadem qualitas,ab intellectu expressa.* Lusit.

§. II.

4 VT autem ratione probemus assertionem positam;Notandum est; quod hanc idẽtitatem realem,& formalem ponimus nos ex parte vtriusquè; nimirum, tam ex parte verbi, cum intellectione; quam ex parte intellectionis, cùm Verbo. Scotus.n.licet concedat,omne verbum esse omninò idem cum intellectione: non tamen fatetur, omnem intellectionem esse Verbum; cum sentiat, Beatum habere visionem Diuinæ Essentiæ: non tamen agnoscit formare Verbũ illius: ita quodl.14.lit.BB.& q.15.lit.X. Cum quo simpliciter transit Rada 1.to. controu.10.ar.2.concl.2.& idem docent Mayron. Bassol. & Herrera, cum cęteris Scotistis; ubi tamen intellectus ad visionẽ solum concurrit passiuè; nos autem,omnem intellectionem, omnẽq; notitiam, Verbum esse censemus, cum OKam in 1.dist.9.n.27.q.2.concl.1.& 2.& supra citat. iunioribus. Nota.

Scot.

Rada. Mayr. Bassol. Herrer.

Okam.

5 Iterum notandum; quod, in præsenti, nil facit; An intellectio sit actio de prædicamento actionis, vel tantum grãmaticalis, de prædicamento qualitatis? quocunq;.n. modo dicatur, vera est assertio nostra;& primò, si dicatur, esse actio vera,de prædicamento actionis; iã dictum est 3.Phisic.actionem non distingui realiter à suo termino; & licet ibidẽ dixerim,distingui formaliter: id etiam verum est; nam,sic distingui,tunc intelligo,quando concipitur actio in fieri; tota tamen continuata, vt vna numero est, & terminus in facto esse:in tali.n.casu,idem realiter sunt: non tamen formaliter,propter rationes ibidem adductas,& infra tangendas: quod,si consideretur actio,in fieri;ea omninò idem est,etiam formaliter, cum terminis partialibus: si verò eadem cõsideretur in facto esse,& iàm perfecta,

fecta, eodem modo identificatur, adhuc formaliter, cum termino completo, & totali; .i. si consideretur secundum totam suam successi..nem cum termino adæquato, in fieri tamen; itaq; , si intellectio sit actio prædicamentalis, currit de ea eadem ratio, ac de reliquis actionibus; & sic, non est, cur immoremur in probationibus, quæ fieri possunt per hac parte.

§. III.

6 SI autem dicamus; Intellectionem esse actionem grammaticalem, de prædicamento qualitatis; (quod omnino verius est.) Tunc, certius existimo, nec realiter, nec formaliter, à Verbo distingui. Hoc autem multis probare possem: sed tantum potiores adducam rationes: Prima sit: Intellectio, formaliter, in quantum intellectio est, precisè, est qualitas producta, per quam nil vlterius producitur, tanquam per actionem; cum vera actio non sit; ergo necessario dicendum est, esse formaliter, nedum realiter, vnum, & idem, cum Verbo: patet consequentia, supposita doctrina præcedentis dubij, in quo diximus; necessariò per quemcunq; intelligentem produci verbum, ex hoc ipso, quod quis intelligit. Tunc sic; verbum necessariò ponendum est in quolibet intelligente: ergo, vel ante ipsum intellectionis actum; vel post actum intelligendi; vel simul cum ipso intelligendi actu producitur ab intellectu: Non ante actum ipsum; alias non esset terminus intelligentis; quia, post ipsũ, esset adhuc ipsa intellectio: si dicas, produci post actum intelligendi: peto; per quam actionem producatur tale verbũ? non per intellectionem; cum intellectio, formaliter sumpta, non sit actio, sed qualitas, vt supponimus; ergo per aliquam aliam actionem, quæ intercedit inter intellectionẽ, & ipsum verbum; & sic multiplicarentur actiones, sine necessitate; nã peto; vel in illo priori, quando intelligitur producta intellectio; per illam intellectus constitutus est in actu secundo ad intelligendum: vel non? Hoc secundum dici non potest; alias sequeretur, quod intellectus, intelligendo, non intelligeret; quod est implicantia in terminis. Si verò, in illo priori, intelligit; ergò ad quid illa verbi productio? esset ergo entium multiplicatio inutilis: siquidem verbum ad hoc deseruit, (vt iam dictum est,) vt constituatur intellectus in actu secundo intelligens; & fiat res intellecta in actu secundo; & vt vniat obiectũ in ratione termini. Quod si ante verbum iam intellectus intelligit; tollendum è medio prorsus est omne verbum. Quod si dicatur, simul produci cum ipsa intellectione; distinctum tamen ab illa. Tunc similiter peto: quem effectum formalem habet verbum, distinctum ab ipsa intellectione? alias si non assignetur aliquis formalis effectus distinctus, inutilis esset verbi productio. Quod si nullus assignatur ab aduersarijs effectus formalis distinctus, qui sentiatur esse à verbo, & non ab intellectione; nescio certè, cur cogamur ea aliquo modo inter se distinguere, siuè realiter, siuè formaliter.

1. ratio.

§. IV.

7 SEcunda ratio sit: si aliqua distinctio excogitari posset inter Verbum, & intellectionem; maximè, quia verbum est similitudo expressa rei cognitæ; cum tamen intellectio non sit similitudo obiecti intellecti, (vt sentit Nazar. cum multis Thomistis,) sed ostendã, intellectionem esse, eodem modo, formalem similitudinem rei cognitæ, ergo, &c. Prob. min. & certè id clarè satis insinuasse Sanctos Patres, apud me manifestum est. Videantur Augustinus lib. 14. de Trin. c. 17. & lib. 9. c. 10. & c. 11. & 12. ad finem, & c. 6. vbi expresè, habet; cognitionem rei esse imaginationem eius. Ansel. in Monol. cap. 31. & alij; qui videri possunt apud Vasq. disp. 38. cap. 2. Suar. lib. 2. de attrib. negatiu. cap. 11. & 13. Lusit. nostrum lib. 11. q. 5. ar. 3. §. 10. nu. 46. & alios Recentiores.

2. ratio.

Aug. Ansel. Vasq. Suar. Lusit.

8 Nec valet cum Capreolo, Ferra. Conimbric. & nouissimè cum Nazar. cõtrou. 4. supra cit. in solutionib. argum. ad 2. Vasq. con. 2. concl. nimirum, cognitionem, & notitiam à Sanctis Patribus dici similitudinem; non ratione sui, sed ratione principij; .i. speciei impressæ, à qua procedit; vel etiam ratione termini, quo completur; qui est species expressa, siue verbum: nam contra hoc est; quia apud Ansel. præsertim, expresè dicitur intellectio in se ipsa, sumpta, formaliter, esse imago: quod autem formaliter est tale; per se, & in se tale est; non per denominationem extrinsecam ab ipso principio, vel termino; Quod autem ea sit Anselmi mens, patet ex eius verbis: dicit n. loc. cit. *Nulla ratione negari potest, cū*

Effugium Thomistarũ. Capr. Ferra. Conimbric. Nazar.

Impugnatur 2.

Ansel.

mens

mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione; immò ipsam cognitionem sui esse imaginem, ad suam similitudinem, tanquã ex eius impressione formatam; quamcunq; .n.rem mens, seù per corporis imaginationem, seù per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtiq; similitudinem in ipsa cogitatione conatur exprimere; En quomodo Ansel. tribuit rationem similitudinis ipsi intellectioni formaliter, non denominatiuè tantum], vt ponderanti verba patebit manifestè.

Impugnatur 2. Aug. 9 Secundò, contra idem Thomistarum effugium, optimè arguit Vasq. quia Aug. loquitur de similitudine, secundum quam, in patria per visionẽ erimus perfectissimè similes Deo viso: ex eo .n. (ait Apostolus.) Similes ei erimus; *quia videbimus eum sicuti est*; vbi, visioni, tribuit rationẽ similitudinis, per quam erimus nos similes. Hoc autem falsum esset, si valeret solutio Nazar. nimirum, dici similitudinem obiecti visionem, ratione speciei impressæ, & termini; cum nulla, per ipsos Thomistas, ibi sit creata species, siuè impressa, siuè expressa. Quibus etiam facilè ruunt, quæ addit Nazar.

10 Præsertim, quod ad hoc ipse respondet, v.g. similitudinem illam, de qua loquitur Augustin. non consistere in ipsa visione formaliter; vt .s. uisio sit ipsa Diuinæ Essentiæ similitudo in esse intelligibili; sed in perfecta mentis unione cũ Deo, per summam, ac nobilissimã operationẽ; qualis est illa uisio Beatifica; ut dicit, explicasse supra q.12.ar.2.controu. 1.in solution. argum. Suar. Est igitur (inquit) uisio similitudo; non in esse cognitõ, quæ sit imago obiecti, in intellectu existens; sed in esse rei, quia facit uidentẽ esse Deiformem, ac Deo similem.

11 Statim recurri ad dictam cõtrou. 1.ar.2.q.12. ut melius intelligerem hanc intellectionis similitudinem, quam ponit in illa perfecta mentis unione cum Deo, per nobilissimam operationem; quo pacto explicaretur à Nazat. & in solutionibus argumẽtorum Suar. dicto loco, nullam adinueni huius rei explicationem. Illud tantum scriptum reperi, in solutione 2.arg. Suar. con.2.concl. *quod, cum dicitur, repræsentare esse proprium actũ secundum, intelligendum est; non, vt actus secundus repræsentet; sed, vt possit produci, vel cum termino suo, quod est verbum, quod est expressa similitudo pendens ab impressa: & quia cessante intellectione, cessat Verbum; ideo cessat actualis repræsentatio*; hæc ibi. Si intelligat Nazar. explicasse, quo pacto intellectio Beata dicatur repræsentatio, ratione unionis cũ Deo; certè (pace sua) malè explicauit; cũ nil prorsus hęc faciant ad talem explicationem.

§. V.

12 Verum, quicquid sit de hoc; probo; Augustinum nullo pacto intelligendum esse, loqui de tali similitudine, ratione unionis cum Deo; sed certè de formalissima repræsentatione Diuinę Essentiæ, quam tribuit ipsi uisioni Beatificæ, absolutè, & simpliciter: hoc autem omnino ex uerbis ipsius, quæ leguntur 9. lib. de Trin. in fine cap. 10. siue initio statim cap. 11. Postquam .n. dixisset (*sed omnis, secundum speciem, notitia similis est ei rei, quam nouit.*) Hęc est propositio uniuersalis; & dum dicit; *Omnis notitia, secundum speciem*; idem est, ac si diceret; omnis, formaliter, notitia est similitudo rei cognitę. His dictis, post paucissima uerba, subdit specialiter de cognitione in patria; ubi Nazar. non potest ad uerbum mentis recurrere; quod non admittit in Beatis; asserit ergo (*Quocirca, in quantum Deũ nouimus, similes sumus; sed non ad aqualitatem similes; quia non tantum eum nouimus, quantum ipse est;*) &, ut clarius se explicet August. tollatq; prorsus è medio effugium supra adductum, dat exemplum dicens. (*Quemadmodum, cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est; non.n.omnino ipsa corpora in anima sũt, cum ea cogitamus: sed eorum similitudines, &c. ita, cum Deũ nouimus, fit aliqua Dei similitudo illa notitia: tamen inferior est; quia in inferiori natura est; Creatura, quippè, animus; Creator autem, Deus.* Hęc August. Expendat, quæso, hæc uerba Nazat. & uideat, an possit explicari in suo sensu Augustini mens? cum .n. dicat; in tãtum nos similes esse Deo in patria, ea similitudine, de qua sermo erat Apostoli Ioan. *cum apparuerit, tunc similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est.* Totã similitudinis rationem tribuit visioni (*in quantum Deum nouimus,*) inquiens; & inde pariter asserit, non fore nos ad æqualitatem similes: quia non cognoscemus eum tantum, quantus est; & quemadmodum exemplificat de specie, seu simi-

similitudine, quam animus habet de corporibus, per sensus corporis visis; quæ certè, formaliter, similitudines illarum rerum visarum sunt; ita ipse, prorsus, intelligendus est de formali similitudine, de qua supra dixerat, omnem notitiam, secundum speciem, esse similitudinem; quæ vniuersalis propositio falsa esset omninò, nisi verificetur de singulis notitijs, (vt habemus ex dialecticis.)

§. VI.

13 SEd eadem minor ratione probanda est; & præsertim probabimus de visione Beata; si .n. probauerimus, visionem Beatam esse similitudinem expressam; non erit dubium, idem omninò concedendum fore ab Aduersarijs de reliquis visionibus naturalibus. Probo autem min. illam ex Suar. lib. 2. de attrib. negat. cap. 11. n. 8. si visio beata non esset formaliter similitudo Dei, intelligi minimè posset, ad quid illa deseruiret ad intelligendum Deum; patet: nam (per ipsos Thomistas) nō terminaretur ad qualitatem aliquam, repræsentantem formaliter Deum intellectui; cum non admittant in Beatis verbum; neq; per se ullo modo faceret Deum intelligibiliter præsentem; cum, tam in ratione speciei impressæ, quàm in ratione termini, doceāt, per suammet essentiam vnire intellectū intelligentis: ergo ad nihil deseruiret Beatis intellectio; quod dicere, ridiculū est.

Suar.

14 Addo ex eod. Suar. cap. 12. nu. 12. quod tantum abest, vt intellectio, vniuersaliter sumpta, dicatur esse similitudo rei cognitæ, ratione principij, (vt asserūt Thomistæ,) vt potius ipsum principium; nempè, (species impressa,) in tantum sit similitudo obiecti, in quantum ordinatur ad actum secundum: tota .n. vis repręsentandi in specie ponitur propter actū secundum; neq; aliundè colligi potest, neque nos experimur illam, nisi in ipso actu secundo: ergo actus ipse secundus est formaliter, & propriè similitudo obiecti. Patet ex Philosophica regula; *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.*

15 Nec cum Thomistis dicas, actum non repræsentare, sed potius supponere præsentiam obiecti, per speciem, factam, & tendere in obiectum repræsentatum per speciem. Nam contra hoc est, quod intentionalis repræsentatio, quæ potest esse in mente, propriè, & actualiter cognoscitur in ipso actu: cessante etenim actu, nullam effigiem, vel Idolum obiecti experimur in anima; vnde, si aliquo modo experimur; id est, quia postquam cessamus ab intelligendo, possumus iterum actū formare, & repræsentare obiectum, ex vi interni principij, conseruati in animo; quod est signum aliquod, semen eius relictum esse in mente, quod est principium illius actualis repræsentationis: hæc igitur repræsentatio fit, in genere causæ formalis, per ipsum actum: species verò solum dicitur repræsentare, quatenus est principium, constituens intellectum in actu primo; ad afficiendam huiusmodi actualem repræsentationem.

Responsio Thomistarū. Impugnatur.

§. VII.

16 TAndem eadem min. prob. Ex hoc, præcisè, quod Diuina Essentia vniatur per modum speciei impressæ intellectui Beatifico, non dicitur Beatus formaliter esse constitutus in actu secundo ad intelligendum, nisi intellectionem eliciat; & in se recipiat: ergò intellectio, formaliter, est similitudo Dei visi. Patet consequentia: nam (ex cōmuni philosophia, à nemine nō recepta) per id, quod intelligens constituitur in actu secundo intelligens, fit in actu secūdo res intellecta: Non .n. aliquid aliud excogitari potest, per quod intellectus in actu fiat res intellecta, formaliter, in visione Diuinæ Essentiæ, in sententia Thomistarum, verbum non admittentiū; nam hōc non potest præstari ab ipsa Diuina Essentia, sibi vnita per modū principij elicitiui; quæ tantum facit, quod intellectus fiat res cognita in actu primo, & virtualiter: non tamē in actu secundo, & formaliter; vt patet: ergo per ipsam visionem intellectus fit res intellecta actu, per quam constituitur in actu secundo intelligēs: sed sic est, quod nō posset hoc præstare intellectio, nisi formaliter esset similitudo rei cognitæ; ergo, &c. prob. min. nam nemo dat, quod non habet. ergò, si intellectio dat intellectui esse rei cognitæ, intelligibiliter tamen, erit similitudo intelligibilis obiecti cogniti. Et confirmatur a simili: nam ideo per speciem impressam intellectus fit res intellecta in actu primo, in esse intelligibili, quia est similitudo talis rei; & in Beatis, ipsa Diuina Essentia hoc facit: ergo si intellectio facit intellectum eundem esse

rem intellectam [in] actu secundo, necessario, erit etiã imago, & similitudo obiecti cogniti.

17 Et confirmatur tandem; quia causa perfecta, & adæquata producit effectũ sibi similem; & quo perfectior causa est, eò perfectiorem producit effectum, & sibi magis similem; vnde Sacri Theologi docent; Verbum Diuinum esse omninò æquale in natura, & Essentia Patri producenti; quia Pater est principium infinitæ perfectionis; & in productione ad intra, secundum omnem producẽdi perfectionem, operatur: sed intellectus informatus specie impressa, per quam redditur ipsa res intellecta in actu primo; est principium intellectionis; & in patria, ipsamet Diuina Essentia vnitur in ratione principij; & simul cum intellectu est vna causa adæquata Beatificæ visionis: ergò talis visio debet assimilari suo principio: Valdè n. imperfecta est illa causa, quæ non sibi assimilat effectum suum; quod, si id ita est, de visione Beata, à qua prorsus talem similitudinem tollere nituntur Thomistæ, multo magis hæ rationes probabunt de intellectionibus naturalibus.

Sicut visio est qualitas, ita Verbum; & ambo in specie repræsentatiui obiecti.

18. Restat ergò, quod eodem modo, quo visio est qualitas, verbũ pariter qualitas sit; & eodem modo, quo verbum est in specie repræsentatiui obiecti, visio in eadem specie sit; ergo realiter, & formaliter sunt vnum, & idem; quod erat prima pars primæ nostræ assertionis; in qua dicebamus, intellectionem consideratã in fieri, secundum totam, tamen, suam successionem partium discretarum, comparatam cum adæquato verbo, vt adæquato, pariter in fieri considerato; sicut, & intellectionem in facto esse, comparatam cum adæquato verbo in facto esse, esse vnum prorsus, & idem; non solum realiter, sed etiam formaliter, obiectiuè.

Nota.

19 Dixi (*formaliter obiectiuè,*) quod idem est, ac dicere; conceptum obiectiuum intellectionis non esse conceptum obiectiuum, distinctum à cõceptu obiectiuo verbi, illis modis considerati; nec duos esse conceptus obiectiuos, ab inuicem distinctos: sed vnum, dumtaxat; eo modo, quo dici solet à metaphisicis, conceptum obiectiuum animalis rationalis; & conceptum obiectiuum hominis, non esse duos conceptus: sed vnum tantum.

§. VIII.

Explicatur distinctio inter Verbum, & intellectionem secundum expressiores cõceptus.

20 Secũda verò nostræ assertionis pars, erat; *Intellectionem, & Verbum, considerata, vt supra, distingui tantum secundum expressiores conceptus:* quæ pars tantum explicatione indiget; cum alias, de se, clara sit. Quare notãdum est; quod de eadem re, omninò simplicissima, formaliter, possumus formare plures actus; non quod illa res diuidi possit in plures conceptus obiectiuos distinctos, qui correspõdeant illis pluribus actibus: sed quia potest ab intellectu nostro, sub alio, & alio modo considerari. Sit exemplum. Diximus in Antepredicamentis, agẽtes de Conceptu Entis; Ens essentialiter includi in quocunq; conceptu obiectiuo suorum inferiorum; ita vt, conceptus obiectiuus Substantiæ nõ excludat conceptum Entis; & tamen intellectus, vnico actu, Substantiam concipit, conceptu expresso; & licet in Substantia cõcepta, sit etiam imbibita ratio Entis; nõ tamen, ita expressè, in Substantia concipitur, eo conceptu, talis Entis ratio: sed tãtum in confuso; sic etiam commodius hoc idẽ explicatur in Diffinito, & Diffinitione, qui n. concipit Hominem, non excludit à conceptu Hominis conceptũ Animalis rationalis; quæ est Hominis essentialis differentia; & qui concipit Animal rationale, non excludit conceptum Hominis; cum Homo, & Animal rationale non sint duo conceptus obiectiui distincti, sed vnus tantum: Cęterum, diuerso conceptu formali, concipit intellectus Hominem, ac Animal rationale: quia concipiendo Animal rationale, expressius, concipit naturam, & essentiam Hominis; concipiendo verò Hominem, in confuso tantum eius naturam concipit, & essentiam.

21 Eodem prorsus modo philosophandum existimo de Intellectione, & Verbo, modis dictis, consideratos; quæ licet sint vnus tantum conceptus obiectiuus; qui tamen concipit Verbum, expressius concipit realem emanationem à dicente; licet etiam Intellectio dicat eandẽ realem emanationem; non tamen ita expressè; & qui cõcipit Intellectionem, dicitur expressius concipere attinctionem obiecti; vel (vt optimè noster Lusit. lib. 11. cit. c. 7. art. 3. §. 3. sub nu. 20.) quod concipiendo eandem qualitatem, eundemq; conceptum obiectiuum, sub ratione Intellectionis, expressè concipiet illam

qua-

qualitatem, quatenus exprimendo attingit, & apprehendit rem, quam intelligit. At vero concipiẽdo eundem obiectiuũ illius qualitatis conceptum, sub ratione, Verbi, concipiet expressius imaginem expressam rei cognitæ: & sic supponet Intellectionem; sub ratione expressa Intellectionis, Verbo, sub ratione Verbi; quia prius intelligitur esse ipsa expressio imaginis, quàm imago expressa, quæ dicitur species expressa, & Verbum. Nec aliquid aliud videtur dicendum circa illam primæ nostræ assertionis secundam partem.

22 Nisi quod eodem modo applicãda est hęc doctrina Intellectioni in fieri, consideratæ inadæquatè, secundum singulas discretas partes ipsius, comparatæ cum partialibus Verbis, respondentibus singulis Intellectionis partibus, vt patet.

§. IX.

2. Conclusio. 23 Secunda Assertio: si consideretur Intellectio in fieri; adæquatè tamen, secundum totam suarum partium continuationem; siuè successionem; & comparetur cum Verbo adæquato, in facto esse; In tali casu, dicimus, esse vnũ & idem inter se realiter; & tantũ formaliter distingui; eodẽ modo, quo de actione, & termino, dictum est, 3. Phisicorum; Hanc assertionẽ docent Authores secundæ sententiæ; cuius probatio indè desumitur; quod ea dicuntur formaliter distingui, de quibus prædicantur diuersa prædicata formalia; ita vt, ea, quæ dicuntur de vno, non dicãtur de altero; sed sic est, quod aliqua prædicantur de Intellectione adæquata, in fieri tamen considerata; quæ nequeunt conuenire Verbo, cõconsiderato in facto esse; & è contra, ergò. Prob. min. nam, de Intellectione in fieri dicitur; quod non dum est completa, & perfecta; & quod est via ad terminum &c. De Verbo verò, quod sit ipse terminus iam productus in toto suo esse completo, & perfecto: cum tamen hoc, quod est, esse terminum iam productum in toto suo esse completo, nequeat conuenire Intellectioni in fieri; & hoc, quod est, esse viam ad terminum &c. nequeat conuenire ipsi Verbo in facto esse; ergò &c. nec alia indiget hæc assertio probatione.

24 Nonnulla possent obijci contra hanc nostram sententiam, sic expositam: cæterum, attentis notabilibus positis, facillimo negotio solues omnia; & sic breuitatis causa ea ommittuntur; Vnum tantum; vel alterum possent Aduersarij vrgere contra nos argumentum.

§. X.

25 Primum est Thomistarũ, ad probandum, realiter distingui; Ea realiter differunt, quorũ vnum est, quando alterum non existit; sed, cum est Intellectio in fieri, etiã secundum adæquatam suarum partium continuationem, siuè successionem, non dum est Verbum in facto esse; & cum est Verbum in facto esse, non est amplius Intellectio in fieri; (vt patet;) ergò realiter, & non tantum formaliter distinguuntur. 1. Obiectio Thomist.

26 Respond. tamen, dist. ma. Quando vnum manet, secundũ suum esse reale; altero non manente, etiam secundũ suum reale esse; tunc verum est, illa duo realiter distingui. Ad mi. dist. pariter. *Cum est Intellectio, nõ dum est Verbum*; secundum suum esse reale; Negatur min. *non dum est*, secundum suum esse formale; concedo minorem; liquidè, esse formale Verbi, sic considerati, non est esse formale Intellectionis, consideratæ in fieri, modo exposito in secunda conclusione. At verò est idẽ omninò esse reale vtriusque; & sic negatur consequentia; nam hoc, quod est, fieri Intellectionis; & hoc, quod est, factum Verbi; formaliter tantum accipi debent, non entitatiuè, & realiter. Solutio.

27 Secundum est: productio rei non est ipsa res producta; & causalitas causæ non est ipse effectus causatus; sed Intellectio est productio Verbi; & se habet, vt causalitas, seù causatio, in ordine ad Verbum, tanquam ad effectum; ergò &c. 2. Obiectio.

28 Adde, quod inter viam, & terminum, est relatio realis; ergo distinctio realis; nam relatio realis tantum esse potest inter extrema realia, realiter distincta. Confirm.

29 Occasione huius secundi argumẽti, discutienda est alia grauis quæstio. Per quid, nimirum, producatur qualitas hæc, quæ simul, & semel, & Verbum mẽtis est, & Intellectio? Quare fit.

DISPVTATIO TERTIA.

An Intellectio, siuè Verbum mentis producatur per aliquam veram actionem ab Intellectu?

CAPVT PRIMVM.

In quo explicatur, quomodo Intellectio est qualitas, & non actio prædicamentalis?

§. I.

Confutatur quædam minus probabilis opinio. 1  Ommissa quadam aliquorum sententia minus probabili, asserentium; Verbum, seù intellectionem pertinere ad prædicamentum Relationis; contra quam sufficiat, quod Intellectio, cum sit realis productionis terminus; si non est vera actio, nec poterit esse relatio: ad relationem enim non est per se motus, nec mutatio; posset autem ad eam esse mutatio, si valeret esse alicuius productionis realis terminus per se.

Intellectio est qualitas. Lusit. Suarez, Vazq. D.Th. 2 Dicimus ergò nos, esse qualitatẽ; Quam sententiam hodiè communem existimo. Videãtur noster Lusit. lib. 4. de Beatit. q. 2. art. 4. §. 2. Suar. lib. 2. de actrib. neg. cap. 11. num. 10. ad 1. & cap. 12. nu. 7. Vasq. 1. par. disp. 38. cap. 2. & disp. 141. c. 3. & disp. 112. cap. 4. eam docuit præsertim D.Tho. opusc. 48. in tit. de prædicament. action. vbi expresse docet; ***Intelligere, sentire, & alias actiones immanentes, esse actus quosdam, & formas, quæ in prædicamento actionis directè non ponuntur***; & alibi etiam, quẽ cęteri Thomistę sequuntur. Egid. Rom. Scot. Eandẽ probat Egid. noster Roman. de mensura Angelorum q. 10. Scot. etiam hanc opinionem constanter docuit in 1. d. 3. q. 6. *§. His sunt*; & inferius ad argumenta principalia; ad primum, & tertium, & ibidem q. 7. *§. Ad argumenta opinionum*; & *§. Ad authoritatem Philosophi*; & latè quodl. 13. art. 3. *§. Si quæratur*; & *§. Ad illa, ad* 1. quem pariter omnes Scotistæ sectati sunt. Itaque (paucissimis exceptis; Conimbr. Torr. Rub. Conimbricensibus. scilicet q. 1. ad prædicamentũ actionis art. 2. & 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 3. Torr. 1. p. q. 27. 1. par. quæstionis quartæ. Rubeus c. de act. c. 9. nu. 3. & 4.) qui videntur sentire oppositũ; nimirum, esse verè, & propriè actionem prædicamentalem: Reliqui ferè omnes nostram docuere sententiam.

3 Explicatur autem facilè; nam (vt certum est apud omnes) vltimus actus Intellectus nostri, per quem actuatur, & vltimo perficitur, est ipsa intellectio; & sic, in intellectione posita est nostra vltima supernaturalis felicitas; si autem ipsa intellectio esset actio de prædicamento actionis, non posset esse vltima Intellectus perfectio, & vltimus actus; actio enim est via ad formam, quæ per illam producitur; Quare dicendũ est, quod sit quædam entitas, in qua sistat Intellectus, tanquam in sua vltima perfectione, & sic, nõ actio, seù productio: Quod potest etiam efficacius aperiri; nam formalis ratio intellectionis, vt est intellectio, qua intelligens sit intelligens, communis est nobis, & Deo, communitate tamen Analogica; sed in Deo, intelligere formaliter non est producere; sed percipere obiectum intelligibile; & intelligendo, illud attingere; prout omnes concedunt; ergo, nec in nobis, intelligere formaliter, erit producere conceptum aliquem; & ex consequenti, non erit actio prædicamentalis; Adde; quod ad actionem non datur per se actio; sed, probabimus infra, intellectionem produci media vera actione; ergo &c. Explicatur superior assertio.

§. II.

4 Est ergò intellectio verè, & propriè qualitas, per præuiam actionem producta. Si enim de ratione qualitatis est, quod per eam intrinsecè denominetur aliquod subiectum, *Quale*, (vt dicitur ab Aristot. cap. de Qualit.) verè per

intellectionẽ intrinsecè denominamur intelligentes; &, si Qualitas habet actuare, & perficere subiectũ; etiã intellectio vltimo actuat, ac perficit Intellectum; &, si actus, & potentia debent esse sub eodẽ genere, (si actus adæquatus sit;) cum intellectio sit actus adæquatus Intellectus, & Intellectus collocetur sub genere qualitatis, sub eodem collocanda est pariter intellectio.

Intellectio formaliter solum significatur ad modũ actionis circa obiectum

5 Itaque intellectio, vt intellectio, formaliter, (de hac enim sermo est) significatur ad modũ actionis circa obiectum; non enim ad alium terminum dicit intrinsecum ordinem, explicitè, intellectio formaliter sumpta: Quod obiectũ certè non producitur per ipsam intellectionẽ, ad modum actionis explicatam; sed potius dicitur cognosci, & intelligi per illam; & ideò dicitur actio grammaticalis tantum; hoc est, significata verbo actionis: Cum tamen rè vera, per illam, formaliter sumptam, nihil producatur, & hoc forsan voluisse Aristot. (censere adhuc probabiliter possumus cum Vasq. disp. 141. cap. 4. nu. 20.) cum 9. Met. c. 9. dixit: Per quasdam actiones nihil produci; vt, per Visionem, Intellectionem, & per operationes aliorum sensuum. Idem, enim, quod de intellectione dicimus; existimamus etiam dicendum de operationibus aliorum sensuum, & potentiarum vitalium.

Actio grammaticalis.

Aristot. Vasq.

D. Thom.

6 Item, hoc etiam voluit D. Thom. quæst. 34. art. 1. ad tertium, vbi sic habet; *Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur; sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit actu per formam rei intellectæ*. Quæ verba clarissima sunt. Quod si solam habitudinem dicit intellectio ad rem intellectã; cum res intellecta non sit producta per intellectionem, non poterit dici intellectio actio vera; Siquidẽ actio dicit habitudinẽ ad terminum à se productum, (vt certum est.) Et sic subdit D. Thom. (*In qua nulla ratio originis importatur*;) Nam nullo modo res intellecta originẽ habet ab intellectione; &, si alias, intellectio informat Intellectum nostrum; cum ipsa non sit forma substantialis, (vt omnibus compertũ est;) licet in Deo sit eadẽmet substantia Dei eius intellectio: necesse est, quod in nobis sit forma accidentalis; non quãtitas, nec reliqua prædicamenta, ad corpus spectantia; nec relatio; vt dictum est; sequitur, quod sit qualitas.

§. III.

7 Dices; quod, si importat habitudinem ad rem intellectam; ergo erit relatio, & non qualitas. Respondeo, hanc relationem esse relationẽ tertij generis; sicuti est relatio scientiæ ad scibile, & quemadmodum scientia, licet dicat ad scibile habitudinem; ad huc tamen illa collocatur sub genere qualitatis; quia, pro primario significato, est quid absolutum; ita intellectio, etiam si dictã habitudinem dicat ad rem intellectam. Obiectio. Solutio.

8 Quod si dicas: ex Arist. 10. Ethic. cap. 3. habentur hæc verba. *Atque si voluptas non est qualitas, non propterea non erit bona: quia operationes virtutis qualitates non sunt, neque felicitas ipsa*; Ex quibus verbis formari potest hæc ratio, cõtra prædicta. Hominis felicitas completa, & vltima, in intellectione sita est; si cum D. Thom. sentire velimus; si verò cum Scoto; in volitione: sed felicitas, ex Aristot. non est qualitas: ergo neque Intellectio, Volitio, &c. Obiectio Arist.

9 Placet solutio Radæ contr. 7. to. 1. in dubit. scitu digna, ad primum, vbi ait; quod Plato asserebat, solas qualitates dici bonas; & Aristot. nititur contra Platonem ostendere, aliquid aliud à qualitate dici bonum. Cuius ratio est; quia aliquæ operationes virtutum sunt bonæ, etiam si non sint qualitates. Pro cuius intelligentia, obseruat; quod operationes virtutum possunt accipi bifariã: Primo, pro actionibus elicitiuis, & productiuis operationum virtutis, propriè dictarum. Alio modo, pro operationibus ipsis, propriè dictis: ex. gr. velle dare eleemosynam, est operatio misericordiæ, propriè dicta; & est qualitas producta à voluntate per actionem, quæ dici potest elicitio volitionis illius; & huiusmodi elicitio vocatur ab Arist. operatio virtutis; quam, asserit, non esse qualitatem; quia est actio de genere actionis, formaliter; operatio verò virtutis, quæ est terminus prædictæ elicitionis, est qualitas; & productio talis operationis est bona; nec tamen est qualitas, sed actio. Sequitur, ergò, contra Platonem, aliquid aliud à qualitate posse dici bonum; ac proindè, etsi voluptas non esset qualitas, bona dici posset. Cum verò Arist. dicit, felicitatem non esse qualitatem; vel loquitur Solut. Radæ, Plato. Nota.

tur

tur de felicitate increata; vel, *per felicitatem*, intelligit actionem, per quam producitur; ita respondet Rada; & quidem, ad locum difficilè prædictum satis probabilitèr doctrina hęc applicari potest. Quicqnid dicat noster Lusit. lib. 4. q. 2. art. 4. §. 3. num. 11. & 12.

Solut. Scoti. 10 Vel, si cum Scoto quodl. 13. art. 3. §. *Ad aliud*, 10. *Ethic*. velimus dicto loco satisfacere; optimè ipse respondet, dicens, Arist. tot. solum appellare simpliciter qualitaté, quæ est permanens; hæc enim simpliciter facit quale; quæ vero qualificat in transitu, & nõ in esse quieto, & permanente, quamuis verè sit qualitas: inter qualitates, simpliciter, non enumeratur; fortè, quia apud Plat. cuius argumentum soluit; Illa sola dicebatur qualitas; ob quam rationem, voluptatem, quæ, verè est qualitas, à ratione qualitatis, excludebat. Et ad hunc sensum optima est instantia Aristot. quia operatio virtutum, & felicitas, non sunt qualitates, in sensu explicato à Platone, & tamen non proindè excludũtur à ratione boni.

Solutio Suar. 11 Vel, si mauis, dicas cum Suar. in Metaph. disp. 42. sect. 5. nu. 14. quod, nomine qualitatis, intelligatur, tũ à Platone, tum ab Aristotele eo in loco, qualitas, quæ est pura qualitas, idest, qualitas, quæ, in sua permanentia, non necessario pendet ab aliqua actione; in quo sensu, operationes immanentes non sunt puræ qualitates; quia, non solum in fieri, sed etiam in permanere, pendẽt ab actione, qua à principio vitæ intrinseco producuntur; ob quam rationẽ significantur nomine actionis; & hæc explicatio maximè placet Lusitano nostro num. 13. Et sic, quando ab Arist. huiusmodi actus, actiones, & operationes appellantur, intelligẽdus est, de actione grammaticali, non de prædicamentali loqui.

Obiectio. 12 Quod si iterum dicas, Aristot. & Philosophos omnes diuidere actionem prædicamentalem in transeuntem, & immanentem; cumque Intellectio immanens actio sit; prædicamentalis erit, & non grammaticalis: Respondeas (quicquid sit de antecedenti.)

Solutio. Neque Intellectionem esse actionem immanentem, formaliter sumptam; & præcisè, in ratione Intellectionis; nam, penuria vocabulorum, factum est, vt actio illa, qua Intellectio producitur, appelletur Intellectio; & actio, qua volitio, volitio nuncupetur; quæ æquiuocatio aliquãdo causa errandi est. Infra enim dicam, quo pacto Intellectio, quæ qualitas est, per actionem veram producatur.

§. IV.

13 Sed dices: ad quam speciem qualitatis pertinet Intellectio? Certè non cõueniunt Doctores in hoc; & si attendatur, non est parua difficultas; nam, non videtur esse habitus; cum non sit difficile mobilis, sed potius citò traseat Intellectio: Non dispositio; cum ad nihil disponat; non naturalis potẽtia, vel impotentia; cum potius, intelligere, actus sit, non potentia. Non passio, aut passibilis qualitas; cum hæc tantum sint corporales qualitates: Neq; tandem forma, & figura, quæ solum in quãtitate corporali reperiuntur: ergo, cum ad nullã qualitatis speciem videatur posse spectare Intellectio, non erit illa qualitas. Examinatur, Ad quam speciem qualitatis pertineat intellectio?

14 Aliqui volunt, Intellectionẽ pertinere ad tertiam qualitatis speciem; nimirum, ad passionem, & passibilẽ qualitatem: Sub ea etenim specie collocantur, ne dum qualitates sensibiles, & passionẽ corruptiuã inferentes; sed etiam intelligibiles, siue spirituales, quæ passionẽ inferunt perfectiuam; Et ob id existimãt, sępissimè in libris de anima Arist. docuisse, intelligere esse quoddã pati; nam recipere, vniuersaliter loquẽdo, quoddã pati est; cũ omne id, quod aliquid recipit, dicatur se hẽre in genere causæ passiuæ, seu materialis, in recipiendo illud; cumque hoc modo se habeat Intellectus respectu intellectionis, cũ eã in se recipit, sequitur, ad talẽ speciem Intellectionẽ pertinere.

15 Cæterum, si sermo sit de ipso actu intelligẽdi, seu de ipsa perceptione obiecti intelligibilis, nõ est improbabilis, (vt ex infra dicendis patebit.) At, de ipsa Intellectione, per quam, receptã in se ipso, Intellectus obiectũ percipit, non videtur vera sñtia hæc: nam, vt sic, saltẽ prior natura est ipso actu; & sic, antequã intelligatur recepta in Intellectu, iã intelligitur producta ab eodem; Quare mihi videtur dicendum, collocari sub secunda specie, & esse dispositionem; cum disponat Intellectum vltimo ad actum intelligendi; sicuti calor, vt .8. disponit subiectum vltimo ad formam ignis &c. Sed vt melius intelligatur hæc doctrina, & quomodo intelligendus sit Arist. cum dicit, intelligere esse quoddam pati, cap. sequ. dilucidabimus.

CAP.

CAPVT II.

Quo pacto se habeat Intellectus, quando actu intelligit?

§. I.

1 SVppofito iam, quod, Intelligere actu obiectum non fit productio alicuius cōceptus, seu verbi; ita vt, nil aliud fit, Intelligere actu aliquam rem, quàm producere verbum, repræsentantem talem rem. Neque fit respectus aliquis ad obiectum cognitum, (prout docuere nonnulli, teste Greg. in 2.d.7.q.2.art.1. vbi hanc sententiam ipse reijcit *§. contra tertiam conclusionem*. Imò huius extitisse opinionis Durandū, ait Capreol. in 2.d.3.q.2.ar.2. & art.3. & in 1.d.35.q.1. quos dicēdi modos supra reijcimus.) In quo ergo formaliter consistet? petimus in titulo.

Greger.

Durand.

Opinio Aureol. de Intellectione formaliter.

2 Voluit Aureol. in 1.d.35.q.1.art.1. Intellectionē formaliter nihil esse aliud, quàm ipsam formalem apparitionem obiecti in specie intelligibili; Ita vt (ex mente Aureoli) tunc dicatur Intellectus actu intelligere rem aliquā, quando format sibi obiectum in esse apparentis, & habet sibi illud obiectiuè apparens.

Reijcitur opinio Aur.

3 Quæ sententia quàm debilis sit, ex se patet. In primis enim certum est, Aureolum non loqui de apparentia habituali, quam habet in specie; quandoquidem hæc etiam in specie est; cum, habens speciem illam, dormit, vel nihil intelligit. Loquitur ergò de apparentia actuali; quæ tamen, cum prior natura sit, quam Intellectio; siquidem, vt sic, habet rationem formalis principij respectu illius; sequitur, quod non dicatur tunc Intellectus actu intelligere; alias, ante Intellectionem esset intelligens, quod ridiculum est.

§. II.

Refellitur opinio Godof.

4 SIcuti etiam infirmissima est Godofr. opinio quodl. 4. q. 8. teste Aureolo in 1.d.35.q.1.art.1. & Capreol. ibidem q.1.art.1. asserentis; Intelligere formaliter non esse aliud, quam recipere speciem intelligibilē; vndè ipsa species, vt recepta; siuè potius ipsa formalis receptio speciei in Intellectu (ex Godofr.) est ipsa formalis Intellectio; (si ipse loquatur de specie impressa, quę cōmunius dicitur, species intelligibilis;) Sequeretur enim alterum ex duobus; vel, Intellectū, ex quo recipit speciem, nunquam ab Intellectione cessare eiusdē obiecti; siquidem species illa non est per modum transeuntis, sed potius per modum habitus, & qualitatis permanentis; vel saltem, species intelligibiles, tantum deseruire pro prima vice Intellectui; quando scilicet actu recipiuntur in illo; & sic toties, quoties Intellectus intelligit, de nouo speciem recipere debere; si tantum in illa speciei receptione cōsistit hoc, quod est, actu, rem intelligere. Addo, quod Beati vel non intelligerent, ac viderent Diuinam Essentiam; vel nō viderent Visione creata; patet vtrumque: Et primum, nam Diuina Essentia, quæ est loco speciei, non dicitur recipi in Intellectu; cum non sit forma intrinseca; sed tantū extrinseca; ergo, si in receptione speciei consistit actualis Visio, in Beatis nulla erit talis Visio actualis, & formaliter; vel, si adest, non dicentur Diuinam intueri Essentiam, per Intellectionem creatam: sed ipsa Dei Essentia, (quod erat secundum absurdum.) Si verò Gotofred. per speciem intelligibilem, intelligat speciē expressam, (quod verosimilius est;) tunc conueniet cum sententijs statim citandis.

Opinio Conimbr.

5 Alij volunt; Intelligere actu nil aliud formaliter esse, quam conceptum producere, illumque in se recipere; ita Conimbr. 3. de Anima cap. 8. q. 4. ar. 1. ad secundum Godofr. vbi sic habet. *Intellectum, non ob id, tantum, intelligentem appellari, quod Intellectionem producat; sed quod eam simul producat, & recipiat; quod actionum immanentium proprium est.* Et sic, in horum sententia, Intelligere non est agere simpliciter; sed agere, recipiendo in se id, quod agitur.

Opin. Fons.

6 Fonseca 7. Met. q. 8. sect. 6. docet; Intelligere formaliter esse conceptum ipsum in se recipere; non ab alio productum, sed à se: Ita enim ait: *Dicimus, Intelligere apud nos, nil esse aliud, quàm, conceptum, in Intellectu, ab ipso Intellectu productum, recipi: Hac enim ratione Intellectus noster intelligit: quia à se ipso, specie intelligibili informato, recipit expressam similitudinem rei, quam intelligit.* Differt autem sententia Fonsecæ ab illa Conimbr. quod Conimbr. aiunt; Intelligere, esse quidem conceptum producere: non

In quo differat sententia Fons. à sententia Conimb.

non tamen simpliciter; sed illum recipiendo in se ipso. Fons.verò docet; Intelligere formaliter esse recipere conceptum; non tamen simpliciter, sed à se productum; ita vt, in recto, intelligatur conceptus receptio: cum connotatione tamen, quod non ab alio sit productus; Conimbricensiũ verò sententia videtur, in recto, significare, Intellectionem sitã esse in conceptus productione; non tamen absolutè: Nam, si fieri posset, quod Intellectus produceret conceptum, & illum non in se reciperet, non intelligeret.

Sententia aliorum. 7 Alij tandem volunt, simpliciter, & absolutè, Intelligere consistere in hoc, quod est, Intellectionem recipere, præcisè; prout videtur sentire Scot. in 1.d 3.q.7.§. *Ad authoritatem Philosophi*; & cum eo satis consentit Rada controu. illa 7. ad finem in solutione 4. argumen. nec multò differentit Vasq.disp.112.cap.4. nu.13.disp.141.cap.3.nu.17. (Scot. Rada, Vazq.)

§. III.

Authoris sententia. 8 Ceterum inter tot opinionum varietates, mihi videtur, in hac re, sic Philosophandum; vt, Intelligere, formaliter, nihil aliud sit, quàm, Intellectum, qualitate in se recepta, intentionaliter, atq; intelligibiliter, percipere obiectum, quod intelligitur: Intellectio autẽ, formaliter, non sit aliud, quàm ipsa qualitas recepta, vt intelligibiliter est perceptiua obiecti; vel (si mauis) erit ipsa formalis perceptio obiecti, vt est quoddam intelligibile. Quia verò hæc intentionalis, siuè intelligibilis perceptio rei intellectæ, nec concipi, nec explicari potest sinè quadam veluti tendentia, & quodã veluti transitu, siuè exitu Intellectus ad rem intellectam; ideò significantur per modum actionis; Cum tamen talis trãsitus, & tendentia non sit vera, & realis actio, sed solum significetur, & apprehẽdatur grammaticaliter, ad modũ actionis. Ita hoc explicat Barg. in 1.d.39.lit.I. dum ait: *Intellectum formaliter intelligere; non quia recipit, sed quia percipit, scilicet, obiectum*; & hanc intelligibilem rei intellectę perceptionem, ex receptione qualitatis, quæ est Intellectio, appellat, Vitalem immutationem: & meritò; quia nihil, nisi viuens, potest intelligibiliter in aliud tendere; & illud percipere; quod annuit Comment. 12.Met.com.39. vbi explicans illa verba Arist. in cap.7. eiusdem lib. & tex.39. (*Actio Intellectus est vita.*) Addit: (*Actionem Intellectus tunc esse vitam; cum est comprehensio*; (supple) *obiecti*: Siquidem sinè hac comprehensione, Intellectus non viuet, vita intellectiua; quantumuis ipsum actum intelligendi producat. Si enim, Intellectu actiuè producente qualitatem, quæ dicitur conceptus, Deus impediret, ne eam in se reciperet; vtique per eam non intelligeret; quia nihil perciperet. Vnde productio talis conceptus, quamuis esset à viuente; non tamen illi esset vita; quia illi non esset formalis intellectio, per quã fieret intrinsecè intelligens. (Barg. — Comment. Arist.)

9 Hoc idem non minus clarè insinuauit D.Th. super 12.met.cap.7.tex.39. explicans illa verba Arist. quibus ait; *quod intellectus se ipsum intelligit, assumptione intelligibilis; intelligibilis namq; fit attingens, & intelligens.* Ex his verbis colligit D.Tho. hanc consequentiam, dicens: sequitur, quod intellectus, in quantum attingit intelligibile, fit agens, & operans; .i. intelligens. Et de malo q.16. art.12. ait; *Intellectionem fieri per apprehensionem rei intellectæ.* Et hinc est; quod intellectus dicitur à Phisicis, Potentia apprehensiua obiecti, quod apprehendit per intelligibilem intuitum ad ipsum obiectum: Intelligere.n. formaliter per se includit intuitum ad ipsum intelligibile; vt idem sit, Intelligere formaliter, quod, Intellectum intueri rem intellectam (ex D.Th. in 1.dist.3.q.4.art.5. & idem docet p.1.q.34.art.1.ad 3. dum asserit, *Intelligere importare solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam*; intellige, de habitudine transcendentali, quæ est de essentia qualitatis absolutæ.) (D.Thom. Arist. — D.Thom.)

10 Hanc sententiam docet noster Lusit. in terminis lib.4.q.1.ar.2.nu.30.& q.2. ar.4.§.2.nu.7.& lib.8. in 1.p.q.1.at.4.§.7. n.45.& lib.10.q.1.art.2.§.7.n.31. Ad eandem facilè reducentur Conimbric. Fons. Vasq. disp.141.cap.3.nu.18.& 12.disp.9. cap.5.nu.29.Scot. in 1.d.3.loc.cit. si benè expendantur eorum dicta; sed non est præsentis loci aliorum pondetare in hac re sentẽtias, sufficiat propriam statuisse. (Lusit. — Conimb. Fõs. sec. Vasquez, Scot.)

§. IV.

11 Itaque dicimus, quod Intellectio, formaliter, nihil aliud sit, quam, intelligibilis attingentia, & perceptio rei intellectæ. Intelligere autem formaliter, sit, tendere notionaliter in rem intellectam, & illam intelligibiliter attingere,

ac

Explicatur hæc verior sententia.

ac percipere. Diximus (*notionaliter tendere, & percipere;*) quia, ad Intelligere, requiritur Intentio cognoscentis, per quam cognoscens, ad rem cognitam, veluti, fertur, & ducitur; & sic, nec intuitus Intellectus ad rem intellectam; nec tendentia ad illam; nec denique eius apprehensio, erit realis, sed solum Intentionalis; quia fit contemplando ipsam rem; & ipso contemplationis intuitu, eam intelligibiliter apprehendēdo; in quo nulla ratio originis importatur (vt ex D.Th. q.34.ar.1. diximus.) Est ergo Intellectio, formaliter sumpta, qualitas, ex sua natura, Intentionaliter perceptiua rei Intellectæ; vndè, essentialiter, est quoddam relatiuum transcendens, respiciens rem Intellectam per modum attingentis, & apprehendentis illam. Cuius formalis effectus est, reddere Intellectum, in quo, tanquam propria Intellectio, recipitur, attingentem, & percipientem rem Intellectā; hoc enim modo dicitur illud reddere formaliter Intelligentem.

Dupliciter intellectus fit intelligēs, efficienter, & formaliter.

12 Quæ doctrina, sic explicata, non indiget probatione maiori; dummodo, ad tollendas aliquas æquiuocationes, attendatur; quod dupliciter Intellectus dici potest Intelligens fieri. Primo, efficienter. Secundo verò formaliter; sicuti distingui solet inter, facere calidū efficienter, & facere calidum formaliter. Ignis enim facit calidum, efficienter, per calorem; quatenus ab eo producitur; Non tamen dicitur formaliter facere calidū; cum hoc ad caloris formam pertineat, vt est causa formalis ipsius calidi; Eodē modo, Intellectus, per qualitatem, quæ est Intellectio, vt est ab ipso producta, facit se Intelligentem efficienter, non tamen formaliter; quia, esse Intelligentis; idest attingentis rem intellectam, non habet Intellectus ab Intellectione præcisè, vt ab eo est; sed, prout est in eo recepta; Nam, dato casu, quod Intellectus Intellectionem produceret, & illa non reciperetur in eo; & si diceretur effectiuè Intelligens; idest producens Intellectionem: non tamen esset Intelligēs formaliter, & in actu, rem aliquam.

§. V.

Obiectio ex Nauar.

13 Qvod si cum Nauarrete dicas 1. tom. controu.39.§.1. Agēs formaliter fit agens per actionē, siuè per formam actam, vt est ab ipso; ergo Intellectus formaliter fit Intelligēs per Intellectionē; vt est ab eo. Respondet Lusit. loco cit. ex lib.10.§.8.num.51. Nauarretum deceptum esse: quia non distinxit inter Intelligens, & Intelligens. Intelligens enim duobus modis sumitur, actiuè, & passiuè. Actiuè sumitur, vt est efficiens, tum Intellectionis; tum ipsius esse Intelligentis; quod efficit in se ipso. Passiuè autem sumitur; prout Intelligēs idem est, quod attingens rem Intellectā, & eam notionaliter concipiens; Intellectus igitur fit actiuè Intelligens, formaliter, ab Intellectione, vt est ab eo; quia, sicut Ignis, sua calefactione, fit calefaciēs in actu; ita Intellectus, ipsa productione conceptus, actiuè dicitur facere formaliter Intelligentem; ità, vt ly (*formaliter*) idem sit, ac *Actu*; at verò, facere Intelligentem *formaliter*; idest attingentem rem Intellectam, in genere causæ formalis, non est munus ipsius Intellectus producentis Intellectionem: sed potius ipsius Intellectionis, quatenus receptæ in Intellectu, & sic respondet Lusit. Solut. Lusit.

14 Sed si velimus in forma satisfacere argum. Nauar. not. quod dupliciter aliquid denominari potest tale, formaliter; vel denominatione extrinseca; vel intrinseca. Denominatio extrinseca prouenit à forma, non inhærente rei denominatæ, sed in alio subiecto existente; vt paries dicitur formaliter visus, denominatione extrinseca, à visione, quæ non inhæret ipsi parieti, sed potentiæ visiuæ videntis: Denominatio verò intrinseca necessariò debet prouenire à forma inhærente; quare paries non posset denominari intrinsecè albus ab albedine, existēte in papyro, vel in manu: sed sibi actu inhærente. Hoc supposito; ad argumentum, distinguendum est antecedens: cum enim dicitur: *Agens formaliter fit agens per actionem; siue per formam actā, vt est ab ipso.* Denominatione extrinseca; conc. intrinseca, neg. dictum est enim 3. Phis. Agens, ab ipsa actione, tantum extrinsecè denominari; non enim actio subiectatur in Agente, quatenus Agens est; sed, vt sic, profluit ab eo; etiam si immanentes actiones subiectentur in illo, in quantū patiens est; & eodē modo distinguendum est consequens: Intellectus enim formaliter dicitur Intelligens, per Intellectionē, prout est ab eo: denominatione extrinseca; concedo: intrinseca; nego: non enim intrinsecè denominatur formaliter Intelligens, nisi per Intellectionem; prout est in eo.

Respondetur in forma superiori obiectioni.

Gg Quod

§. VI.

Replica.

15 QVod si dicas: ergò ratio Intellectionis, vt formaliter est Intellectio; optimè saluari potest, quamuis ab Intellectu non producatur. Patet conseq. quia intelligere per se primo ponitur in ipso attingere rem intellectam; sed ipsum attingere rem intellectam, per se, non pēdet ex hoc, quod Intellectio sit ab Intellectu; sed solum ex eo, quod in Intellectu recipitur: Ergò formalis ratio Intellectionis benè saluatur, quamuis illa ab Intellectu non producatur. Ma. est nota. min. prob. nam, quando subiectum, ex sua natura, est capax alicuius effectus; licet in habendo illum, per se pendeat ab agente; ita tamen pendet, vt talem effectum possit recipere, à quocunque agēte ille producatur; Etenim subiectum, quod capax est fieri calidum per calorem; licet per se pendeat ab aliquo calefaciente, indeterminatè sumpto; à nullo tamen eorum, determinatè accepto, per se pendet; sed à quocunque producatur calor, potest eum recipere, quo fiat calidū; sed Intellectus, ex sua natura, est capax Intellectionis, per quā formaliter attingit rem intellectam; ergo quamuis, in habendo Intellectionē, qua formaliter illo modo fiat intelligens, per se pendeat à producente intellectionem: quia ab aliquo debet illam habere; non tamen per se pendet ab hoc, vel illo determinato producente; sed, à quocunque illam habeat, per eam potest Intelligere.

Quomodo Lusitan. hac obiectione cōuictus, dicat, intellectū posse intelligere intellectione à se nō producta.

16 Hoc argumentū, certè difficillimū est in nostra sententia; & sic Lusit. noster, qui eam in terminis docet, libenter concedit totum argumentum; nec absurdū, seu implicans reputat, posse Intellectum intelligere, per Intellectionem non producta ab ipso, sed ab alio; dummodo illam in se recipiat; vndè d. lib. 10. q. 1. art. 4. instituit quæstionem: *Vtrum Deus possit causare Visionem in Intellectu, ad eam actiuè non concurrente?* & §. 2. ponit primam suam conclusionem, dicens; non posse cum probabilitate negari, posse Deum se solo, absque vllo concursu Intellectus, Visionem Beatam producere, & quamcunque aliam actionem vitalē, & immanentem; quam probat à §. 3. nu. 15. per totum §. 5. soluendo argumenta opposita.

17 In §. vero 6. statuit secundam conclusionem, dicens; non repugnare, Intellectum Intelligere, per Intellectionem, in se receptam; à se tamen non productam; & nititur, vsq; ad num. 41. per totū d. §. satisfacere omnibus obiectionibus, quæ fieri solent à Doctoribus; præsertim à Vasq. Valent. & Vega. Immo §. vlt. conatur demonstrare D. Thom. huius extitisse sententiæ.

18 Ad euitandam etiam huius argumenti difficultatem, Conimbr. Fonsec. & alij supra citati, expressè voluerunt, in ratione formali Intellectionis, necessario connotari ipsum Vitale principium proprium; & sic illi posuerunt rationem Intellectionis in hoc, quod est, produci ab Intellectu, & in eodem recipi. Fons. vero, in hoc, quod est, conceptum ipsum in se recipere, nō ab alio productum, sed à se.

Aliorum solutio ad replicam. Conimbric. Fons.

§. VII.

19 CEterum; in hoc, nullo pacto cogimur, (in sententia nostra, exposita, vt supra) Lusitano adhærere; cum (adhuc stantibus his omnibus, quæ diximus) omninò implicare contradictionem existimemus, posse aliquem Intelligere, formaliter, per Intellectionem ab alio productam. Immò, nec Deum, posse se solo Intellectionem producere, eamque productam ponere in aliquo creato Intellectu; vt per eam intelligat. (Quicquid longa verborum serie Lusitanus dicat in toto illo art. 4.) neq; ad hoc sustinendum, iudicauimus necessarium, explicitè mentionē facere essentialis ordinis, quem dicunt actiones vitales ad proprium vitale principium, in assignando formalem rationem Intellectionis, (prout faciunt Conimbric. & Fons.)

Implicat aliquē posse intelligere formaliter p visionem, seu intellectionem ab alio elicitam.

20 Nam ad hæc respondet Lusit. art. illo 3. §. 5. nu. 53. & 54. quod, licet actiones vitales non possint suum effectum formalem exercere, nisi in eo, qui per eas vitaliter operetur; non tamen ideo vitales, per se, dicuntur; quia effectiuè sunt à principio vitæ; sed ex eo, per se primo, & adæquatè vitales sunt, quia sua obiecta vitaliter attingunt: Actio enim Intellectus ideo vita est (ex Commēt. vbi sup.) quia est comprehensio obiecti. Quare ratio vitalitatis, in his actionibus, per se primo, in hoc posita est; quod sunt notionaliter apprehēsiuæ suorum obiectorum. Quod ex eo probat: quoniā, si Intellectus, actiuè producens conceptum, Diuina Potētia, in se illum non recipiat, talis conceptus non esset illi vita, quia

In quo sita sit ratio vitalitatis in actibus vitalibus Conimbricent.

per eum nō intelligeret, (vt dictum est;) esset quidem talis conceptus à viuente; viuens tamen, per illum, formaliter, non viueret. Quare vita actualis Intellectus, qua formalitèr actu viuit, non est, ipsum producere conceptum; sed ipsum attingere rem intellectam per conceptum; Vndè, si Intellectus, per conceptum à se non productū, conciperet rem intellectā; vtique Intelligeret; & intelligendo viueret; Et subinde; Intellectum, conceptu in se recepto, concipere, & apprehendere rem intellectam, essentialiter est vita intellectiua. Quarè Intellectio, ex eo, quod est ab Intellectu; habet, quod sit actio viuentis; non tamen, quod sit illi vita actualis; sed ex eo, quod illi sit formalis rei intellectæ conceptio: Talis autem non erit, nisi viuenti: quia solus viuens potest, per conceptum in se receptum, notionaliter tendere in rem sibi obiectam. Et sic, concludit, quod, ex capite vitalitatis, non implicat, Intellectū formaliter posse intelligere, per Intellectionem, à se non elicitam: quia Intellectio, per se, & essentialiter, non est vitalis, quia effectiuè est à viuente; sed quia viuens per eam intuetur, & percipit obiectum; quam doctrinam fusius explicat art. 4. §. q. ad primum argumentum.

§. VIII.

Nota. De perfectionibus entis.

21 QVare profundius perscrutanda est implicationis ratio; & sic, primò notāndum est; dari aliquos gradus Perfectionum in entibus, qui simpliciter, & absolutè, Perfectionum gradus sunt; & dicuntur Perfectiones simpliciter simplices, quia, in vnoquoq; entis indiuiduo, meliores sunt ipsæ, quam non ipsæ, & nullam prorsus imperfectionem includunt; vnde huiusmodi dicuntur, Deo formaliter cōuenire; quales sunt esse *Ens*; esse *Substātiam*, esse *Viuens*, esse *Intelligens*, &c. & hæ Perfectiones, quibus conueniunt, taliter conueniunt, vt sint omninò de intrinseco, & quidditatiuo eorum conceptu, (vt discurrēti facile patebit,) & non possint non illis conuenire: ex. gratia: *Canis*, formaliter; & essentialiter est *Ens*, & *Substantia*, & est *Viuens*: ita, vt non possit esse *Canis*, quin illi conueniant huiusmodi perfectionum gradus essentialiter; id autem, quod alicui essentialiter conuenit, & formaliter, secundum eam rationem, secundum quam illi formaliter, & essentialiter dicitur conuenire, nullo pacto potest formaliter conuenire alteri, quod non sit illud; v.g. *esse Rationale*, formaliter, & essentialiter competit Homini; nec, per Dei potentiam, potest tale esse *Rationale* formaliter conuenire lapidi; ita vt lapis dicatur *Rationalis* formaliter, per tale esse.

22 Item addo; quod quando aliqua duo participāt, eodem modo, de eodem gradu perfectionis; v.g. *Aequus*, & *Leo*, eodem modo participant gradum *Substantia*, *Entis*, & *Viuentis*: Neuter dici potest formaliter talis, per gradum perfectionis alterius. Vnde, nec *Aequus* potest dici *Ens*, per entitatem *Leonis*; nec *Leo* potest dici *Ens*, seu *Viuens*, per entitatē, seu gradum vitæ *Aequi*: sed eorum quilibet talis dicitur formaliter, & essentialiter, per illum perfectionis gradum, quem essentialiter participat. Nec Deus, de potētia absoluta facere potest, quod gradus *Entis*, qui est in *Aequo*, ponatur in *Leone*; & gradus *Vita* qui est in *Leone*, ponatur in *Aequo*; vnde *Leo* dicatur esse *Ens* formaliter, per entitatem *Aequi*, quā in se habet; & *Aequus* dicatur formaliter esse *Viuens*, per vitam *Leonis* in se positam; Cum .n. huiusmodi gradus (vt latè diximus in nostris quæstionibus Logicalibus, disp. de vniuersalibus) omninò idētificentur à parte rei cū differentia indiuiduali eius, in quo sunt; & tantū, per nostram considerationem, distinguuntur, nec per Dei potētiam separari poterunt ab eo, in quo sunt, & poni in alieno subiecto; hæc, tanquam certa, credo, admittantur ab omnibus.

§. IX.

23 SEcundò notandum est; duplicem esse qualitatem. Altera est qualitas, quæ est pura *qualitas*; .i. *qualitas*; quæ, in sua permanentia, non necessariò pendet ab aliqua actione; vt, Nigredo, Albedo, &c. quæ, licet, in fieri, necessariò pendeant ab aliquo agente; tamen, in facto esse, & quando iam productæ sunt in subiecto, non dicuntur conseruari ab agente aliquo creato, nec per aliquam actionem creatam. Altera verò est *qualitas*, quæ non est purè *qualitas*; sed se habet ad modum actionis; saltē, grammaticalis; quæ non solum, in fieri: sed etiam, in permanere, pēdet ab actione; huiusmodi sunt operationes immanētes, quæ non sunt puræ qualitates; quia non solum in fieri, sed etiam in permanere Duplex qualitas, pura, & non pura.

pendent ab actione creata, qua à principio vitæ intrinseco producuntur; ob quā rationem significantur nomine actionis. Hæc qualitatum distinctio desumpta est ex Suar. in met.disp.42.sect.5.nu.14. in Responsione ad illum locum Aristot. ex 10.Ethic.c.3.vbi docet; *operationes virtutum non esse qualitates*; & eandem nos supra retulimus. quæ doctrina maximè probatur, & commendatur ab eodem Lusit.lib.4.q.2.ar.4.§.3.nu.13. vbi sic ait. *Maximè placet explicatio Suar.*&c. Quarè, non est, modo in præsenti controuersia, cur ei displiceat, si quod maximè placuit, ipsum perimet?

Suar. Arist.

Lusit.

§. X.

Conseruatio non est quid distinctū realiter à productione, vel creatione. Suar. D Th.

24 Tandem, tertiò supponendum est cum Suar. tom.1.meth. disp.21. sect.2.n.4. Conseruationē non esse aliam actionem à productione, vel creatione; nisi ratione tantum, vel connotatione,& habitudine; quæ sententia est D.Th.p.1. q.10.art.1.ad 4.vbi ait, *quod conseruatio rerum non est per aliquam nouam actionem, sed per continuationem actionis, per quam habent esse; sicut conseruatio luminis in aere est per continuatum influxum à Sole*; ita etiam habet de potēt.q.3.ar.3. ad 6.& q.5.ar.1.ad 2.item Herueus tract. de Aeternit.mundi q.1. Aegid.de ente,& Essentia q.7. Ferrara 3.con.gent.cap.65. & reliqui communiter Thomistæ; quod suppositum suadetur à Suar.quia nullum est principium sufficiens ad distinguendas illas actiones; quis.n.credat (inquit) Solem, vel lucernam, alia actione illuminare hunc aerem, cum primo applicatur, & deinceps? quid .n. fuisset in causa, vt prior actio intertumperetur, vel cessaret, & alia deinde inchoaretur? Rursus, deberet prima actio, tātum per instans nostri temporis, durare; quia, qua ratione amplius duraret, semper durare posset; subsequens ergo actio, vel duraret per aliud simile instans, tantum; & sic essent duo instantia immediata; quæ dari nullo negotio posse, satis 6.Phisic. probauimus; vel duraret per totum subsequens tempus, quo res conseruatur; & tunc, eadem, vel maiori ratione, idem dici poterit de priori actione, & vitabitur illa superflua multiplicatio actionum. Adde, quod illa secunda actio inchoanda esset per vltimum non esse; quod est præter naturam talium actionum (vt nos diximus in physicis dispositionibus de inceptione, & desitione rerū.) Item, in Visione Beata, v.g. alia esset actio, qua Beatus primo videt Deū, & qua deinde perseuerat in Visione Dei; & ita, prima actio non esset Beatitudo, neq; esset perpetua; quod est satis absurdum; immò, hoc admittere, in quacunq; corporali visione; vel in omni intellectione, & volitione, est præter omnē rationem, & præter experientiam; quantum in hac re interuenire potest: immò vix est homini possibile, perseuerare tantum per instaus in actione vitali, quā exercet.

Heruæus. Aegid. Rom. Ferra.

25 Mirum etiam esset, quod in agente naturali v.g. *Visu*, variaretur actio, non mutato principio, neq; obiecto, neq; passo, neq; effectu; & similiter, quod in agente libero multiplicaretur actio, absq; vsu nouo libertatis. Concludamus ergo, conseruationem non esse distinctam realiter actionem ab ea actione, per quam res accipit esse: sed tantum ratione. Hæc mutuanimus, ferè de verbo ad verbum, ex Suar. loco supra cit.

§. XI.

26 Quibus addo, quod contingere potest, vt effectus aliquis productus à causa secunda, & à Deo, secum cooperante, conseruetur à solo Deo, sine concursu causæ creatæ. v.g. calor productus ab igne, & à Deo, cū igne concurrente, poterit à solo Deo in subiecto cōseruari, etiam destructo igne, vel in absentia ipsius; & sic de reliquis effectibus productis, per actiones transeuntes; vt de facto patet de albedine, & alijs qualitatibus, quæ purè qualitates sunt. Immò, pro modo, nec improbabile iudicarem, fieri posse, vt effectus productus per actionem transeuntem ab vna causa secunda, conseruetur à Deo, mediante alia secunda causa, distincta ab ea, à qua productus est; si supponatur à Deo, loco illius. v.g. Idem calor productus in aqua ab vno igne, vel etiam à Sole, potest Deus facere, quod, destructo illo igne, vel in absentia Solis, conseruetur in illa aqua per alium ignem, de nouo suppositum, vel aliam causam, per quam vellet Deus illum calorem conseruare. Cęterum, de actionibus immanentibus, certissimum arbitror, non posse Deum facere, quod Visio, elicita à potētia visiua Francisci, de aliquo obiecto, conseruetur, destructo Francisco, per potentiam visiuam, nempè Petri; nam vel Petrus,

Effectus productus à causa secunda, & à Deo cōcurrente, potest à solo Deo conseruari si sit productus per actionē transeuntem secus, si per immanentem.

Petrus, pro conseruatione illius visionis, merè passiuè se haberet, eam tantum recipiẽdo in sua potentia visiua; ita vt, non diceretur dictũ obiectum attingere per talem visionem; & hæc conseruatio non esset ad rem; quia tantum esset in genere causæ materialis; & visio illa, nullo negotio, diceretur habere rationem veræ, & propriæ visionis; sed cuiusdam qualitatis absolutæ; sicuti eueniret, si Deus eandem visionem poneret in lapide, (vt nos cap. de proprio diximus, &c.) vel eliceret ipse Petrus, pro conseruatione dictæ visionis, actum aliquem proprium suæ potentiæ visiuæ circa idem obiectum; & tunc non diceretur videre obiectum illud, per visionem, quam Deus posuisset in eius potentia visiua, à Francisco; iam extincto, elicitam: sed potius per propriam visionem, & actum proprium potentiæ ipsius; quia non potest dici, quod Petrus, per suam propriam visionem, non videret; alias verè essent duæ contradictoriæ; nẽpè; quod, per eandem esset videns, & non esset videns: esset profecto; cum eam & eliciat, & in se recipiat; & nihil desit ex requisitis ad videndum; non esset verò videns, quia videret per non suam: sed per aliam, ab ipso non elicitam; quę certè inintelligibilia sunt. Quare concludamus, de actionibus vitalibus; eas omninò pendere à proprijs principijs vitalibus, nedum, in fieri, sed etiam, in conseruari; & non solum passiuè, & in genere causæ materialis; sed etiam actiuè, ita vt, tandiù durent, quandiù in eas influat ipsarum vitale principium proprium.

§. XII.

Ratio implicantiæ, cur intellectus nō possit intelligere per intellectionē ab alio elicitam?

27 His omnibus sic statutis, ac præmissis, facilè est perscrutari implicantiæ rationem; Cur intellectus non valeat Intelligere, per Intellectionem, ab ipso non elicitam, sed à Deo productam, vel ab alio intellectu creato; & à Deo locatam in illo? etiam, stante sententia nostra, superius explicata, de modo, quo intellectus dicitur esse formaliter intelligens obiectum actu. Potest autem primo breuiter ratio efformari, ex dictis; seu potius explicari, hoc discursu. Gradus vitalitatis formalis, & actualis est ex his perfectionibus, quę simpliciter simplices nuncupantur; cum in vnoquoq; indiuiduo entis meliores sint ipsæ, quàm non ipsę; & sic, cui conuenit, taliter illi conuenit, vt sit de intrinseco, ac quidditatiuo eius conceptu; & non possit non illi conuenire; nec vnum viuens, etiam per Dei potentiam, formaliter viuere potest per gradum vitalitatis alterius; (vt in toto primo not. demonstratum est;) sed Intelligere; quod in nostra sententia consistit (vt ex Lusitano supra docuimus) in hoc, quod est, (*intellectum notionaliter attingere rem intellectam, per conceptum in se receptum*) est vita actualis intellectus, per quam formaliter actu viuit; (vt passim etiam docet dictus Lusitanus locis supra citatis:) ita ut, intellectus non dicatur formaliter actu uiuere, ex eo, quod effectiuè Intellectionem eliciat; siquidem, si intellectus, actiuè producẽs conceptum, Diuina Potẽtia, in se illum non recipiat; talis conceptus non esset illi uita; quia per eum non intelligeret; sed ex eo, quod rem intellectam, notionaliter, per conceptum in se receptum, attingat: ergo tale Intelligere taliter est de intrinseca ratione intelligentis actu, ut non possit alteri, quod non sit illudmet intelligens, actu conuenire, nec per Dei potentiam; immò nec, per eandem fieri poterit, ut intellectus Francisci, u. g. actu intelligẽs, & sic, actu, & formaliter uiuẽs per talem Intellectionem, uiuere possit formaliter per Intellectionem alterius intellectus; nempè, Petri: sicuti ipse Franciscus, nec per Dei potentiam, uiuere potest formaliter per uitam ipsius Petri. Totus hic discursus legitimus apparet ex primo notabili; nec aliqua indigere uidetur explicatione maiori; siquidem maior propositio principiũ vniuersale est, & luce meridiana clarius. minor tota est ipsius Aegidij, & ar. illo 3. & etiã 4. cõsequentia est ex præmissis necessário illata; cum syllogismus sit in forma, & in prima figura, ut patet.

Lusit.

§. XIII.

28 Addo, & aliam rationem, fundatam super secũdum, & tertium not. illæ qualitates, quæ non sunt puræ qualitates, sed se habent ad modũ actionis, saltem grammaticalis, non solum in fieri, sed etiam in permanere, & conseruari, pendent ab actione: sed actiones immanẽtes, cuiusmodi sunt, Intellectiones, Volitiones, &c. sunt huiusmodi, .s. se habẽt ad modum actionum grammaticalium; & non sunt puræ qualitates; ergo non solum in fieri, sed etiam in conseruari dependẽt ab actione, qua à principio 2. ratio.

cipio uitæ intrinseco producuntur, ob quam rationem significantur nomine actionis. Totus hic syllogismus est desumptus ex secundo illo not. cuius doctrina maximè commendatur à Patre Lusitano, (ut dixi in d. 2. not.) tunc subinfero. ergò implicat contradictionem, posse intellectum Francisci, u.g. Intelligere, per Intellectionem, non ab ipso elicitam, sed ab alio intellectu. patet hæc vltima consequentia. Nam si intellectio illa debet pẽdere in conseruari ab actione, qua à principio vitæ intrinseco producitur, si Deus acciperet Intellectionẽ elicitam ab intellectu meo, & illam poneret in intellectu Francisci, non posset illa intellectio conseruari ab actione, qua producta est. Cum actiones vitales, immanentes sint, non transeuntes. Et sic, non possent se extendere ad conseruandam Intellectionem, quæ esset in externo, ac distanti subiecto. Nec valet dicere, quod conseruaretur à Deo. Siquidem vtiq; Deus posset conseruare illam, in ratione cuiusdam qualitatis, vt sic; non autem, in ratione intellectionis; quia, vt sic, petit cõseruari eadem actione, quà processit ab interno principio. Hoc autem sic poterit suaderi: nam de intrinseca ratione intellectionis, vt intellectio est; est, quod sit actio immanens, & non transiẽs, seu terminus actionis immanentis; iuxta dicta superius; cumq; respectu Dei, illa intellectio habeat potius rationem termini actionis transeuntis, & ad extra producti; non verò immanentis, (vt certum est) sequitur, quod, si à solo Deo conseruaretur talis intellectio, non haberet rationem formalem intellectionis, vt sic; benè verum cuiusdam qualitatis absolutæ (iuxta dicta à nobis in Logica in disp. de proprio.)

§. XIV.

29 ET multo minus dici poterit; in tali casu, quo Deus poneret in intellectu Francisci Intellectionem, elicitam ab intellectu meo, vt per illam Frãciscus intelligeret; conseruari dictã Intellectionem sufficienter per actionem intellectus eiusdem Francisci; nam; præter quã quod, satis ex Suar. in not. 3. diximus, conseruationem non esse actionem, realiter distinctam ab ea, quæ est eiusdem rei productio; sed esse eandem omninò actionem continuatam, propter efficaces, quas ibi adduximus rationes. Addo insuper; nam vel illa actio, quam intellectus Francisci, in tali casu, eliceret, pro conseruanda illa Intellectione, esset alicuius termini productiua, vel non. Hoc secundum satis impugnauimus supra disp. 1. huius tract. de verbo mentis; vbi docuimus, dari non posse aliquam actionem, etiam immanentem, sine termino, etiam de potentia Dei absoluta. Si ergò termini productiua, vtiq; terminus ille intellectio esset propria, & verbum mentis; & hic terminus, per illam actionem productus, necessariò, per eandem, conseruaretur. Et quia in eodem instanti reciperetur in eodem intellectu, tanquam in suo proprio subiecto; per hanc Intellectionem, & non per alienam, diceretur Intelligere Francisci intellectus.

30 Neq; valet dicere, quod Deus tũc posset præstare, vt, etiam si intellectus Francisci eliciat effectiuè Intellectionẽ propriam, ea tamen non recipiatur in eodem intellectu; & sic, per illam actionem, per quam conseruari deberet propria intellectio, conseruetur aliena. Sed contra hoc est; nam, cum actio illa identificetur omninò cum termino, si detur semel, quod Deus tollat illius actionis terminum, necessariò, & actionem auferat, fatendum est. Et si semel concedatur actio aliqua; necessariò, & terminus illius dandus est. Ex nullo ergo capite saluari poterit sententia hæc. Et sic, adhuc in nostro modo explicandi actualem Intellectionem, non est, cur cogamur asserere, posse aliquem Intelligere per alienam Intellectionem; & non elicitam à se ipso.

Effugium.

Impugnatur.

§. XV.

31 QVare restat solum satisfacere in formã argumento; quo, Lusitan. conuictus, nõ iudicat impossibile id, quod nos implicare manifestã contradictionem demonstrauimus; & sic Respõdeo neg. consequentiam. Ad cuius probationem; conc. mai. & ad mi. dico; quod, licet attingere rẽ intellectam formaliter, & in recto, non dicat hoc, quod intellectio sit ab Intellectu, prout dictum est, vt optimè possit intellectio esse effectiuè ab intellectu; & non attingi, per illam, formaliter, ab intellectu rem intellectam, si impediatur à Deo, ne recipiatur in intellectu, à quo elicitur: tamen, quasi materialiter, & in obliquo, petit essentialiter esse ab eodem intellectu, cui dicitur

Satisfit argumento posito supra §. 6. num. 15.

dicitur esse vita intellectiua, essentialiter; & per quam, actu, vitaliter attingit obiectum, propter rationes supra adductas; & sic, nego consequentiam. Cum verò dicitur; (*quando subiectum, ex sua natura, est capax alicuius effectus; licet in habendo illum, per se, pendeat ab agente: ita tamen pendet, vt talem effectum possit recipere, à quocunq; agente ille producatur.*) Distinguenda est illa propositio, de effectu; si.n. ab agente pendeat, tãtum, in fieri, & non in conseruari; vera est propositio; prout exemplo ibi allato, de calore, demonstratur; Ast, si effectus, nedum in fieri, sed etiam in conseruari necessariò ab agente pendeat eodem, eademquè actione; falsa est propositio (vt in notabilibus diximus;) & sic, concessa minori, negatur consequentia. Intellectio.n. nedum in fieri, sed etiam in conseruari, dependens est à suo principio efficiente intrinseco, & ab eadem actione, seu continuatione actionis, per quam producitur.

Corollarium. 32 Concludamus ergo, quod Intelligere nostrum formale, & actuale non cõsistit in hoc, quod est, intellectum producere Intellectionem: sed in hoc, quod est, intellectum, per Intellectionem, in se receptam, vitaliter, & notionaliter attingere rem intellectam; & sic patet, quo pacto intelligendus sit Aristot. in lib. de Anima; cum asserit; *Intelligere esse quoddam pati*: non quod velit Philosophus, quod Intelligere, actu, formaliter, & essentialiter, consistat in passione aliqua; cum potius explicetur per modũ actionis cuiusdam grammaticalis; siquidem est attinctio quædam vitalis obiecti; sed voluit excludere à ratione intellectionis actualis, & formalis, productionem ipsius, & includere receptionem conceptus producti, tanquam quid connotatum essentiale, & intrinsecum ad rationem intellectionis; eumquè recipere sit quoddam pati; hinc fit, quod Intelligere connotet passionem.

Arist.



CAPVT III.

Præmittuntur aliqua scitu digna, ac necessaria, pro determinanda veritate huius disputationis.

§. I.

1 EX huc vsquè dictis, facilè esset inferre, quid respondendum sit titulo disputationis. Cęterum pro faciliori dilucidatione; & intelligentia, aliqua etiam adhuc mihi videntur necessariò præmittẽda. Primum est, quod aliqua dicuntur immediatè dimanare ab aliquo principio; .i. nulla præuia actione, quæ mediet inter ipsum principium, & ea, quæ à tali principio dimanãt; cuiusmodi sunt omnes veræ actiones; calefactio.n. non præsupponit præuiam aliquam actionem, qua media, dicatur produci; alias, & ad illam actionem præsupponi deberet alia actio; & hanc præcedere deberet alia; & sic daretur processus in infinitum: sic etiã propriæ passiones dicuntur immediatè ab Essentia dimanare: non.n. inter Essentiam, & proprias passiones mediat actio aliqua, per quam producantur; cum intelligantur comproduci ex vi eiusdem actionis, qua agens Essentiam producere dicitur: (vt nos 2. Phisic. agentes de grauibus, & leuibus diximus.) Reliqui verò effectus; vt calor productus in aqua, albedo, genitum, &c. Dicuntur producti, medijs actionibus veris; nimirum, calefactione, dealbatione, generatione, &c. Quærimus ergo in titulo; An intellectio sit effectus prioris ordinis; eorum .s., qui immediatè, &, nulla præuia actione, dimanant à suis principijs: an verò, ordinis posterioris; eorum, v.g. qui, per veram actionem præuiam, producuntur? & si posterioris ordinis sit; quæ nam actio illa est, per quam producitur intellectio?

Nota.

§. II.

2 VBi etiam illud aduertite secundò, quod omnis qualitas necessariò debet per aliquam actionem produci; vel saltem comproduci, ad productionẽ alicuius alterius effectus; cum .n. accidens creatum sit, & productum de nouo;

Omnis qualitas per aliquam actionem producitur, vel cõproducitur.

nouo;

nouo; nulli dubium est, quod per aliquã actionem, mediatè, vel immediatè comproductum, vel productum fit; & sic, licet dicamus, proprias passiones immediatè ab Essentia dimanare, non per hoc excludimus, esse saltem comproductas; eadem actione, seu motu, quo Essentia dicitur esse producta; cũ ergo nos quærimus; an intellectio, seu Verbum (quæ duo idem esse diximus, & pertinere ad prædicamentum qualitatis) producatur immediatè, absq; aliqua præuia actione ab intellectu; vel potius per aliquam actionem, quæ mediet inter intellectum, & ipsum Verbum; sicuti calor dicitur produci per calefactionem ab igne? nolumus Intelligere; quod verbum, si non producatur ab intellectu, media actione aliqua vera, per nullam actionem producatur; siuè mediatè, siuè immediatè; quia, in tali casu, adhuc necessarium esset recurrere ad aliquam aliam actionem, antecedẽtem ipsum intellectum; ad eam saltem, per quam intellectus ipse diceretur productus, vel comproductus; & sic semper daretur locus alicui actioni, respectu cuius posset, saltem remotè, qualitas hæc, quæ dicitur intellectio, esse terminus.

§. III.

Quæ dicãtur comproduci ad p̃ductionem alterius.

3 ITem animaduertite tertiò, quod ea dicuntur comproduci ad productionem alterius, quæ necessaria sunt ad naturalem perfectionem rei productæ; ita vt, si in aliquo instanti, sine illis, res producta esset, diceretur carere sua naturali perfectione; huiusmodi sunt proprietates rerum, & passiones; Animæ potentiæ, &c. Quæ omnia nos 2.Physic.agẽtes de grauibus, & leuibus, diximus, effectus esse extrinseci generãtis; & licet, in posteriori naturæ, dimanent, naturali fluxu, à rerum essentijs, siue anima: non per hoc dicuntur ab illis dimanare, tanquam à causis principalibus; sed solum, tanquam ab instrumẽtis; siquidem, eadem agentia, quibus principaliter ipsæ tribuuntur Essentiæ, dicuntur etiam principales causæ proprietatum, & passionum. Cęterum ea, quæ nõ necessariò faciunt ad naturalem rerum perfectionem, dici nequeunt comproduci ad productionem illarum; & sic nõ possunt esse termini, siuè mediati, siuè immediati eiusdem actionis, siue productionis, qua res illæ productæ sunt, primo, & principaliter.

§. IV.

4 QVartò not. quod diximus etiam in titulo; (*An Verbum producatur per veram actionem prædicamentalem?*) Certum .n. esse debet, qualitatem aliquam non esse alterius qualitatis productiuam immediatè; ita, vt sit ipsa qualitatis productio; licet.n.in agentibus naturalibus, qualitas sit productionis principium effectiuum, saltẽ, *quo*, & virtus agentis; vt calor ignis, respectu ipsius ignis, & calefactionis; cuius ipse ignis principium est; non tamen dici poterit productio ipsa; & sic falluntur certè existimantes, actus intellectus, & Voluntatis esse qualitates; & per eos immediatè produci habitus; ita vt, ipsi actus sint habituum productiones; cum potius dicendum sit necessario, ipsos actus habitus generare, per veram prædicamentalem actionem, (prout alibi dici solet.) Quare in præsenti dubitatione elaborandum est, in perscrutanda aliqua vera, & reali actione, per quã Verbum mẽtis, siue intellectio, verè, & propriè intelligatur produci in nobis.

Qualitas non est qualitatis productiua immediatè.

§. V.

5 QVintò not. quod non immoror modò in disputãdo cum Vasq. Suar. Caiet. Ripa, & alijs Recentioribus, de distinctione, quæ est inter, *Dicere*, & *Intelligere*; quia, ex breuiter hic dicendis, facilè constabit, quid sentiendum sit de illorum verborum distinctione; quæ, vt intelligantur; sicut etiam pro huius tractatus conclusione, adnoranda sunt breuiter duo, ex Rada controu. illa 7. circa expositionem opinionum D.Th. & Scoti; quorum primũ est. (vt ipsius verbis vtar) Obiectum, & Animam, in notitiæ, & verbi productione; viro, & fęminæ, in generatione p̃lis, comparari: Obiectum.n. habet se, veluti Pater; Anima verò, tanquam Mater; &, sicut Vir transmittit semen in fęminæ vterũ, illudq; loco sui substituit, ex quo fęmina efficitur pręgnans, prolesq; concipitur, atq; generatur; & deinde sequitur partus; ita obiectum, quoniam Animam ingredi nequit; vt ei per se ipsum vniatur, transmittit speciem in ipsam, eamq; loco sui substituit, quæ se habet, veluti obiecti semen. quo Anima efficitur prægnans; vel fęcunda, (vt alij loquũtur;) & sicut semen est principium,

Nota ex Rada duo.

quo

quo proles concipitur; sic etiam species intelligibilis est principium actus intelligendi; & propter hanc similitudinem, quam verbum, & notitia habent cum prole, quæ concipitur, & nascitur; appellatur

Aug.

ab Augustino, multis in locis, *Conceptus*, Partus, Proles mentis, & Genitum: præcipuè 9. de Trinit. cap. vlt.

2. ex Rada.

6 Secundum est, quod (vt in superioribus diximus) intelligi minimè potest perfectè ratio, & quidditas Verbi mentis, nisi per verbum oris; eodem .n. modo, quo se habet verbum oris, respectu ipsius loquentis, se habet etiam Verbum mentis, respectu ipsius intellectus; vnde, vt habeatur notitia, (eo modo, quo, pro nunc, haberi potest,) Verbi mẽtis, & eius productionis; recurrere oportet ad verbum vocale, eiusq; productionem. Dat ergo Rada hàc descriptionem verbi vocalis; quæ (vt ipsemet fatetur) videtur apertè indicata ab ipsius nominis significatione; dicit ergo, Verbum vocale esse vocem à dicente, siue loquente prolatã; ita vt, proferre verbum, nil aliud sit, quam ipsum Verbum producere, & generare; cum, certè, tunc verba producantur; & generentur, cum proferuntur. Nec immorandum est in examinanda bonitate huius descriptionis, sed quicquid sit de illa.

Nota 1. vocale Verbũ est alicuius rei signum. Arist.

7 Ex ea, Rada plura colligit. Primũ, quod verbum sit alicuius rei signum, cũ sit vox; & ex Aristot. 2. de Anima tex. 90. de ratione vocis est, quod significet. Secundum,

2. refertur ad rem significatam.

quod dicat relationem rationis ad rem significatam, quæ est signi ad significatum.

3. effectus, & terminus.

Tertium, quod sit effectus à dicente productus per loquutionem, & ipsius loquutionis terminus: sicut calor est effectus à calefaciente productus, &

4. refertur ad dicentem.

ipsius calefactionis terminus. Quartum, quod dicat relationem realem ad dicentem; sicut effectus ad causam.

5. Verbũ vocale est duorum.

Quintum tandem, quod verbum vocale sit duorũ; quatenus .n. à dicente profertur, est verbum dicentis; prout autem est signum, & imago rei, dici poterit ipsius rei verbum.

Applicantur omnes hæ proprietates Verbo mẽtis

8 Easdem prorsus proprietates Verbo mentis tribuendas esse, fatendum est; (prout nos etiam supra annuimus disp. 2. c. 2. §. 1. in 1. & 2. notab. ex Suar.) & primum diximus, Verbum esse in genere signi, & dicere relationem, tùm ad obiectum, cuius est imago expressa: tum ad intellectum, à quo producitur; sed præsertim, (quantum ad præsens attinet,) quod, sicuti, dicere verbum, proferre verbum, & loqui; idem sunt: ita, eo modo, quo verbum vocale est effectus à dicente productus per loquutionem; ipsiusq; loquutionis terminus; ita verbum mentale est effectus ab intellectu productus, per loquutionem, sibi appropriatam; quam; *Dictionem* vocant Theologi; nos verò, *Elicitionem intellectionis* appellabimus, ipsiusq; loquutionis, siuè dictionis, siuè elicitionis terminus.

9 Ex priori notab. ex his duobus, colligitur ordo, quo in nobis Verbum producitur; ex posteriori verò, quomodo, & per quid producitur; verum ex his, & ex dictis in præcedenti cap. colligitur distinctio, quæ reperitur inter actualem productionem Verbi, & ipsum Intelligere formaliter obiectum; nam si Intelligere, (prout diximus) consistit in notionali apprehensione obiecti cogniti per verbum, siue conceptum, in intellectu receptum; certum est, quod saltem in priori naturæ necesse est intelligatur productũ verbum; & sic, verbi productio præcedit ipsum Intelligere. Ordo, quo in nobis producitur Verbũ.

CAPVT IV.

Produci per veram actionem Verbum mentis, ostenditur.

§. I.

1 EX his omnibus (vt vela tandẽ contrahamus) infero huius Disputationis hanc resolutionem. *Verbum mentis, siue intellectio* (quam, diximus, non distingui à Verbo: sed esse eandem omninò qualitatem, spectantem ad tertiam illius speciem) *producitur ab intellectu per veram actionem; immanẽtem tamen, spectantem ad prædicamentum actionis, quæ dicitur elicitio verbi, siue intellectionis; qua actione non dicitur intellectus formaliter Intelligere, sed tantum effectiuè; .i. producere formam, per quam formaliter fit intellectus intelligens.* Cõclusio totius Disputationis.

2 Hæc conclusio, siue resolutio, (suppositis his, quæ diximus in superioribus) mihi videtur ita certa, vt alia probatione non indigeat, sed solum aliquali maiori explicatione; & sic dicimus cum Lusit. nostro lib. 4. q. 2. ar. 4. §. 3. quod, pe- Explicatur Lusit.

nutia vocabulorum, factum est, vt actio illa, qua intellectio producitur, sæpè sæpius à Doctoribus intellectio nuncupetur; sicuti actio, qua elicitur volitio, volitio sæpissimè appellatur; cũ verè, & propriè, nec illa, *intellectio*, formaliter dici possit, nec ista, *volitio*, nisi tantum causaliter; eo modo, quo Arist. in lib. de Generat. & corrupt. asserit, *Generationẽ vnius esse corruptionem alterius*; quæ propositio, formaliter, falsissima est; vera, tamen, causaliter; vt nos ibi; & disput. 8. de proprio sect. 2. Dicebamus, Augustinum 10. de Trinit. cap. 11. & in sermone de imag. asserere, Animam esse Intellectum, Voluntatem, Memoriam, &c. & tamen non voluisse, formaliter, Animam esse Intellectum, &c. sed tantum, causaliter; sicuti causaliter, & non formaliter, verum est, quod odor sit formalis euaparatio. Videre ibi. Ità prorsus dicimus, quod cum apud antiquos Philosophos, & Doctores reperitur productio Intellectionis, *Intellectio* nuncupata; & volitionis productio, *Volitio*; quod tantum sint loquuti causaliter, non verò formaliter.

Productio Intellectionis non est intellectio formaliter, sed tantũ causaliter.

Arist.

Aug.

3 Quare liberum fuit Doctoribus adinuenire aliquem proportionarum terminum, quo commodius possit dicta productio Intellectionis appellari; vnde per Analogiam ad verbum vocale, illam nuncupauerunt *Dictionem Verbi*; & sic apud Augustinum præsertim 15. de Trinit. cap. 15. inuenitur; quod, de Verbo nostræ mentis, seu eius productione loquitur per verbum (*Dicere*,) asserens; *Cum Verbum nostrum cogitatione nostra dicatur*; & iterum; *Et verum Verbum nostrum intimum, nisi nostra cogitatione, nõ dicitur*. Itaq; per *dicere verbum* intelligũt Theologi talem verbi productionem.

Aug.

4 Ast, quia Vasq. disp. 141. cap. 4. & disp. 132. c. 2. multis nititur probare; Dictionem ipsam esse Intellectionem, propriè, dictam; & ipsum Dicere intellectus, formaliter esse Intelligere; & productionem Verbi non esse Dictionem; neq; intellectũ nostrum dicere verbum propriè; & alij multi Recentiores multis difficultatibus inuoluunt hunc dicẽdi modum; eam ob rem maioris facilitatis gratia, (vt omnibus difficultatibus valete dicamus,) dicimus, productionem illam intellectionis, & volitionis, dici Elicitionẽ intellectionis, & volitionis; & sic idem esse, Verbum producere, &, Elicere Intellectionem, siue Verbum; & idẽ esse, Amorem producere, & Amorem Elicere; quo termino commodius explicatur effectiuæ causalitatis ratio; licet in re parum referat, vno, vel altero nomine productionem illam nuncupare, dummodo integer seruetur productionis sensus.

Vasq.

Idem producere Verbũ, ac dicere Verbum.

5 Cumq; (vt cap. præcedenti diximus) posset Deus facere, quod intellectus eliciat Intellectionem, & non intelligat formaliter per illam, si impediat receptionem ipsius intellectionis, in ipso intellectu: euidẽter infertur, quod ipsum Elicere Intellectionem, nõ sit formaliter Intelligere, sed omninò distinctũ ab illo.

6 Dico etiam; illam Elicitionem, cum sit qualitatis productio, non posse ad aliud prædicamẽtum pertinere; quam ad prædicamentum actionis. Patet: nam si ad aliquod aliud, maximè ad prædicamentum qualitatis; sed, iam diximus, qualitatem non posse esse ipsam productionem alicuius alterius qualitatis; benè tamen principium productiuum; ergò illa elicitio, quæ productio est, qualitas esse non poterit.

Elicitio intellectionis est vera actio

7 Patet etiam, Elicitionem illam, actionem esse immanentem, non transeuntem: cum nil producat in externo subiecto; sed ipsius terminus, naturaliter, in eodẽ principio, vnde dimanat, subiectatur.

Est immanes

8 Tandem facilè erit Intelligere, nõ distingui realiter, & entitatiuè ab ipso producto termino: sed tantum formaliter; eodem prorsus modo, quo, de reliquis actionibus, eorũq; terminis intrinsecis, diximus 3. Phisic. & hæc dicta sint pro præsenti vltima Disputatione. Ac quia nonnulla satis digna scitu occurrũt dubia, quæ, ex iam dictis in alijs superioribus dubitationibus, oriuntur, & facilè possent æquiuocationem parere; ideo ea sequenti Appendice expediemus: vbi etiam de productione Verbi in Diuinis, An s. eodem modo prorsus intelligatur produci, sicuti, & in nobis? non inutiliter promam.

Realiter à termino indistincta.

§. II.

9 Coeterum, antequam ad hæc veniamus, (quibus totus tractatus de Verbo mẽtis erit perfectè absolutus;) soluamus oportet secundum illud argumentum, positum in fine Disputationis secundæ. (Occasione cuius discussimus hæc omnia, quo probabatur; Intellectionem realiter distingui à Verbo; quamquam, ex iam examinatis, eius dissolutio facillima sit.

Soluitur argumẽtum disputationis secundę in fine.

10 Di-

10 Dicebat ergò argumentum: *(productio rei nō est ipsa res producta, & causatio causæ non est ipsi effectus causatus.)* Quę maior verissima est, saltem formaliter: Alia est enim formalitas actionis, vt sic; alia termini, per illam producti; licet, realiter loquendo, sit falsa; cũ, entitatiuè, actio nō distinguatur à termino, vt plures dictum est. Subdebatur deindè minor sic; *(Sed Intellectio est productio Verbi:)* si sermo sit de Intellectione, sumpta causaliter, idest, de illa elicitione Intellectionis, modo supra explicato, vera est minor; Si autem sit sermo de ipsa forma, seù qualitate producta, per talem elicitionem, quę dicitur Intellectio, proprius; falsa est; quia, vt sic est ipsũ Verbum, (vt in illa disputatione diximus;) & eodem modo, neganda, vel concedenda est consequentia.

Ad Confirm. 11 Ad confirmationem; cum dicitur: *(Inter viam, & terminum est relatio realis; ergò distinctio realis:)* totũ enthimema conceditur; si de vera via, & termino sermo sit: Productio autem alicuius effectus non dicitur propriè via; & effectus productus, propriè, terminus talis viæ. Sed dicitur se habere ad modum viæ; & sic dicitur, quasi via; vt optimè Conimbric. 3. de Anima cap. 8. q. 4. art. 2. in fine assertionis secundæ; eodē modo, quo nos in parua Logica, dē terminis loquẽtes, diximus terminũ propriè dici de termino Ciuitatis, Possessionis, &c. per analogiam verò, de terminis propositionum; nam, sicut Ciuitatis termini dicuntur Ciuitatem terminare: ita Propositionum termini ipsas Propositiones ex vtraque parte terminant. Sic modo dicimus de via; quæ, propriè, dicitur de ea, quæ ducit Viatorem ad aliquem locum; qui locus, respectu talis viæ, terminus dicitur; & sic, de ratione viæ tantum est, ducere ad aliquem terminum, non verò illum terminum producere; Et hoc pacto distinguntur realiter ad inuicem; at verò actio eliciens, effectus productiua, dicitur, quasi via: nam sicut via ducit ad terminum, ita actio ad effectum, qui dicitur etiam terminus. At discrepant in eo, quod actio est productiua sui termini; & per hoc non distinguitur à termino realiter; sed tantum formaliter, (modo explicato, tùm 3. Phis. tum in superioribus,) vndè sequitur, non esse propriè realem relationem viæ, & termini, inter actionem, eiusque terminum productum. Quarè non abs tè communiter Philosophi, duobus tantum modis, illam Actionem considerant; & duplicem realem relationem ponunt in entitate actionis. Vel prout actio est; & sic dicere ordinem, docent, ad agens: vel, prout passio est; & sic dicere ordinem ad passum. Non autem considerant illam, vt verè via est; ità vt dicat, vt sic, realem ordinem ad terminum, cum certè vera via (vt diximus) dici non possit; & per consequens, nec dicere relationem realem ad terminũ per ipsam productum.

Conimb.



APPENDIX LOCVPLETISSIMA

Pro maiori dilucidatione eorum, quæ in toto hoc Tractatu dicta sunt.

CAPVT PRIMVM.

Quot modis vsurpetur, in hoc Tractatu, terminus (Intellectio?)

§. I.

1 Liquibus obseruationibus summę necessarijs, præsenti Appendice, ditandum duxi Tractatum hunc de Verbo mentis; Et Prima sit; quod, in discursu illius, tripliciter vsurpatum inuenies hoc nomen (*Intellectio.*) Primo *Intellectio* idem significat, ac productio Verbi; & sic causaliter accipitur. Vndè quando inuenies, tum in superioribus; tum etiam apud Patres, ac antiquiores Philosophos, *Verbum procedere per Intellectionem*; intellige, illis locis, sumi, Intellectionem, hoc primo modo; nimirum, pro ipsa productione Verbi, quam nos, *Elicitionem*, appellauimus.

Intellectio tripliciter vsurpatur in hoc tract. 1. pro Verbi productione.

Secundo pro qualitate pro ducta per elicitionem.

2 Secūdo vsurpari potest *Intellectio*, pro qualitate illa producta per elicitionē; quam, diximus, esse, Verbum mentis, & non distingui ab illo, sub qua acceptione frequētius vsurpatam inuenies dictam vocem.

Tertio pro ipso actu intelligendi.

3 Tertio intelligi potest, pro ipso ipso actu intelligēdi rem obiectam; idest, quando intellectus per Intellectionem (quæ est *Verbum*) à se productā per elicitionem, & in se ipso receptam, attingit vitaliter obiectum; in quo, diximus, consistere rationem Intellectionis actualis, idest, ipsum Intelligere actuale, seù ipsā perceptionem obiecti.

4 Intellectio, hoc vltimo modo vsurpata, cōnotat, essentialiter, alias duas Intellectiones; diuerso tamē modo; Nam, intrinsecè, & in recto, connotat receptionem Intellectionis, quæ est Verbū; sicuti, esse actu calidum, formaliter, connotat, habere in se formam caloris; & quemadmodum ipsa forma caloris, secundum se considerata, distinguitur realiter ab hoc, quod est, esse calidum; Ità Verbum, siuè Intellectio, quæ Verbum est, & terminus productus immediatè per elicitionem, realiter distinguitur ab ipso actu intelligendi; Et quemadmodum, esse actu calidum, est effectus formalis caloris, recepti in ligno, & non distinguitur à præsētia ipsius formæ in subiecto, (vt in Physicis dictū est;) ita hoc, quod est, Intellectum actu Intelligere, siuè attingere obiectum vitaliter, non distinguitur realiter à præsētia Verbi, seù Intellectionis, secūdo modo sumptæ, in ipso Intellectu; Et quemadmodum, esse actu calidum, essentialitèr (extrinsecè tamen) connotat productionem caloris à calefaciēte; ita, actu Intelligere, siuè hoc, quod est, vitalis perceptio obiecti intellecti, essentialiter etiam, sed extrinsecè, & in obliquo, connotat productionem Verbi ab Intellectu; Et licet possit, de potentia Dei absoluta, (vt dictum est) euenire, vt Intellectus Verbum producat, & per illud non intelligat, si Deus impediat Verbi receptionem in ipso Intellectu: non tamen fieri potest, vt Intellectus actu intelligat, sine eo, quod in se recipiat tale Verbum, & quod à se ipso sit productū; vt satis ex superiori disputatione cōstat.

§. II.

5 Sed arguit Rada cōtrou. illa 7. post 1. concl. non esse ponendam qualitatem illa, quæ dicitur Intellectio, seù Verbum, siuè species expressa, prius natura ipso actu intelligēdi; quia ista species, seù Verbum mentis, est eiusdem rationis, & speciei cum specie impressa, quæ etiam præcedit ipsum actum intelligendi; vtraque enim repræsentat idem obiectum, à quo sumit speciem; sed duo accidentia eiusdem speciei non possunt Obiectio Radę.

esse

esse in eodem subiecto; ergò non est ponenda huiusmodi qualitas, seu species expressa in eodem Intellectu; vel concedendum est, duo accidētia, solo numero differentia, esse in eodem subiecto.

Solutio.

6 Cęterum facilis est huius argumēti Radæ solutio; & sic (quicquid sit de maiori propositione, cum superius dixerimus, speciē expressam pertinere ad dispositionē; cum tamen impressa species ad habitum pertineat; & nos cap. de qualitate; substinemus, habitum, & dispositionem specie differre. Licet id etiam verum sit, quod in ratione speciei, præcisè, vtraque conueniant in eadem ratione, & specificatione signi repręsentatiui; prior tamen species repræsentat virtualiter; Posterior verò actualiter; & sic transeat illa maior propositio:) Ad minorem verò dico; quod duo accidentia, eiusdem speciei; si habeant idem prorsus munus in subiecto, & eodē modo illud afficiant; Vera est minor, quod non possint esse in eodem subiecto; at si diuerso modo subiectum afficiant, & diuersum habeant in subiecto munus; falsa est minor, vt iam nos diximus in proemialibus nostræ Logicæ, in sectione de Vnitate Logicæ; & etiam in Phisicis; & alibi. vg. duo calores, vt quatuor, non possunt esse in eodem ligno; nam superfluit alter, siquidem totum id, quod hic præstare potest ligno, præstat alter tantum; supposito, quod non habeat aliud, quam reddere calidum, vt quatuor; at verò, si, supposito, quod subiectum sit calidum, vt quatuor, per intensionem, fiat calidum, vt quinque. (quam intensionē, diximus, tùm loco citato ex proemialibus; tùm in generatione, & corruptione disputatione de alteratione, fieri per additionē gradus ad gradum.) Ille nouus gradus caloris, per intensionem acquisitus, numero tantum differt à pręcedentibus; & tamen in eodem subiecto cum illis recipitur; quia diuerso modo afficit subiectum quintus caloris gradus, ac afficiunt quatuor præcedentes: cū hi tantum fecerint calidum, vt quatuor; Ille verò fecit calidum, vt quinque: & sic diuersum habuit munus ab illis; Quare neganda est consequentia argum. quia licet sint eiusdē speciei illæ duæ species; impressa, scilicet & expressa; diuersimodè ramen Intellectum afficiunt; & diuersissimo funguntur in Intellectu munere; nam species impressa repręsentat in habitu; (non quod nō repręsentet etiam in actu, quando actu Intellectus intelligit, vt diximus;) sed quia species expressa solum repræsentat in actu; Impressa verò, vtroque modo; sed adhuc, in repræsentando in actu, differunt; quia species impressa repræsentat, vt principium efficiens; Species verò expressa, vt terminus; item differunt; quia species impressa constituit tantum in actu primo: At expressa, in actu secundo; item indiget Intellectus vtraque ad intelligendum: Prima, quia ad hoc vt intelligat; necesse est primo, vt obiectum sit sibi vnitum, in ratione principij elicitiui: quia ex obiecto, & potentia paritur notitia; & quando obiectū, per ipsū, & immediatè, munus hoc præstare non potest, id præstat, mittendo speciem suam, tamquā semen ipsius; Item secundo; ad hoc, vt Intellectus actu intelligat, necesse est, vt habeat obiectum sibi vnitum, in ratione termini, actum Intellectionis terminātis; cumque hoc præstare non possint obiecta creata, præsertim per se ipsa, & immediatè; Immò, nec ipsa Diuina Essentia præstare hoc potest cum creato Intellectu, (propter vnicam rationē, inter alias, quæ adduci possent, statim tangendā;) sequitur, quod etiam indigeat Verbo, seu specie expressa; qua mediante vnitur ipsi obiectum intelligibile, in ratione termini; cumque tot diuersa munera habeant in eodem Intellectu illæ duæ species; & adeò diuersimodè Intellectum afficiant, sequitur non esse inconueniens, eas esse posse in eodem subiecto.

Nota quomodo duo accidentia solo numero distincta possit esse in codē subiecto.

Alia argumenta, ad hanc superfluitatem probandam, congerit Rada, sed certè, ex dictis, omnia soluta manent: siquidem facilia sunt, & nullius prorsus momenti.

CAPVT II.

Ponitur ratio efficax, cur Dei, & Angeli substantia non possint vniri in ratione termini intrinseci?

1 VNica ergò ratio, quæ maximoperè me mouet, (reliquis, quibus DD. vtuntur, omissis) ad afferendum, nō posse Diuinam Essentiam taliter se vni-

re

re Intellectui Beatorum, vt termini rationem induat immediatì; immò, neque, respectu Intellectuum Angelorum, posse eorummet substãtias habere hanc rationem speciei expressæ, ea est; quia eorum omniũ Intellectio accidens est, non substantia, & ad prædicamentum actionis pertinet.

Nota hanc rationem.

2 Pro cuius vnicæ rationis breui intelligentia; not. est, quod in casu, quo Diuina Essentia v.g. se vniret alicui Intellectui, adeò intimè, vt diceretur, posse habere rationẽ termini; certum est, quod Intellectus nõ diceretur illam Intelligere, merè passiuè se habendo; Tum quia, aliquid in se recipere, nõ est aliqua operatio, sed potius mera passio; & Intellectus, in tali casu, per propriam operationem diceretur Intelligere Diuinam Essentiam: nõ verò per passionem, formaliter; Dandus ergò esset locus operationi vitali: Tum etiã, quia sequeretur, Intellectum creatum Intelligere, ipsa Diuina Essentia, formaliter, tanquam propria Intellectione; cum nihil aliud appareat, quod possit habere rationem actus Intelligendi, vt patet; quæ omnia iam reiecta sunt.

3 Haberet ergo se Intellectus actiuè, attingendo ipsam Dininam Essentiã, per vitalem operationem, à se elicitam; quæ vitalis operatio, cum ad prædicamentum actionis, & ad speciem actionis immanẽtis propriè pertineret; adhuc in sententia eorum, qui non ponunt Verbũ in Beatis; necessariò, & essentialiter, terminum aliquem producere deberet; cũ (vt in superioribus diximus.) De Essentia, seù quidditatiua ratione actionis cuiuscumque, sit, producere terminum; Siquidem tota quidditatiua ratio actionis prędicamentalis desumitur per ordinem ad terminum; & non per ordinem ad terminum extrinsecum; quia circa eundem terminum extrinsecum versari possent duo actus eiusdẽ potentiæ, omninò oppositi; vt actus odij, & actus amoris; siuè, actus scientiæ, & actus erroris, qui ab eadem potentia sunt, & circa eundem terminum extrinsecum versantur; & sic à neutro horum possent habere specificam diuersitatem; Quarè, necessariò assignandi sunt termini intrinseci, specie distincti, per has actiones producti: huiusmodi rationem non posset habere Essentia Diuina, vt patet; neque substantia Angeli, respectu Intellectus eiusdem; Non enim Angelus suam intelligendo substantiam, illam producit; ergò sequitur, quod substantia Angeli nõ possit eius Intellectui vniri in ratione termini intrinseci; nec substantia Diuina Intellectionibus Beatorum; & sic necessariò in vtrisque ponendum est tale Verbum; Quod si Intellectio creata accidens non esset, sed substantia (vt in Deo,) tunc non vererer asserere, non fore necessarium verbum; sed quia hoc repugnat, repugnabit, & illud.

CAPVT III.

Quot modis vsurpetur hac vox (Intelligere?)

1 Secunda obseruantia sit, quod hæc vox *Intelligere*, solet etiam vsurpari bifariam; (vt & nos vsurpauimus in discursu Tractatus huius.) Primo, enim, idẽ est *Intelligere* apud aliquos, ac producere Intellectionem; & sic *Elicere Verbum* dicitur *Intelligere*: (causaliter tamen, Intelligas) secũdo modo, & proprius, *Intelligere* est ipsum attingere vitaliter obiectum, per verbum in Intellectu iam receptum: sicuti cum dicimus, ignis calefacit manũ; non intelligimus, ignem formaliter manum calefacere, sed effectiuè, & causaliter; nimirum, producendo calorem, per quem manus calesit formaliter: ita dicere possumus; aliud esse, Intellectum facere se ipsum Intelligentem actu, effectiuè: Producendo, scilicet, formam, per quam redditur actu, & formaliter Intelligens: Quod verum est; aliud verò esse, Intellectum formaliter facere se ipsum Intelligentẽ, ex eo, quod illam formam, quæ Intellectio, seù Verbum dicitur, eliciat, præcisè; quod falsum est; cum optimè (vt pluries dictum est) stare possit; quod Intellectus sit effectiuè Intelligens; idest, eliciens Intellectionem, & per illam non intelligat, si impediatur à Deo eius receptio in eodem Intellectu; Quæ æquiuocationes, summoperè, adnotandæ, ac canendę sũt in hac materia. Et ex hac oritur.

Dupliciter vsurpatur ly *Intelligere*.

2 Tertia obseruatio ad aliam æquiuocationem tollendam, circa rationem quandam à nobis in prima disput. huius Quodlib. ex principijs, & verbis D.Tho. formatã, ad probandum; necessariò ponendũ esse Verbum in omni Intelligẽte, contra Thomistas; & præsertim contra

Nazar.

Nazar. Desumebatur ratio ex his verbis D. Thom. quæ in corpore primi articuli habet; nimirum: (*Quicunque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei Intellectæ, ex vi Intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, & dicitur Verbum cordis.*) In quibus verbis, ly (*ex hoc ipso, quod Intelligit*) non est Intelligendum, de *Intelligere*, secundo modo sumpto, quod est, rem intellectam attingere: Sed primo modo considerato, quod est, ipsū elicere, seù producere Verbum; & sic ista propositio est in materia necessarijssima, & formalissima: (*Ex hoc ipso, quod aliquis intelligit, elicit Verbum.*) sicuti hæc alia. (*Ex hoc ipso, quod ignis calefacit, producit calorem.*) D.Th. 1. par. quæst. 27.

3 Cum autem ait D.Thom. (*Tale Verbum procedere ex vi Intellectiua, & notitia rei Intellectæ*: per notitiam rei Intellectæ, intelligit speciem impressam; quæ species est, & similitudo obiecti cogniti; & vna cum vi Intellectiua; idest, Intellectu, constant vnicum adæquatum principium productiuum Verbi; quod etiam dicitur *Conceptio, Notitia, Species*, seù *Similitudo eiusdem rei Intellectæ*: Sed expressa; Et sic multa conciliabis, quæ forsan videbuntur, prima facie, opposita veræ sententiæ nostræ, quam superiori Disputatione declarauimus.

CAPVT IV.

An eodē modo Pater Aeternus Verbū producat, sicut Intelligens finitus, et creatus?

§. I.

1 Restat modo videre, & breuiter. An, eodem modo; quo, in nobis producitur Verbum, per illam actionem, quę dicitur *Elicitio*, antecedenter ad actū Intelligēdi, quo, per tale Verbum productum, & in Intellectu receptū, attingimus vitaliter obiectū Intelligibile; ita vt, Verbum, respectu actus nostri Intelligēdi, se habeat, vt formale principiū: ita, in Diuinis, Verbū producatur, prius, in aliquo signo, quam Pater actu apprehendat; seù attingat vitaliter suam Essentiam; Et sic per aliquam, quasi actionē, omninò pręcedentem, (nostro modo Intelligendi.) ipsum Intelligere Patris; ita vt, Pater, nō, nisi per Verbum à se productū attingat suam Essentiam, seq; Ipsum? &c.

2 Videtur enim D.Thom. eundem modum producendi Verbum tribuere Deo, ac nobis, in corpore art. vt legenti patebit. Cęterū longè aliter se res habet; nam hoc esset contra Augustinū passim docentem, (prout cōmuniter à Doctoribus citatur.) Patrem non esse formaliter Intelligentem, Verbo; nec sapientem, sapientia genita; esset autē, si non, nisi per Verbū saperet, ac intelligeret; sicuti nos, nō, nisi per Verbum dicimur Intelligere, tanquam per formale principium Intelligendi; ergo aliter dicendum est, esse in Diuinis, Verbi productionē, ac in creatis; & D.Tho. in illo art. solum intendit demōstrare, in Diuinis, Verbi productionem, non autem aliquid determinat de ordine. Diuersō modo à creaturis, ac à Deo Verbū produci, D.Thom. August.

3 Quarè, pro huius rei Intelligētia, sit quarta obseruatio; quod nō ponimus Verbum in Deo, propter eandem rationem, propter quā illud ponimus in creatis Intellectibus: nam (vt in superioribus dictum est:) ideò necessariò ponendum est Verbum in nobis; quia nostra Intellectio accidens est, & de prædicamento actionis, de cuius intrinseca ratione est, terminum producere, (& loquor de Intellectione, primo modo accepta; idest, de Elicitione illa.) Quare nullum obiectum potest vniri nostro Intellectui, in ratione termini intrinseci, cum nullum obiectum possit dici esse productum per dictam Elicitionem; & sic, tùm ob conditionem naturæ dictæ Elicitionis; tùm ob necessitatē, quam habet Intellectus, vt obiectum fiat sibi præsens intimè, in ratione termini, non minorem ea, quam habet, vt idem obiectum fiat sibi præsēs, in ratione principij, ad hoc, vt possit actu in illud rendere; Ponendum in nobis est Verbum. Vndè communitèr Doctores dicunt; in nobis Verbum produci, vt intelligamus; non quod sit principium effectiuum actus Intelligendi; sed potius formale (iuxtà dicta, & explicata.) Nec, ex hac nostra sententia licet inferre, nos sentire cum Scoto, ponere duas actiones, omninò distinctas, in nostro Intellectu: alteram (quam, Dictionem, ipse appellat.) Verbi productiuam. Alteram verò (quam nuncupat, Intellectionem.) Scot. insę-

infœcundam; ex eo, quia actio immanēs est, & actiones immanentes infœcundas omninò existimat ipse, (vt annuimus supra,) siquidem (vt iam diximus) vnicam tantum nos ponimus veram, ac prædicamentalem actionem in Intellectu nostro, eamque immanentē, & Verbi productiuā, quam *Elicitionem* appellamus. Existimamus enim, per omnem actionem, etiam immanentē, produci terminum, (vt demōstrauimus iam.) Et miror satis eos, qui negāt, Intellectionem Verbum producere; etiam si existiment, esse veram actionem; solum, quia immanens actio est; cum tamen, per *Dictionem* produci credant. Et ab eis peterē; sit ne *Dictio* actio transiens; vel immanens? Sed quia alterius loci est hæc disputatio (crederem enim proculdubio, ipsos, *Dictionem* existimare actionem transeuntem, solum ex eo, quod termini productiua est; & ideo, termini productiuam esse, dicant, necesse est, quia transiens actio est, quos circulos pati nō possem.) Ideo, his omissis, dico, quod in nostro Intellectu vnica tantum actio, eaque termini productiua ponitur; nempe, *Elicitio*: Actus enim Intelligendi, licet significetur ad modum cuiusdam actionis: non tamen vera actio est, sed tantum grammaticalis, (vt aiunt) & sic vitātur, in nostra sententia, innumera inconuenientia, quæ nituntur inferre recensiores, ex positione duplicis actionis veræ in Intellectu, respectu eiusdem Intellectionis.

§. II.

4 INsero etiam, ex nostra sententia, Verbum non esse illud, quod directè, & immediatè intelligitur à nostro Intellectu; Ita vt, Verbum sit imago cognita obiecti Intelligibilis, & primo terminet actum Intelligendi, tanquam id, quod cognoscitur, & non solum, tanquā id, quo res, per ipsum expressa, Intelligitur; Quæ illatio est contra Nobiliores Thomistas, prout loquitur Turrian. disput. 5. Euidens tamen mihi est, ex dictis; nam, si Verbum producitur per elicitionem, eamque terminat, quæ non est ipse actus Intelligendi; iam non dicitur, per talem actionem, Verbum cognosci; Et si Intellectus dicitur vitaliter attingere obiectum, per Verbum in se receptum; iam erit medium, *Quo*, & non *Quod*, præter quam quod, sententia hæc reijcitur à communi Schola Dialecticorum, asserentium; neque Speciem, neque Conceptum concipi à nostro Intellectu, directè; sed reflexè; per alium, nempè, actū. Hic ergò ordo est in nostro Intellectu, & eam ob rem, in illo Verbum ponimus.

Verbum non est id, quod directè, et immediatè cognoscitur.

Turrian. 1. p. q. 27. art. 1.

5 At verò Dei Intellectio, cum non sit vera actio prædicamentalis; (siquidē est eadem met ipsius substantia,) ex hoc capite non cogimur, Verbum in Diuinis statuere; & cum, quocunque imaginabili modo intimæ præsentialitatis, sit sibi ipsi præsētissimus Deus; nec necessitas vnionis obiecti, in ratione termini, vrget nos ad ponendū dictum Verbum. Quæ duo rationes militant inhumanis. Et sic dicendum absolutè est; Quod Pater, prius, nostro modo intelligendi, se ipsum, suamq; Diuinam Essentiam intelligat, quam Verbum producat. Cum enim ratio formalis Intelligendi consistat in vitali perceptione obiecti; & Deus obiectum suum, sibi omninò præsentissimum habeat intimissimè præsens; proculdubio Verbo non indiget, tanquam medio, ad se ipsum intelligendum. Et licet in conceptu actus nostri connoteretur essentialiter Verbum, seu Verbi receptio; quia tamen hoc se habet ex parte rationis genericæ, & materialis, non reperitur talis connotatio in actu Intellectionis Diuinæ: Sufficit enim, quod Deo tribuamus vltimas rationes formales eorum actuū, qui in nobis perfectionē dicunt. Et quia hoc, quod est, *Intelligere*, non dicit in nobis perfectionem ex eo, quod Intellectus, mediante Verbo, Intelligat; Immò potius id imperfectionem inuoluit, cum ex necessitate proueniat; sed dicit perfectionem, absolutè, ex eo, quod vitaliter obiectum attingit: hoc tribuendum est actui Diuino, & non illud.

Ordo Diuinæ Intellectionis, prius intelligit, postea Verbum producit.

6 Et quia talis actus, qui idem est, cū ipsa Essentia, est actus fœcundissimus, sicut ipsa Diuina Essentia fœcundissima est; In posteriori signo rationis, intelligimus Verbi productionē; ita vt, Pater Aeternus dicatur Intelligere, exprimendo Verbum; non quod ipsum Intelligere sit Verbi productio; cum etiam in Filio, & Spiritu sancto, Idem Intelligere, ex natura rei, sit; In quibus tamen non producitur Verbum. Sed Intelligimus actum Intelligendi, tanquam principiū, saltem, *Quo*, productiuum Verbi, quasi, per nouam aliam actionem, sola ratione nostra, distinctam ab ipso Intelligendi actu. Et, vt sic, in posteriori quodā signo, dimanantem ab eodem Patris Intellectu

fœcun-

fęcundo; seu (quod idem est) à tali actu Intelligendi; quam actionem communiter *Dictionem* appellant Patres, & Theologi. Nos vero *Elocutionem Verbi*, ad euitandas ęquiuocationes, & nonnullas difficultates, (vt dictum est.) In quo Verbo, Pater se ipsum intuetur, suamque Essentiam, & reliqua intelligibilia; cum illi communicet Essentiam, & attributa omnia, quæ in Essentia continentur, omnesque rationes absolutas; & sic, sui ipsius imago perfectissima est, & numeris omnibus absoluta.

Cur Filius, et Spiritus sanctus intelligendo, non producant Verbum?

7 Ex his facilè erit colligere; Cur, licet Filius, & Spiritus sanctus, etiam se intelligant, non tamen Verbum producant? Et ratio est; quia Intelligere illud Diuinum, quod in priori signo, intelligimus, ante Verbi productionem, nõ habet ex sui natura aliquid producere, ex se, & sua ratione formali, quatenus *Intelligere* est; Cum non sit aliud, quàm attingere vitaliter obiectum; quod in nobis (vt diximus) habet tantum rationem actionis grammaticalis, non verò prædicamentalis, & veræ; &, ex consequenti, non est productio alicuius termini, nec terminus alicuius prçuię actionis; & sic, nec Verbi rationem habere potest; nec productionis Verbi; & hoc conuenit omnibus Personis, Essentialiter; Immò, in hoc consistit, ne dum summa Dei perfectio, qua Beatificatur; sed etiam ratio essentialis, quasi vltimo constitutiua Dei in Esse Dei; vt in sequenti cap. explicabo.

CAPVT V.

Quod, per Intellectionẽ, quasi specificè, constituitur, in esse Naturæ Diuinæ, Natura Diuina.

§. I.

Diuinę perfectiones sunt duplicis classis.

1 PRo quo sit quinta obseruatio, & maximè notanda, quòd Diuinæ perfectiones considerari possunt, esse duplicis ordinis, & Classis. Primæ Classis, eas intelligimus esse, per quas primo concipimus constitui Deum in esse Dei; huiusmodi sunt, ratio *Entis, Existentis, Substantiæ, Spiritus, Viuentis, &c.* quibus perfectionum gradibus, semotis imperfectionibus, quæ in viuentibus creatis reperiuntur, intelligimus Naturam Diuinam constitui in primo quasi gradu esse Diuini, gradatim deuenientes ad vltimum, quem assequi possumus; Intellectualitatis, scilicet, in quo Diuina Beatitudo, tanquam in perfectissimo, consistit.

2 Secundæ Classis, seu ordinis perfectiones, eas dicere possumus, quas, vt modos, vel proprietates eiusdem Naturæ Diuinæ apprehendimus. Huiusmodi sunt; *Immensitas, Bonitas, Omnipotentia*, & reliqua attributa, quæ non sunt de formali constitutione Naturæ Diuinæ: sed supponunt illam vltimo constitutã in ratione Diuinæ Naturæ; eamque, nostro cõcipiendi modo, quasi, afficiũt, & commitantur. Perfectiones primi ordinis se habent, quasi fundamentũ perfectionum secundi ordinis. Hæc autem perfectionum distinctio prouenit ex infinita eminentia, & fęcunditate eiusdem Diuinæ Naturæ; quæ, licet à parte rei, sit vna simplicissima entitas; tamen, vna in se existens, excellentiori modo, præstat id, quod in nobis multæ, & distinctæ rationes. Vndè fundamentũ habet creata mens, vt possit, suo imperfecto concipiendi modo, in illa apprehendere, & distinguere plures rationes, atq; perfectionum gradus; & aliquos alijs priores, eorumque, quasi radicale principium, modo exposito.

Suadetur, quasi specificam constituatur per gradum intellectualitatis.

3 Perfectionum ergo primæ Classis, *Summa Intellectualitas*, ille gradus vltimus est, per quem vltimo, & quasi specificè constituitur, in esse Naturæ Diuinæ, Diuina natura; sicut *Rationalitas* est vltima differentia, per quam Homo constituitur in esse Hominis; quod facilè suaderi posset; Quia si alius gradus perfectionum assignari posset, magis specificus, & essentialis, gradu Intellectualitatis, in eo collocanda esset perfecta Dei Beatitudo, tanquam in Nobilissimo. At Dei perfectissima Beatitudo sita est in gradu Intellectualitatis, tanquam in optimo, ac præstantissimo, Inter reliquos, teste Arist. 12. Metaph. text. 19. & D. Thom. 1. part. quæst. 26. art. 2. & sic, in Deo, idem omnino sunt *Esse*, & *Intelligere*, vt cõmuniter Patres docent, atque Theologi; ergo ille est vltimus gradus, & specificatiuus Naturæ Diuinæ.

4 Hoc autem non est Intelligendũ, secundum aliquam rationem potentialem,

Arist. D.Th. Non pôt con cipi Deus esse in potẽtia ad aliquem actum.

lem, seù radicalem ad actum Intelligendi; sed secundum ipsam actualem Intellectionem; siquidem, nec per Intellectũ nostrum, concipi potest talis potentialitatis ratio in Deo; tum quia, sicut Natura Diuina, ob infinitam suam perfectionem, perfectissimo modo possibili, existit in se, sic, & natura sua, postulat a nobis concipi, vt constituta perfectiori modò possibili; potentia autem ad actum Intelligendi imperfectionem dicit; siquidem dicit ordinem perfectibilis ad perfectiuum: Intellectus enim, sicut, & quælibet potentia, perficitur suo actu: tum etiam, quia perfectissimus actus Deus est, & perfectissimo modo imaginabili est semper in actu; ergò, in nullo signo, concipi potest, esse in potentia ad aliquẽ actum. Et licet tribuantur Deo à Scriptura, & Patribus Intellectus, & Voluntas; non tamen, sub formali ratione Potentiæ Intellectiuæ, & Volitiuæ; quomodo in Creaturis, quæ, quia substantiæ creatæ sunt, non possunt se ipsas immediatè Intelligere, aut velle; & sic indigẽt potentijs superadditis ad operandum; quod imperfectionem dicit, & per consequens, a Deo remouendum; Sunt ergò in illo Intellectus, & Voluntas, modo quodam eminentissimo; eo quod Diuina Intellectio, simplicissima quadam ratione, & prorsus actuali, contineat quicquid est perfectionis, tàm in Potentia Intellectiua, quàm in actu Intelligendi creaturarum; Et per illam præstat quicquid diuersæ rationes illæ creatæ præstare possunt. Vnde Natura Diuina, ratione solius actualis, ac simplicissimæ Intellectionis, denominatur *Intellectiua, Intelligens, Intellectio, & Intellectus.*

5 Et licet dixerimus, Naturam Diuinam esse radicem attributorum secundæ Classis, & proprietatum. Id ideò diximus, quia ea attributa &c. ex proprio conceptu, supponunt naturam, cui attribuuntur; & personalitates supponunt naturam, quam terminant; nõ quod habeant rationem potentiæ, respectu illorum; quod si esset radix Intellectionis, haberet rationem potentiæ respectu illius; & per consequens, perfectibilis per actum Intelligendi, quæ imperfectio repugnat Deo; etiam secundum rationem, quæ habeat fundamentum in re. Hoc autem, de Attributis, & Personalitatibus, dici non potest; quæ, licet concipiantur; vt affectiones quædam, aut termini Naturæ Diuinæ; qualibet tamen ratio eorum perfecta, & consumata est in suo ordine, latitudine, & gradu.

§. II.

Omnipotentia maxima Dei pfectio.

6 ET aduertite, quod non ex hoc remouemus à Deo Potentiam, quę est principium productiuum ad extra, quæ maxima ipsius perfectio est, nil imperfectionis dicens; cum sit idem simplicissimus Diuinę Voluntatis actus; cui, ex eo, quod liberè terminetur, aut non terminetur ad Creaturas; vel producendo, quas potuit non producere; vel non producendo, quas potuit; nil omninò perfectionis accedit; At vero principiũ radicale actionum immanentium, quales sunt, Intellectio, & Volitio; non potest apprehendi, sinè imperfectione potentialitatis; hoc etiam adnotat doctissimè Acchet. in 1. par. tract. 3. super q. 27. disput. 4.

Acchet.

Explicatur modo ratio a l. tucta in fine c. 4. cur Filius, & Spiritus sanctus nõ producãt Verbum.

7 Habemus ergo, obiectum Intelligendi antecedere in Deo, nostro modo Intelligendi, quemcunque alium actum; & sic, nec Verbum esse posse, seù terminum alicuius alterius præuiæ actionis; nec, secundum suam rationem formalem, qua præcisè, actus Intelligendi est; Verbi productionem; vndè, cum, & in Filio, & in Spiritu sancto sit eadem Diuina Essentia, dicuntur & Filius, & Spiritus sanctus etiam Intelligere, non verò Verbum producere. Ratio est: quia, licet sit idem Intelligere, & eodem modo fęcundum in Filio, & Spiritu sancto, ac est in Patre; tamen, quia in Patre primo Intelligitur esse, & à Patre communicatur Filio; in Patre habet fęcunditas actus, quod impleatur, producendo, scilicet terminum sibi adæquatum; nempè, Verbum; cumque Filio communicetur, in posteriori signo, ipsũ Intelligere, eiusque fęcunditas, iam completa per actũ, seu terminum sibi adæquatum; fit, quod in Filio, Intelligere non sit productiuum alterius termini; siuè per eandem elicitionem, qua, Intelligere in Patre Verbum exprimit; siuè per diuersam: non per eandem, cum iam, in priori signo, pręcesserit ipsummet Verbum, sicuti, productio, suum terminum; nec per diuersam; cum tale Intelligere vnicam tantum habeat operationem, eamque expletam in Patre; tum etiam, quia si per diuersã actionem Intelligere in Filio esset termini productiuum; iam nouus terminus esset; cum, ad diuersitatem actionũ, diuer-

diuersificentur termini, & è contra; At verò, quia fecunditas illius actus Intelligendi perfectissimè expletur, & completur per productionem vnius tantum termini adæquati; non sunt multiplicandi termini; & ex consequenti, neque terminorum productiones. Hinc fit: quod illud Intelligere, vt sic, & præcisè, dicatur Intelligere essentiale, & absolutū, & per hoc, commune omnibus Personis; Cœterum, quatenus annexam habet termini productioné, dicitur Intelligere Notionale; qui tantum proprium Patris est, (prout explicuimus.) Hæc maximè adnotanda sunt; siquidem, in his, fundamentum habet præcipuum tota materia de Trinitare, quæ si attentè considerabuntur; innumeras difficultates euitabimus, tùm Thomisticas, tùm Schotisticas.

§. III.

Rada.

Aug.

Opponitur locus Augustini.

8 TAndem (pro cōclusione, & summa totius Quodlibeti de Verbo,) non erit ab re, pro vltima obseruatione, duas adnotare, quas mouet difficultates, faciles tamen, Rada Controu. 7. cit. Quarum prima est. Quomodo Intelligendus sit August. cum 9. de Trinit. cap. vlt. dicit: Verbum esse Partum, siuè Prolem: esse, autem, Partum, non posset, nisi, quia repertum per inquisitionem, à confuso, scilicet, ad distinctum procedendo. Cum enim (vt ipse Rada adnotat ex 1. phys. cap. 1.) ea à natura nobis innata via est procedendi, vt ab imperfecto ad perfectum, à confuso ad distinctum, in rebus cognoscendis, procedamus; quam ob rem prius nobis imponitur notitia confusa obiecti, quàm distincta; qua habita, distinctam rei cognitionem inquirimus, prout à nobis dictum est, tùm in Logica, tùm in Phisica.

Responsio ex eodem Rada

9 Ad quod dubiū respondet idemmet Rada, Augustinum loqui de Verbo perfecto in nobis, in quibus, propter imperfectionem nostri Intellectus, qui non potest, per simplicem apprehensionem, siuè notitiam illam confusam, habere cognitionē diffinitiuā rei, illam nititur, per inquisitionem adipisci; non est autem de ratione Verbi, vt sic, per Inquisitionem produci, cum Deus Pater, Angeli, ac Beati perfectissima verba exprimant; absque alia præuia Inquisitione.

Opponitur alius Augustini locus.

10 Secundum Dubium est, ex Augustino 9. de Trinit. cap. 9. vbi ait: *Rectè quæritur, (vtrum omnis notitia sit Verbum, an tantum amata notitia?) & sic iure quæri potest, an ad Verbum aliquo modo concurrat voluntas?* Respondet ipse Augustinus negatiuè: *quia nouit* (inquit) *ea, quæ odimus, & de ipsis verba formamus: Odimus namque vitia: sed notitia eorum, quæ verbum est, non displicet, sed placet.* Ita Augustinus.

Quō intelligēdus Augustinus cū ait, *Verbū esse notitiam cum amore?*

11 Cęterum, quia idem Augustinus 15. de Trinit. cap. 15. asserit: *Verbum esse cum amore notitiam*; Ideo, pro solutione difficultatis, distinguendum est de Verbo. (In nobis tamen.) Nam vel sermo est de primo illo verbo, seu notitia confusa, quam in principio perfectæ cognitionis habemus; & hoc Verbum præcedit, proculdubio, omnem prorsus Voluntatis actum; cum de ratione cognitionis sit, Volitionem præcedere; & Volitio nulla esset sinè aliqua pręuia cognitione; nil enim volitum, quin præcognitum. At postquam talem imperfectam notitiā expressimus, accedit actus Voluntatis, quo imperat Intellectui, vt inquirat clariorem, ac perfectiorem talis obiecti notitiam, cum posset Voluntas alio Intellectum diuertere, si vellet. Tandē, habita rei clara notitia, ac perfecto Verbo, alius accedit Volūtatis actus, quo delectatur de tali obiecto, sic ab Intellectu cognito: Vndè qū Augustinus asserit: *Verbum esse notitiam cum amore*; nil aliud voluit, quàm, Verbum perfectū in nobis gigni ex amore; siquidem, ad illud inquirendū, ex amore procedimus; cum possemus non inquirere; Cum verò asserit; Verbum non esse notitiam genitam ex amore; Intelligendus est de Verbo imperfecto, & notitia confusa, quæ præcedit omnem Voluntatis actum; Et hæc satis dicta sint de toto hoc Tractatu de Verbo mentis.

Finis Quodlibeti Sexti.

QVODLIBETVM SEPTIMVM.

De Productione Verbi in Diuinis.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum Pater æternus, producendo Verbum, sit propriè illud generare?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur sensus disputationis.



D.Th. 1 Isputant Recentiores cum D. Tho. de productione Verbi Diuini 1. p. q. 27. art. 2. & supponendo; de fide dari in Diuinis processionem Verbi, eamque dici Generationem; vt examinetur; An propriè Generatio sit, huiusmodi Verbi productio? necessariò examinanda est breuiter Generationis diffinitio; & quia duplex est Generatio: Altera, communiter dicta, quæ conuenit omnibus generabilibus, & corruptibilibus; & est, Mutatio de non esse ad esse. Altera, propriè dicta, quæ tantum Viuentibus conuenit, quam idem D.Th. cit. art. diffinit; quod sit Origo alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei; sicut Homo procedit ab Homine; & Aequus ab Aequo. Et item, Viuentia, docet, in duplici esse discrimine, in esse genito; nã aliqua sunt, quæ procedunt de potentia in actum vitæ; & huiusmodi sunt viuentia creata, quorum generatio vtramque generationem includit; cum non sit de ratione Viuentis, vt sic, quod procedat de potẽtia in actum; sed saluetur optimè ratio formalis processionis ipsius, in quantum Viuens est, præcisè; si sit Origo Viuentis à principio Viuẽte coniuncto, &c. Alia sunt Viuentia, quorum vita non exit de potentia in actum; & per consequens, non conuenit eorum Generationi ratio Generationis, cõmuniter dictæ; cuiusmodi est Generatio Verbi. Ideo, prius nobis examinanda est dicta Diffinitio Generationis propriè dictæ; & postea videdum; An illa conueniat processioni Verbi Diuini; vt sic dici possit eius productio, Generatio?

Duplex generatio.

Viuentia in duplici differentia.

2 Dicitur ergò in primis (*Origo*) Certum .n. est, Generationem esse Originem; cum Origo nihil aliud sit, quàm processio: processio autem in omni Generatione requiritur: ponit ergò loco generis, quia Generatio, quæ hic diffinitur; sumitur passiuè; prout se tenet ex parte rei Genitæ, quæ optimè, nomine Originis, explicatur. Nam Origo dicit processionem passiuam vnius ab alio. *Examinatur diffinitio Generationis Viuẽtiũ, &c.*

3 Secunda pars est (*Viuentis à Viuente,*) quæ ponitur ad denotandum, hic diffiniri; non quamcunq; Generationem, sed formaliter Generationem Viuẽtium; ad quam requiritur, quod Viuens procedat à Viuente. Vnde, productioni, qua aliqua Viuentia ex putrefactione producuntur, virtute caloris Cęlestis, non con-

uenit hæc Diffinitio; quia,licet ibi generetur Viuens, non tamen à Viuente procedit; &, ex illo modo processionis,non magis generatur Viuens, quàm non Viuens: sic.n.& metalla generantur, virtute caloris Cęlestis. Præterea,per eandem particulam denotatur, quod genitum debet esse substantia: nam (*Viuens*) proprium nomen est substantiæ, & ponitur in recta linea prædicamenti substantiæ, tanquam genus subalternum. Vnde,per hanc particulam, excluditur etiam ab hac diffinitione processio Verbi creati: quia id, quod procedit, non est substantia.

3 Tertia par.est (*Principio coniuncto.*) Circa quam variæ sunt Doctorum sententiæ,ac placita: dicendum tamen nobis est cum Hacchero disp.4. num.3. quod,per illam particulam,significatur; Generationem Viuentis debere esse, aliquo modo, de substantia ipsiusmet Generantis:inanimata.n.generant,ex materia extrinseca:at Viuētia ex se ipsis: quia generant vitali modo; sic ergo Viuens producitur ex Viuente coniuncto; quia, ex substantia, vel aliqua parte substantiæ eius,generatur. Et in hoc sensu intelligendus est Arist. 8.Ethic. c.12.cum docet, Genitum semper esse coniunctum Generanti; vnde,per hanc particulam, excluditur à ratione Generationis Viuētis,productio Angelorum; quia non fuit à principio coniuncto. Item productio Euæ ex costa Adæ; quia principium effectiuum,nempè,Deus,non erat coniunctum ipsi Euæ; tametsi principium materiale, nempè costa fuerit illi coniuncta.

Haccherus p. 1. q. 27. ar. 2.

Arist.

4 Quarta par.est (*secundum similitudinem naturæ, saltem, specifica.*) prout etiam docet Arist. 7.met. t.28. & 2. de Anima t.34.& 48.& 1.de Generat. c.23. hæc autem par. diuersimodè explicatur. Quidam .n. dicunt, per illam significari, quod Genitum debet procedere à Generante,tanquam imago ipsius: ita Torres.in comment.2.art.p.4.Vasq.disp.113. cap.1.& c.7. Alij verò nil aliud existimāt per illam significari,quam quod ipsa verba sonant; .s. quod Genitum sit eiusdem naturæ cum Generante; saltem, quo ad speciem infimam; hæc.n. similitudo ad minus requiritur ad veram rationem Generationis vitalis. Non tamē per hoc excluditur, quando possit habere eādem numero naturam cum Genitore,seruata distinctione reali suppositorum,quæ in qualibet Generatione necessariò debet seruari; immò verò,si in vtroq; fuerit eadem numero natura,Generatio erit perfectior; quia similitudo naturæ erit maior. Neq; video,qua parte repugnet veræ,& proprijssimæ Generationi,quod in Generante, & Genito sit eadem numero natura; neq; id negarent Philosophi; si scirent componere hanc identitatem naturæ cum distinctione reali suppositorū; sed quia, solius naturalis rationis ductu, id cognoscere non potuerunt; inde est, quod omnes dicant, Genitorem, & Genitum,in natura specifica, debere esse similes: & ita docet Arist.vbi supra;in Generationibus naturalibus requiri tātum similitudinem in natura specifica; licet in præternaturalibus contingat,similitudinem solum esse in natura generica; vt patet,in Generatione Muli, ex Aequo,& Asina; vel è contra.

Arist.

Torres.Vasq.

Arist.

5 Sed argues; hanc particulam (*In similitudinē naturæ*) obstare, quominus possit esse eadem numero natura in Genito, & Generante; quoniam vnitas numerica, in substantia,facit idem, & non simile;vt patet ex Arist.5.met.ergò si Genitum debet esse simile Generanti, non poterit participare eandem numero naturam. Respondeo hoc argumētum concludere, similitudinem illam non posse esse realem; quia hæc requirit distinctionem in fundamento: poterit tamen esse rationis, qualis reperitur inter Diuinas Personas.

Obiectio.

Arist.

Solutio.

6 Per hanc etiam particulam,sic intellectam,excludit D.Tho.a ratione Generationis productionem capillorum; quia non sunt similes in natura producēti; item productionem vermium,in quibusdam animalibus,&c.

7 Requiritur etiam ad rationē Generationis propriè dictę,quod talis similitudo in natura sit ex vi ipsius Generationis: hoc est; vt Generatio,per se primo, & formaliter tendat ad communicandam similitudinem in natura; sic .n. intelligenda est illa particula (*Ex vi Generationis*) quā optimè addunt expositores ferè omnes D.Tho.immò & ipsemet D.Tho.ar.4.& 4.con.gen.cap.11. videtur illam non prætermisisse. Ad quid autem hæc particula necessaria sit? patebit ex infra dicendis.

D.Th.

8 Tandem Molina hic docet, hanc diffinitionem esse adhuc genericam, & communem Viuentibus cognoscitiuis, & cognitione carentibus; atq; adeo debere

Mol.

bete addi aliā particulam, qua fiat propria tantum Viuentibus cognoscitiuis; & sic ipse eam addit, hoc pacto, huiusmodi Generationem diffiniendo: *(Origo Viuentis à Viuente, cognitione praedito, principio coniuncto, &c.)* Et quod hæc Generatio, vt sic, essentialiter differat ab alia, patet: quia hæc fundat relationem filiationis, illa verò non; nam vna planta, propriè non dicitur filia alterius; sed tantum metaphoricè: quæ doctrina mihi summè placet: immò mihi videtur satis conformis menti D.Th. qui, ex eo, quod hæc diffinitio conueniat processioni Verbi, intulit, Verbum esse filium. Generatio ergò hic diffinita, est, quæ fundat relationē generationis filij.

Nota diffinitionē Generationis viuētis cognoscitiui ex Mol.

Sensus tituli disputationis

9 Qua diffinitione sic exposita: petimus in titulo: An talis diffinitio verè cōueniat processioni Verbi Diuini? si n. illi conueniet; proculdubio processio Verbi erit propriè Generatio; & Verbum per illam procedens erit propriè filius.

CAPVT II.

Processionem Verbi à Patre esse verè, & propriè Generationem, ostenditur.

§. I.

De fide; processionē Verbi esse generationē; & Verbum esse verè genitum.

1 Facilis est huius controuersiæ denodatio: est .n. de fide, Verbum Diuinum esse propriè genitum, & filium; & per consequens; processionem, qua procedit à Patre genitore, esse verè, & propriè generationē; cuius dogmatis innumera Sacræ Scripturæ, & Patrum, & Conciliorum loca, videre apud Recentiores omnes: Res .n. perspicua est; & sic non est nobis immorandum in illius probatione. Restat tantum videre, quo pacto singulæ illius Generationis diffinitionis particulæ, Diuinæ conueniant processioni; quod facillimo etiam negotio præstabitur, discurrendo per singulas.

Applicantur omnes particulæ diffinitionis generationis processioni Verbi Diuini.

2 Et quidem in primis, quod Verbi Diuini processio sit verè *Origo Viuentis à Viuente:* patet ex eo, quod inter Patrē, & Filium ponunt DD. prioritatem originis, quæ consistit in his terminis; *id, quod ab alio; & id, à quo aliud; Quod* ambo Viuentia sint, nil certius. Vnde in Euangelio ipsemet Filius dixit. *Sicut misit me viuēs Pater, & ego viuo propter Patrem; Quod* Generās sit principium, cognitione præditum; adeo euidens est, vt in eo, *Intelligere, & Esse* sint idem (ex D.Tho.) Quod sit *à principio cōiuncto*, patet etiā; quia Verbum Diuinū procedit per emanationem intelligibilem; sed in emanatione intelligibili, id, quod emanat coniunctum est principio, à quo emanat; ergo Verbum Diuinum est coniunctum suo principio, & manet in illo, (vt dicitur Io.14. *Ego in Patre, & Pater in me est*. Adde, quod per talem processionem accipit Verbum eandem numero Essentiā, & Substantiam à Patre. Quid autem potest esse magis coniunctum, quam quod eandem numero habet naturam? Quod procedat *secundum similitudinem in natura*; immò, in eadem numero natura; eamq; ex vi sua conferat; probat D.Tho. quia Verbum est similitudo rei intellectæ; ergo est similitudo rei, de cuius intellectione procedit: Hæc autem est Essentia, & natura Diuina: ergo procedit simile, in Natura, Patri Aeterno. Et quia posset responderi; ex hac ratione tantum posse concludi, procedere simile in esse intelligibili: non tamen in esse reali; Addit D.Th. In Deo idem esse *Intelligere, & Esse*. ergo Verbum Diuinum habet esse reale ipsius Dei. Circa quam consequentiam multa satis obscura notant hic Caiet. & Ferr. 4. con. gen. cap. 11. nonnulla miscentes absurda, de Verbo, realiter ab intellectione distincto. Sed ea omnia friuola esse colliguntur ex dictis diffusè in tract. superiori, de Verbo mentis; ex quo facilè patet sensus verborum illorum D.Th. nimirum; *quod in Deo Intelligere, & Esse sint idem*. Cumq; singulæ particulæ diffinitionis positæ verè, & propriè conueniant Generationi Verbi; sequitur manifestè, Verbum dici verè, & propriè genitum, & Filium.

D.Th.

Ioan.

D.Th.

Caiet. Ferra.

§. II.

1. difficultas.

3 Sed restat explicanda breuiter ferè duplex difficultas. Prima sit; Videtur .n. omne inferius debere participare rationem sui Superioris; sed sic est, quod Generatio, propriè dicta, videtur esse species, seu, membrū Generationis, vt sic; quatenus abstrahit à Generatione Viuentium, & non Viuentium; ergo debet eius diffinitionem includere; sicut Homo dicitur includere ratione Animalis;

lis; sed ratio superior, abstrahens à ratione Generationis Viuentium, & non Viuentium, est, quod sit *Mutatio de non esse ad esse*; ergò & talis mutatio necessariò debet includi in diffinitione; & ratione Generationis Viuentium, propriè dictæ; cumq; repugnet, in Diuinis, dari mutationem de non esse ad esse: repugnabit etiam, dari Generationem in Diuinis.

Soluitur. 4 Respondeo tamen; negando; Diffinitionem Generationis Viuentium, in tota sua latitudine sumptam, esse quasi speciē Generationis, communiter sumptæ, quæ est *Mutatio, &c.* nam, (vt docet D.Th. D.Th. hic in corpore) hæc Generatio est communis rebus corruptibilibus; At Generatio Viuentium, eiusq; diffinitio conuenit tàm corruptibilibus, quàm in corruptibilibus. Vnde hæc non est species illius.

5 Neq; dicimus, illas esse duas species Generationis oppositas, & repugnātes; sed se habere, vt duas Generationes disparatas, quæ, neq; se mutuò includūt; neq; ita repugnant; vt non possint vni, & eidem rei conuenire, earumq; diffinitiones concurrere ad componendam vnam integram diffinitionē Generationis Viuentium corruptibilium.

Nota. 6 Pro cuius intelliga not. quod generatio, prima sua diuisione, diuiditur in Creatam, atq; Increatam; quæ diuisio est Analogi in Analogata. Et diuisum nil aliud est, quàm, *Origo substantiæ, non ex nihilo*, Generatio verò Creata definitur, quod sit, *Mutatio de non esse ad esse*. Et hæc rursus diuiditur, in Generationē Viuentium, & non Viuentium. Generatio autem Creata Viuentium est Origo Viuentis à Viuēte principio coniuncto, in similitudinem naturę, cum mutatione de non esse ad esse: vbi vides, duas illas diffinitiones disparatas cōcurrere ad integrandam vnicam diffinitionem Generationis Viuentis creati; quia tamen, sicut Generatio est cōmunis, Analogicè, ad Creatam, & Increatam; ita etiam ratio Viuentis: inde est, quod possit abstrahi vnus conceptus Generationis Viuentis, communis ad Creatum, & Increatū; & Generatio, sic abstracta, diffinitur illa diffinitione, supra explicata. Hæc omnia D.Th. optimè annuuntur à D.Th. in ar. cit.

§. III.

2. difficultas. 7 Altera difficultas esse potest; *Esse à se*, & *Esse ab alio*: videntur esse præcipuæ rationes, quibus distinguimus inter Ens Creatum, & Ens Increatum; sed quicquid generatur, & producitur dicitur esse ab alio: (id est quod à se est, non dicitur produci; & per consequens, nec generari.) ergo Verbum Increatum non dicitur propriè generari. maior patet; quia, *Esse ab alio* dicit relationem dependentiæ ad id, à quo aliquid est: Dependentia autem Enti Increato repugnat.

8 Hæc difficultas vàldè cruciauit aliquos Doctores; cum certè facilis satis videatur mihi; in qua tamē, illud in primis maximè notandum est; quod *Esse à se*, (quod est proprium Dei) non debet sumi, *positiuè*; ita vt, sensus sit, quod Deus est à se ipso productus. In quo errauit Lactantius lib. 1. Instit. cap. 7. dicens; Deū à se ipso esse procreatum. Sumitur ergo *Esse à se* negatiuè; i. *Nō ab alio*; & sic, *Esse à se*, & *Esse ab alio*, opponuntur contradictoriè. Esse à se, & ab alio opponuntur cō. tradictoriè. Lactant.

9 Argumentum ergo positum diffusè examinat Genebrardus lib. 1. de Trinit. post medium; vbi asserit, eo vsos fuisse Hæreticos recentiores, asserentes, Filium Dei, habere Deitatem à se; rūm etiā alios, ad negandum Trinitatem personarum in Diuinis. Genebrar.

10 Ad illud ergo nititur respondere Val. disp. 2. q. 1. punct. 1. §. 22. dicens; Verbum Diuinum posse considerari, vel in quantum personam; vel in quantum Deum. In quantum persona, est ab alio. In quantum Deus, non est ab alio; quia, vt sic, est Ens à se; & hoc solum probare (ait) argumentum: non tamen, quod non possit produci, in quantum persona. Solutio Val.

11 Cęterum hæc solutio vehementer impugnatur à Genebrardo loc. cit. quia ex illa videtur sequi, Verbum Diuinum non accepisse Deitatem à Patre; neq; esse Deum de Deo: consequens est contra fidem; ergo & antecedens: sequela patet; quia si accipit Deitatem à Patre; ergo, in quantum Deus, est ab alio; s. à Patre. Præterea, contra eandem solutionem nos arguere possumus; quod non soluit difficultatem; nam si Verbum Diuinum, in quantum persona, est ab alio; ergò in quantum persona, est Ens creatum; quod est contra fidem. Patet consequentia, ex vi primi argumenti; nam, si *Esse à se*, & *Esse ab alio* sunt præcipuæ rationes, quibus distinguimus inter Ens Creatum, & Ens Increatum; cū *Esse à se* sit de intrinseca ratione Entis Increati; & *Esse ab alio*, Impugnatur à Genebr. 1. 2. impugnatur.

alio, Entis creati; si Verbum Diuinum, in quantum persona, est ab alio; ergo in quantum persona, est Ens Creatum.

§. IV.

Nota aliam solutionem. 12 VNde, quidam alij Recentiores, pro solutione, aduertunt, quod *Esse ab alio*, in quo dicitur consistere ratio creaturæ, est accipere Esse ab alio, habente distinctum Esse; ita vt, inter accipientem, & tribuentem sit vera, & propria dependentia vnius rei ab alia, ratione Existentiæ: illud .n. dicitur dependere ab alio, quod non potest esse sine illo; quare ad hoc, vt dependeat, necessario debet habere diuersum Esse: quia idem non potest dependere à se ipso. Ex quo colligũt, quod nil potest dici, esse ab alio, eo modo, quo creaturæ dicuntur esse ab alio; nisi habeat distinctum Esse ab illo; tametsi aliquando ea, quæ non habent distincta Esse, dici possint, habere Esse ab alio, sed non eo modo, quo creaturæ.

13 Quo posito, docent, solutionem Val. quoad illam partem, .s. (*Filium, in quantum Deum, non esse ab alio*:) esse omninò veram; Alioquin sequeretur; quod Deitas ipsa esset ab alio; .s. à Patre Æterno; sequela patet, siuè sumatur reduplicatiuè, siuè specificatiuè; Consequens autem falsum est; neq; .n. Deitas est à Patre per generationem, neq; per aliam productionem, quia Deitas neq; generat, neq; generatur, ergò.

Euasio impugnatur. 14 Quod si dicatur illis: esse à Patre, per communicationem: quia à Patre communicatur filio. Contra (arguunt) quia communicari aliquid alicui ab aliquo, non est, esse ab illo; immò communicatio præsupponit esse: ergo, licet Deitas communicetur à Patre, non sequitur indè, quod sit à Patre.

15 Vnde inferunt, omnes istas propositiones reduplicatiuas. *Filius, in quantum Deus, est à Patre. In quantum Deus, est Genitus à Patre*, esse negandas; & sic, ad argumentum Genebrard. negant sequelam. ad cuius probationem dicunt, non sequi: *Filius accipit Diuinitatem à Patre; ergò, in quantum Deus, est à Patre*; quia arguitur à præiacente ad reduplicatiuam; neq; etiam sequi; *Filius est Deus de Deo, ergo, in quantum Deus, est ab alio.*

16 Addunt tamen; alteram partem solutionis Val. maiorem habere difficultatem, propter argumentum ibi à nobis factum. Aduertunt autem, quod in sententia eorum, qui docent, Relationes Diuinas habere suas proprias existẽtias relatiuas, ratione distinctas ab Existentia essentiæ; difficile satis est argumẽtum illud, nam (iuxta hanc sententiam) Pater habet distinctam existentiam relatiuam à Filio; quare si Filius, in quãtum Filius, est à Patre; bene sequitur, quod sit ab alio, habente distinctam existentiam; & ex consequenti, quod sit ab alio, modo, quo Creaturæ dicuntur esse ab alio: Ast, in sententia probabiliori, negantium huiusmodi existentias relatiuas; vnicam tantum, eamq; absolutam statuentium in Diuinis existentiam; (aiunt) difficultatem non habere argumentum; nam, & si concedatur; *Filium in quantum Filium esse à Patre*, non tamen inde sequi; esse ens creatum; quia cum ille alius, à quo filius dicitur esse, non habeat distinctum esse à filio, sequitur, quod filius non sit ab alio, eo modo, quo sunt creaturæ, neq; verè possit dici dependere ab alio.

17 Ceterum hæc speculatio potius, ex quodam inutili timore, ortum habuisse videtur, quàm ex aliqua argumenti difficultate; immò eodem modo (si vera essent, quæ in ea dicuntur) quo negatur, *Verbum, in quantum Deum, esse à Patre*. Negandum esset, *Verbum, in quantum Filium, à Patre esse*: Nam si tota ratio, cur prima propositio concedenda non est; ea assignatur, quia; licet Essẽtia communicetur Filio à Patre, non tamen inde sequitur; Essentiam habere esse à Patre; cum communicatio præsupponat esse: Eadem ratio currit in propositione secũda; licet .n. Verbum, in quantum Filius, sit genitum à Patre; non tamen habet esse per generationem à Patre; in ea permanentes sententia, quæ docet, non dari Existentias Relatiuas, sed omnes personas, eadem omninò existentia absoluta existere; cum tale esse sit omninò de intrinseco conceptu Essentiæ; tamen, sicut Essentia præsupponitur, ita, & Esse; & sicut Essentia communicatur à Patre, & non generatur; ita esse communicatur, & non producitur. Quod si hæc ratio, contra secundam propositionem non militat; nec militabit contra primam. Ostenditur debilis hæc 2. solutio.

§. V.

18 QVarè, mihi videtur in hac difficultate dicendum; non esse, in rei veritate, inconueniens, vtrumq; asserere. Iam, absolutè, hæc propo- Vera solutio.

positio prolata vera, & Catholica est; *Verbum, scil. Filius est à Patre.* Ita in Simbolo Athanas. dicitur, *Filius à Patre solo est*: quod autem Natura Diuina, quæ in Filio est, possit etiam dici, esse, aliquo modo, à Patre; videtur annuisse D.Tho. 3.p.q.3.art.2.in argumento, *Sed contra*; vbi adducens ea verba Augustini lib. de fide, ad Petrum. c.2. vbi ait: (*Illa natura, quæ semper genita manet ex Patre,*) Addit D.Th. explicãs verborum sensum, dicens (*id est, quæ est per generationem æternam accepta à Patre,*) ergo Iam illa natura, quæ est in Filio, cum sit à Patre accepta, poterit dici; esse à Patre; Non. n. hæc verba faciunt illum sensum; nimirum; quod habeat Existentiam à Patre natura illa; sed, quod sit à Patre; (*Supple,*) communicata Filio.

Athanas.

D.Th.

19 Quare ad argumentum in forma Respondeo dist. ma., *Esse ab alio* stat dupliciter; vel tanquam à causa, dante Esse: vel tãquam à Principio: illud *esse ab alio*, (.i. tanquam à causa) repugnat Enti Increato; non illud, (*à Principio,*) & illud *Esse ab alio, tanquam à causa*, includit dependentiam à causa, & ordinem prioris, & posterioris; saltem, secundum naturam: esse tamē ab alio, (*tanquam à principio,*) non dicit aliquam dependentiam; sed tantum ordinem originis; qui ordo non excludit omnimodam simultatem, etiam rationis; (vt infra dicemus.) Ad minorem; cum dicitur (*quicquid generatur, &c. dicitur esse ab alio,*) vel tanquam à causa; vel tanquam à principio; & sic neg. consequentia; Nam licet Verbum Diuinum nō sit à Patre, tanquam à causa; cum ratio causæ omninò repugnet in Diuinis, respectu actuum immanētium: est tamen à Patre, tanquam à Principio sine principio; qui Pater tantum dicitur esse à se, & nullo modo ab alio; nec, tanquam à causa, nec, tanquam à principio.

§. VI.

20 Ex quibus collige, quod diuersimodè intelligendæ sunt hæ duæ propositiones (*Verbum, in quantum Filius, est à Patre*; & *Filius, in quantum Deus, est à Patre.*) Prima. n. absolutè, vera est, & Catholica; prout in Symbolo dicto; & sic dicitur, Verbum, vt Filius, esse à Patre, tanquam à Principio producente, & generante. Secunda verò propositio, cum aliqua limitatione, vera est etiam: facit. n. hunc sensum Catholicum; (*Filius accipit naturam Diuinam in generatione à Patre:*) non quod natura Diuina dicatur etiam genita, vel producta: sicuti genitus, & productus est Filius; sed communicata eadem numero.

Corollariũ.

21 Ad calcem disputationis notandũ cum D. Basilio, & Hacchero disp. 1. nu. 3. quod Verbum nunc dicitur in sacra Scriptura, Generari, nunc verò, Creari: de eodem. n. dicitur *Ante Luciferum genitus. Ego hodie genui te*, &c. De quo dicitur. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo*, &c. Non quod Verbi productio sit vera creatio ex nihilo; sed quia Diuina processio continet quicquid est perfectionis, tàm in Creatione, quàm in Generatione, sine vlla imperfectione; tametsi per neutram perfectionem explicetur: cum. n. more nostro, Generatio significet productionē cum vnitate naturæ, & cum mutatione Generantis; Creatio verò, productionem; cum diuersitate naturæ: sed sine mutatione Creantis; Processio Diuini Verbi, à Generatione, habet vnitatem naturæ; à Creatione, immutabilitatem producentis.

Basil. Hacch. p. 1. q. 27. art. 2.

Cur Verbũ Diuinum dicitur in Sacra Scriptura creari?



DISPVTATIO SECVNDA.

De Productione Amoris in Diuinis.

CAPVT PRIMVM.

Cur Productio Amoris non dicitur pariter Generatio, sicut Productio Verbi?

§. I.

D.Th. 1  Th. q. eit. art. 3. diffinit, quod in Diuinis, præter Processionem Verbi, quæ est secundum actionem intelligibilem; ponatur etiam Processio Amoris, quæ est secundum actionem voluntatis; Nam, sicut in nobis, præter processionem Verbi, secūdum quam, cognitum est in cognoscente, datur alia processio secundum volūtatem, qua amatum est in amante; ita etiam in Diuinis, præter Processionem Verbi, ponenda est alia, quæ sit Processio Amoris. Vbi posset esse difficultas; An Amatum sit in Amante? Nam Philosophi constituunt hanc differentiam inter intellectū, & voluntatem; quod intellectus fertur in res, prout sunt in se ipso; at voluntas fertur in res, prout sunt in se ipsis; ergò potius videtur dicendum, Amantem esse in re Amata; vnde dicitur *Anima magis esse vbi amat, quàm vbi animat.* Præterea, ex omnibus modis essendi in alio, quos Arist. enumerat 7. Phisic. tex. 23. Nullus est, ad quem poterit reduci, Amatum esse in Amante, ergò, &c.

An Amatum sit in Amante?

Arist.

2 Respondeo tamen breuiter ad hanc difficultatem, vtrumq; esse verum; .s. Amātem esse in re Amata, & Amatum in Amante; & vtrumq;, ratione Amoris. Primum satis patet ex ratione adducta. Secundum verò, ex communi modo loquendi, quo aliquis dicit, se habere in corde rem amatam. Iuxta illud Pauli ad Philippens. 1. *Eo quod vos habeam in corde, & in vinculis meis.* Et hinc ortum habent voces illæ Amantium, quibus res amatas appellant, *Animam, Cor, Viscera,* &c. Hoc autem non potest dici, ratione solius voluntatis, ante omnem actum; Alioquin non solum Amans: sed etiam non amans diceretur esse in re amata; & è cōtra: dicitur ergo, ratione actus Amoris. Ratio huius modi loquendi est, nam sicut locus deorsum dicitur esse in re graui, propter conuenientiam, quam habet cum illa; ita etiam Amatum dicitur esse in Amante, ratione amoris, propter conuenientiam; nam quilibet amat id, quod est sibi coniunctum; vnde patet ad rationem dubitādi, quoad primam partem, Responsio. Ad secundam verò, dico, hunc modū essendi rei Amatæ in Amante, reduci ad illud Aristotelicum, quo res dicitur esse in fine: nam sicut res est in fine, propter tendentiam in ipsum; ita finis dicitur esse in re ordinata ad illum, propter congruentiam, quam habet eum illa. Amatum autem habet se vt finis. (Videatur Vasq. in dubitatione circa expositionem art. cit.) Nostra igitur concertatio tantum erit, de modo processionis Amoris in Diuinis. An, sicuti Processio Verbi verè dicitur Generatio; ita etiā dicenda sit vera Generatio Productio Amoris? Vasq.

Amātem esse in re amata, & Amatū in amāte; quomodo?

D.Paul.

3 Vbi notandum; quod vnum supponitur, alterum vero quæritur. Supponitur, processionem Amoris, (hoc est Spiritus sancti, qui amor dicitur in Diuinis,) non esse Generationem; quod est de fide: Decretum per Concilia; & Patres; & in Symbolo Athanas. dicitur, *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, nō factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Videatur Augustinus 15. de Trinit. cap. 27. & Damascenus l. 1. de fide c. 13. Cuius etiam potest aliqua assignari ratio, vt optimè Hacchet. ar. 3. disp. 4. n. 8. Quia aut Generatio Filij, in Diuinis, ob suam infinitatē, expleuit fœcunditatem Patris, aut non; si expleuit: ergo non dedit locum alteri Filio: si .n. dedisset, eo ipso non expleuisset; & si non expleuit; ergo non fuit infinita, in ratione generationis; siquidem totam eius extensionem complecti non potuit; & qua ratione prima non expleuit,

Processionē amoris non esse generationem, probatur. August. Damasc. Hacch.

uit, nec secundà expleuisset; & sic nulla esset ratio, vt hoc binario numero potius Generatio terminaretur; & ita, in infinitum procederet. Hoc ergò supponendum est, tanquam de fide certum.

§. II.

Non est absolutè de Fide: sed cum limitatione.

4 COeterum Positio non est, absolutè, intelligenda esse de fide, sed cum aliqua limitatione; pro quo iterum not. quod (vt supra disput. præced. dixi) nō sola Generatio Viuentium debet appellari Generatio, sed etiam sumpta, prout est communis ad Generationem Creatam, & Increatam; ibi enim genetali diffinitione diffiniuimus Generationem, in illa communitate sumptam, esse originem vnius substantiæ ab alia, non ex nihilo: Et hæc etiam appellatur Generatio.

Quò absq; hæresi dici possit processio Spiritus sācti Generatio; et Spiritus sanctus genitus.

5 Cum ergò dicimus, de fide esse, Processionem Spiritus sancti nō esse Generationē; Intelligimus de Generatione Viuentium, præcisè; secundum quod est fundamentum reale propriæ Filiationis; & hoc tantum probant sacræ Scripturæ testimonia; definiunt Conc.[a] & Patres clamant; Ex quo sequitur, quod, qui diceret absolutè, Spiritum sanctum esse Genitum, eiusque processionē esse Generationem: Intelligens de illa Generatione communitèr, & communissimè acceptą; nihil contra fidem diceret; (prout Ego arbitror.) Non tamen hic loquendi modus probandus est; nec enim verba, cum Hæreticis habere debent Catholici communia.

CAPVT II.

Proponitur ratio dubitandi.

§. I.

Aug.

Beccan.

Maxima huius dispuiai. difficultas.

1 HIs ergò suppositis; tantum controuersia est, in assignanda ratione; Cur potius Verbi processio fit Generatio, quàm Spiritus sancti? In qua difficultate dilucidāda, hæc protulit August. lib. 3. contra Maxim. cap. 13. teste Beccan. 1. par. tract. 2. cap. 1. num. 10. *Distinguere* (inquit) *inter illam Generationem, & hanc Processionem nescio, non valeo, non sufficio*, & lib. 11. de Trin. cap. 27. ait *(Difficillimum est Generationē à Processione distinguere)* D. Ambros. lib. de fide cap. 5. inquit: *(Mihi impossibile est, Generationis istius nosse Mysteria: vox silet, mens deficit; non tantum mea: sed etiam Angelorum*.

Ambros.

Ratio cōmunis, & popularis, quæ videtur demōstrare processionem Spiritus sācti esse generationē. Haccher.

2 Cuius arduissimæ difficultatis ratio cōmunissima, & antiquissima, immò nunquam satis euacuata, ea est, quā omnes hoc loco adducunt; sed inter alios, eam subtiliùs exagerat Haccher. loc. cit. nu. 10. Quia (vt ponderanti patebit) singulæ particulæ Generationis Viuentiū, à nobis supra explicatæ, videntur conuenire, eodem modo, processioni Spiritus sācti, sicut processioni Verbi. Est. n. *Origo viuentis à viuente cognitione prædito, Principio coniuncto, secundum similitudinem in eadem numero natura; & hanc similitudinem, processio Spiritus, vi sua, confert*.

3 Hoc vltimum, in quo tota sita est difficultas, sic potest ostēdi. Spiritus sanctus habet candē cum Patre, & Filio naturam, illamque habet, nō à se, sed sibi à Patre, Filioque communicatā; ergo per aliquā communicationem: sed communicatio, qua Spiritui sancto Diuina communicatur à Patre, Filioq; Natura, tantū eius processio est; ergo Spiritus sanctus, ex vi suæ processionis, habet Naturam Diuinam, sibi communicatam; ac proindè, & similitudinem, & identitatem Naturæ: hoc autem est esse genitum, & Filium; ergo &c.

§. II.

Errores aliquorum Hæreticorum. Abailar. Arian. Macedonian. Eunomian.

4 VT ergo ratio disparitatis assignetur; reiecto errore Abailardi, qui (teste Bernard. Epist. 190.) Ne Spiritum sanctum faceret Filium; dicebat, illum non esse de substantia Patris, licet Patri consubstantialem; ne cum Arianis, Macedonianis, & Eunomianis conueniret, qui contra æqualitatem, & Diuinitatem Spiritus sancti blasphemias euomerunt. Vtebantur enim hoc argumento (teste Athanas. in Epist. de Spiritu sancto ad Sempionem à medio) aduersus Catholicos; Aut Spiritus sāctus procedit à solo Patre, & sic erit Filius Patris, & frater Filij; aut procedit à solo Filio; & sic erit Filius Filij, & nepos Patris; aut ab vtroque, & sic vterque erit parens illius; cumque non possit vterque esse Pater: alter erit Mater, alter Pater. Eam autem rationem ineptissimam indè de-

ducebát (teste Vasq. hic disp. 113. cap. 3. num. 14.) Quia, cum Spiritus sāctus procedat in eadem natura, non minus debet esse genitus, quam Filius; Si autem genitus est, sequitur aliquod ex prædictis absurdis. Sed hæc (vt dixi.) & alia huiusmodi Hereticorum figmenta omnino à Catholico obijcienda sunt, prout ex infra dicendis eorum falsitas elucescet.

5 Iterum supponendū est, antiquos Patres, & si laborauerint in perscrutanda ratione; cur processio Spiritus sancti nō sit Generatio? Et sic diuersissimis incesserint vijs, variosq; adinuenerint dicendi modos; Non tamen, ad hæc vsque tempora nostra, eos, nec etiam aliquē Scholasticorum, adeò adæquatā, ac demonstratiuam nobis tradidisse huius rei doctrinā, vt in ea potuerit Ecclesia acquiescere; ac mens Catholica satisfieri; Ita vt pro re, iam diffinita, in posterū potuisset haberi; sed nulla vsque modo assignata ratio est, quæ non det Scriptoribus ambigendi de illa locum; & sic, vt quid nostræ disputationi relictum, habenda est hæc controuersia; non verò ad Ecclesiæ dogmata spectans. Nonnullos Sanctorum Patrum dicendi modos, faciles satis, refert Vasq. loc. cit. Et deinceps, eosq; benè refellit. Vndè videri possunt apud hunc Authorem; Nos enim breuitati consulentes, in hac disputatione, difficiliores tantum adducemus; eosque confutabimus; vt tandem, quid probabilius sentiendum, aperiamus. Vasq.

CAPVT III.

Varij dicendi modi.

§. I.

Primus modus dicendi. Bonau. Riccar.

1 PRimus ergò dicendi modus est Alexandri 1. par. quęst. 42. ar. 2 & Mayor. disp. 13. q. 1. asserentium; addendū esse prædictæ diffinitioni Generationis, quod sit *Ortgo, secundum principalē modū procedendi*; qui modus cōsistit in hoc; quod, per Generationem, communicetur natura, cum facultate illam alteri communicandi; Et quia in processione Verbi, Natura, hoc modo, communicatur: quia Verbum potest illam communicare Spiritui sancto: in processione verò Spiritus sancti, non: Et ideo illa est Generatio, hæc verò non; quæ solutio videtur desumpta ex Riccar. lib. de Trin. cap. 16. Riccar.

2 Sed contra: quia hæc additio facta esse videtur ex eo, quod in Generatione creaturarū cōtingere videmus: at, in hac Generatione, natura communicatur cum facultate ipsā alteri communicandi per Generationem: ergò, si hoc est de ratione Generationis, Filius in Diuinis non est genitus; vel poterit naturam alteri communicare per Generationem: & sic Spiritus sanctus erit genitus à Filio. Quod si dicas; non esse necessarium, ad rationē Filij, quòd natura communicetur per Generationem: sed quouis alio modo. Satis liquet, hanc solutionem sinè vllo fundamento dari, solum ad fugiendam vim argumenti. Reijcitur.

§. II.

3 SEcundus dicendi modus est Bonau. disp. 13. q. 2. ad primum, Riccar. art. 1. q. 3. & aliorum, asserentium; ad rationem Generationis necessariū esse, quod processio fit per modum naturæ; Vbi notant hi Doctores (teste Vasq. c. 4. nu. 23.) triplicē esse modum productionis. Primum, secundum voluntatem; Secundum, præter naturam; Tertium, secundum naturam. Primus modus fuit in Creatione Adami, qui à Deo, sola voluntate ipsius, factus est. Secundus, fuit in productione Euæ, quæ præter naturā, ex costa Adami, formata est. Tertio modo productus fuit Abel ex Adamo, & Eua. Vndè colligunt, Generationem esse debere Viuentis à Viuente, ordine naturæ, non Voluntatis, aut præter naturam: & sic, processionem Filij esse Generationem, quia est modus secundum naturam; cum sit per Intellectū: & processionem Spiritus sancti non esse Generationem; quia est per Voluntatē; ac proindè, non vi naturæ. Quæ ratio videtur, posse colligi ex Arist. tract. 2. de anima, tex. 34. dicente: *Generare esse naturalissimum opus &c.* Eandem insinuauit August. 5. lib. de Trin. cap. 14. vbi dicit, hanc esse differentiam inter processionē Filij, & Spiritus sancti, quod Filius procedit, *vt natus*; Spiritus sanctus, *vt datus*; Quæ ratio non videtur satis fuisse Intellecta à Vasq. cap. illo 3. nu. 17. siquidem ipse, vt synonima, vsurpat, *esse Filium*, & *esse Natum*, in hac ratione Augustini, & sic eam impugnat: Quia idem est quærere, cur Filius procedat, vt Filius; & non Spiritus

Secūdus modus dicendi. Bonau. Riccar. Arist. Aug. Vasq.

ritus sanctus; ac quærere, cur Filius procedat, vt natus? Cum esse Filium, & esse Natum idem omninò sint.

4 Cęterum Augustinus non loquitur in hoc sensu; sed idē est apud ipsum loc. cit. *Filium procedere, vt natū*; ac procedere *per modum naturæ*; & idem est *Spiritum sanctum procedere, vt datum*; ac procedere *per modum voluntatis*; quia dare, vel donare, est proprium opus voluntatis. Quare dico, Augustinum videri insinuasse modum dicendi Bonau. & aliorum.

§. III.

5 Variant tamen huius sentētię Authores in explicādo; quid sit procedere per modum naturæ? Et vt difficultas intelligatur, not. quod Filius non ideò dicitur procedere per modum naturæ, quia procedat immediatè ab ipsa Natura Diuina, & non media aliqua potentia, ratione ab illa distincta; hoc enim falsum est. (quicquid Dur.) Filius enim procedit per Intellectū; Spiritus sanctus verò per Voluntatem; Quid ergò habet Intellectus, propter quod, processio eius dicatur esse per modum naturæ, & non processio Voluntatis?

Quid procedere per modum naturæ; & quid per modum voluntatis.

Dur.

6 Recentiores Scotistæ dicunt; procedere per modum naturæ esse procedere necessariò: procedere autem per modum Voluntatis, esse procedere liberè: Et quia Spiritus sanctus procedit liberè, libertate, non tollente necessitatem: sed tollente coactionem (ex Scoto in 1. d. 1. quæst. 1.) ideò Spiritus sanctus non procedit per modum naturæ, sicut Filius.

Scot.

7 Sed contra hoc, sic argumentor; quoniam, licet concederemus, doctrinā illam Scoti esse veram; adhuc explicatio, & solutio argumenti nulla esset; & huius signum esse potest: quia Scotus ipse nō eo modo soluit argumentum (vt patet ex d. 15.) sed alio longè diuerso; Et ratio est; quia procedere per modum naturæ est procedere necessariò; sed de fide est, Spiritus sancti processionem esse necessariam; ergò processio illius est per modum naturæ. Neque valet dicere, esse liberam à coactione; nam hæc libertas stat cum summa necessitate: ergo cum hac libertate stat, quod processio hæc sit per modū naturæ. Et confirmatur, quia etiam processio Filij est libera, libertate, quæ opponitur coactioni: procedit enim Filius cum summa inclinatione, & delectatione Intellectus Paterni; Et tamen, cum hoc stat, quod sit processio per modum naturæ; ergò, libertas à coactione non obstat, quominus processio possit esse per modum naturæ. Aliam explicationem refert, & refutat Bannes in dubio principali huius 3. art. antè primam conclusionem. nos infra dicemus, in quo sensu poterit esse hic modus dicendi satis probabilis?

Refellitur hic modus dicendi.

Confirmatur

Bannes 1. p. q. 27.

§. IV.

8 Tertius modus dicendi est, quod diffinitio Generationis non conuenit processioni Spiritus sancti, ex defectu illius particulæ *(In similitudinem naturæ:)* quam isti Authores sic explicant; vt, *procedere in similitudinem naturæ*, nil aliud sit, quām procedere per modum imaginis; ita vt, procedens sit imago eius, a quo procedit; & hoc dicunt, esse de ratione Generationis; Et quia Spiritus sanctus non est imago Patris, & Filij; indè est, quod eius processio non sit Generatio. Ita Torres art. 2. in 4. par. Vasq. cap. 7. & 8. & videtur hæc ratio desumpta ex Ansel. in monol. c. 35. & Riccar. l. 8. de Trin. cap. 28. & seqq.

Tertius modus dicendi.

Torr. Vazq. Ansel. Ricca.

9 Vt autem eam explicent, duo probant. Primum est; de ratione Filij esse, q̄ sit imago Patris; Quod probat Torres ex sententia Iurisperitorum, dicentium; Filium repræsentare Patrem. Sed hæc probatio friuola est; nam hęc repręsentatio non est naturalis, sed iure ciuili introducta, ad hoc vt Filius possit adire hæreditatem bonorum patris mortui: Vndè hæc repræsentatio non sufficit ad imaginem naturalem, qualis debet esse Filius.

10 Melius probat Vasq. ex Arthan. in epist. de decretis Nicenæ Synodi, parum antè medium; ex Nazianz. orat. 36. qui hoc apertè dicere videntur, legantur loca apud ipsum. Secundum est, rationem imaginis non conuenire Spiritui sancto, quod à nullo Theologo negatur, vt dicitur communiter q. 35. art. 2. Ex quibus videtur apertè colligi vera solutio prædicti argumenti, & totius difficultatis resolutio.

Nazianz.

11 Sed contra hunc modum dicendi, arguo Primo. Ratio imaginis nō est substantialis, sed accidentalis; ergò non potest esse de ratione formalis termini Generationis. Patet consequentia, quia Generatio terminatur formaliter ad substātiam;

Reijcitur hic modus dicendi. Primo.

tiam; Et in hoc distinguitur ab alijs motibus,& mutationibus: antecedens verò probatur,quia imago pertinet ad prædicamentum *Ad aliquid*.

Secundo. 12 Secundo, Ratio imaginis,non est magis intrinseca Generationi, quàm ratio Filij; sed Filiatio non est de essentia Generationis; ergò neq; ratio imaginis; prob.maior;(nam minor cũ consequẽtia patent.) Quia aliàs sequeretur, Filiationem fundari in ratione imaginis;conseq. est falsum. ergo &c. sequela probatur; quoniã Filiatio fundatur in Generatione,intrinsecè terminata; sed,si ratio imaginis est intrinseca Generationi,in illa fundatur Filiatio; ergò &c. falsitas autẽ consequentis patet; quia relatio nõ fundatur in relatione; ergò neque Filiatio in ratione imaginis.

Effugium. 13 Dices; hoc argumentũ sufficienter probare, imaginẽ non esse terminum primarium Generationis, sed esse secundarium; Indè tamen non sequitur,quod de ratione Generationis non sit, quod terminus eius sit imago.

Impugnatur. 14 Sed contra: terminus primarius prius natura intelligitur terminare actionem,quam terminus secundarius. Inquiro ergo, an in illo priori terminus verè dicatur Genitus, vel non? Si primum; sequitur, quod terminus productus per Generationem; etiam si non sit imago, sit propriè Genitus; & ex consequenti, Filius: si secundum:ergo Generatio non potest intelligi sinè ratione imaginis; atque adeo imago non pertinet ad terminum secundarium, sed ad primarium.

Tertio reijcitur superior dicendi modus. 15 Tertio arguo,inquirẽdo; Cur Spiritus sanctus non sit imago? Respondẽt, quia non est productus ad repræsentandum; Sed rursus inquiro; cur non sit productus ad repræsentandum, sicut Filius, cum accipiat eandem naturam, quam accipit Filius, per quam possit repræsentare eos, à quibus procedit? Et augeo difficultatem. Esse productum ad repręsentandum, non est positum in libera voluntate producẽtis; sed est aliquid ex intentione naturæ proueniens. Hæc autem intentio semper reperitur, quando productum accipit eandem naturam à producẽte cognoscente. Vt patet in omnibus imaginibus naturalibus, & in omnibus alijs; sed Spiritus sanctus accipit eandem eorum naturam, à quibus procedit,igitur ex intentione naturæ producitur ad repræsentandum, atque adeò, est imago.

§. V.

Refellitur quoddam effugium Vazq. 16 NEque valet solutio Vazq. disput. 145.cap.5.qui,ideo dicit,Spiritũ sanctum non esse productum ad repræsentandum: quia de facto non repræsẽtat alicui Intellectui: Non Intellectui Patris,& Filij, quia nõ se intelligunt Spiritu sancto, neque tanquam actu, neque tanquam termino; neque repræsẽtat suo Intellectui: Quia tantum intelligit Spiritus sanctus Intellectione Essentiali, quæ immediatè terminatur ad Patrem, & Filium; neque repræsentat intellectui Viatoris, vt clarum est; neque Comprehensoris: quia omnes vident immediatè Diuinas Personas; & non,vnam,ratione alterius: ergo nulli intellectui repræsẽtat.

17 Hæc inquã solutio nõ valet: tùm quia non reddit Vasq.solutionẽ à priori, quam nos inquirimus; tum etiam, quia falsum assumit: repræsentat enim Spiritus sanctus Patrem, & Filium ipsismet,& sibi,& omnibus Beatis; licet enim Personæ Diuinæ,æquè immediatè cognoscant se ipsas; tamen potest vna cognosci,etiã, ratione alterius; quatenus per illam repręsẽtatur; Pater enim Aeternus cognoscit se duobus modis; nempè; in se ipso; & etiam in Filio,tanquam in imagine; & Beati, etiam si immediatè cognoscant Personam Patris: tamen cognoscunt in Filio rationẽ imaginis; Atque adeò,alio modo,Patrem per Filium; ergo similiter poterunt cognoscere Patrem,& Filium per Spiritum sanctum; etiam si eos immediatè cognoscãt. Quarè aliundè prouenit, quod Spiritui sancto non conueniat, propriè, ratio imaginis; sicut cõuenit Filio, (prout docet D.Thom. q.35. art.2. in corp. vbi eandem rationem assignat huius disparitatis imaginis, ac assignauerat in art.3. cur nõ procedat Spiritus sanctus vt Filius,quia scilicet non procedit similis, ex vi suæ processionis) quarè necessariò huc recurrendum est. D.Th.

18 Addo ex Suar. lib. 1.de Trin. c.5. nu.7.Nam ratio hæc Vasq.& Torr. sumitur ex re minus certa; Certius enim est, Spiritum sanctum non esse Filium,quam non esse imaginem; vndè primum est de fide; non vero secundum; immò Patres, & Græci, & D.Thom. in corp. tenuere, Spiritum sanctum esse imaginem; Quod etiam sensere alij Scholastici nõnulli; Et ex re æquè obscura (vt vidimus,) nam de ea similis ratio postulatur. Et confirmatur item: Nam,sumpta imagine,quatenus Suar. D.Th.

tenus actu repręsētat (vt ab eis sumitur.) Non ideo Filius est Filius, quia est imago; sed è conuerso; quia Filius est, ideò est imago.

§. VI.

Respondetur authoritatibus SS. PP.

19 QVarè ad authoritates Patrũ, adductas a Vasq. dicendũ est; eos non distinguere, quoad hoc, inter imaginem, & similitudinem, habitam ex processione; (vt optimè idem Suar. loc. cit.) Vnde Anselm. in monol. cap. 53. ita vtitur his terminis, vt dicat: *Verbum esse Filium; quia statim præsefert rationem imaginis: Spiritum sanctum autem non esse Filium, quia non ita præsefert similitudinem*; ita refert hęc verba, ex Anselm. Suar. quo fenim ait, etiam D. Thom. vti 4. cont. gent. cap. 11. attributo imaginis, ad declarandam Filiationem Verbi: probat autem, esse imaginē, quia procedit secundum rationem similitudinis.

Anselm.

Suar.

Vltimus modus dicendi.

20 Vltimus tandem dicendi modus est, Spiritus sancti processionem non esse Generationem: quia licet procedat similis Patri, & Filio; tamen hoc non habet formaliter, ex vi, & modo suę processionis. Quod autē Spiritus sanctus hoc modo non procedat, inde Patet; quia procedit per voluntatem: hæc autem processio, ex sua ratione, nõ habet, quod sit processio similis: quod si Spiritus sanctus id habet, hoc non ei conuenit, quatenus per voluntatem procedit, formaliter; sed quatenus procedit in tali natura. At verò processio Verbi, formaliter, ex sua ratione habet, quod sit processio rei similis; & non ex natura, in qua procedit: nam processio per Intellectum; quatenus Intellectus est, & prout abstrahit ab hoc, vel illo subiecto, semper est processio similis; Et ideo processio Verbi Diuini est Generatio; quia, ex vi, & modo suæ processionis habet, quod procedat simile in natura producenti. Ita D. Thom. vbicunque de re hac loquitur, & in cit. art. in corp. & ad primum, 4. cont. gent. cap. 11. & quæst. 34. & alibi. Enric. quodl. 4. q. 2. Valen. supra cit. art. 3. disp. 2. punct. 1. Belarm. lib. 2. de Christo cap. 14. Suar. loc. cit. Beccan. tract. 2. cap. 1. q. 2. à nu. 10. Haccher. disp. illa 4. Bann. Molina, Ripa, & alij Thomistæ cũ Caiet. qui omnes habent, idē dicendum esse de ratione imaginis; nempè, quod ad illam requiratur, q̃ ex vi suæ processionis procedat similis ei, cuius est imago: Indè enim colligitur, quod procedat ad repręsētandum; Et quia Spiritus sanctus, ex vi suæ processionis, nõ procedit similis Patri, & Filio; Indè est, quod non sit illorũ imago; Itaque non negant isti Authores, in omni Generatione hoc reperiri; q̃ terminus illius sit imago eius, à quo generatur; Neque enim id negari potest; cũ sit commune omnibus Filijs; & hoc probant testimonia adducta à Vasq. vbi sup. Sed dicunt, quod sicut ad rationem Generationis non sufficit, quod terminus procedat similis in Natura producenti: sed, vltra hoc, est necessariũ, quod id habeat ex vi suæ processionis; Ita etiam ad rationem imaginis. Vndè, si Eua effectiuè producta fuisset ex Adamo, ex propria ipsius costa; adhuc non haberet rationem imaginis; quia, ex vi suæ productionis, illam similitudinem non reciperet; & tamen esset Origo Viuētis à viuente principio coniuncto, in similitudinem naturæ specificæ: non tamen ex vi talis processionis, formaliter, primo, & per se.

D. Thom.

Enric. Val. Belarm. Suar. Beccan.

Hacche. Ban. Molin. Ripa, Caiet.

21 Addo; quod ipsemet Vasq. velit, nolit, tandem hoc etiam videtur apertè annuere, suimet oblitus; Vndè q. 35. ar. 2. disp. 145. cap. 3. num. 6. in fine, hæc verba habet: (*Colligitur etiam, in Diuinis esse imaginē propriè, absque vlla prorsus imperfectione: hoc modo in Diuinis est Verbum expressum, vi suæ processionis, ad repræsentandum: ergò est propriè, & absque vlla imperfectione, imago.*) Hæc ipse. A quo peterem; cur in antecedenti addidit particulam, tot rationibus sibi inuisam, & in quam tam arduè inuehit; nempè, (*vi suæ processionis*) nisi quia nõ sufficit, productum esse imaginem producentis, eiusque similitudinem: sed requiritur, q̃ id habeat, ex vi suæ processionis; vndè incidit in laqueum, quem vitare Vasq. intendit. Vasq.

§. VII.

22 HÆc ergò est mens D. Tho. & Doctorum citatorũ: quam tamen diuersimodè explicant, facilitatis gratia. Nos verò, vnam, vel alteram probabiliorem, ac faciliorem explicationem adducemus: Prima sit Patris Beccani nu. 11. qui sententiam hanc duplici syllogismo nititur optimè aperire. Prior est. Quicquid producitur per Intellectum, hoc, vi suæ productionis, est simile producenti; sed

Explicatur hic modus dicendi.

Prima explicatio Becca.

sed Filius producitur à Patre per Intellectum; ergo, vi suæ productionis, est similis Patri producenti: maiorem probat. quia quod producitur per Intellectum, nihil est aliud, quàm Verbum mentis, seu vitalis imago rei Intellectæ: nam Intelligens, efformat actualē speciem, seu imaginem eius rei, quam Intelligit: Hæc autem imago est similis Intelligenti, secundum eam formam, qua Intelligens est, quæ est habitualis species rei Intellectæ, actiuè concurrens cum Intellectu ad Intellectionem, iuxtà ea, quæ diximus in tract. de Verb. ment. Quod etiam locum habet in Deo Patre; Nam habitualis species, seu imago, qua Pater Intelligit, est Essentia Diuina: actualis verò species, vel imago, quam Intelligendo producit, est Filius, seu Verbum Diuinum; Filius autem est similis Patri secundum Essentiam.

23 Posterior syllogismus est; Quod producitur per voluntatem, hoc, vi suæ productionis, non est simile producenti; sed Spiritus sanctus producitur à Patre, & Filio per voluntatem; ergò, vi suæ productionis, non est similis Patri, & Filio producenti. Maior probatur, quia, quod producitur per voluntatē nihil aliud est, quàm actualis quædam propensio, seu inclinatio in rem amatam; Hæc autem inclinatio non est similis amanti, secundum eam formam, qua amans est; Nam forma, secundū quam quis amat aliquod obiectū, est ipsa bonitas obiecti, per Intellectum apprehensa, & voluntati proposita: Hæc autem bonitas obiecti non est similis actuali inclinationi in obiectū amatum; ergò &c.

24 Quibus addit Becean. num. 13. In Filio, & Spiritu sācto duo spectari posse: Vnum, quod vterque sit Patri similis; hoc Filius habet, vi suæ productionis, (vt dictum est;) non item Spiritus sanctus. Alterum est, quod vterque sit Patri consubstantialis; Hoc neuter habet, vi suæ productionis: nam neque, quod per Intellectum, neque quod per voluntatem producitur; vi suę productionis, est eiusdem substantiæ cum producente; quod patet in homine, & Angelo; nam quicquid in illis per Intellectum, aut voluntatē, producitur, est accidens; accidens autem non est homini, aut Angelo consubstantiale. Aliundè ergò fit, quod vterque; Filius, scilicet, & Spiritus sanctus sit Patri consubstantialis; nempè, quia vterque Deus est; Cum ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint vnus Deus, & vnam, eandemque habeant Deitatem, ac substantiam; necesse est, Filium, & Spiritum sanctū Patri consubstantia es esse; & sic, certè, facilis est solutio difficultatis. Eodem modo ferè omnes Thomistæ citati explicant hanc doctrinam.

§. VIII.

25 SEd, pro maiori facilitate, addendū est, cum Suar. loc. cit. nu. 11. quamuis Diuina Attributa, in re, non distinguantur, actu; tamen formaliter, inueniri in Deo, & habere eminentem, seu virtualem distinctionem, quæ satis est, vt vnum possit esse principium, *Quo*, vnius actionis, & non aliud, formaliter loquendo; quamuis, realiter, vnum in altero includatur; quomodo in actionibus ad extra dicimus; Deum, cū subleuat miseriā, operari per misericordiam, non per iustitiam; & è conuersò, quādo punit, operari per iustitiam, non per misericordiā; nisi quatenus aliquid ex pœna remittit. In processionibus item ad intra est hoc certissimum: nam prima Persona producit secundam, Intelligendo, non Amando, &c. Sic ergo ex parte termini producti ad intra, potest idem inueniri. Potest enim terminus vnius processionis formaliter produci, sub ratione vnius attributi, & non alterius; quia non est maior repugnantia ex parte terminorū, quàm ex parte principiorum (*quibus*) & alioquin eadem est ratio, seu proportio: Nam illud, quod est, ex parte producentis, principium formale producendi, est etiam forma per se, & formaliter cōmunicata termino producto. (Ità D. Thom. quæst. 41. primæ partis art. 5.) Habere ergo aliquid, ex vi processionis, est habere illud, tanquam formalem terminum, seu rationem, *Sub qua* talis processio ad illum tendit; Et hoc modo habet Filius Sapientiam, & Intelligentiam Patris, ex vi processionis suæ. Spiritus sanctus autem, Dilectionem, seu Charitatē Patris, & Filij; Quia vero in vno attributo Diuino reliqua includuntur, consequenter, vterque eorum habet reliqua omnia; Et hac ratione dicuntur habere illa, quasi materialiter; non quia habeant, tanquā ex materia aliqua, *Ex qua*, vel *circa quā*; sed ad eum modum, quo obiectum dicitur materialiter comparari ad rationē, *Sub qua* attingitur; & eodem modo id, quod datur ex vi processionis, dicitur

Suar.

D. Thom.

per

per se communicari; non quia alia communicētur per accidens; nam etiam dantur per se, perseitate rei (vt ipse loquitur) sed quia non ita formaliter communicantur.

26 Quod possemus nos declarare exemplo sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ; In quo, aliqua dicuntur esse, *ex vi verborum*, aliqua verò, *per concomitantiam*; vt in Hostia, *Corpus, ex vi verborum*, & formalitèr est: At verò, *Diuinitas, Sanguis &c. per concomitantiam*: Ita in Calice, *Sanguis* est *ex vi verborū*; reliqua, *per concomitantiam*; non quod non reperiantur. Ita ad propositum, fatemur, per vtramque processionem, per se cōmunicari, tam Filio, quàm Spiritui sancto, totam Naturam Diuinam, & omnia eius attributa, considerata re ipsa, quæ communicatur; non tamen communicari æquè formalitèr, secundū omnem rationem suam; Et hoc modo, non omnē terminum ibi productum habere similitudinem cum producente, quoad omnia, ex vi processionis: sed tantum Verbum: Et licet eadē similitudo sit in Spiritu sācto, quia tamen id, quod habet Spiritus sanctus, ex vi processionis suæ formaliter, non est similitudo, sed Amor, fit, quod hæc nō sit Generatio; sicut illa: Neque hoc imperfectionē inuoluit, aut minuit, in aliquo, perfection m alicuius Personæ productæ; Si enim quælibet earum, in re, habet per se, & esse ialiter perfectionem omnium attributorum: Quid interest ad illius perfectionem, quod, secundum formalitatē huius, vel illius attributi, illam habeat? Sicuti non minuit integritatem Sacramenti Corporis Christi; quod tantum Corpus sit, ex vi verborum, in Calice: cum vtrobique integrū Corpus Christi, secundum Diuinitatem; Animam, Carnem, Ossa, Sanguinem &c. reperiatur. Hac doctrina, sic exposita, solues ferè centum argumenta; quæ fieri possent contra hunc modum dicendi, quæ ideo prætermittenda duxi.

27 Hæc sententia, sic explicata, maximam habet probabilitatem, & sufficere posset pro decisione huius difficultatis: licet (vt optimè Suar. num. 15. in fine) Intellectum non conuincat; hoc enim in tanto mysterio spectandum non est. Vbi Magist. in 1. d. 13. Greg. ibidem q. 1. Gab. q. vnic. nonnullos ex Sanctis Patribus sequentes, vi difficultatis oppressi, affirmant, nullam sufficientem rationem huius doctrinæ assignari posse: Præsentaneumq; putant esse remedium, hæreticis, non tām ratione, quàm perpetua Ecclesiæ traditione, & scripturæ testimonijs, respondere; quod sanè Catholicis satis esset.

Magist. Greg. Gab.

CAPVT IV.

Vera ratio explicatur.

§. 1.

1 Caeterum altera explicatio eiusdē modi dicendi D. Th. quam longè omnibus alijs existimo magis ipsi accedere veritati, est ea, quam idem Suar. tetigit loc. cit. à nu. 16. & postea clarius, & profundius prosequutus est Haccher. disp. 4. à num. 12. vsque ad 39. cui adhærendum nobis est, propter rationem infra adducendam, quę aliqualem ad huc facit difficultatem contra priorem explicationē, nullam verò contrà hanc posteriorem, quam adducturi sumus. Verior explicatio. Suar. Hacch.

2 Supponendum ergò Primo est; de ratione veræ, & perfectæ Generationis, esse, formaliter, & per se primo communicare naturam; quia perfecta Generatio per se tendit ad perfectam similitudinem; saltem, specificam; quæ formaliter constituitur, ex vi cōmunicationis eiusdem naturæ. Hoc tanquam primum principium est apud Philosophos, & præsertim Arist. 2. Phis. tex. 14. & 5. Metaphis. cap. 4. propè finem; & etiàm apud Scholasticos in 1. d. 4. & Interpetres D. Thom. art. 3. cir. 1. Supp. Arist.

3 Secundo, supponenda est ea doctrina, quam tradidimus in tract. de Verbo mentis, in Appendice; nimirum, Intellectionē esse ex perfectionibus primæ classis; quæ Deo conueniunt: Immò, vltimam, quasi, differentiam constitutiuā Dei, in esse Dei: quia Diuina Natura, formalissimè, & essentialitèr, est Natura viuens; ergò, & eodem modo, est essentialiter viuens, in determinato gradu vitæ, & perfectissimo; ac subindè, in gradu Intellectuali: omnis enim natura creata, in tali gradu constituta, secundum differentiam Intellectualem, formaliter, constituitur, vel specificatur: In Deo autem, licet non sit species; tamen eodem modo, quo in illo concipimus constitutionem essentialem; nulla potest esse prior, 2. Supp.

nec magis formalis; vt ibi probauimus. Quem gradum Intellectualitatis esse in Deo, etiam demonstrauimus, per summam actualitatem Intellectionis; non vero per aliquam habitudinē ad actualē Intellectionem; sicuti est in creaturis, quæ, ob earum imperfectionē, potentijs ad operandum indigent.

3. Supp. 4 Tertio supponendum, Volitionē Diuinam pertinere ad secundā classem Perfectionum Diuinarum; Et sic, supponere Naturam Diuinam vltimo constitutam, in ratione naturæ, per Intellectionem sui ipsius comprehensiuam: tùm, quia volitio non dicitur esse rationalis, seu Intellectualis, nisi quatenus apta est sequi Intellectionē, & ex ea dirigi: Cum, aliàs, concedant omnes, Intellectum, per se, & essentialiter, in viuente Intellectuali, rationalem esse. Ita Arist. 1. Ethic. cap. vlt. D. Tho. 1. 2. q. 56. art. 6. ad secundum, & 3. par. quæst. 18. art. 2. Appetitus enim, (inquit Arist.) natus est obedire rationi; ergo iam debet, in aliquo priori, Intellectionē præsupponere, & ex consequenti, Viuens Intellectuale, in eo priori, iam constitutū in esse Viuentis Intellectualis per ipsam Intellectualitatem: Tùm etiā, quia volitio nō fertur, nisi in rem cognitam: *Nil enim volitum, quin præcognitum*; idest, *antè cognitum*; Vndè colligūt Theologi, ordinem inter processionem Verbi, & Spiritus sancti; vt, quemadmodum Amor supponit Intellectionem; ita processio Spiritus sancti supponat processionem Verbi; tùm tandem, quia omnes, tàm Philosophi, quàm Theologi probant Voluntatem ex Intellectu, tanquam ex ratione priori, cui voluntas debetur, & quam ipsa consequitur. Quod autem hoc etiam locū habeat in Deo, non obstante identitate inter Diuina Attributa; patet; nam, hoc modo, verè assignamus in Deo vnum attributum, tanquam rationem alterius; Verissima enim censetur hæc propositio causalis; *Quia Deus Intellectualis est; ideo amat*; Cumque in vnaquaque natura, illud censeatur, etiā, maximè essentiale, quod est, veluti primum, antè quod non intelligitur talis natura in suo particulari esse constituta; &, quod est, veluti radix, aut ratio cæterorum; sequitur, per Intellectualitatem, tanquam per quid, cæteris omnibus attributis, nostro modo intelligendi, prius; & ideo, maximè essentiale, intelligi debere Deum constitutum in suo esse, antequā intelligatur aliquid velle; & per consequens, Volitionem Diuinam pertinere ad attributa secundæ classis, & præsupponere Intellectionem.

Arist. D. Tho.

§. II.

5 His suppositis, tanquam certis: explicatio sententiæ D. Thom. cōsistit in duplici, breui, ac facili discursu, seu syllogismo. Alter est: Intellectio Diuina est formalissime Diuina Natura; sed productio Verbi, formaliter, est cōmunicatio Intellectionis Diuinæ: ergò productio Verbi, formaliter, est communicatio Naturæ Diuinæ: Et hinc est, quod D. Thom. art. 2. docuerat, Verbum Diuinum procedere simile in natura: quia in Deo idem est, Esse, & Intelligere; & ideo eius processionem esse Generationem. Et in Responsione ad secundū ait; Intelligere Diuinum esse ipsam substantiam Intelligentis: & ideo, Verbum procedere, vt eiusdem naturæ; & propriè dici Genitum, & Filium. Quæ verba D. Thom. non sunt intelligenda, solum in sensu identico; vt sic enim nihil dixisset peculiare; identicè namque, ne dum verum est, idem esse in Deo Esse, & Intelligere: sed etiam, idem esse Velle, & Esse, Velle, & Intelligere. Loquutus est ergò, in sensu formalissimo; quatenus, vt Intellectio Dei, est de intrinseco conceptu naturæ Diuinæ, formaliter; Ita vt non possit dari conceptus obiectiuus Diuinæ Essentiæ, quin includat formaliter cōceptum Intellectionis, saltem implicitè: quod non est item de Volitione, & Personalitatibus, &c. Dicemus enim, huiusmodi attributa &c. non includi essentialiter in conceptu Diuinæ Essentiæ. Explicatur modo D. Th. sententia.

6 Et ex hoc syllogismo oritur alter de Spiritu sancto; scilicet, communicare formaliter primo, & per se, naturā, est de ratione intrinseca Generationis; sed processio Spiritus sancti non communicat formaliter primo, & per se Naturam Diuinam, ergò non est Generatio; Maior cum consequentia patent; Minor etiam constat; nam productio Spiritus sancti communicat volitionem; sed volitio nō spectat, primo, & per se ad constitutionē Naturæ Diuinæ, sed eam supponit cōstitutam per Intellectionē: ergò processio Spiritus sancti non communicat primo, & per se naturam; Quod si Theologi dicunt sæpè, Amorem dici essentialiter intelligūt, Amorē non dici notionaliter, sed secundū rōnem absolutā, & communem, quę à Theologis dicitur, essentialis.

CAP.

CAPVT V.

Satisfit rationi dubitandi.

Quod dici possit Spiritus sanctus ex vi suæ processionis accipere Diuinã natura n., & similitudinem.

1 ET sic facilis est solutio ad rationem difficultatis, in principio positam, vbi not. est, quod secundum hunc modũ explicandi, possumus etiam concedere, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis, accipere Diuinam naturam; & per consequens, similitudinem in natura: id .n. certissimè argumentum probat apertè; nec posse hoc negari censeo: & sic, dixi, priorem modum explicandi sententiam D.Th.ex Thomistis, qui tantùm adducũt particulam (*Ex vi processionis*) non satis sufficienter difficultatem propositã euacuare; nisi aliquid aliud addant, (prout nos addidimus ly (*Primo, & per se; seu formaliter*,) quod idem est.

2 Vnde dicimus, vtriq; communicari Diuinam naturam, ex vi processionis: sed ly (*Ex vi processionis*) stat dupliciter. Primò, formaliter; seu primo; & per se; .i. ratione suæ intrinsecæ, & propriæ formalitatis; quatenus per voluntatem est, vel per intellectum; & sic, formaliter tantum processioni Verbi conuenit cõmunicare naturã: processioni verò Spiritus sancti, tantum amorem Diuinum.

3 Secundò, quasi materialiter, .i. ratione infinitatis Naturæ Diuinæ, in qua est, & cum qua identificatur; & hoc modo etiam processio Spiritus sancti, vi sua, communicat naturam, sicuti omnem aliam rationem existentem in Deo; ad rationem autem Generationis non satis est, communicari, hoc posteriori modo, naturam; sed priori.

4 Collige ex dictis; hanc videri esse mentem multorum Theologorum, dùm asserunt, Verbum esse Filium, quia procedit per modum naturæ: Spiritum sanctum autem non esse Filium, quia procedit per modum voluntatis; (vt ex Bonau. supra retulimus:) non .n. optimus explicandi modus huius sententiæ est; quod, procedere per modum naturæ sit procedere necessitate naturæ; (vt vidimus;) nã, vt sic, vterq; procedit. Sic etiam intelligendus est Augustinus, cum inquit 5. de Trinit. c. 14. *Verbum esse Filium, quia procedit, vt natus. Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit, vt datus*; vt annuit, inter alios, Suar. n. 20. Aug.

CAPVT VI.

Soluuntur obiectiones, quæ in contrarium adducuntur.

§. I.

1 REstant soluendæ quædam obiectiones; quæ, prima fronte, videntur maximam vim præseferre: attamen faciles quidem sunt. Prima fit: Processio per voluntatem, ex sua formali ratione, habet, quod terminus procedat similis producenti: ergo, &c. Probatur antecedens; quia amor procedens per voluntatem est similis ipsi voluntati; sicut .n. voluntas est inclinatio, & impulsus in obiectum; ita & amor: solum differunt, quod voluntas est inclinatio, & impulsus in obiectum, per modũ actus primi: Amor verò, per modum actus secundi: sed hæc differẽtia etiam reperitur inter Verbum, & speciem impressam; vel Intellectum ipsa informatum; Nam verbum est similitudo obiecti, per modum actus secundi: species verò, & intellectus, per modũ actus primi, ergo, &c. 1. obiectio.

2 Confirmatur primò: quia omne Agens intendit assimilare sibi terminum per ipsum productum; & producere sibi similem, formaliter, in quantum Agens est; ergo omnis actio cuiuslibet Agentis, ex sua ratione, habet, quod terminus eius sit similis Agenti; ergo & actio voluntatis. Confirm. 1.

3. Confirmatur secundò; Amor, ex sua propria ratione, est virtus vnitiua: ergò, ex sua ratione, intendit facere vnũ; ergò etiam intendit facere simile; atquè adeo, ex vi processionis formaliter, processio amoris est in similitudinem naturæ. Prima consequentia patet: secunda probatur, quia similitudo fundatur in vnione: ergo, quod intendit facere vnum; consequenter intendit facere simile. Confirm. 2

4 Secundò principaliter argumẽtor; Non quæcunq; similitudo sufficit ad Generationem; sed necessaria est similitudo in natura substantiali: At processio per intellectum, ex vi sua, primò, & per se, non facit simile in natura substantiali: ergò, etiam si Verbum Diuinum procedat simile in natura substantiali, id non habet, ex vi processionis per intellectũ, Filiatio: sed quatenus processio illa est in na- 2. obiectio.

natura Diuina; sed hoc ipsum habet processio Spiritus sancti, (vt ex Beccano diximus supra.) ergo, vel vtraq; est Generatio, vel neutra.

Confirm. 5 Confirmatur; quia processio per intellectum, formaliter, tantum habet facere simile in esse intelligibili; quod autem sit simile in esse reali, non habet ex vi processionis, formaliter; sed quatenus processio est in natura Diuina; quod etiam reperitur in processione Spiritus sancti.

3. obiectio. 6 Tertiò arguméto; Spiritus sanctus, ex vi, & modo suæ processionis, primò, & per se, est Spiritus sanctus: sed, vt sic, est Deus; ergò, ex vi suæ processionis, formaliter, est Deus: ma. cum consequentia patent: mi. verò probatur; quia Spiritus sanctus essentialiter est Deus; ergo, in quantum Spiritus sanctus, est Deus: patet consequentia; quia sicut, Petrus, in quantum Petrus, est Homo; quia essentialiter est Homo: ita etiam dicendum est de Spiritu sancto.

Confirm. 7 Et confirmatur; quia Spiritus sanctus, ex vi suæ processionis, formaliter, procedit, vt Amor Diuinus & infinitus; sed Amor Diuinus & infinitus est Deus; ergò, ex vi processionis suæ, procedit; vt Deus.

§. II.

Ad 1. obiect. 8 Hæc argumenta potius militare videntur contra priorem modum explicandi sententiam D. Th. quam contra posteriorem: At quia & illum adhuc satis probabilem esse, diximus; ideo tenemur etiam satisfacere obiectionibus contra illum factis: & sic, ad primum argumentum (relicta solutione Caiet. quæ videri potest apud ipsum:) melius respódeo, negando, Amorem esse similem volútati, propter rationem ibi tactam; nam licet vtrumq; sit inclinatio, & impulsus; tamen voluntas habet se, per modum actus primi, & potentiæ: Amor verò, per modum actus secundi, igitur Amor, & voluntas non sunt similes. Quod, etiam, inde colligitur; quod eadem voluntas potest producere amores diuersarum rationum. Ité quia voluntas non est causa vniuoca, sed æquiuoca amoris; atq; adeo, est diuersæ speciei.

Not. 9 Et pro maiori intelligétia solutionis, not. quod similitudo consistit in indiuisibili, sicut æqualitas; & sicut res, quæ non habent quantitates eiusdem omninò mensuræ, dicuntur, absolutè, inæquales; ita etiam, quæ non habent qualitates eiusdem speciei, aut eiusdem gradus, absolutè, dicuntur dissimiles; similes verò, secundum quid; cum ergo amor, & voluntas sint inclinationes, & impulsus diuersarum rationum; absolutè, debent dici Dissimiles; & si aliquam similitudiné habeant, illa erit, secundum quid. Hoc autem non reperitur in processione per intellectum; nam, licet verbum, & species intelligibilis, si considerentur, in esse Phisico non minus determinant; quàm voluntas, & amor (vt in argumento obijciebatur;) at verò, in esse intelligibili, sunt omninò idem, (vt ex dictis satis patet.)

10 Ad primam confirmationem respondeo (*Omne agens producere sibi simile quantum potest;*) vel similitudine perfecta; vel, si hoc non potest; saltem imperfecta, in ratione generica, vel, analoga; & sic se habet voluntas in productione Amoris; quæ (vt diximus) est æquiuoca causa illius; videatur Soncin. 12. met. q. 14. Ad 1. cófirm. Soncin.

11 Ad secundam confirmationem respódeo, illam propositionem, (*Amor, est virtus vnitiua*) non esse ita intelligendam, quasi Amor intendat vnionem aliquam realem, & propriam, inter Amantem, & rem amatam; sed solum intendit vnionem impropriam; nempè, affectionum; quæ est Metaphorica; sicut cum dicitur, Amans transformari in rem amatam; cum ergò hæc vnio sit impropria; similitudo etiam fundata super illam, erit impropria, neq; sufficiens ad Generationem. Similitudo. n. propria potius est causa ipsius amoris, quam effectus. Ad 2. cófirm.

§. III.

11 Secundum argumentum certè maximam vim facit contra illá priorem explicationem, quam retulimus ex Beccano; præsertim, attento vltimo dicto ipsius Beccani, ex nu. 13. Nam contra posteriorem nil facit. Possumus. n. huic argumento facilè satisfacere. Conc. ma. & disting. min. *Processio per intellectum, (præscindendo à creato, & increato,) ex vi sua, primò, & per se, non facit simile in natura substantiali*, negatiuè, concedo; positiuè, nego; .i. non facit simile; ita vt, ex vi sua, primò; & per se, faciat dissimile: neg. non facit simile, ita vt, nec habeat facere dissimile, ex vi sua primò, & Ad 2. obiect.

per

per se; cócedo, prout n. abstrahit à Creato, & Increato, dicere possumus; quod, formaliter, n c habeat facere simile, nec dissimile in na ura substantiali; sed simile tantum, vt sic, perfectiori modo, quo potest. Nam certum est, (vt benè docet Suar. nu. 15.) intellectum, ex genere suo, tendere ad assimilandum; ideo perfectissimam similitudinem postulare, vt perfectissima sit; quod verò frequentius fiat per solam repræsentationem intentionalem; id prouenire, aut ex imperfectione intelligentis; aut ex imperfectione rei intellectæ; quando verò tàm obiectum intelligibile, quàm intelligens perfectissima sunt; tunc perfici per naturalissimam, ac perfectissimam similitudinem.

Suar.

12 Si verò processio per intellectum non ita abstractè sumatur; sed contractius, in ordine ad intellectum creatum, vel increatum; tunc dico, verum esse, non esse de ratione formali intellectionis creatæ, vt sic, assimilare in natura, producenti, propter imperfectionē ipsius, (vt dictum est:) At de intellectione Diuina, falsum est: Neq; hoc habet, solum, ex eo, quod Diuina est; sed ex eo, quod, formaliter, intellectio Diuina est; cum intellectio Diuina, vt intellectio Diuina, formaliter, sit ipsum esse diuinum formalissimè sumptum, non tantum identicè, (iuxta dicta.) Non est autem simile de processione per voluntatem; cum .n. non sit de ratione voluntatis, vt sic, assimilatio; nec id conueniet, formaliter, voluntati Diuinæ; quatenus voluntas Diuina est, primò, & per se; cum voluntatis sit, communicare amorem, præcisè; & per consequens, voluntatis Diuinæ, communicare Amorem Diuinum; quod si Diuinus amor sit Deus; hoc quasi materialiter est, non formaliter, (prout dictum est,) & sic, in posteriori, ac probabiliori explicatione sententiæ D.Th. nullam facit illud argumentum difficultatem; attentis his, quæ diximus.

13 Cęterum etiam ferè eandem possumus solutionem applicare eidem argumento, quatenus facit contra priorem explicationem, eodem modo, concedendo ma. & pariter distin. min. eadem distinctione: diuersa tamen via applicata; v.g. intellectionem Diuinam, seu processionem Diuinam per intellectum, primò, & per se, formaliter, non solum, quatenus processio Diuina est; sed etiam, quatenus processio est Diuina per intellectum, terminari ad simile in natura; ita vt, id, quod per intellectum Diuinum, formaliter, in ratione intellectus Diuini, consideratum, procedit, esse, ex vi processionis ipsius; vt sic, primò, & per se simile in natura; quia de ratione intellectionis, vt sic, est similitudo, eo modo, quo esse potest, perfecta; ergo de ratione intellectionis perfectissimæ erit perfectissima similitudo; ergò de ratione intellectionis sūmè perfectæ, erit assimilatio summè perfecta: hæc autem est assimilatio in natura, ergò, &c. non est par ratio de eo, quod procedit per voluntatem; nam id, quod sic procedit, licet aliquando procedat simile; non tamen procedit, vt simile; .i. ex vi talis processionis, formaliter; quia, vt sic, habet tantum procedere, vt Amor. Quod autem in Diuinis, id, quod procedit, procedat simile in natura. Hoc habet, quia processio Diuina est, & intra Deum; non autem, quia processio est Diuina per voluntatem, formaliter.

14 Ex quibus sequitur, quod si hoc intelligat Beccan. in suo illo vltimo dicto .i. quod hoc, quod est, esse Patri consubstantiale, vt sic, præcisè, tàm verbum, quàm Spiritus sanctus, aliundè habeant, quàm ex vi Processionū; nimirum, quia vterq; Deus est, &c. (prout ibi.) benè dictum est: identitas .n. naturæ, in Diuinis, prouenit ex ipsa summa perfectione ipsius naturæ; non vero ex aliqua ratione processionis; cum hoc tamē optimè stat, Verbum produci simile in natura, ex vi suæ processionis, formaliter; per quam ei talis natura communicata est: Non verò Spiritum sanctum, nisi solum, ratione ipsius identitatis naturæ Diuinæ; si verò intelligat Beccan. quod Verbum habet solum, ex vi suæ processionis, formaliter, produci simile, vt sic; non verò simile in natura; sed hoc habere eodem modo, quo Spiritus sanctus; non concordant vltima primis; nec poterit vllo pacto vim argumenti facti euitare.

Beccan.

15 Et ex dictis sequitur etiam solutio Cōfirmationis: cōcedimus .n. intellectionem, vt sic, formaliter, habere solum, facere simile in esse intelligibili, non in esse reali; in iis intelligibilibus, in quibus distinctum est esse intelligibile ab esse reali; & sic, respectu intellectionis creatę, positiuè, vera est propositio. Ast, quia in Deo idem est Esse, & Intelligere; idem etiam erit facere simile in esse intelligibili, ac in esse reali; & hoc habet intellectio; non ex eo tantum, quod Diuina est, præcisè; sed etiam ex eo, quod Diuina intel-

Ad confirm.

intellectio eſt; quod ſi eadem ſimilitudo reperitur in Spiritu ſancto;id habet ſolũ ex proceſsione,quatenus Diuina eſt:non vero ex vi formaliter Diuinæ volitionis: iuxta dicta.

§. IV.

Nota ſolutionẽ vlt. obiecti cum Caiet.

16 PRo ſolutione vltimi argumenti cũ ſua confirmatione not. eſt cũ Caiet.p.1.q.35.ar.2.ad mem at.quod Amor Diuinus dupliciter ſumi poteſt: Primo, vt ſignificet amorem procedentẽ à Deo, tanquam à principio; vel ſignificet amorem terminatum ad Deum, tanquam ad obiectũ; ſicut *Amor Humanus*,ſignificat amorem,vel procedentem ab Homine; vel terminatum ad Hominem. Secundo, vt ſignificet idem, quod Amor, qui eſt Deus; quod eſt, ſumere Amorem Diuinum, identicè; nam primo modo ſumitur formaliter; eodem modo poteſt diſtingui Amor infinitus; immò & hoc cõplexum; .ſ.(*Spiritus ſanctus*)poteſt ſignificare Spiritum;.i.impulſum,& Amorem procedentem à Sancto, eſſentialiter, .i.*Deo*; vel terminatum ad Sanctum,tanquam ad obiectum; aut poteſt ſignificare Spiritum, qui ſit Sanctus eſſentialiter; .i. qui ſit Deus.

17 Eſt autẽ inter has duas acceptiones latum diſcrimen; nam ſi Amor Diuinus,priori modo, ſumatur; vt ſic,non eſt Deus; quia ſit tranſitus à ſignificatione formali ad identicam; & quod ita ſit,patet;nam Amor Diuinus; .i. Amor Dei,vt obiecti, non eſt Deus; alioquin Amor, quo Nos Deum amamus,eſſet Deus; itẽ Amor humanus; .i. procedens ab homine,non eſt homo; ergò neq; amor Diuinus; .i. procedens à Deo, formaliter, eſt Deus.Si verò ſumatur poſteriori modo; Amor Diuinus eſt Deus; quia Amor Diuinus, ſic ſumptus, nil aliud eſt,quàm Amor,qui eſt Deus;Amor autem,qui eſt Deus, vt ſic, Deus eſt; & eodem modo philoſophandum eſt de Amore infinito, Spiritu ſancto,&c.

18 His ſuppoſitis, ad tertium argumentum reſpondeo in forma. *Spiritus ſanctus,ex vi proceſſionis,procedit,vt Spiritus ſanctus*. Diſt. vt *Spiritus ſanctus* obiectiuè; .i. vt Spiritus, & Amor terminatus ad obiectum Sãctum,eſſentialiter; vel etiam procedens ab illo; conc.& tũc, nego min. in eodem ſenſu; ſi autem ſenſus illius mai. ſit,quod procedit, ex vi proceſſionis Spiritus ſanctus identicè;neganda eſt; quia voluntas Diuina,formaliſſimè ſumpta tantum habet producere Spiritum ſanctum priori modo, non poſteriori; & eodem prorſus modo reſpondendum eſt ad confirmationem. Satisfit obiectio. & conf.

Finis Quodlibeti Septimi.



QVODLI-

QVODLIBETVM OCTAVVM.

De Necessitate iuuaminis Gratiæ per Christum.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum intellectus humanus indigeat iuuamine Gratiæ per Christum, ad cognoscendum omne verum naturale?

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur aliqua scitu necessaria, pro faciliori intelligentia huius Tractatus.



§. I.

D.Th. Magist. De necessitate antecedēti, & consequenti.

1 Isputant recentiore Theologi de necessitate Gratiæ cum D. Tho. 1. 2. q.109. & antiquiores cum Magistro in 2. dist.26. vbi præmittendum Primò; duplicem esse necessitatem, qua esse ius dicuntur necessariò euenire; & vtraq; necessitas dicitur relatè ad effectū ipsum, quem, dicimus, necessariò euenire: vna dicitur, Præcedens; altera, verò, Subsequens. Prior est, quæ prouenit ex causa antecedente effectum; qua necessitate; ignis dicitur calefacere, &c. & hæc necessitas, ex parte causæ, reperitur solum in his, quæ ad vnum determinantur; absq; libertate, & potentia ad oppositum; & sic naturaliter operantur, non liberè. Subsequens verò est, quæ consequitur positionem effectus; qua dicimus, omne, quod est, quando est, necesse est esse; & hac necessitate (aiunt Theologi) necesse esse scitum, & præuisum à Deo euenturum; quia scientia Dei supponit rem iam futuram; ac proindè, idem est dicere; necesse est, scitum à Deo euenturum; ac dicere; Necesse est, futurum esse futurum; Et sic necessitas, quæ subsequitur scientiam Dei, nequit dici præcedens rem ipsam, & euentum rei. Quæ necessitas nullo modo tollit libertatem; immò ipsam supponit; secus verò prior, quæ eam omnino tollit; causa.n. hoc modo, necessitata, nullam indifferentiam continet. Prior necessitas solet etiam dici, simpliciter, & in sensu diuiso. Secunda verò, secundum quid, & in sensu composito.

2 Et iuxta hos duos modos necessitatis, distingui possūt duo alij modi possibilitatis, & impossibilitatis; Antecedentis .s. & Consequentis. Quæ doctrina desumpta est ex Ansel. lib. 1. de concord. liberi arbitr. & Prædestinat. cap. 1. quam clarè explicat Vasq. p. 1. disp. 68. cap. 4. & disp. 19. c. 4. & 1. 2. disp. 189. cap. 14. igitur,

De possibilitate, & impossibilitate.

Anselm.

Vasq.

-tur, cum nos, in præsenti, de Necessitate Gratiæ loquimur; non est sermo, de Necessitate Antecedenti sed subsequenti. Certum .n. est, Deum, suis Auxilijs, nullo pacto nostram libertatem necessitare: sed, adhuc ipsis positis, manere liberam, & ad vtramq; partem propositi obiecti simpliciter indifferentem.

Indifferentia Creaturæ rationalis.

3 Præmitto secundò, Creaturam rationalem, ex vi suæ creationis, & operationis, esse indifferentem, vt velit hoc, vel illud; iuxta varias cogitationes, quibus obiecta proponuntur. Intellectus etiam, ex vi suæ creationis, indifferens est ad cogitandum hoc potius, quàm illud; & hoc, vel illo modo; quare, in primo actu, necessariò determinatur à principio extrinseco; non tantum in actu primo, quem habuit post creationem: sed etiam in eo, quē habet de quo vis negotio tractando, quod nouiter se offert illi; & sic, Creatura rationalis, eo quod libera est, præter concursum generalem ad operandum, indiget, vt moueatur ad hoc, vel illud; quod optimè aduertit Abulēs. in cap. 19. Matth. q. 178. vbi distinguit, cooperationem Dei, ab eius motione, qua etiam indiget nostra voluntas; nam motio consistit in eo, vt hac, vel illa cogitatione ad volendum præueniamur; cooperatio autem, seu concursus, est influxus Dei, quo nobiscum concurrit, cum operationem elicimus.

Abulens.

4 Hæc autem cogitatio, in Angelo, à solo Deo est; nam ipse à solo Deo mouetur; de quo Vasq. p. 1. disp. 136. c. 4. in Homine verò, aliquando est à Deo, immediatè; aliquādo, ministerio Angelorū, commouentium species imaginatiuas; aliquando per sensus exteriores; quia Visui, vel Auditui aliquid occurrit: aliquando etiam, ex causa interiori ipsius imaginationis; vt contingit in somnijs. Has tamen causas creatas, solus Deus, sua prouidentia, ita disposuit, vt in tali, vel tali momento fieret effectus; nempè, cogitatio. Nec tantum illas disposuit: sed remouet impedimenta, quæ has cogitationes impedire, aut perturbare poterāt; vtpotè, quod, viso mortuo, excitetur ad compunctionem; cum posset insurgere cogitatio mala, vel indifferens. Hoc .n. maxima Gratia, & misericordia Dei est; & sic meritò prima cogitatio de quo vis negotio agendo tribuitur Deo; vt, ea media, mouere dicatur nostram voluntatem. Et ab hac dispositione causarum, & remotione impedimentorum incipit

Nota. Vasq.

Gratia Dei, quę nobis confertur ad rectè viuendum. Quæ dispositio causarum, & remotio impedimentorum dicitur Gratia Externæ Protectionis, quæ subseruit sanctæ cogitationi, qua homo primo incipit excitari ad conuersionem; quæ sancta cogitatio dicitur Gratia; siquidem talis cogitatio non erat debita, ratione creationis, ipsi voluntati, vel intellectui; quin potius, manente illæso dono creationis, & liberi arbitrij, poterat, multis modis, perturbari, vel impediri à Deo sancta illa cogitatio. dicitur; *Interna inspirationis*, ad differentiam dispositionū causarum externarum, & remotionis impedimentorum, quæ pertinent ad Gratiā Externæ Protectionis. Hæc .n. extrinsecè se habent: sancta autem cogitatio mouet intus. Et nouit proculdubio D. Tho. 1. 2. disp. 109. art. 2. ad 1. hoc genus motionis, dum ait; Hominem esse liberum, Dominumq; suorum actuum; tamen, necessarium esse, eius libertatem, & deliberationem reduci ad aliquod exterius principium, quod sit supra mentem humanam, à quo moueatur.

De gratia externæ protectionis, & inspirationis internæ.

D. Th.

§. II.

5 Pro quibus, præmitto tertiò; Gratiam multifariam vsurpari apud Sacrā Scripturam, Patres, & Scolasticos; tamen hic nos pro Gratia, seu Auxilio Gratiæ, tantum intelligimus id, quod, nullo modo, est debitum: sed omninò gratis concessum. Dixi (nullo modo debitum,) quia benè potest aliquid esse gratis datum, & sine vllo debito, ex parte dantis; tamen debitum, aliquo modo, ex parte eius, cui conceditur; v. g. Voluntas, qua Deus hominem voluit ex nihilo cōdere; quamuis fuerit omninò libera; fuit tamen, respectu productionis hominis, Causa naturalis; prout distinguitur contra supernaturale; quia ergo huius modi voluntas, ex parte Dei, gratis, & absq; vllo debito, homini concessa est; & nulla ex parte homini debebatur; neq; excogitari potest ratio, quarè deberetur; ideò, cum nulla interueniat ratio debiti, dicitur Gratia. Si verò consideretur voluntas Dei, quatenus mihi vult tribuere intellectum, voluntatem, &c. Hæc etiam voluntas, ex parte Dei, habet rationem Gratiæ; cum ipse nil istorum alicui debeat; sed quia, (supposito, quod producatur homo,) passiones, & naturales perfectiones eius sunt illi debitæ; ideo secunda hęc volun-

Vera gratia, vbi nulla interuenit debitum.

volũtas non est ita gratuita, sicut prima: quia hac voluntate secunda conceduntur homini ea, quæ aliàs sunt ipsi debita; licet illa non debeat Deus. Iuxta illud vulgare dictum Augustini, quod *Deus reddit debita, nulli debens; & donat indebita, nihil perdens.* Hac significatione vtitur Concilium Constantinopolitanum tertium actione 11. dicens, *Angelos habere, vt sint immortales, per gratiam Dei.* Quod etiam docuit Damascen. lib. 1. de fide orthod. cap. 3. cum tamen constet, Angelos, natura sua, esse immortales; ac proindè, illis debitam immortalitatem; vt nunc fatẽtur omnes Theologi, & probat Sanctus Thom. p. 1. q. 50. art. 5. Hac etiam significatione vsus est Augustinus super Psalmo 43. exponens illa verba (*A facie inimici, & persequentis,*) cum ait. *Quid respondebis Domino Deo tuo; qui gratis creauit te?* Quarè, secundum hanc acceptionem; perfectiones, & potentiæ naturales, quas, beneficio creationis, accepimus; & similiter, concursus ille, quo Deus nobiscum ad omnem nostram operationem cõcurrit, dicuntur Gratiæ; quia, quamuis, aliqua ratione, sint omnia hæc nostræ naturæ debita: quia tamen, ex parte Dei, gratis, & liberaliter donantur, ideo Gratiæ dici possunt. Cæterum non dicuntur absolutè, Gratiæ: quia non omninò gratis conceduntur, sicuti Gratiæ dicuntur omnia Media, & Auxilia, quibus homo aliquid boni operatur; surgit à culpa, tentationes vitat, &c. Et de Gratia, sub hac acceptione, in præsenti nobis sermo est, præsertim.

Aug. — Conc. Constantin. — Damascen. — D. Th. — Aug.

Error Pelag.

6 Quam gratiam negabat Pelag. Hæret. qui tẽpore Augustini, hoc, & alijs pertinacibus erroribus nitebatur Ecclesiam perturbare; asserebat. n. solam naturam sufficere ad quælibet bona opera facienda; immò, & ad nostram iustificationem. Et, cum illi adducebantur sacræ Scripturæ testimonia, indicantia necessitatem auxiliorum; nosq; gratis iustificari; &c. Respondebat, intelligenda esse, de Gratia creationis: nam gratis Deus nos creauit, gratis nobis naturam dedit, liberũq; arbitrium; Nec, in nostris operibus; seu in iustificatione, aliam Gratiam esse agnoscendam: supposito. n. quod nobis donauit libertatem Arbitrij; illo solo, possumus iustificari. Et sic, super illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* ait. *O homo tu quid amplius requiris? Quis nam es, vt possis à Deo aliquid, vel melius, vel præstantius exigere?* Huius erroris videtur etiam fuisse Thales Milesius, qui, quotidie, non alia ex causa, se Deo gratiarum fatebatur debitorem, nisi quia eum hominem, non Belluam fecisset; virum, non mulierem; Græcum, non Barbarum.

Genes. 1. — Thales Miles.

7 Arduè reprehenditur Pelag. ab Augustino, præcipuè de hoc, multis in locis; præsertim, lib. de natura, & grat. cap. 10. & 11. & epist. 95. ad Innocent. Papam, & super Psalmum 144. vbi docet, aliam esse Gratiam, qua Deus fecit, & creauit nos, ab ea, qua refecit, & redemit nos; & Epist. 105. ad Sixtum, ait; *Abijciatur à mentibus hominum ista fallacia: nam omninò non loquebatur Apostolus de Gratia ista, qua facti sumus, vt homines essemus; sed de alia Gratia, qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus, &c.*

Reprehẽditur ab Aug. Pelag.

§. III.

8 Præmitto tertio loco, Hominem posse in pluribus statibus considerari; Et sic, non eodem modo, in omnibus indigere Gratia, siue auxilijs ad operandum; quamobrem necesse est scire, quot sint huiusmodi status, in quibus homo cõcipi potest, & quid in vnoquoq; eorum potuerit, seu possit præstare?

De varijs statibus humanæ naturæ

9 Legendus est Caiet. p. 2. q. 109. ad ar. 2. *§. Ad euidentiam huius rei;* quem sequuntur omnes iuniores Thomistæ. Ibi docet; naturam humanam posse considerari in quinque statibus. Primò, in Puris naturalibus. Secundo, in statu consono naturæ; qui, ab alijs dicitur; status naturæ integræ. Tertiò, in statu iustitiæ originalis. Quartò, in statu naturæ lapsæ in peccatũ. Quintò, & vltimò, in statu Gratiæ iustificantis, & amicitiæ Dei.

Caiet.

10 Status naturæ puræ de facto non datur; si tamen daretur, haberet homo in eo statu, solummodo, quæ conuenirent ipsi, secundum naturam, absq; aliquo dono Gratiæ supernaturalis; haberet namq; intellectum; voluntatem; vires sensitiuas; pugnam inter partem superiorem, & inferiorem; quæ etiam nunc de facto reperitur in natura lapsa; cum proueniat ex naturali hominis constitutione: esset tamẽ homo, in puris illis naturalibus, absq; Peccato, & absq; Gratia; licet cum libertate ad peccandum; in quo statu, Ethnici Philosophi, hominem creatum intellexerunt.

Status naturæ puræ.

11 Immò Arist. nullum alium hominis statum cognouit; cum, sine fidei lumine,

Arist.

destitutus, aliquam gratiæ notitiam non habuerit; & sic 3. de anima cap. 11. videtur indicare pugnam inter partem inferiorem,& superiorem; vbi ait, quod interdum voluntas, ratione ducta, vincit appetitum; interdum verò appetitus vincit voluntatem; & 1. lib. politic. cap. 3. ait, quod, in prauis, appetitus vincit rationē: in bonis, verò, ratio vincit appetitum; Huiusq; rei causam adducit; quia ratio exercet Imperium, non qualecunq;, sed ciuile,& Regium. Sicut ergo subditi, per rebellionem, aliquando insurgunt cōtra Regem; sic etiam appetitus sæpè mouetur contra rationem. Tùm etiam, quia, cum hæ duæ partes; .s. Appetitus.& Ratio, sint, suaptè natura, inter se contrariæ; & in illo statu nihil esset, quod cohiberet impetus appetitus; non posset, non frequenter, contra rationem insurgere,& eam aliquando superare.

Status naturæ integræ. 12 Status naturæ integræ, neq; datur de facto: at, si daretur, esset homo, tunc, omnino Deo subiectus, vt authori naturæ, secundum partem superiorem; .i. mētem; &, secundum partem inferiorem, Rationi esset; tunc, in natura, vigor ad reprimendos motus inordinatos appetitus sensitiui. Dicitur autem, status hic, naturæ consonus; non quia huiusmodi consonātia flueret à principijs ipsius naturæ: constat. n. oppositum, ex primo statu; sed, in eo sensu, quo, naturæ consona, illa dicuntur, quæ conueniunt alicui, secundum eius specificam formam; cum, ergo, *Viuere secundum rationem* conueniat homini, secundum animam rationalem, quæ tribuit illi propriam speciem; *Viuere* autem, *secundum appetitū*, conueniat ei, ratione corporis animalis, quod habet commune cum brutis: meritò status ille, in quo homo deberet habere omnia rationali naturæ consona, dicitur status naturæ integræ, vel consonus naturæ; & in hoc sensu dicit D. Tho. p. 2. q. 71. art. 2. quod, peccare, (quod est operari contra rationem) est contra naturam: Operari autem secundum virtutem,& rationem, est secundum naturam. Quod desumpsit ex Augustino 3. de lib. arb. c. 13. & ex Dionis. c. 4. de Diuin. nominib. versus finem. Aug. Dionis.

Status iustitiæ orig. 13 Status iustitiæ Originalis fuit ille, in quo Deus ab initio hominem condidit in Paradiso voluptatis; &, in tali statu, pars superior, rectè se habebat ergà Deum; & Appetitus erat ita rationi subiectus; corpus, Anima; & omnes vires inferiores, superioribus; vt ordo iste omnino indissolubilis permansisset, nisi ratio recessisset à Deo. Ita explicant hunc statum D. Th. p. 1. q. 91. ar. 1. & Soto 1. lib. de nat.& grat. c. 3. vbi etiam probat, ita sensisse Augustinum. D. Th. Soto. Aug.

Status iustificationis. 14 Status habitualis Gratiæ est, quādo homo surgit à culpa, vel per actum feruentissimum Charitatis; vel medijs Sacramentis; nēpè, Baptismi,& Pœnitentiæ; & restituitur ad amicitiam Dei per formam supernaturalem, quæ dicitur Gratia iustificans; qua fit diuinæ consors naturæ, obiectum congruum diuinæ dilectionis, & ordinatur in finem supernaturalem; nimirum, Deum clarè visum.

Status naturæ lapsæ. 15 Tandem, status naturæ lapsæ est status ille Miseriæ, in quem incidit homo per transgressionem præcepti, sibi à Deo impositi; in quo consideratur Natura spoliata, per peccatum, bonis gratuitis, in quibus fuerat à Deo creata; & licet hic status abstrahat ab hoc, quod homo sit actualiter in aliquo peccato, vel non; siquidem, ex quo Adam peccauit in Paradiso; cœpit huiuscemodi status;& omnes posteri, (quantumuis iusti,) dicuntur esse in statu naturæ lapsæ; cum, etiam in iustis perseueret illa inordinatio, quæ est effectus peccati originalis: rectitudo. n. naturalis non restituitur per Gratiam habitualem; Nihilominus tamen, in rigore, quando loquimur, in præsenti, de statu naturæ lapsæ, est nobis sermo de homine, qui per peccatum aliquod; siuè originale, siue mortale, incidit in miseriā culpæ, inimicitiæ Dei, reatus pœnæ æternæ; destituiturq; spirituali vita animæ; nempè, Gratia iustificante, & viuificante.

Conferuntur hi status inter se. Caiet. Soc. Med. Vasq. 16 Sed circa hos status, nonnulla adnotant DD. quæ quidem fastidiunt legentium mentes, suntq; paruæ vtilitatis; verum, breuiter scitote, statum puræ naturæ,& lapsæ, (vt benè vidit Caiet. vbi supra, quem postea sequuti sunt recentiores ferè omnes, vt videre est apud Sotum 1. de nat.& grat. c. 13. Medin. in introductione ad tract. de Gratia. Vasq. p. 1. disp. 138. c. 2.& alios.) distingui inter se, penes hoc: quod homo, in puris, comparatur ad hominem lapsum; sicuti homo, dum nascitur, qui nudus nascitur, ad hominē spoliatum vestibus, quibus antea erat indutus; homo namque, in puris, concipitur, vt nudus omnibus gratuitis; seù, omni gratia; ita vt, hæc nuditas, siue carentia gratiæ in tali homine, habeat rationem

omni-

omnimodæ negationis gratiæ: est etenim, in tali statu præcisè, subiectum, omninò ineptum ad habendam gratiam; in quo consistit ratio negationis: Ast homo lapsus, concipitur, vt spoliatus gratia; ita vt, illa nuditas, seu carentia gratiæ in illo habeat rationem priuationis ipsius gratiæ; siquidem, iam illi fuerat côcessa gratia, qua postea fuit priuatus per peccatum: quarè carentia gratiæ in homine in puris, non imputatur illi ad culpam: sicuti imputatur eadem carentia homini iam lapso. Cęterum, tàm nudus gratia, dicitur homo in puris, quàm homo lapsus: sicuti, tam nudus vestibus dicitur is, qui ab initio fuit nudus, quam is, qui fuit spoliatus: verum, homo lapsus, nedum dicitur gratia spoliatus; sed, ac si in latrones incidisset, (vt dicitur Lucæ 10.) despoliatus, vulneratus, ac semiuiuus relictus; quæ vulnera, & infirmitas non essent in natura pura.

17 Vnde collige contra nonnullos; non æqualiter in hisce duobus statibus homines existentes indigere auxilio ad operandum, ratione maioris imbecillitatis virium naturæ corruptæ; quæ non fuisset in pura. Benè verum est, quod ex assidua peccandi consuetudine, posset contrahi maxima imbecillitas; atq; ita fortiori auxilio indigere hominem in puris, homine lapso; nam, licet verum sit, quod per actualia peccata nil Phisicum detrahatur potentijs naturalibus; tamen habitus vitiosi, inclinātes ad oppositum virtutis, faciunt, vt minus facilè possint naturales potentiæ exire in actum virtutis, quàm si solæ essent, & non habituatæ ad vitia; sicut pondus alligatum alicui non tollit potentiam motiuam eius; tamen impedit celeritatem, & facilitatem motus; & is, qui absq; tali pondere velociter, & expedirè moueretur; cum pondere, satis difficilè, & laboriosè id faceret.

Non potest fieri transitus de statu peccati, seu gratię ad statum naturæ puræ. Nota.

18 Vbi etiam notate contra alios; impossibile esse; siuè, de statu peccati; siuè, de statu gratiæ, posse fieri transitum ad statum puræ naturæ; nam, licet verum sit id, quod, ad hoc explicandum, coadunant; nempè, quod status peccandi non dependet à Deo in conseruari: sed à nostra voluntate, quæ, quandiù, per actum contritionis, & doloris, non emendauerit actum præcedentem, quo reddita est Deo inimica habitualiter, & priuata iustificante gratia; neq; Deus, de sua potētia absoluta, poterit eam, de iniusta, iustam; & de inimica, reddere amicam, (vt in Quodl. de iustificatione impij Deo dante demonstrabimus, ex mente D. Th. p. 2. q. 113. quicquid alij dicant, quorum ibi argumenta soluentur.) Et sic, cum in tali statu, homo non dicatur negatus habituali gratia, sed priuatus; siquidem tenetur habere illam, quam, sua culpa, perdidit; necessarium est, vt prius emendet peccatū; &, medio actu doloris, & amoris, vltimò disponatur ad recipiendam gratiam; quo, tamen, actu posito, posset Deus denegare, absq; iniuria, (vt dicam infra) contrito homini gratiam habitualem, & remittere ipsi debitum habendi illam; & tunc, neq; esset homo in peccato, neq; in gratia; immò, non diceretur priuatus gratia; cum non esset amplius in illo debitum habendi gratiam; sic etiā, posita gratia, posset Deus, absq; culpa illius, in quo est, ipsam ab eo tollere, & amplius illi non dare, cōdonando etiam debitum habendi illam; ex quo inferunt, hominem, sic consideratum, debere dici in statu naturæ puræ constitutum; Hoc inquam falsum existimo; quia, licet in tali casu diceretur negatus gratia; non tamen sanata esset infirmitas naturæ, per peccatum cōtracta; & vulnus in ipsismet naturalibus: & sic posset etiam dici, (stāte infirmitate, & vulnere,) esse, adhuc, in natura lapsa, .i. infirma; & non eodem modo se haberet ad operandum, cum homine puro; vel tutius est dicere, quod Deus tunc disponeret de statu illius Hominis; quid sentiendum, faciendumvè de eo. Quod si Deus, tunc, de sua absoluta potentia, sanaret infirmitatem, & vulnus; tunc certè dici posset homo ille in puris.

19 In quo autem differant status naturæ integræ, & status iustitiæ originalis, patet ex dictis; nam, licet in natura integra esset vigor ad reprimendos omnes motus inordinatos Appetitus sensitiui, & ad operandum, quicquid rationi consonum est: Hoc enim non proueniret à dono iustitię originalis; sicuti, nec à principijs intrinsecis naturæ: cum supponamus in tali statu naturam, solummodo, cum his, quæ illi, quatenus rationalis natura est, conueniunt; & sic, in tali statu essent habitus omnes virtutum moralium; quia sunt secundum hominis naturam, & consonant rationi; adiuuarent, & facilitarent potentias naturales ad opera rationis; sed non sufficerent huiusmodi virtutes ad reprimēdos inordinatos motus appetitus, vnde aliquid aliud illi statui

cōcederet Omuipotēs Deus, qno homo ſecundum tationem ſemper operaretur. Aſt, in ſtaru iuſtitiæ originalis, præter hāc originalem iuſtitiam, erat habitualis gratia; ſiue hæc contineretur eſſentialirer ſub uomine, & ratione iuſtitię originalis, (vt fatentur aliqui,) ſiuè fuerit, tantum concomitanter, primis Parentibus conceſſa. Quod ille ſtatus includebat habitualem gratiam, docent Molina in concord. q.14. art. 13. diſp.3. & p.1. diſp.3. tractar. de iuſt. origin. Soto 1. de natura, & grat. c.2. Vaſq. p.2. diſp.132. c.7. n.30. & 31. qui hoc probat ex Scriptura ſacra, & Cōcilijs, & Patribus. D.Th. etiā p.1. q.95. art.1. & alij Thomiſtæ; licet alij oppoſitū ſentiant, quod etiam facilitet ſubſtineri poteſt; &, præter Gratiam habitualem, includebat etiam ille ſtatus, (vt doctè Pereyra lib.5. in Gen. q.1. & 3.) nō ſolum omnes virtutes, pertinentes ad intellèctum, & voluntatem; ſed inſuper ſingularem aſſiſtentiam, & prouidentiam Dei, qua in illo ſtatu regebat, & gubernabat appetitum; ne, ānte rationis Imperium, moueretur, etiā pręsēte obiecto; &, pręterea; ſeruabat corpus ab omnibus, quæ ei nociua, & moleſta eſſe poſſent; quæ fieri non poſſent, ex ſola virtutum poſitione, (vt probat Suar. 2. to. in 3. p. diſp.6. q.4.) quare cōcludunt DD. quod, licet ita differant inter ſe huiuſmodi duo ſtatus; tamen ſtatus naturæ integræ includebatur in ſtatu innocentiæ, & origiualis iuſtitiæ; qni includebat omne id, quod continebatur in natura integra; &, inſuper, aliquid aliud.

Mol. Soto, Vaſq. D.Th.

Pereyra.

Suar.

§. IV.

20 IGitur præſens diſputatio erit, præſertim, de ſtatu naturæ corruptæ; licet aliquid etiam dicetur de reliquis ſtatibus. Item, de neceſſitate Gratiæ Auxiliorum; nempè, eorum mediorum, quibus Deus mouet, & adiuuat nos ad benè operandum; quæ Gratia Auxiliorum aliquando ſolet à Patribus appellari, Gratia, in qua inſtificamur; non quia ea formaliter iuſtificemur; id namq; fit, per Gratiam Habitualem, quæ eſt forma quædam accidentalis, ſecundum quam homines efficiuntur Diuinæ naturæ cōſortes, & hęredes Regni Cęleſtis; ſed quia ea Gratia Auxiliornm adiuti, mouemur, & diſponimur ad iuſtificationem; aut, in iuſtitia, ſemel accepta, creſcimus.

21 Sed præmitto quartò, hanc Gratiam Auxiliorum duplicem eſſe; alteram ordinis naturalis; alteram, vero, ordinis ſupernaturalis: Auxilium otdinis ſupernaturalis eſt, quod tale eſt, ſecundum ſuā ſubſtantiam, (quicquid alij dicant,) daturq; nobis ad opera virtutum per ſe infuſarum, quæ virtutes, cum ſupernaturales ſint, ad earum actus requiruntur neceſſariò auxilia ſupernaturalia, vt cum eis proportionentur. Auxilium natutale eſt, quod tale eſt ſecundum ſuam naturā; & tale eſt, quia Deus vtitur rebus naturalibus ad noſtram naturam adiuuandā ad opus, quod, ex ſe, ordinis naturalis eſt, proportionatumquè, & accommodatū naturæ noſtræ; ita vt, non indigeat peculiari alio principio ad eliciendum illud.

De auxilio naturali, & ſupernaturali

22 Dicitur tamen peculiare Auxiliū, & donum Gratiæ; quia Deus, liberaliter, & ex miſericordia, res omnes ita inſtituit in bonum noſtrum, cum tamen poſſet, permanente integro dono creationis, & conſeruationis, abſquè iniuria, alio modo eas regere, quo ſciebat, nos in malum conſenſuros: quod auxilium vocari poteſt, aliquo modo, ſupra naturam noſtrā; quatenus eſt ſupra noſtrā induſtriam, & ſollicitudinem; ſine qua Deus nobis talē cogitationem præparauit, & conceſſit; cum poſſet oppoſitam immittere; tum etiam, quia hæc auxilia, quæ nobis confert Deus ad rectè viuendum, quocunq; genere virtutis, & ad vincendas tentationes, dantur nobis a Deo ex intentione noſtræ Beatitudinis, quæ eſt finis ſupernaturalis: hanc diuiſionem auxiliorum non omnes nouerunt: tradunt tamen, docentq. egregiè illam Belar. lib.5. de gratia, & lib. arb. cap.7. §, *Atquè breui*; & Vaſq. p.2. diſp. cit. c.16. n.144. & p.1. diſp. 91. c.14. in præſenti ergo diſputatione eſt ſermo nobis de neceſſitate vtriuſq. auxilij; nimirum; naturalis, reſpectu operum naturalium; & ſupernaturalis, reſpectu actuum ſupernaturalium. Certum .n. eſt, ad actus naturales, non eſſe neceſſarium auxilium ſupernaturale; & ad actus ſupernaturales non ſufficere auxilium ordinis naturalis.

Cur auxiliū naturale dicatur gratia?

Belar. Vaſq.

23 Hæc omnia Auxilia, tām ordinis ſupernaturalis, quām ordinis naturalis; ſiuè internæ inſpirationis, ſiuè protectionis externæ, dicuntur Auxilia per Chriſtum Dominum. De ſupernaturalibus, nulla eſt difficultas; cum hæc ſint ſupernaturalis ordinis, & ordinata ad perducendos nos ad Beatitudinem ſupernaturalem; quæ, cum nobis donetur ex meri-

Cur per Chriſtum.

tis

tis Christi Domini; necesse est, ex eiusdē Christi meritis, omnia media ad ipsam consequendam necessaria, nobis conferantur; non. n. solummodo Gloriam, sua sanctissima Passione, nobis Christus promeruit: sed omnia conducentia ad illam.

24 De Auxilio naturalis ordinis, idē certum esse debet; & primò, de Auxilio internæ inspirationis, id apertè docent Patres Africani epist. 9. & 90. apud Augustinū, & ex ipso Augustino epist. 105. qui vnanimiter fatentur, Gratiam per Christum, quam commendat Apost. ad Rom. esse eam, quæ nobis datur ad rectè viuendum; tentationesq; superandas; & ratione facili potest probari; siquidem, nisi talis Gratia esset per Christū, ineptè à Deo eam postularemus, per merita Christi. Vbi duo sunt: primum, Petitio, seu Oratio; quæ indicat necessitatem Gratiæ; nisi. n. indigeremus Gratia, non postularemus illam à Deo; Oratio. nāq; Gratiæ indigentiam arguit manifestè. Secundum est, quia dum petimus illam per merita, mortem, & passionem Domini nostri Iesu Christi; vt in omnibus Ecclesiæ orationibus videre est, quibus Dominum rogamus, vt nos à peccatis præseruet, liberet à tētationibus, tribuat continentiæ virtutem, &c. per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. fatemur illam nobis prouenire ex Christo. ergò certum est, esse Gratiam per Christum.

Aug. 25 Hinc Augustinus in sermone ad Fratres in Hæremo, in fine, admonet, vt mox atq; senrimus tentationes, ad Christum confugiamus; nempè, ad postulandum auxilium Gratiæ, quod ipse, passione sua, nobis promeruit. Immò Augustinus, expresse, vtrumq; auxiliū per Christum; nimirum, internæ inspirationis, & externæ protectionis, tribuit Christo Domino passim, vt ex infra dicendis patebit.

§. V.

Ad rationem doni requiritur, quod donans cognoscat id, quod donat.

26 PRæmitto quartò loco; ad rationē Gratiæ, & doni gratuiti requiri, quod donans nouerit, quid confert. Vndè, necessariò dicendum est; Deum, antequam, per scientiam visionis, cognoscat, quid voluntas factura sit; & antequā præparet illi cognitionem; per scientiam mediam, vel cōditionalem, cognoscere, quid homo facturus esset, si hac, vel illa cognitione præueniretur: nam, ex duabus contradictorijs conditionalibus, altera est determinatè vera; & proindè, cognoscibilis à Deo infinita virtute sui intellectus. Conditionalis autem vera, si sit affirmatiua, v. g. *Si Petrus hac cogitatione præueniatur, hoc est facturus*; necessariò dicit connexionem cognitionis cum cōsensu voluntatis, per modum causæ, & effectus; vnde propositio illa est bona cōsequentia, & semper est bona; nam antecedens est vera causa consequentis: non tamen est consequentia necessaria; quia cogitatio congrua non ita inclinat volūtatem ad consensum, vt ipsa voluntas, simpliciter loquendo, nequeat resistere; sed ita vt, liberè, de facto, ab ipsa consensum obtineat; cui vocationi si Deus negaret suum concursum, non sequeretur consensus in voluntate; fieret tamen violentia vocationi; cui, iuxta internum impetum, debebatur concursus; quarè, cum dicimus, Deum verè nosse (posita tali cogitatione) voluntatem consensuram; intelligendum est; si Deus iuxta id, quod vocatio postulat, concurrat: cum ea, verò, voluntas, necessariò, non consentiet, eo quod cogitatio ponatur à Deo, vel à causa necessaria in intellectu, ratione cuius ipsa consensura est; nam licet Deus immittat eam aliquando, media causa naturali: quia tamen voluntas sic addicta ad vnam partem, ex vi cogitationis illius, semper manet cum potentia ad oppositum; etiam si talem cogitationem habeat à causa naturali, & omninò necessaria; nihilominus manet libera; & idem est, si à causa libera habeat: & ratio est: nam, applicata cogitatione ad vnam partem, manet in voluntate potētia ad opposita; & sic, parum ei nocet, quod cogitatio ab hac, vel illa causa applicetur.

27 Quod autem dicebam in principio huius not. 5. Cognosci à Deo cogitationem congruam, scientia conditionali, vel futurorum conditionalium, vt Gratia Dei dicatur, patet: quia, sine tali cognitione, non esset Gratia: ratio est: quia Gratia, & donum non sunt tantum res absolutæ; sed, vt dicatur Gratia, & Donū, accipiuntur relatè, & ad eum, qui dat, & ad eum cui datur. Ex parte eius, qui dat, requiritur, ne, compulsus necessitate aliqua, det: sed liberaliter, & gratiosè; deindè, vt sciat, quid sit id, quod dat; defectu cuius scientiæ contingit, quod ille, qui dat rē magni valoris; si ignoret pretium illius, parum, aut nihil donare dicatur, vt si putat se donare lapidem, & det gemmam

mam: Multum igitur confert scientia eius, quod datur, vt habeat rationem doni, & Gratiæ.

Donum dicitur gratiosũ, si detur in opportuna occasione.

28 Et prêterea, ad hoc iuuat occasio, in qua datur; ratione cuius, re ipsa, commodum erit accipiẽti; Vndè, si quis det aurum exurienti, vbi non sit panis, quem possit auro emere; parum donare dicitur; si verò det parum panis in ea occasione, multum censetur donare; sic igitur, vt illa, aut hæc cogitatio dicatur Gratia peculiaris, plurimum confert; Immò necessarium est, ad hoc, vt Gratia dicatur propriè, & verè, quod congruo tempore, & in debita occasione, qua habeat effectum, donetur; & sic, quod Deus, cognoscat talem temporis congruentiam; occasionemq; congruam, in qua illud Auxilium, siue illa cogitatio operatura est effectum. Hæc omnia fundamenta præiacta magni momenti sunt ad intelligentiam eorum, quæ in toto hoc Quodlib. dicenda sunt; Quarè summoperè adnotari debent, & ponderari.

Non est difficultas de necessitate concursus generalis.

29 Sed præsertim, prò præsenti disputatione in particulari; vltimo loco adnoto; non esse nobis disputandum, An Intellectus possit aliquid Intelligere absque generali concursu Dei? nam (vt optimè Aug.) *Proculdubio extingueretur omnis operatio naturæ, si Deus subtraheret suam latentem operationem. Operatur enim Deus* (inquit Aegid. in 2. d. 28 art. 1.) *In omnibus operibus naturæ, non solum, naturam conseruando in esse; sed etiam ipsa opera naturæ operando; Non quod res sint destitutæ proprijs operationibus &c.* Sic etiam D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. in corpore, asserit: *Actionem Intellectus, & cuiuscunque operis creati dependere à Deo, quantum ad duo: vno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem, siuè formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipso mouetur ad agendum.* Quarè tantum quæstio est, de nouo Gratiæ Auxilio: & sensus est; An Intellectus noster adeò imbecillis sit in operãdo circa suum obiectum, (quod est, Verum;) vt, præter generalem Creatoris concursum, naturę debitum, indigeat aliquo alio Diuino Auxilio per Christum? Et, pro modo, discutiendum nobis est, de ipsa Intellectus operatione circa suum Verum: disputaturi postea de operationibus Voluntatis circa Bonum.

August.

Aegid.

D. Thom.

30 Et q̃a duplex Verũ. Alterũ ordinis nãlis. Alterũ ordinis supernãlis. De Vero supernãli, ad q̃ spectãt Diuinę Fidei actus; disputabimus disputatione sequẽti: modo, tantũ, de Vero ordinis naturalis est sermo; quod s. non excedit vires potentiæ naturalis Intellectiuæ, solo lumine naturali, nempe, Intellectus agentis, illustratæ. Quod Verum naturale adhuc in duplici est differentia. Alterum enim est purè speculatiuum; quod nullo modo ordinatur ad bonos mores regulandos; nec nos mouet ad opera virtutum moralium; vt est, cognitio disciplinarum naturalium, earumq; principiorum, & conclusionũ, tàm vniuersalium, quàm singularium &c. Alterum verò est practicũ; vt sunt veritates morales; idest, quæ docent componere mores; vel mouent affectum ad opera virtutum moralium. Quod etiam Verum practicum, adhuc cognosci potest; vel, modo speculatiuo, vel modo practico. De his omnibus Veris procedit nostra dispositio.

31 Neque dubitandũ est; multa posse vtique per naturam consequi, absque vllo Auxilio Gratiæ, secundum rem; quia non excedunt naturalem hominis capacitatem; quæ tamen aliquando diuinitus tradita sunt; v. g. quandoque Deus, miraculosè, quædã operatur, quæ tamen optimè natura facere potest; (vt egregiè D. Thom.) genera enim linguarum (inquit Aegid.) possumus adipisci per naturam: modus tamen adipiscendi, in primitiua Ecclesia, erat per Gratiam; nam, quod quis hodiè loquatur vnam linguã, quam heri ignorabat; hoc est impossibile per naturam; quia, licet potuisset aliquis eam naturaliter didicisse linguam; tamen, non sinè congrui temporis consumptione. Immò addit; antiquiores Philosophos, saltem, multos ex ipsis, credibile esse, scientias, ex Gratia, habuisse, & ex Reuelatione; non tantum propter bonum ipsorũ; quantum propter bonum Ecclesiæ, & vtilitatem fidelium: multa; etenim, docuerũt, quę sunt Ecclesiæ proficua: hoc tamen non obstat, quin sint ordinis naturalis, & naturaliter, secundũ rem, possint adipisci.

D. Thom.

Aegid.



CAP.

CAPVT II.

Ponitur sententia asserens necessitatem gratiæ ad cognoscenda vera naturalia.

1 HIs omnibus prænotatis, facilis esset huius primæ disputationis resolutio; ceterum quia aliqui Doctores videntur aliquam necessitatem noui adiutorij Diuini agnoscere in intellectu, in cognitione veritatum naturalium; quemadmodum nonnulli existimant, Capreolum in 2. dist. 28. & Gregor. dist. 26. tenuisse; ideo huius sententiæ fundamenta hoc capite ponēda sunt, antequam veriorem statuamus.

Capreol. Greg.

Probatur necessitas gratiæ in cognitione veritatū naturaliū. 1. ex Paralip.

2 Probatur ergò Primò, non posse à nobis cognosci aliquod verum, sine auxilio speciali Gratiæ; præsertim, in natura corrupta; ex sacra Scriptura Paralipom. 2. vbi dicitur, *Ignoramus quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus.* & 2. Corin. 3. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*; & Ps. 53. *Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

D. Paul. Dauid.

2 probatur. Milleuit. Arausic.

3 Secundò probatur ex Concilijs; nam in Milleuitano can. 4. dicitur, *Donū Dei esse, & scire quid agere debeamus; & diligere, vt faciamus*; & in Arausic. 2. can. 22. dicitur, *nemo habet de suo, nisi mendacium; si quis autem habet homo veritatem, ab illo fonte est, id est, à Deo.*

3. probatur. Aug.

4 Tertio, ex Oratione; nā oratio arguit necessitatem illius rei, quam orando petimus: vnde Augustinus de Nat. & Grat. c. 18. inquit; *Quid stultius, quam orare, vt facias, quod in potestate tua habes?* sed homo postulat a Deo cogitationem veri; vt in Ps. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, &c. ergo ad cognitionem veri necessaria est Diuina Gratia.

4. probatur. Aug.

5 Quartò: homo per peccatum contraxit vulnus ignorantiæ; vt docet Augustinus 1. Retractat. c. 9. ergo sine Gratia Dei sanante tale vulnus, non potest cognoscere aliquod verum.

Vlt. probatur

6 Præterea vltimò: quia si homo ex se posset verum cognoscere naturale; ergo omne verum: quia non est maior ratio, cur posset vnam veritatem naturalē cognoscere, & non reliquas; sed nequit omne cognoscere, absque gratia: ergo neque vnum.

CAPVT III.

Vera sententia.

1 HIs tamen, & alijs non obstātibus, dicendum primò, tāquam certum, & ab omnibus Theologis concessum, præsertim à D. Th. p. 1. q. 94. ar. 3. & 4. quē ibi sequitur Caiet. & à Soto 1. lib. de Nat. & Grat. cap. 8. concl. 2. Hominem, in statu innocentiæ, absque auxilio statui superaddito, potuisse cognoscere omne verū naturale speculabile, quod studio, & sciētia humana comparari potest. Ratio est; quia in illo statu, propter iustitiam originalem, sensus perfectè subdebantur intellectui; & intellectus rectè se habebat erga omnes intellectiones naturæ suæ proportionatas: poterat ergo, vel propria inuentione; vel doctrina accepta ab alio, deducere vniuersas cōclusiones, quæ virtualiter continebantur in primis principijs; quod est habere omnem scientiam naturalem, quæ industria, & labore humano comparari potest.

1. concl. D. Th. Caiet. Sot.

2 Dico secundò, quod non posset cognoscere multa alia vera naturalia, speculabilia; ea. s. quæ neque ex sensibilibus deduci possunt; nec virtualiter continentur in primis principijs scientiarum; nec deniq; ratione aliqua humana inuestigari possunt; vt sunt, Cogitationes cordiū; Futura contingentia, & quædam vera naturalia obscurissima, .s., quot sint Astra, Arenæ maris, & capilli capitis? Ratio est; quia, cum ad hæc cognoscenda, nullam omnino haberet potentiam, indigeret ad id aliqua reuelatione, vel auxilio superaddito naturale. Quod dixi in primo dicto, de homine in statu innocentiæ, idem dicendum autumo de homine in statu naturæ integræ; propter eandem ibi allatam rationem; & quod dixi in secundo dicto, de homine innocente, idem dicendum omninò est, de homine in quocūque statu constituto.

2. conclusio.

3 Dico tamen tertiò: homo, in natura lapsa, potest scire multas veritates, etiam morales, speculatiuas tamen, absque aliqua alia Gratia de nouo superueniēte naturæ; immò, verò, quæcunque hoc modo cognoscimus, sine dono Gratiæ Christi co-

3. conclusio.

cognoscimus; siuè sint principia vniuersalia; siuè singulares veritates,& conclusiones;& notanter dixi (*Speculatiuas tamen,*) .i. quæ nullo pacto moueant, vel ordinentur ad mouendum affectum ad actus virtutis;sed sint tantum propter se; qualis est cognitio Disciplinarum naturalium, quàm homines solent studio, & labore adipisci; nam si ordinentur ad mouendum affectum ad opus, aliter dicendum est.

Aug. 4 Hoc dictum est expressè d.p. Augustini lib.1. ad Simplicianum q.2. vbi affirmat, in Hominibus reperiri honestas, vtilesq; disciplinas, tãquam in eis sit gratia Christi; vbi loquitur de disciplinis non mouentibus affectum, (vt optimè

Vasq. Vasq; hic.)

Probatur ab aliquibus. 5 Sed solet cõmuniter probari hoc dictum; nam veritates naturalium disciplinarum, suapte natura, sunt proportionatæ facultati nostri intellectus; ergò, sine illo dono Gratiæ, intellectus noster eas assequi poterit; nam Gratia ad hoc videtur necessaria, vt imbecillitas nostræ naturæ adiuuetur; & confortetur; defectusq; eius suppleatur.

Refellitur. 6 Cęterum hæc ratio mihi videtur omninò insufficiẽs, nam (vt infra dicam) ad multa opera ordinis naturalis requiritur Auxilium Gratiæ per Christum, quæ videntur proportionata nostræ facultati naturali.

Melius probatur. 7 Vnde melius probari potest; quia Christus Dominus ad hoc tantum mortuus est, vt homines rectè viuerent,& iustificarentur; non verò, vt in scientijs proficerent; nisi cum illæ scientiæ ad rectam vitam conducunt; quo pacto, naturalia bona, quatenus cõducunt ad vitam æternam, dici solẽt effectus meritorum Christi; ergo cognitiones sciẽtificæ, quantum sunt ex se, & quandiù non ordinantur ad mouendum affectum ad opus virtutis, non proueniunt à Gratia per Christum.

Aug. 8 Hæc ratio est desumpta ex d. p. Augustino, qui epist.105. ait: *Etenim Christus, non, vt homines conderentur: sed pro impijs, vt iustificarentur mortuus est*; ac si diceret: Christus non meruit nobis dona creationis, sed Gratiam rectè viuẽdi; idemq; dici potest de scientijs. Christus non est mortuus pro nobis, vt Mathematici, aut Philosophi essemus; sed vt essemus iusti, & rectè secũdum virtutem viueremus; ergo quãuis in similibus naturalibus scientijs proficiamus, non ideo Gratiæ per Christum id imputandũ est.

9 Quod si aliquis huiusmodi scientias, & disciplinas addiscat, vt Ecclesiæ Dei perficiat, alios ad pietatem, & alios ad charitatem, alios ad Dei notitiam habendam, instruendo; seu Religionem nostram defendendo, &c. vtiq; Gratię Christi id totum, quod sic addiscit, tribuere debet. Non includit autem nostra conclusio Sacram Theologiam; cum .n. hæc deducatur ex principijs fidei, & ordinetur ad tuẽda ministeria fidei, haberi non potest perfectè absq; gratia per Christũ; benè verum est; quod à Theologia, excipienda sunt quædam, quæ, disputationis gratia, à Theologis agitantur, quæ potius Philosophica sũt; de quibus veritatibus, idem, atq; de Humanis disciplinis, censendum est, nisi prout ex assensu fidei dependent.

10 Vltimò loco dicendum est; quod cognitio scientiarum naturalium potest etiam, aliquo modo, tribui Gratiæ Dei; non tamen per Christum; s. potest tribui Gratiæ Creationis; non autem Redemptionis; quatenus, supposita multitudine illarum, & imbecillitate nostrarum virium; immò & breuitate vitæ nostræ, exercitatione tenui, difficultate experimẽti, & thædio laboris; iuxta illud commune Medicorum dictum, *Ars longa, vita breuis, exercitatio tenuis, &c.* Nisi Deus, peculiari auxilio naturæ superaddito, prouidisset, vt, ablatis impedimentis, & applicatis remedijs necessarijs, facilè, & absq; errore, cõsequeremur illas; proculdubio, per vires nostras, sine tali auxilio, illas assequi non possemus. Dicimus tamen, hanc Gratiam non pertinere ad Gratiam Redemptoris; quia Christus nõ est mortuus (vt diximus) vt nos addisceremus plures, vel pauciores, vel etiam omnes scientias naturales speculatiuas; ergo talis cognitio est extra fines meritorum Christi Saluatoris: verum, erit proculdubio Gratia quædam Dei Authoris naturæ, & Creatoris, ad quem pertinet omnis perfectio naturalis nostræ naturæ, quæ cognitio non erat debita naturæ, ex vi suæ creationis; immò, absq; iniuria, & salua nostra creatione, & substantia naturæ creatæ, posset Deus causas, & arbitrium nostrum ita disponere, vt talem notitiam non consequeremur, absq; vllo namq; detrimento meæ creationis, fieri potuit à Deo, nulla mihi vi illata, vt animum ad has scientias non applicarem; itaq; hæc Gratia non solum est Gratia; quia gratis nobis datur à Deo; sed etiam

Vlt. cõclusio.

est

est Gratia, quia nullo pacto mihi debebatur; & cum pertineat ad perfectionem naturæ, & non ad iustificationem, erit Gratia Creatoris, non verò Redemptoris.

CAPVT IV.

Satisfit rationibus prò contraria sententia adductis.

Ad 1. arg. 1 Restat modo satisfacere argumẽtis per contraria sententia adductis; & primò ad primum ex Scriptura sacra depromptum: Respõdeo, Scripturam sacram loqui de cogitatione, quæ mouet affectum; dicuntur autem *vanæ cogitationes hominum*: quia, nisi à Deo erudiãtur; non mouent ad bonum; qua etiam ratione dicitur, *non esse sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*.

Ad 2. 2 Ad secundum desumptum ex Concilijs, eodem modo respondetur, Concilia loqui de cogitatione, & scientia, quæ, mouens affectum, facit, vt lex impleatur. Ad Can. verò 22. Arausicani, dico: per *veritatem*, non intelligi, in illo, scientiam quamcunquè; sed, Opus studiosum dicẽdi veritatem; quatenus opponitur contra mẽdacium. Vel secundo Respondeo, (& melius,) quod *Mendacium* idem est, ac *Mentiri*; & quilibet homo peccator dicitur mendax; siquidem, cum promisetit in Baptismo, abrenunciare Diabolo, & pompis eius; & nil sibi in futurum cum Diabolo: peccando; mentitur promissioni factæ; & sic, *Peccatum*, dicitur, in hoc sensu, *Mendacium*. Cum ergo dicit Concilium, hominem, ex se, solum habere mendacium; idem est cum eo dicto,

Dauid. Psal. *Omnis homo mendax*; & idem est, ac dicere: omnis homo peccator est; quantumuis .n. iustus sit, adhuc septies in die

S. Io. cadit; &, *si quis dixerit: peccatum non habeo, se ipsum seducit; & veritas in eo non est*; cumq; peccando mentiatur Deo, cui promisit, nunquam peccaturum, & peccatum à sola nostra voluntate depẽdeat; fit, vt optimè Concilium dicat, nos non habere ex nobis, nisi mendacium; id autem, quod subdit, verissimum est; nimirũ, quod *si quis habet homo veritatem, à Deo est*; idest: si quis homo obseruator Diuinæ legis est, & stat aliquando promissis; ita vt, cum illi se offert occasio peccandi, non peccet; quod est, veracem esse; hoc non habet, ex se: sed à Deo, & à Gratia ipsius (vt infra dicam.)

3 Ad tertium respondeo, ex vtilitate orationis rectè colligi necessitatem Gratiæ: ineptè tamen ordinamus eam pro consequutione scientiæ; nisi, cum illam optamus ad rectè viuẽdum, Deũq; melius cognoscendum; vt, cognitum, ardentius amemus, sicuti etiam, bona temporalia non sunt à nobis petenda, neq; aliter ab Ecclesia petuntur, nisi vt conducentia, aliquo modo, ad bonum animæ. Ad 3.

4 Ad quartum dico; verum esse, hominem, per peccatum, cõtraxisse vulnus ignorantiæ, etiam in speculatiuis; quia difficilius addiscit scientias, quas addisceret facilius in natura integra; hoc tamen vulnus non est sanandum per Gratiam Redemptoris; nisi, quatenus scientiæ ordinantur ad rectè viuendum (vt dictum est.) quod, si ad acquirẽdas omnes, vel principales scientias, requiritur aliquod nouum auxilium, naturæ superadditum, illud est auxilium Dei Authoris naturæ, & Creatoris, ad quem ordinatur, & pertinet omnis perfectio purè naturalis naturæ creatæ. Ad 4.

5 Et sic respondendum ad quintum; quod non benè concludit; si homo vnam veritatem naturalem, viribus proprijs, & absq; aliquo auxilio, cognoscit; posse etiam omnes veritates cognoscere; nam (vt diximus) ars longa est, vita breuis, vires sensuum finitæ, & facilè deficiunt in alicuius veritatis assequutione; sicuti de multis Philosophis patet, qui veritates naturales inuestigantes, defecerẽ, & lapsi sunt in varios errores: Cicero .n. negauit prouidentiam Dei, præsertim, circa futura contingentia: Aristot. de ea dubitat. Galen. negat immortalitatem animæ rationalis; de qua etiam dubitauit Aristot. Plato (vt docet Clem. Alexan. 3. lib. Stromathum) asseruit; *Generationem hominis malam esse; eo quod Anima, cum immergitur corpori, multa mala patitur, à quibus antea libera erat; præsertim, obliuionẽ scientiarum, quas prius habebat; quarum reminiscentiam, cum magno labore, postea in corpore comparat*; & sic dicendum est, quod ad habendam notitiam omnium veritatum, siue multarum, requiritur nouum auxilium, superadditum naturæ, quod tribuendum est Deo Creatori, non Redemptori. Ad 5.

6 Ex dictis sequitur, quod notitia

veritatum, aliquo modo, tendens ad benè viuendum, proculdubio tribuenda est Gratiæ per Christum; siquidem ad hoc mortuus est Christus Dominus, vt benè viuamus,& conformiter rectè rationi, & legi ipsius; & sic, disponamur ad Gratiã iustificationis, saltem, remotè; cum proxima dispositio (vt infra dicam) fit per actus feruentissimus charitatis, & amoris.

DISPVTATIO SECVNDA.

Quid de Veritatibus supernaturalibus, ad nostram fidem pertinentibus?

CAPVT PRIMVM.

Quædam, tamquam certa, præmittuntur.

1 Aius dubium est de veritatibus supernaturalibus, pertinẽtibus ad nostrã Christianam fidem, & Religionem; licet eius resolutio certior sit; attamen; tùm propter Hæreticos; tùm etiam propter quosdam Catholicos, qui videtur hanc veritatem inficiari, ab omnibus ferè Doctoribus approbatam, discutiendum est maturius hoc punctum.

Requisita ad actu fidei. 2 Quarè not. est; ad actũ fidei multa concurrere, (vt latius agitur 2. 2. q. 1. art. 4.) Primò. n. prærequiritur; propositio credendorum: nullus. n. credere potest, absq; eo, quod credenda, aliquo modo, illi proponantur; siquidem Mysteria nostræ fidei non aliundè possunt ad humanum intellectum peruenire. Secundò, cõcurrit actus intellectus. f. iudicij, quo videat, Mysteria fidei esse fide digna; aut hic, & nunc credenda esse. Tertiò, actus voluntatis, qui dicitur *pia affectio*; estq; post iudicium intellectus, quo iudicauit Mysteria esse fide digna; tunc statim voluntas elicit assensum illorum; ex quarũdem electione mouetur intellectus ad assensum,& credulitatem eorum: quia assensus est actus credendi, quo intellectus assentitur Mysterijs; estq; vltimus actus, ex his, qui necessarij sunt ad fidem.

Propositio credẽdorum Diuinus fit. 3 Certum est; & citra cõtrouersiam, propositionem credendorum fieri non posse absq; Diuina illustratione, seu reuelatione; siquidem, cum huiusmodi veritates sint ordinis supernaturalis, excedunt omnem naturalem captum; & sic, nobis nequeunt aliter innotescere, quam per Diuinam reuelationem; quæ vtiquè Gratia Dei est, & Gratia Redemptoris; quæ interdum fit per internam illustrationem; Deo, f., mirabiliter infundente species credibilium: interdum, exterius proponẽdo per prædicationem miraculis confirmatam. Hinc Io. 1. dicitur, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* S. Io. Vbi est sermo de Mysterijs fidei nostræ; & Rom. 10. *Et quomodo credent, si non audierunt? & quomodo audient sine prædicante?* S. Paul. & concludit *fides ergò ex auditu: auditus autem per Verbum Dei.* Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* S. Matt. Itaq; de hoc non est aliqua dubitatio; & sic, tanquam, pro certo, id supponimus; quarè quæstio est de reliquis actibus: an. f. ad iudicandum, proposita nobis Mysteria fidei esse fide digna, aut hic, & nunc credenda esse; & ad piam affectionem, actum voluntatis, cuius tandem Imperio mouetur intellectus ad assentiendum ipsis Mysterijs; & tandem adhunc et actũ intellectus, quo de facto credit, sit necessarium aliquod Gratiæ Auxilium, ipsis potentijs superadditum; an verò solis naturæ viribus hæc omnia fieri possint? Sensus dispositionis.

CAP.

CAPVT II.

Referuntur quorundam Hæreticorum errores; & Catholicorum Placita.

1 DE qua re, nedum cum Hæreticis; verum & cũ Catholicis est nobis concertandũ: Cum Hæreticis quidem; nã
Error Pelag. fuit antiqua hæresis Pelagij, iam supra citati, tempore Archad. Imperatoris, & Innocentij Papæ Primi, circa ann. 405. vt referunt Pratheolus in Elencho hæresum lib. 14. verbo *Pelagius*. & Castro cont. hæreticos verbo *Gratia* hæres. 1. qui tribuebat intellectui, & voluntati hominis, id omne, quod ad eius iustificationẽ requirebatur; & sic, asserebat, quod, sicut proprijs viribus, & nullo superaddito auxilio, poterat voluntas elicere quemcũq. actum bonum, etiam feruentissimi amoris, & contritionis; ità etiam poterat intellectus noster, proprio conatu, Fidei Mysteria cognoscere; ipsisque, quantumuis supernaturalibus, credere, & assentiri, ea fide, quæ illum vltimo disponebat ad ad Gratiã. Contra hunc errorem congregata sunt nonnulla Concilia à tempore Augustini; quibus ipse interfuit; præsertim, Arausicanum, Carthagin. 2. & 6. & Milleuit.

2 Quem errorem, iam ferè emortuũ; postea, nouissimis temporibus, suscitauit Lutheranus quidam Pastor Lypsensis; quem tota schola Lypsensis sequuta est. Dicebat iste hæreticus, posse hominem naturæ viribus credere supernaturalibus Mysterijs, illisq. assentire; & media hac fide, illi infundi Spiritum Sanctum. Ità referunt Authores Catholici, hũc hæreticum docuisse, qui tamen error ex infra dicendis facilè ruet.

Opinio quorundam Scholastic. 3 Præter hos hæreticos, non defuere etiam, ex Catholicis, qui sensere, posse hominem, absque alio habitu, vel auxilio supernaturali; sed solis naturæ viribus, & proprio conatu, cognoscere supernaturalia Mysteria; illisq. assentiri. Ità Durand. in 2. d. 28. q. 1. n. 6. & 7. vbi docet, quod sine habitu supernaturali potest homo rebus
Durand. supernaturalibus assentiri; Durand. nim nullam agnouit gratiam, quæ in actu cõsisteret: sed tantum habitualem Gratiam ponebat. Ità etiam Scot. in 3. d. 23. quæst. Scot.
vnica §. *de Primo*, dicens: *Certum esse, quod eorum, quæ habentur in scriptura sacra, est in nobis fides acquisita, per quam illis firmiter, & sine oppositi formidine adhæremus*. Ità Gabt. ead. dist. q. 2. ar. 2. con- Gabr
clus. 2. dicens; *Articulos fidei posse à nobis credi, fide acquisita*: & concl. 4. ait: *Quod omnium, quorum habemus fidem infusam, possumus habere acquisitam*. Id etiam videtur sentire Riccard. ead. dist. ar. 8. q. 3. Riccard.
Quam sententiam recentiores Theologi, præsertim Thomistæ, non parum censent inclinare in errorem Pelagij, paulò supra explicatũ; tamen potest aliquibus rationibus probari.

4 Et primò sic. Illud omne possu- Primo prob.
mus naturæ viribus cognoscere, illique hæc sententia.
assentiri, ad quod intellectus habet sufficiens motiuum; licet tale motiuum non sit necessarium, sed tantum probabile. Sed ad cognoscenda supernaturalia Mysteria, illisq. assentiendum, habet intellectus sufficientiora motiua, quàm ad plura obiecta naturalia, quibus, sine contouersia, assentitur naturaliter; ergò potest, suis viribus, illas veritates supernaturales cognoscere, & illis assentiri. maior patet, minor quoad secundam partem probatur. Quia plerumque intellectus cognoscit, & assentitur, motus leui authoritate: vt cum credit Astrologo, dicenti, tali die futuram esse pluuiam, aut tonitrua, &c. aut etiam mouetur sæpè tenui probabilitate rationis; vt patet per omnes scientias, & facultates naturales &c. prima autem pars min. prob. quia, cum quis videbat Christum facientem signa, & mirabilia, in attestatione suæ Diuinitatis, multò sufficientiora motiua habebat; adeò, vt Dęmones, illis signis, licèt inuiti, inclinarentur ad credendum; vt constat ex Euangelijs, cum clamabant; *Iesu fili Dei viui venisti antè tempus torquere nos &c.* Et, cum ego video Parentes, & Auos, & Proauos meos, sinè hæsitatione, credere his Mysterijs, sufficientius etiam habeo motiuum. Deniq; cum hæretici ipsi proprio iudicio, credãt quibusdam articulis, poterunt, eadem ratione, iudicio proprio, sinè auxilio supernaturali, credere reliquis.

5 Secundò, si ad cognoscenda Myite Secundo
ria supernaturalia, illisq. assentiendum, prob.
indigeremus supernaturali auxilio; sequeretur, quod non solum certè: sed etiã clarè cognosceremus, nos habere tale auxilium; quod, patet, esse falsum. Prob.

sequela, quia experimur, nos habere actũ credendi; si ergò hic actus non potest haberi absque auxilio supernaturali experimur iam nos habere tale auxilium, ergò clarè illud in nobis cognoscimus.

Tertiò prob. 6 Tertiò, sinè vllo auxilio, de nouo, nostris potentijs naturalibus superaddito, assẽtimur proprijs viribus quibusdam opinionibus falsis; & hæretici credunt rebus, contrarijs fidei nostræ; ergò possumus etiam, proprijs viribus, credere veritatibus supernaturalibus. Patet conseq. quia intellectus noster multo magis inclinatur ad verũ, quale est, cui credimus per fidem, quam ad falsum.

Quartò pr. 7 Quartò, de veris supernaturalibus possumus cognoscere, per vires nostras, apertè, quod sint possibilia; ergò, per easdem, possumus cognoscere, quod sint vera: Prob. anteced. Nam, de illis, cognoscimus euidenter, quod sint credibilia (vt

S.Thom. docet S.Thom. 2.2.q.1.art.4. ad 2.) ergò cognoscimus euidenter, quod sint possibilia: Sicut enim, quod aliquid sit euidenter impossibile; sequitur necessariò, quod sit euidenter incredibile: Ità, ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis; sequitur, ex eo, quod aliquid est euidenter credibile, quod sit euidenter possibile. Præterea, quia D.Thom. 1.part.q.32.art.1. docet, quod possumus defendere contra Infideles, Id, quod prædicat fides nostra, non esse impossibile, ergò possumus ostendere, esse possibile. Prob. consequentia, quia non datur medium. Tunc subdo: Sed, in rebus supernaturalibus; illis præsertim, quæ conueniunt Deo ad intra; vt est, *Deum esse Trinum, & Vnum*, idem est esse, & posse: Quarè si cognoscimus, Mysteria hæc esse possibilia, cognoscemus etiam, proprijs viribus, euidenter, illa esse vera.

CAPVT III.

Vera sententia statuitur, & probatur.

§. I.

Vera sententia. 1 HIS tamen, & alijs non obstantibus, verior, & tutior sententia est, Mysteria nostræ fidei non posse à nobis cognosci, proprijs viribus; neque posse nos illis assentiri, absque speciali auxilio Gratiæ. Hanc tenent communiter Doctores, præsertim Magister in 2. distinctione 27. Diuus Thomas 2. pat. quæst. 109. artic. 1. & ibi eius Discipuli, Caper. in 2. distinct. 24. quæstione vnica, artic. 2. conclusion. 2. Caietanus verò, licèt prima 2. quæst. citata artic. 4. dixerit, quod præceptum fidei, quoad substantiam actus, potest à nobis impleri per solas vires naturæ nostræ; tamen secunda secundæ quæst. 6. artic. 1. §. *Sed hæc responsio, &c.* sententiam apertè mutauit, dicens, *Per actum fidei eleuari hominem supra suam naturam.* Vnde planè sequitur, illum non posse elici per naturæ vires. Eandem sententiam tenuit Bonauentura in 3. distinct. 23. articul. 2. quæst. 2. & Decan. Louan. tom. 2. artic. 8. pagina 46. & Vega quæst. 9. de iustificatione. Et tandem eandem sententiam tenet Aegidius noster in 2. distinct. 28. quæst. 1. artic. 1. vbi tria docet (vt videre est ibi.) Primum est, *Creaturam quamlibet non posse exire in aliquam operationem siuè naturalem, siuè supernaturalem, sinè eo, quod secum concurrat Deus*, (vt supra diximus.) Secundum est, *Quod intellectus noster potest proprijs viribus, cum solo illo concursu generali Dei, absque nouo auxilio superaddito sibi, cognoscere veritates aliquas naturales in solo lumine intellectus agentis: Et licet aliqui ex antiquis Philosophis habuerint notitiam aliquarũ veritatum per reuelationem, iuxta illud Paul. ad Roman. 1. vbi, loquens de sententia Gentilium Philosophorum, ait, Quod notum est Deo manifestum est in illis. Idest in Philosophis, siuè in Gentilibus*, & subdit, *Deus enim his reuelauit.* Docet tamen Doctor noster; quod duobus modis potuit id euenire, principaliter; (licèt ipse tribus modis, dicat, id esse potuisse.) Primò ità, vt ipsis Gentilibus reuelata fuerint vera naturalia; & sic docet (vt nos adnotauimus supra.) *Non esse inconueniens, quod multa, quæ potest homo proprijs viribus cognoscere, ex Diuina reuelatione cognoscat: Sicuti multoties aliqui sanantur virtute Diuina, cum potuissent sanari ex natura. Vel secundo ita vt ipsis Gentilibus Deus aliquando reuelauerit veritates aliquas pertinentes ad veram fidem*; & sic (inquit) *Deum id fecisse, non tantum propter bonum ipsorum, sed etiam propter bonum Ecclesiæ, & fidelium.*

Magist. Diu. Thom. Capreol. Caiet.

Bonauent. Decanus Louanien. Vega Aegid. Roman.

S. Paul.

2 Ter-

2 Tertium tandē quod ibi docet est; *Non posse nos, proprijs viribus, & absq; reuelatione, & Gratia Dei, Intelligere veritates, spectantes ad Christianam fidem*: ita habet §. *Hoc etiam idem patet*; vbi ait; *quia Anima nostra est media inter sensibilia, & substantias separatas; vtroq; modo habet perfici: per lumen suum naturale, quod abstrahit à phantasmatibus: & ita est sua cognitio naturalis; & per lumen fidei, & Gratia, per quod fit sibi reuelatio à Deo, & à substātijs separatis.* Item §. *Cum ergò quaritur, &c.* post medium: postquā dixisset, quo pacto se habeat intellectus circa cognitionem suam naturalem in ordine ad Deum, subdit: *Si ergò possumus illuminari à Deo, & substantijs separatis, vltra illud lumen, quod est nobis inditum naturaliter; oportet, quod hoc sit per gratiam, etiam propriè sumptam; quia Gratia propriè sūpta potest dici omne illud, quod est superadditum natura; siuè sit Gratia gratum faciens; siuè Gratia gratis data.* Vbi nota; quod diuidit Doctor Gratiam in, *largè sumptam*; vt est ipsa natura. Et *propriè sumptam*, quo nomine appellat tām Gratiam habitualem, quām Auxilia; & *magis propriè*; quo nomine appellat, Gratiam habitualem, tantum.

Ambrof. 3 Item ibidem docet, ad primum respondens ad illud Ambros. super illa verba Apost. 1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, vbi ait Ambros. *Verum à quocunq; dicatur, à Spiritu sancto est.* Respōdet Aegid. quod Ambros. loquitur de vero, quod est proficuum ad salutem; quale est, cognoscere Iesum verum Dominum; itaq; hic fatetur, quod, cognoscere verum proficuum ad salutem non potest homo proprijs viribus. tandem in responsione ad tertium dicit illa verba Io. 2. *quod Deus est lux vera, qua illuminat omnem hominem, &c.* esse intelligenda circa ea, quæ sunt fidei, & Gratiæ, secundum quam dat nobis potestatē filios Dei fieri; prout in eodem Euangelio scribitur. Habemus ergo hanc veritatem ex nostro Doctore Aegidio.

§. II.

4 Sed in primis, antequam nostras conclusiones statuamus, nota, quod nulli dubium esse debet, hominem posse, & cognoscere supernaturalia Mysteria, & illis assentiri, absq; Gratia habituali; nam, de fide est, quod in peccatore fideli, post amissam Gratiam, maneat fides, absq; charitate; & sic, informis; ita n. diffinitum est in Concilio Trident. sess. 6. cap. 15. poterit ergò proculdubio homo, cum habitu fidei supernaturalis, quæ est substantia, & fundamentum Christianæ vitæ, & Religionis, elicere actus credendi veros, & supernaturales, similes habitui; non tamen illi actus erunt viui: *Fides n. sine charitate mortua est.*

Credere possumus absq; gratia hab.

Conc. Trid.

5 Item pro certo supponendum; ad credendum Mysterijs supernaturalibus, non necessariò requiri habitum fidei ex parte intellectus; cum intellectus possit eleuari ab auxilio supernaturali ad assenriendum, & credendum: sicut, ad eliciendum actum feruentissimi amoris, & charitatis, non requiritur, ex parte volūtatis, necessariò, habitus charitatis; sed sufficit eleuetur ab auxilio supernaturali: nam, licet habitus adiuuent potentias ad faciliter operandum, & promptè: non tamen sunt simpliciter necessarij ad operandum; &, licet habitus supernaturalis dicatur, non solum concurrere ad faciliter, & promptè operandum, sicuti naturalis: sed etiam, det posse operari, & connaturaliter, opera supernaturalia: quia tamen, adhuc sine ipso, cum solo actuali auxilio, possent potentiæ naturales elicere, (& si non connaturaliter,) eosdem actus; dicimus, non esse, simpliciter, habitum supernaturalem necessarium.

Absq; habitu fidei.

§. III.

6 His suppositis dicendum primò est: ad iudicādum de Mysterijs reuelatis, esse fide digna, requiritur necessariò Auxilium Gratiæ per Christum. Hanc conclusionem esse de fide, communiter docent iuniores; nam in Concil. Araufic. Can. 5. dicitur, *Initium fidei esse ex Gratia*; & Can. 9. dicitur, *Diuini muneris esse, cum rectè cogitamus.* Et Cęlestin. 1. in epist. 1. ad Episcopos Galliæ, ait, *Sanctam cogitationem, piumq; consilium ex Deo esse.* Augustin. de prædestin. Sanct. lib. 1. vrgens illud Pauli, *(Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.)* ait: *Profectò nō sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobis; sed sufficiētia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est.* Ex quibus locis, & alijs innumeris, quæ solent adduci ad hoc idem probandum, potest formari hæc ratio. Principium fidei nostræ tribuitur Gratiæ Dei per Chri-

1. concl.

Conc. Arauf.

Cęlestin. 1.

August.

Christum;sed prior actus intellectus,quo iudicamus,Mysteria reuelata esse fide digna,est principium nostræ fidei;ergo tribuendum est adiutorio Christi. ma. desumpta est ex superioribus authoritatibus; min. probatur, nam ille est primus actus,quem elicimus,cum credere volumus; ergo ex eo incipit fides nostra;& ex consequenti, ille est nostræ fidei principium. Nec valet respondere,initium nostræ fidei esse reuelationem credendorũ; & sic,illam esse ex Gratia Christi. Nam hoc subterfugium est ad libitum;siquidẽ, hoc nostræ fidei principium appellatur à Concilijs, & Patribus sancta cogitatio: quod nomẽ non conuenit propositioni, seu reuelationi credendorum; Præterquã quod hoc manifestè Augustin.repugnat, loco supra cit. cum ait. *Profectò non sumus idonei credere aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra,qua credere incipimus, ex Deo est*;vbi notandum est,quod loquitur de insufficientia intellectus nostri in eliciendo actus suos, in ordine ad obiectum:non autem de insufficiẽtia ad proponendum sibi obiectum: incipere .n. credere non est propositio obiecti: sed est versari circa obiectum, iam propositum, actu suo; licet verum sit; quod ipsa reuelatio credẽdorum se habeat, vt conditio,sine qua non.

Euasio. Occurritur.

7 Potest etiam probari nostra conclusio alia ratione: quia actus ille, quo iudicamus,Mysteria reuelata esse fide digna, conducit, natura sua, ad finem vitæ æternæ; & ad hoc est ordinatus; ergo actus ille nequit haberi, nisi per Christi Gratiam. Consequentia patet; nam ad hoc Christus mortuus est, (vt diximus) antecedens autem probatur,quia ex actu illo incipit fides nostra,quæ est fundamentum nostræ salutis; vnde Apostol.inquit, *Accedentem ad Deum oportet prius credere, &c.*

S.Paul.

Alia euasio. 8 Sed dices;illum actum iudicij,quo iudicamus Mysteria reuelata esse fide digna; esse purè speculatiuum; atq; ita.non procedere ex aliqua Gratia;iuxta ea,quę diximus disp.præced.

Refellitur. 9 Sed contra: quia actus ille mouet volũtatem ad eliciendum actum piæ affectionis erga Mysteria illa reuelata;ergò est actus practicus, & non purè speculatiuus. Probatur antecedens;nam,nisi intellectus, illo actu,proponeret voluntati illa Mysteria, vt fide digna, nullo pacto voluntas moueretur ad illum pium affectum erga illa; & ad imperãdum ipsimet intellectui, vt credat: siquidem, cum sit potentia cęca, ducitur in obiectum propositum sibi ab intellectu, eo modo,quo intellectus illud sibi proponit.

Aliud effugium. 10 Sed dices:non semper voluntatem moueri ad hunc pium affectum, etiam si intellectus iudicet, reuelata Mysteria esse fide digna; & sic,saltem,quando id accidit, vt non coniungatur ille actus cum actuali cõuersione ad fidem, verum erit, quod non dependeat ab Auxilio aliquo Christi; cum,tunc,actu,non moueat voluntatem ad opus studiosum. Quod non semper moueatur voluntas, certum est; nam voluntas non potest necessitari ad operandum ab aliquo obiecto creato; tunc.n.solum necessitatur voluntas, quãdo proponitur sibi obiectum cum omni ratione boni,quale est,solus Deus.Quidquid autem Deus ipse non est, nõ potest cogere voluntatem; cum sit potentia libera ad operandum: quare benè poterit accidere, quod intellectus iudicet, reuelata sibi Mysteria esse fide digna,& quod non moueatur voluntas ad piam affectionem;& sic,ille actus intellectus,tunc, se habet admodum actus purè speculatiui: vnde non indigebit intellectus ad illũ aliquo Auxilio Gratiæ per Christum.

Impugnatur. 11 Sed contra: nam licet verum sit, quod non semper, cum effectu,ille actus moueat voluntatem,seu (vt proprius loquar)non semper voluntas moueatur ad actũ, (adhuc eo actu intellectus posito:) id tamen non prouenit ex eo,quod actus ille, natura sua,non sit ordinatus ad mouendam voluntatem ad opus suum,quãtum est ex se:nam aliquando intellectus, cum maiori efficacia; aliquando verò, cum minori, proponit obiectum voluntati; & aliquando volũtas fertur in obiectum, etiam si, cum minori efficacia, sit illi propositum; & aliquando etiam respuit obiectum, cum efficacia maiori sibi propositum; id autem prouenit ex modo operandi ipsius voluntatis, cum indifferentia, & libertate,tàm contrarietatis,quàm contradictionis: Contrarietatis; vt quando, propositis sibi duobus obiectis,altero virtutis,altero vitij;fertur in obiectum virtutis,respuens illud vitij; vel è contra. Contradictionis autem; vt quando,omninò suspendit assensum suũ, & nulli illorum se applicat; vel fertur in aliud,etiam uirtutis obiectum; .i. quando,in hoc,uel in aliud uirtutis obiectum fertur. Vnde sequitur,quod licet actus ille, in eo casu, non moueat uoluntatem;

Na-

Natura tamen ipsius est, inclinare voluntatem ad pium affectum; & hoc sufficit adhoc, vt dicatur esse ex Auxilio Gratiæ per Caritatem.

§. IV.

12 Itaq; dicimus, *Quod*, in hoc actu intellectus, reperiuntur duo; nimirū, ipsa Mysteria fidei, quæ se habēt vt obiectum potentiæ; & ipse actus iudicij: Gratia est (vt diximus,) quod talia mysteria proponantur; non .n. posset illa intellectus deducere ex principijs naturalibus; cum sint supernaturalia; & sic, necessariò petunt reuelari; & aliundè proponi ipsi potentiæ: cumq; intellectus sit potentia naturalis, non potest Intelligere, viribus proprijs, tale obiectum supernaturale; cum non sit proportionatum naturæ ipsius; & sic, indiget Auxilio eiusdem naturæ cum obiecto, per quod confortetur, & eleuetur potentia ad eliciendum actum iudicij circa tale obiectum; & (præter hoc,) etiam speciali concursu supernaturali, &c. Quarè, actus ille, duplici Gratiæ Auxilio indiget; altero, ex parte obiecti; altero, ex parte potentiæ, concurrente cum illa ad talem actum.

Obiectio. 13 Sed contra: nam, postquam reuelata sunt mysteria, sunt, de se, cognoscibilia, & intelligibilia: sed intellectus Intelligere potest omne intelligibile, (dummodo sibi proponatur cognoscēdum, & intelligendum.) proprijs viribus: ergò, eo ipso, quod Mysteria sunt ipsi reuelata, vt cognoscibilia, possunt, sine aliquo alio Auxilio, illi superaddito, ab intellectu intelligi.

Solutio. 14 Respondeo (quicquid sit de maiori:) negando min. & datur manifestissima instantia, tùm in naturalibus; tùm etiam in supernatnralibus. In naturalibus; Sol, de se, maximè visibilis est; nihilominus tamē non potest videri, ob summam eius excellentiam, ab oculis humanis; immò, & ipsa Diuina Essentia in Patria est summè visibilis, & intelligibilis: cum tamen, neq; supremus Angelus, proprijs viribus, possit illam intueri, nisi confortetur, & adiuuetur eius intellectus lumine gloriæ supernaturali. Quarè, quod Sol nequeat videri ab oculo humano, sine eo, quod turbetur, & à tanti luminis excellentia confundatur: non prouenit ex eo, quod ipse Sol non sit, secundum se, visibilis; sed ab imbecillitate potentiæ; vnde dicitur, *Quod excellens sensibile destruit sensum*; sic etiam, quod Deus nequeat in Patria, adhuc ab Angelo superiori, proprijs viribus, intueri, non prouenit ex eo, quod ipse Deus non sit, secundum se, summè intelligibilis: sed defectus se tenet ex parte potentiæ; quæ cum sit naturalis, & ipsa Diuina Essentia obiectum supernaturale, indiget eleuari ab aliquo Auxilio supernaturali; vel cōfortari à lumine, quod est medium proportionatum, in esse supernaturali, ipsi obiecto. Ita ad propositum; licet verum sit, quod ipsa Mysteria reuelata, sint, secundum se, intelligibilia; cum intelligibilitas sit passio entis; (siquidem Ens, & Verum, quod est proprium, & formale intellectionis obiectum, conuertuntur;) non ideo sequitur, posse intelligi, proprijs viribus, ab homine; nam illa Mysteria sunt supernaturalia; &, vt sic, improportionata potētię naturali intellectus creati; vnde indiget eleuari ab Auxilio supernaturali ad illa cognoscenda. Arist.

§. V.

15 Dico secundò: Actus ipse voluntatis, qui dicitur Pia affectio, & necessariò præcedit fidem Christianam, est etiam ex Gratia Dei per Christum. Hæc conclusio communis est omnium Theologorum rectè sentientium; licet pro contraria sententia citari soleat, à quibusdam recentioribus, Scotus in 3. dist. 25. q. 2. tamen potest interpretari, eo loco, subtilissimus Doctor; quod, cum asserit; ad credendum sufficere nudam voluntatem: (vnde inferūt aliqui, voluisse negare Auxilium Christi, ex parte voluntatis, cum elicit piam affectionem:) potius intellexisse, voluntatem nudam omni habitu posse habere piam affectionem circa credibilia: non autem nudam omni auxilio; quod, si aliter sentijsset, nō posset excusari ab aliquo errore: vel id dixit, loquens de fide acquisita: non autem de fide Diuina; vt infra dicam; nam, posita conclusio patet esse vera, ex sacra Scriptura, Concilijs, & Patribus; ex sacra Sscriptura quidem; cum passim in ea dicatur *Deus praeparare, & dirigere corda ad credendum*; vnde Baruc 2. habetur. *Dabo eis cor, & intelligent; & aures, & audient*; & Io. 12. de his, qui videbant signa, quæ Christus faciebat, & non credebant; dicitur, quod *propterea non poterant credere; quia Esaias dixit: excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*. Dicitur autem 2. conclusio. Interpretatur Scotus. Baruch. S. Io.

Deus

Deus indurate cor, per subtractionem auxilij, quo fieret opus. Vbi est supponendum, tanquam certum, & ab omnibus Doctoribus cōcessum, quod per ly, *Cor*, in sacra Scriptura intelligitur voluntas. Quo posito, potest sic efformari ratio ex loco Io. Quando negatio alicuius effectus pendet à sola negatione vnius causæ, non potest poni affirmatio eiusdem effectus, nisi ponatur illa causa. Sit exemplum; negatio denominationis Albi, in pariete, dependet à sola negatione albedinis in tali pariete; & sic nequit paries denominari albus, absq; eo, quod ponatur albedo in ipso; sed sic est, quod, non moueri voluntatem ad pium affectum erga reuelata Mysteria, prouenit à negatione, siue subtractione Auxilij Dei; vt dicitur in dicto loco Io. *Propterea non poterant credere: quia excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c.* ergo nunquam mouebitur voluntas ad pium affectum, seu ad volendum credere, & ad imperandum intellectui vltimum actum fidei, nisi Deus det ei Auxilium ad id præstandum.

Conc. Milleuit. 16 Ex Concilijs autem probatur; & primò, ex Milleuitano, allato supra disputatione præcedenti, vbi dicitur, *Donū Dei esse, & scire quid agere debeamus, & diligere, vt faciamus*; vbi, per (*scire quid agere debeamus*) confirmat nostram primam conclusionem: scire.n. quid agere debeamus, est cognoscere, Mysteria reuelata esse fide digna; &, hic, & nunc credenda: per (*diligere, verò, vt faciamus*) confirmat hanc secundam, pia namq; affectio, de qua loquimur, nil aliud est, quàm dilectio eorum, quæ proponuntur credenda, &c.

Conc. Arausic. 17 Secundò clarius ex Arausic. can. 5. ambæ etiam simul positæ conclusiones confirmantur, cum dicitur, *Si quis, initiū fidei, & ipsum credulitatis affectum, non per inspirationem Spiritus sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus cōtrarius probatur*, vbi per (*initium fidei*) intelligo actum illum iudicij, præcedentem piam affectionem; & per (*affectum credulitatis*) ipsammet piam affectionem. Præterquam quod idem Concilium Can. 7. etiam diffinit hoc idē, his verbis; *Si quis per natura vigorem, bonum aliquod, quod ad vitam æternam pertineat, eligere (vt expedit) aut cogitare, aut prædicato Euangelio consentire se posse, affirmat, sine illuminatione Spiritus sancti; Hæretico fallitur Spiritu*; vbi, per ly (*cogitare*) intelligit primum intellectus actum; nempè, iudicium de reuelatis Mysterijs, & per ly (*Eligere*) intelligit actū ipsum voluntatis; & tandem per (*consentire Euangelio prædicato*) intelligo vltimum actum nostræ fidei, de quo in conclus. 3.

§. VI.

18 Probatur etiam ex Patribus; ex Augustino, præsertim, qui passim hanc veritatem clarè docet, vnde lib. de prædestin. sanct. cap. 16. dicit, *Quod, nonnullis credentibus, alij non credant, causa est, quod illorum voluntas non mouetur à Deo*; ergo & ex parte voluntatis ponit Augustinus Auxilium Gratiæ: & cap. 8. inquit, *Nisi velle credere esset donum Dei, non oraremus per nolentibus credere: quid ergò oramus pro nolentibus credere* (inquit) *nisi, vt Deus in illis operetur, vt velint*? quibus verbis, quid clarius? idem tenet etiam Fulgentius lib. de Incarnatione, & Gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 18. Prosper in lib. de vocat. gent. cap. 7. & 22. & alij innumeri Patres, quos citant recentiores. Potest etiam ratione probari: quia actus ille voluntatis, ex natura sua, est actus bonus, aptusquè conducere ad finem vitæ æternæ; ergo nequit haberi absq; Gratia per Christū. patet consequētia; quia ad hoc Christus mortuus est, vt rectè operemur, & disponamur ad nostram salutem; & omnia media, quæ de se ordinantur ad illam; siuè proxima sint, siuè remota, ex dono Dei per Christum sunt. Aug. Fulgent. Prosper.

19 Sed notanter dixi in conclusione posita (*Ad eam piam affectionem requiri Gratiam, per Christum, quæ præcedit necessariò fidem Christianam.*) Pro quo aduertite, quod tripliciter potest considerari voluntas, quando operatur: primò, prout est in illa habitus supernaturalis, & infusus charitatis; & sic, prout ex charitate operatur. Secundò, prout est priuata, per peccatum, tali habitu: attamen operatur, vt disponat se, eo modo, quo potest, ad talem habitum recipiendum. Tertiò, prout priuata charitate, & operatur, nequaquam eo fine, vt disponat se ad Gratiam; sed alio fine, longè disperato, & opposito ad Gratiam obtinendam; vt quando quis est in peccato, & exercet opera misericordiæ, pietatis, Religionis, ieiunia, &c. Vt appareat hominibus ieiunās, pius, Religiosus, & misericors, &c.

vt

vt sunt hypocritæ. Hoc posito: Dico, nostram conclusionem intelligendam esse in primo, & secundo modo operandi voluntatis; nimirum, quando voluntas habet habitum charitatis, & eligit piam affectionem circa credenda; proculdubio ad hunc actum requiritur Auxilium per Christum. Tum etiam, quando voluntas, & si careat charitate; nihilominus tamen vult credere, vt disponat se ad illam recipiendam. Tunc etiam requiritur, ad hunc actum, Auxilium. At verò, si quis priuatus charitate vult credere propter alium finem, oppositum suæ saluti; vt coniunctus Ecclesiæ Dei, ex ea temporalem aliquam vtilitatem, & commoda requirat: nefas esset dicere, requiri Gratiæ Auxilium ad huiusmodi actum; non enim Christus ad hoc mortuus est. Quod autem dentur huiusmodi credentes, docuit Aug. August. in libr. de chatechizand. rudibus cap. 17. vbi asserit. *Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, vt, aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant; aut quia offendere nolunt quos timent: Sed isti reprobi sunt: & si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut Area, vsque ad tempus ventilationis paleam sustinet: Si non se correxerint, & propter futuram sempiternam requiem Christiani esse cœperint, in fine separabuntur.* Hæc August. Ex quibus verbis, patet, aliquando voluntatem moueri ad velle credere ob finem appositum nostræ saluti: Hæc fides non dicitur vera fides Christiana; & sic, non dicitur propriè credere articulis fidei, qui sic credit; neque dicitur propriè, & verè pia affectio, quæ talem fidem præcedit.

§. VII.

Arguitur ad piam affectionem non requiri auxilium.

20 SED adhuc aliqui volunt, ad piam affectionem, secūdo modo dictam, non requiri Auxilium Gratiæ per Christum: Mouētur autem hac ratione; Nam si tale auxilium, ad eliciendum affectum erga credenda, fide mortua, (qualis est fides existentis in mortali) esset necessariū, sequeretur, quod sicut in intellectu, præter auxilium supernaturale, ponitur supernaturalis etiam habitus fidei, ad hoc, vt connaturaliter, & delectabiliter credat; Sic etiam, præter Auxilium supernaturale, debeat poni etiam in voluntate habitus supernaturalis, ad hoc, vt moueat intellectum ad ità credendum; sed hoc dici non potest: ergò neque debemus ponere, ex parte voluntatis, in tali casu, Auxilium aliquod supernaturale. Ità inter alios, arguit quidam Magister meus Salmantinus in manu scriptis.

21 Cæterum, hæc ratio nō conuincit: Respond. nam facilè possumus respondere, negando sequelam; licèt enim id verum sit, ad credendum fide viua, & charitate formata: Tunc enim in vtraque potentia ponitur habitus supernaturalis; in intellectu, ipse habitus fidei; & in voluntate, habitus Charitatis, quo delectabilius, & promptius elicit piam affectionem; tamen, ad credendum fide informi, & mortua, non requiritur habitus ex parte voluntatis; sed sufficit Auxilium supernaturale, per quod eleuetur; & mediante actu elicito ex tali auxilio, disponatur ad infusionem habitus charitatis.

22 Neque valet obijcere D. Thomam 2.2. q. 4. artic. 3. vbi docet, *Quod quando aliquis actus procedit à duabus potentijs, vt perfectus sit, necessarius est habitus in vtraque potentia*: Nam ly (*vt perfectus sit*) est solutio huius obiectionis: Optimè enim D. Thom. asserit, quod in vtraque potentia requiritur habitus; in intellectu, nempè, Fidei; & in voluntate, Charitatis, ad eliciendum actum fidei perfectum; idest, actum fidei viuæ, & formatæ. At verò, ad eliciendum actum fidei mortuæ, & informis, neutra potentia indiget habitu; sed sufficit Auxilium supernaturale, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, eò tamen voluntas disponitur ad habitum (vt dictum est.) Obiectio D. Thom.

§. VIII.

23 DIco tertiò; Ad vltimum actum intellectus, quo tandem, verè credimus Mysterijs reuelatis nostræ fidei, requiritur etiā Auxilium Gratiæ per Christum. Hanc conclusionem, tanquam de fide, statuunt Patres Theologi; præsertim, Iuniores cōtra Pelag. & Lypsensem Scholam. Ità enim contra Pelag. præcipuè, diffiniere Concilia, contra ipsum congregata. In Arausicano, namque, canon. 7. dicitur: *Si quis, per naturæ vigorem, Euangelizantiſe consentire posse affirmat, absque Illuminatione Spiritus Sancti, hæretico fallitur Spiritu.* Idem ibidem decernit per multos Canones; sicut & in Milleuitano. Nam huiusmodi Concilia (vt dictum est supra) ad confutandam hanc hæresim, præcipuè, cōgregata fuere: Imò hoc idem clarius diffinitur in Tridentino sessione 6. 3. conclusio. Conc. Arausic. Conc. Mileuit.

Conc. Trid. can.3. vbi dicitur: *Si quis dixerit, sine præueniēte Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, & sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis Gratia conferatur, anathema sit*. vbi ly (*Sicut oportet*) variè explicatur à Doctoribus. Videatur Vasq. 1. par. disp. 91. cap. 11. & 1. 2. disput. 186. cap. 1. num. 4. optima tamen explicatio est, quod loquatur Concilium contra Semipelagianos, qui dicebāt, nos posse, ex nostro arbitrio, sine Auxilio Gratiæ Dei, tria illa, aut alia similia opera præstare, ad impetrandam Gratiam, qua iustificamur. Et eodem sensu, videtur loquutum Arausican. cum ait canon. 25. *Ità per peccatum attenuatum mansisse arbitrium, vt nullus deinceps diligere Deū sicut oportet, aut credere in Deum, aut propter Deum operari posset*. Vel dicēdum est, quod ly (*sicut oportet*) idē est, ac sicut debemus ex præcepto; quo pacto intelligimus nos nostram conclusionem. Ità vt, sensus illius sit: necessarium esse, omninò Auxilium Gratiæ supernaturale ad credendum Christiana, & vera fide, nō ficta, mysterijs supernaturalibus Christianæ Religionis reuelatis. Ità vt, per talem actū satisfaciat quis præcepto supernaturali fidei, & illud adimpleat; In quo sensu, ità vera est hæc conclusio, vt opposita, si non sit heretica (vt iam censent iuniores, præsertim Vega q.9. de iustific.) est ad minimum erronea.

24 Potest etiam innumeris Sacræ scripturæ testimonijs euidentibus hoc idem dictum probari; ex quibus tamen pauca adducam. Primum sit ex Paul. ad Philippens. 2. vbi dicitur: *Vobis donatum est, pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed etiam, vt patiamini pro eo*. vbi per ly (*Donatum est pro Christo*) Intelligunt Doctores, communiter, excludi vires naturæ, ità vt sensus sit; ex meritis Christi Domini habuistis auxilia ad credendum, &c. & ad Roman. 12. *Vnicuique diuisit Deus mensuram fidei*. & Act. Apostolorum cap. 14. *Aperuit Deus gentibus ostium fidei, vt crederent*. & cap. 16. dicitur, quod *aperuit Deus cor Lidiæ, vt crederet his, quæ dicebantur à Paulo*. tandem Ioa. 16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Vbi ex antecedentibus, & consequentibus constat; Ioannem loqui de tractu, qui est per fidem. Ità explicat Augustinus super illum locum tract. 26. in Ioan. & sermon. 26. de verbis Apostol. & in lib. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. pulchrè notat: *Quod non dixit Dominus (nisi duxerit) ne significaret, quod nos credimus, præcedente voluntate naturali, ex cuius viribus credamus, ducuntur enim, duci tantum voluntates; sed dixit, traxerit, vt vt innueret, quod credere, & assentire Mysterijs, non prouenit à voluntate humana; ità, vt naturaliter moueatur; sed totum Deo tribuendum; Siquidem non credentes, propterea credere non possunt, quia Deus excæcat oculos eorum, ne videant, & indurat cor eorum, vt non intelligant. (vt dicitur Ioan. 12. ex Esaia.)* Hæc, & alia plura testimonia Patres congregati in Concil. Arausic. de actu fidei, ad iustificationem necessariò, intellexerūt; vt ex can. 5. 6. & 7. constat.

Vasq. Vega. D. Paul. Act. Apost. D Ioan. August.

25 Probatur etiā, ex Patribus à Vasq. vbi supra, & alijs Recentioribus; sed sufficiat vnus, pro mille, Augustinus, qui passim, singulo quoque verbo, hanc Catholicam veritatem docet; & præsertim toto libro de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ, libro de Gratia Christi cap. 1. lib. de fide ad Petr. cap. 32. vbi dicit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse, quidem hominem verba Euangelij legere, aut audire; sed Diuinis præceptis obedire, neminem posse, nisi eum quem Deus sua Gratia præuenerit, vt, quod corpore audiuit, fide percipiat*. & lib. 1. retract. dicit, *Id quod dixi (quod ergò credimus, nostrum est) Profectò non dixissem, si etiam ipsam fidem, inter Dei munera, reperiri, mihi notum fuisset*. Et tamen multis in locis, oppositum, Pelagianum esse ostendit.

Vasq. August.

§. IX.

26 **M**Vltis etiam rationibus nititur, inter alios, Pater Vasq. hanc veritatem probare; sed certè non potest adduci ratio, ita euidens, naturalis, vt cōuincat, in re pertinente ad fidem; nihilominus tamen potest probari primò; ex vi orationis: nam (vt dicebamus supra ex Augustino) frustra quis orat, vt possit facere id, quod in sua potestate est. Vnde colligitur; quod oratio dicit, ex parte orantis, insufficientiam ad præstandum id, pro quo preces effundit; & sic petit adiutorium Dei; quare diximus, orationem esse inditium manifestissimum indigentiæ Gratiæ; & Auxilij: sed sic est, quod Ecclesia orat pro Infidelibus; vt videre est fer. 6. in Parasceue; vbi orat pro

Vasq.

Cathecumenis; vt augeat illis intellectũ, & fidem; pro Hæreticis, & Scismaticis; vt eruat eos ab erroribus; & tandem pro Iudæis, vt auferat Dominus velamen de cordibus eorum; vt & ipsi agnoscant Iesum Christum; &, vt agnita luce veritatis suæ, quæ Christus est, ab eorum tenebris eruantur; prout ibi canit Sancta Mater Ecclesia;) ergo euidens signum est, absq; tali Diuino adiutorio per Christum; neminem credere posse articulis fidei, prout oportet; nam, si ad credendum, non esset tale Auxilium Gratiæ necessarium; frustra per non credentibus oraret Ecclesia.

Concil. Trid. 27 Secundò, quia credere Christiana fide, prout oportet, est initium nostræ salutis, & iustificationis; ideo dicitur (vt supra vidimus) in Trident. *Si quis dixerit, hominem credere, sperare, &c. sicut oportet, vt ei iustificationis Gratia conferatur, &c.* Vnde colligitur, media Fide, Spe. & Charitate nos disponi ad suscipiendam Gratiam iustificantẽ; *Præter* quam quod idem Concilium eadem sess. 6. c. 8. appellat fidem actualem, initium iustificationis: ita etiam Patres omnes; sed non possumus, proprijs viribus, nos disponere ad Gratiam habitualẽ (vt infra videbimus) ergo neq; possumus, proprijs viribus, credere. Confirmatur, quia Christus Dominus mortuus est, vt acquireret nobis Auxilia ad rectè, & piè viuendum; & ad hoc, vt saluemur. Vndè, ad omnia ea, quæ sunt nostræ saluti, quomodolibet, necessaria, & proficua, indigemus illis Auxilijs: sed impossibile est, absq; fide, saluari, & placere Deo: ergo necessariò, ad fidem requiritur Auxilium Gratiæ per Christum.

28 Tertiò probatur; nam actus fidei, quo Christiani adimplent præceptum credendi, debet esse adeo firmus, & infallibilis, vt nulla ratione possit illi subesse falsum: sed, nisi procedat ex Dei Gratia, poterit illi proculdubio subesse falsum; igitur necessario debet ex Gratia procedere. ma. est certa. Nullus. n. audebit dicere, assensum Christianæ fidei, quo impletur præceptum credendi, esse adeo debilem, & incertum, vt aliqua ratione possit esse falsus: siquidem in hoc differt, præcipuè, habitus Fidei, ab habitu Opinionis; quod habitus Opinionis, cum innitatur authoritati humanæ, potest esse falsus: habitus verò Fidei, cum innitatur authoritati summæ veritatis, est adeo certus, vt nullo modo possit ei subesse falsum: min. verò probatur, quia quamuis actus ille, qui, neq; ex fide infusa, nequè, ex Auxilio supernaturali procedit, si versetur circa articulum fidei, aliudué Mysterium, à Deo reuelatum, non possit esse falsus, ex parte obiecti materialis, quod creditur: potest, tamen, ex parte obiecti formalis, seu medij, quod est, ratio assentiendi, habere falsitatem: nisi. n. actus credendi procedat ex fide Diuina, vel Auxilio, debet necessario procedere ex fide humana; vel ex proprio iudicio; quibus medijs, non repugnat inclinare ad falsum; quia, eadem ratione, qua inclinant ad assentiendum articulo verò, potuerunt inclinare ad assentiendum opposito; & ita, assensus esset falsus; nisi ergo actus credendi procedat ex Christi Gratia, poterit illi subesse falsum.

29 Ex est simile, ad hoc intelligendũ, in Arist. 1. post cap. 26. vbi, licet dicat, assensum opinatiuum esse circa verum, uel falsum, contingens, autem, & aliter se habere: plerunquè, tamen, id uerificari non potest in obiecto materiali Opinionis: nam, in his opinionibus, quæ habentur circa ea, quæ fiunt in corporibus Cœlestibus; constat, obiectum materiale non posse aliter se habere: tunc. n. contingentia, & fallibilitas illius assensus opinatiui solum tenet se ex parte obiecti formalis, seù medij; quod non est necessarium, sed contingens: ita à simili; in assensu, quem quis, non ex fide, aut ex Auxilio; sed, vel ex testimonio humano; uel ex proprio iudicio habet, circa aliquem articulum, non repugnat reperiri falsitatem; non quidem, ex parte ipsius Mysterij, cui creditur; quod uerissimum est; sed ex parte medij, quod suaptè natura, est fallibile: remanent ergò sufficienter probatæ omnes nostrę positiones: Concludentes, tàm ad actum priorem intellectus, quo iudicat, Mysteria reuelata esse fide digna, quo actu proponuntur etiam eademmet Mysteria voluntati, quem solent etiam appellare aliqui Doctores, Dictamen quoddam practicum, quo intellectus dictat voluntati: *Deus est; Deus est Trinus, & Vnus; est à te super omnia diligendus propter se ipsum, &c.* Item, ad ipsum actũ voluntatis dicitur pia affectio; & tandem ad posteriorem actum intellectus, quo fide Christiana, & vera, assentitur ipsis Mysterijs, necessarium esse Auxilium Gratiæ per Christum; & oppositum esse errorem Pelagij. Arist.

§. X.

Obiectio. Solutio. 30 Dices: ergo Doctores Catholici, citati per contraria sententia, cēsendi etiam sunt Hæretici: Respondeo, nequaquam ita sentiendum esse de tam insignibus Theologis; sed, vt intelligatur, quid docuerint in citatis locis; est summoperè notandum; quod omnes nostræ conclusiones procedunt de fide Diuina supernaturali; & tandem, de ea fide, qua homo satisfacit præcepto Ecclesiæ; & de hac fide, concludunt Concilia, & Patres. Præter quam fidem, datur etiam & fides humana; siue naturaliter acquisita; & hęc est præcipua (inter alias) differentia, inter vtramq; fidem; quod fides Diuina innititur authoritati Diuinæ, & testimonio omni fide dignissimo; cum sit ipsamet prima veritas; iuxta illud 1. Iac. 3. *Si testimonium hominum accipimus; testimonium Dei maius est*; & rursus: *qui credit, habet testimonium Dei in se.*; & ideo, fides Diuina est omninò infallibilis: & credere, fide Diuina, nihil aliud est, quàm credere firmo, & certo assensu, propter Diuinam authoritatem; & quia veritas prima ita reuelauit: in quo consistit ratio formalis fidei Diuinæ; vt dicitur in materia de fide 2. 2. Quarè, Fides Diuina est omninò supernaturalis; nō solum, ratione obiecti materialis; nempè, rerum credibilium, & Mysteriorum, quæ credenda proponuntur nobis à Deo per Ecclesiam; quæ quidem supernaturalia sunt: sed etiam, ex parte rationis formalis, quæ est supernaturalis; nempè, ipsa Diuina authoritas, & prima veritas, &c.

Not.

Differentia inter fidē Diuinā, & humanam.

D. Iacob.

31 At verò, Fides humana innititur authoritati humanæ, & humanæ persuasioni: & sic, credere secundum hanc fidē, est, assentiri, assēsu opinatiuo, & incerto. Exemplum vtriusq; fidei. *Deum esse Trinum, & vnum*, credunt Catholici, & Hæretici: diuersa tamen fide; nam Catholicus huic articulo credit, quia Deus reuelauit, & proponit per Ecclesiam suam, ita credendum; & sic, credit infallibiliter, ita esse; nec aliter posse se habere; cum prima veritas non possit mentiri. Hæreticus autem credit, propter testimonium humanum: quia. s. videt multos homines, etiam doctissimos, ita credere, & ipse credit. Huic tamen fidei potest subesse falsum, ratione testimonij, quod non est infallibile, & omni fide dignum; & ita potest mentiri.

§. XI.

32 Hoc supposito, dico quartò: Ad credendum, fide humana, articulis, etiam supernaturalibus, non indigemus Auxilio aliquo supernaturali: sed sufficit, ad priores assensus, ipse intellectus; & quia, ex frequentatis actibus generatur, & acquiritur postea habitus, cōsimilis illis; qui dicitur habitus fidei acquisitæ, & humanæ; cum hoc habitu, facilius, & promptius intellectus, absq; aliquo alio dono supernaturali, ipsi superaddito, credet. Hæc conclusio etiam certissima est; & iuxta tenorem huius conclusionis sunt à nobis piè interpretandi supra citati Doctores; cum .n. docent, posse hominem, proprijs viribus, cognoscere supernaturalia Mysteria, illisque assentiri; intelligendi sunt, quantum ad substantiam ipsorum Mysteriorum, (vt asserit Caiet. 1. 2. q. 109. art. 4.) non autem, quantum ad modum, siue rationem formalē: possumus namq; credere illis mysterijs, naturaliter; sed non, quatenus reuelata sunt à prima veritate; sed potius, quatenus confirmata sunt, seu testificata ab humano testimonio; qui modus, cum naturalis sit, & non excedat captum potentiæ naturalis; poterit vtiq; attingi ab ipsa potentia: non autem dicetur fides supernaturalis; etiam si tendat ad supernaturalia obiecta; nam actus non specificatur ab obiecto materiali: sed à ratione formali, & à modo tendēdi ad obiectum materiale. 4. conclusio.

Caiet.

33 Quod autem ita sentiat Scot. præsertim; colligitur euidenter à loc. cit. vbi *§. Contra: quia hic, &c.* & *§. ad quæstionē, &c.* distinguit actus fidei infusę, & acquisitę, ex parte principiorum, à quibus procedunt: dicens, illum procedere ab auxilio Dei; hunc verò, ab humano testimonio; vel ratione; eadem distinctio fidei infusæ, & acquisitæ reperitur apud Riccard. Scot. sequitur etiam in hoc Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. art. 3. dub. 1. benè verum est, quod Duran. non ita clarè potest interpretari, de hac fide, fuisse loquutus: tamen ita credendum est: cum oppositum sit Pelagianum.

Scot.

Riccar. Gab. Dur.

34 Hanc nostram positionē probant ferè omnia argumēta superius adducta, pro contraria sententia; præsertim, primum, tertium, & quartum, vt ex eorum solutione patebit. Sed aduertite, quod, adhuc, ad fidem humanam: (quando .s. homo credit Mysterijs nostræ fidei, quia videt

videt homines Christianos omnes ita credere, persuasum habens, id falsum esse non posse, quod tanta communitas firmiter tenet, totq; sæculis tenuit;) censeo, requiri etiam peculiare Auxilium Gratiæ Christi; licet, non supernaturalis ordinis: sed naturalis; (vt ex his, quæ dicam in subsequentibus, clarius patebit.) Et ratio, pro nunc breuis, ac facilis esse potest, quia; vel qui sic credit, male facit, & peccat: vel benè moraliter facit: absurdum esset dicere, peccare eum, qui sic credit; cum hæc fides facilè disponat ad Diuinam, & supernaturalem; facilius enim credit Mysterijs reuelatis, fide Diuina, qui iam, eisdem, fide humana credit; quã qui nullo modo credit: ergo dicendum est, quod benè moraliter faciat: sed, quæstione sequenti dicam, ad quodlibet bonum opus morale requiri Auxiliũ Gratiæ per Christum, & si, non supernaturale; naturale: ergo & ad sic credendum requiritur etiam idem auxilium, ordinis naturalis, ad minus.

CAPVT IV.

Satisfit rationibus in contrarium adductis. c.2.

§. I.

Ad 1. respondetur. 1 RESTAT modo satisfacere argumentis supra positis; & primò. Ad primum respondeo, glosando illud antecedens. *Illud omne possumus, natura viribus, cognoscere, &c. ad quod intellectus habet sufficiens motiuum*: eo modo; quo habet tale motiuum, concedo: ita vt, si motiuum sit humanum, & naturale; possumus cognoscere, & assentiri, fide humana, & naturali: si motiuum sit supernaturale & Diuinum; possumus assentiri, fide Diuina, & supernaturali. ad min. *sed ad cognoscenda obiecta supernaturalia habet intellectus sufficientiora motiua, &c.* Dist. supernaturalia (ex se loquendo) neg. naturalia, & humana; transeat mi. *ergo potest, suis viribus, illis veritatibus assentiri*: fide Diuina; negatur; fide acquisita; & humana, conc. Ad prob. mi. respõdeo, quod tantum probat de motiuis humanis. Et sic illi, qui credebant, eo quod eorum iudicia miraculis Christi conuincebantur; si non habebant supernaturale auxilium, & Diuinam illustrationem, qua infallibiliter crederent, illum esse verum Deum, à quo tot miracula fiebant; sed tantum habebãt probabilem opinionem; non credebant Christiana, seu, Diuina fide. Et idẽ dico de his, qui credunt, eo quod vident parentes credere, &c.

2 Ad illud, verò, de Dæmonibus, de quibus etiam Iacobi c.2. dicitur, *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Respõdeo, quod, cum Dæmones non potuerint habere certam, & euidentem cognitionem dicti Mysterij Incarnationis (vt dicitur in materia de Angelis, & etiam solet hoc idẽ disputari 3.p.q.1.art.1. vbi inter alios hoc docet Aluarez) sicuti, nec de reliquis Mysterijs Gratiæ (quicquid Scot. dicat, cuius sententia ab omnibus refellitur;) licet Deus illis, ab initio, verbi Incarnationem, quantum ad substantiam, reuelauerit; non verò, quantum ad circumstantias; nunquam pro certo habuerunt, Christum, quem hominem in terris conuersari cum hominibus videbant, esse verum Deum, verumq; hominem. Tentabant nihilominus illum cognoscere ab effectibus; & huc certè tendebant Dæmonis tentationes in deserto. Quare conuicti miraculis Christi, innitentes, tamen, proprio iudicio, quo, ex tot signis, & prodigijs, iudicabant, illum non esse purum hominem; credebant, aliqualiter, illum esse Deum: non tamen infallibiliter, & certo; sed probabiliter; & sic, exclamabãt. *Iesu Fili Dei viui, &c.* Quo pacto dicitur etiam, Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*; quia, conuicti vi, & efficacia miraculorum, non possunt non assentiri his, quæ à Deo fiunt, & dicuntur: tamen ille assensus extorquetur ab illis per violentiam; & non est assensus fidei Diuinæ. Ita etiam dicimus de Hæreticis; nempè, eos non credere articulis, quibus credunt, fide Diuina: sed humana; vel inhærentes proprio iudicio: non verò Diuinæ reuelationi. Nam, si crederent hoc secundo modo; non solum aliquibus articulis crederent; sed omnibus: nam omnium eadem omninò est ratio formalis; nimirum, Diuina veritas: quarè non tantum actus credendi non est in illis vera fides; sed etiam exterior fidei confessio non est actus imperatus à vera fide: sed tantum ab humana credulitate. Et ita, si quis eorum sustineret mortem propter Confessionem aliquorum articulorum, quæ ab huiusmodi fide proficiscerentur, neq; esset verè Martyr, neque illa perpes- D. Iacob. Quomodo Dæmones credunt, & cõtremiscãt.

sio

sio mortis quicquam ei conferret ad salutem.

§. II.

Ad 2. 3 AD secundum neg.seq. *Quamuis .n.* quispiam experiatur in se, quod credit supernaturalibus Mysterijs; non tamen experitur;ac proindè, neque clarè cognoscit, an credat Christiana fide, qua impletur præceptum credendi; vel potius fide humana? & ita non clarè cognoscit, an habeat supernaturale Auxilium, quod ad Christianam fidem necessarium est. Vel possemus(vt arbitror) respondere, non esse inconueniens fateri, posse euidenter nos cognoscere, esse in nobis auxilium, & adiutorium Christi.

2. solutio. Id, quod dicunt Concilia, & Patres, est; nos non posse cognoscere in nobis esse habitum Gratiæ,& Charitatis. *Nescit .n. homo,an odio,vel amore dignus sit.* Ast, de Gratijs gratis datis, quæ consistunt in actu, præsertim,non negant.

Ad 3. 4 Ad tertium respondeo, quod probat de fide humana;non verò de Diuina.

Ad 4. 5 Ad quartum respondeo, quod, etiam si totum concedamus nil contra nos sequitur; nam ille,qui Mysteria fidei cognosceret;& illis assentiret,ductus illa ratione, non haberet circa eam actum fidei: sed, si cognosceret euidenter antecedens, haberet scientiam conclusionis; si vero tantum probabiliter,haberet opinionem illius,& nullo modo fidem, quæ non innititur discursui, aut rationi: sed immediatè solum innititur authoritati, & testimonio. *Quia* tamen falsum est antecedens,ideo negandum est. Et ad primam prob. Respondeo,quod non sequitur ex eo, quod Mysteria supernaturalia sint euidenter credibilia, quod sint euidēter possibilia. Et ratio esse potest;quia res non habet ab vno, eodemq; principio, quod sit credibilis, & quod sit possibilis; nam, quod sit possibilis, habet ex natura sua, intrinsecè, & ex causis proprijs eiusdem rei: Ast,quod sit credibilis, habet extrinsecè, ex testimonio fide digno, .s. quia innititur tali testimonio:vnde multa falsa solent esse credibiliora, & probabiliora veris,(vt docet

Arist. Arist. 1.Topic.)

Nota hanc solutionem. 6 Quando verò arguitur: hæc consequentia optima est: *hoc est euidenter impossibile; ergò est euidenter incredibile*; ergo optima erit etiam consequentia, ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis,sic: *hoc est euidenter credibile; ergò est euidenter possibile.* Respondeo negando hanc secundam consequentiam, licet prima optima sit;sed,in assignando rationem huius negationis, est difficultas;cum modus argumētandi non videatur malus; Attamen dico primo, falsitatem consistere in hoc, quod prima consequentia procedit à tota copulatiua ad alteram eius partem; ac proindè legitima est. Idem.n.est dicere:*hoc est euidenter impossibile,ergo est euidenter incredibile*;ac si dicamus: hoc,in se,repugnat:& habet manifestas rationes suæ repugnantiæ; ergo habet rationes apertas, quarè illi non sit credendum. Secunda verò cōsequentia est; veluti, ab aliqua parte copulatiuæ ad totam copulatiuam: nam idem est dicere: *hoc est euidenter credibile; ergo euidenter possibile*: ac dicere: hoc habet manifestas rationes, quarè sit illi credendum; ergo habet apertas rationes suæ possibilitatis, quod patet non rectè sequi: constat .n., quod,si de aliquo impossibili multi testes, & fide digni assererent,esse verum; illud esset adeò credibile,vt indisciplinatus haberetur is,qui eis fidem non adhiberet: multa ergo impossibilia aliquando sunt credibiliora, & probabiliora possibilibus, & veris; vt optimè docent communiter Doctores, & præsertim Bann. 2.2.q.1.art.4.ad 5.& Bannes. Aluar.

Aluar.3.p.q.1.art.1.disp.1.ad 5.etiam.

7 Sed adhibet aliam rationē Aluar. Nota ex Aluar.

loc.cit.dicens; illam consequentiam non tenere;quia non est ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis,cum vtraq; propositio sit affirmatiua; quarè, vt argumentum fiat ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis huius consequentiæ,*hoc est euidenter impossibile;ergo est euidenter incredibile*; debet sic formari. *Hoc non est euidenter incredibile,ergo non est euidenter impossibile*; quod verissimum est: quæ solutio mihi valdè placet.non.n.rectè sequitur:*non est euidenter impossibile, ergo est euidenter possibile*, nam inter euidenter possibile,& euidenter impossibile datur medium; nempè, non euidenter impossibile: sed probabiliter; sicuti non valeret consequentia,si diceremus. non est necessariò album;ergo est necessariò nigrum,vel nō album; nam vtraq; proportio potest esse falsa,in homine, v.g.qui neq; est necessariò albus,neq; necessario niger; sed contingenter est albus, vel non necessariò.

8 Di-

Obiectio. 8 Dices tamen Mysteria fidei non est euidens, esse impossibilia; ergo est euidens, esse non impossibilia; & ex consequenti, euidens est, esse possibilia: Patet consequentia prima, in qua est difficultas; à negatiua ad affirmatiuam; variato prædicato, penes finitum, & infinitum. Hanc replicam ponit Bann. loc. cit. Cui optimè ipsemet respondet; esse euidens sofisma; nec procedere per locum prædictum, à negatiua ad affirmatiuam, variato prædicato, vt oportet, penes finitum, & infinitum; etenim prædicatum negatiuæ, est totum illud, *euidens, esse impossibilia*; vndè, vt ex hoc loco procedat argumentum, totum illud debet infinitari in consequenti, hoc pacto; ergò *Mysteria fidei est non euidens esse impossibilia*. Vndè infert hic Doctor, non esse inconueniés, quod, ex duabus contradictorijs propositionibus, neutra sit euidens; vnde, non est euidens, esse possibilia Mysteria fidei; nec est euidens, non esse possibilia. (Bannes. Responsio.)

§. III.

9 AD id autem, quod adducitur ex D. Tho. respondeo; eo loco tantum docere Sanctum Doctorem; posse nos defendere Mysteria fidei nostræ aduersus impugnantes ea, soluendo eorum argumenta; & ostendendo probabiliter defectus eorum; & hoc, supposita fide. Vnde non colligitur, quod ostendatur euidéter possibilitas Mysteriorum fidei: nam ad soluendum argumenta contra possibilitatem eorum, sufficit respondere ex probabilibus, vel apparentibus, vel ex ijs, quæ non apparent esse falsa; licet non cognoscantur euidenter esse vera; vt docuit Caiet. p. 1. q. 1. at. 8. circa tertiam cóclusioné, quem sequitur Illustrissimus Aluar. loc. supra cit. ad secundum; vt si, propositis argumentis respondeamus, recurrendo ad Omnipotentiam Dei; & dicamus, quod licet, attendendo ad sola principia naturæ, videantur Mysteria nostræ fidei impossibilia; vt vnio Humanitatis, & Diuinitatis in eodem supposito, v.g. respectu tamen omnipotentiæ Diuinæ, non sunt impossibilia. Cæterum, ad cognoscendum euidenter, Mysteria fidei esse possibilia; requiritur, quod à priori, per propriam causam; vel à posteriori, per aliquem eius effectum, euidenter cognitum, talis possibilitas cognoscatur: quod tamen, solo lumine naturæ, euidéter cognosci non potest, ita Aluar. cit. lo. (Caiet. Aluar.)

10 Sed obijcies, adhuc, cótra tertiam conclusionem; quando aliquis, per solas naturæ vires, cognoscit euidenter veritatem maioris, & minoris alicuius syllogismi; & etiam euidenter illationem; per solas etiam naturę vires, cognoscit conclusionem; vnde poterit illi assentire; sed ponamus hunc syllogismum in *Darij: omne reuelatum à Deo est verum: hæc Mysteria fidei sunt reuelata à Deo; ergo sunt vera*: maior cognoscitur ita euidenter, sicut, quod Deus non possit mentiri, aut attestari falsum; cum sit prima veritas. Minor etiam euidenter cognoscebatur ab illis, qui videbant miracula, quæ Christus faciebat in attestatione suæ diuinitatis, de quibus ait D. Tho. 2. 2. q. 5. ar. 2. quod cognoscebant illa signa fieri à Christo, dicente, se Deum verum esse, & 3. p. q. 47. ar. 5. ait; quod maiores Iudęorum habuerunt aperta signa Diuinitatis Christi; vel, saltem, supremus Angelus habuit euidétiam illius minoris; nam videbat se supremum esse inter omnes creaturas; & statimatq; conditus fuit, habuisse reuelationem Mysteriorum fidei; & alias, notũ sibi euidenter erat, ea sibi fuisse reuelata à Deo; siquidem Angelus non potest illuminari ab inferiori, benè verum, à superiori, (vt dicitur in 1. p. in materia de Angelis;) & is erat omnibus alijs superior; & supra se, Deum tantum habebat Creatorem; vndè, à solo Deo poterat illuminari, & accipere illam reuelationé: ergo habebat euidentem notitiam de illa minori; nimirum; (*sed hæc Mysteria sunt reuelata à Deo*) ergo etiam, viribus proprijs, poterant hi omnes, vel saltem primus Angelus; euidenter cognoscere conclusionem necessariò illatam ex præmissis; nimirum: ergo *Mysteria fidei sunt vera*; & consequenter, proprijs etiám viribus, absq; alio Auxilio Gratiæ supernaturali, poterat illis assentire. (Obiectio cótra 3. cócl.) (D. Th.)

§. IV.

11 AD hoc argumẽtum valdè importunum variè solet responderi in materia de Fide 2. 2. præsertim q. 5. art. 1. quod est Durand. in 3. dist. 23. q. 9. ex quo mouetur ad asserendum, in Angelo non fuisse fidem, ante cófirmationem: etiam si fuerit in Gratia creatus; & affirmat, meritum Angelorum fuisse per actum Obedientiæ, non per actum Fidei; sed quia non spectat ad hunc locum hoc ex professo discutere; ideo, pro nunc, stemus responsioni Caiet. in expositione illius art. 1. D. Th. quam etiam annuit q. 1. ar. 4. (Dur.) (Caiet.)

&

& q. 171. art. 5. eiusdem 2. 2. Cuius doctrina licet non probetur Patri Bannes, illo art. 1. dub. vnico *§. Secunda sententia est Caietani*: nihilominus; quia facilis, pro nunc, non displiceat. Doctrina autem Caietani consistit in tribus dictis.

Solutio Caiet. Nota hanc Caiet. doctrinam.

12 Primum est; quod Angelus, Apostoli, Adam, & Prophetæ habuerunt quidem fidem, quatenus cognouerunt, quod *Deus*; v. g. *est trinus, & vnus, & supernaturaliter beatificans*: ænigmatica quadã, & obscura cognitione: non autem per rationes proprias, secundum quod in se est. Secundum est, prædictos fideles, omnium articulorum fidei euidentem cognitionem habuisse; non solum quantum ad rationem communem credibilis: (diximus. n. ex D. Th. articulos fidei esse euidenter credibiles; vnde Psal. 92. dicitur, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; .i. euidenter credibilia facta sunt; vt bene explicat hunc versum Aluar. 3. p. q. 1. ar. 1. disp. 1. ad 5.) sed etiam, quantum ad peculiarem ratione veri, in testificante Deo; quatenus euidenter cognoscebant, quod Deus testabatur, & reuelabat fidei articulos. Tertium est; hanc esse differentiam inter nos, & Angelos, siuè Adã, siuè Prophetas, siuè Apostolos; quod nos, quidem, obscurè cognoscimus, & credimus, non solum veritates ipsas reuelatas: sed etiam medium reuelationis; videlicet, primam veritatem, vt reuelantem; at illi crediderunt, per fidem, veritates reuelatas: habuerunt tamen euidentiam de medio huius reuelationis; .s. de Deo, vt reuelante. Ita fideliter hanc Caiet. doctrinam ponit Bann. vbi supra.

D. Th.

Aluar.

§. V.

13 Qua posita, facilis est solutio ad argumentum in via Caiet. Dicimus. n., quod, & si Angelus, & reliqui, qui ponuntur in argumento, potuerint habere euidẽtem notitiam illius maioris, & minoris, & etiam conclusionis; non exindè concedendum est, quod qui per illam consequentiam nouerunt supernaturalia Mysteria, cognouerint euidenter illa in se ipsis; nam licet principijs illius euidentis consequentiæ euidẽter præbuissent assensum; non tamen euidenter potuerunt cognoscere conclusionem, secundum quamcunq; rationem: sed ea solum ratione, qua sequitur ex præmissis: nimirum; quod supernaturalia Mysteria, prout testificata ab eo, qui mẽtiri non poterat, erant vera; & hæc cognitio, præcisè, & absolutè sumpta, non pertinet ad actum aliquem Diuinæ fidei; sed potius ad actum scientiæ naturalis, qui proprijs viribus, poterat elici ab Angelo, & à reliquis in argumento positis: attamen de ipsis mysterijs, secundum se sumptis, & secundum proprias rationes, tantum habuerunt cognitionem obscuram. *Quare* ad assentiendum illis, vt sic, in quo consistebat actus Diuinæ fidei, (ait Caiet.) necessariò requirebatur Auxilium Gratiæ per Christum; quo autem modo cum euidẽtia Mysteriorum supernaturalium in testificante possit haberi obscura fides illorum in se ipsis, aut secundum proprias rationes, videatur apud Caiet. 2. 2. q. 5. ar. 1.

14 Sed adhuc posset quis, contra eandẽ conclusionem iterum obijcere: Vnus, & idem assensus potest esse verus, & falsus; fidelis, & hæreticus; vt assensus huius propositionis. *Verbum Dei incarnatum est*. continuatus per illam horam, in cuius medietate filius Dei assumpsit humanã carnem: tũc sic; in prima medietate illius horę, erat falsus; & in secunda medietate, verus; ergo si intellectus noster, pro prima medietate, potuit continuare illum assensum, cum solo generali concursu, quando ille assensus erat falsus; poterat; etiam, nihilo de nouo sibi superaddito, pro secunda medietate, cõtinuare illum; & tunc erit assensus verus, & catholicus, pertinens ad Catholicam, & Diuinam fidem. ergo proprijs viribus, &c.

Iterum obijcitur contra eadẽ 3. cõcl.

15 Respondetur; quod facta suppositione, quod eodem modo intellectus cõtinuasset assẽsum, circa illam propositionem, per secundam medietatem, ac per primam; sicuti innitebatur assensus ille, in prima medietate horæ, proprio iudicio, vel alicui authoritati humanæ, (non .n. poterat inniti, tunc authoritati Diuinæ; cum Diuina veritas non reuelabat, tunc iam factum Mysterium, sed faciendum.) ita, ex eodem medio, in secunda medietate procedebat assensus ille; & sic non erat actus fidei Diuinæ, sed humanę; secus verò, si in secunda medietate, viso errore assensus præteriti, ex alio medio elicuisset alium assensum; nempè, quod antea deceptus, vel ab humano testimonio, vel à proprio iudicio, cum debuisset credere futurum Mysterium, crediderat tamen iam factum; siquidem in illa medietate factum erat, & non antea: quia sic Deus per Ecclesiam fidelibus reuelauerat: in eo casu, necessariò requirebatur auxilium supernaturale; & hæc de hac disputatione.

Resp.

DI-

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum homo absquè peculiari iuuamine per Christum possit velle, vel facere aliquod bonum morale?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit morale, & moralitas?

§. I.

Triplex bonitas in Ente potest considerari.

1  Riplex Bonitas, in Ente, considerari potest; *purè naturalis*; quo pacto, leuare festucam, pergere ad campum, &c. dicuntur opera, bona quidem: sed, purè naturaliter bona; hoc est, secundum entitatē. Secunda bonitas dicitur, *naturalis moralis*; qua bonitate dicitur bonum illud opus, quod consentaneum est rectæ rationi, & habet debitum finem, & ceteras circumstantias, quę requiruntur ad rectitudinē alicuius operis; vt, elargitio eleemosynæ, ad sublenandam pauperis inopiam, &c. Tertia Bonitas est, *supernaturalis*; & est illa, qua aliqua operatio talis dicitur; vel quia procedit ab habitu supernaturali; vel quia disponit ad infusionem ipsius; sic dicuntur supernaturales, actus Fidei, Spei, Charitatis, &c. Nos in præsenti disputamus de bono naturali morali, quod mediat, inter bonum purè naturale, & supernaturale.

Quid Mos, & quotupliciter vsurpetur. Cic. Sot. Isid.

2 Vbi adnotandum est, quod *Morale* dicitur, (vt inquit Cicero lib. de fato,) quod ad mores pertinet. *Mos* autem tripliciter vsurpari solet (vt notat Sot. lib. de iust. & iur. q. 7.) primo, pro assuetudine, & frequentia actuum humanorum; in qua significatione definiuit *Morem* d. Isidor. lib. 5. originum; (& refertur in Decret. dist. 1.) quæ est consuetudo à moribus protracta; hoc est, ab actibus humanis; (vt dicam in tertia acceptione.) Secundo sumitur *Mos*, pro inclinatione habituali, ex assuetudine, ex frequentia ipsorum actuum humanorum acquisita, (vt docuit D. Th. p. 2. q. 15. ar. 1. in corpore, & in 3. dist. 23. q. 1. art. 4. & q. 2. in corpore dist. 33. & q. 1. ar. 2. quæstiuncula 3. ad 4. & de virtutib. q. 1. art. 10. ad 18. & 2. Ethic. com. 1. in fi.) iuxta quam acceptionem, diffiniuit Varro *Morem*, dicens; esse vitæ institutum, consuetudine firmatum. Tertiò modo extenditur *Mos* ad significandum ipsum actum humanum, ex assuetudine, aut inclinatione (vt docuit D. Th. in 3. dist. 23. q. 1. ar. 4. quæstiuncula 2. in corpore,) in qua acceptione, vsus est nomine *Moris* D. Isidor. in 2. p. diffinitionis supra adductę: & Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. vt exponit D. Th. in 4. d. 33. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. ad 2.

D. Th.

Varro. D. Th. Isidor. Aug.

3 Et licet (quantum attinet ad nominis ethymologiam) *Mos*, à quo *Morale* dicitur, proprius dicatur, de inclinatione acquisita, & assuetudine agendi, quam de ipsis actibus: res tamen significata per hoc nomen, *Morale*, quæ est (*Moralitas*) proprius reperitur in ipsis actibus: nam illis conuenit formaliter: siquidem ipsi tantum sunt formaliter boni, vel mali; meritorij, aut demeritorij: habitus verò virtutum, & vitiorum solū sunt causaliter Morales, boni, aut mali, & hinc est, quod hoc nomen (*Morale*) analogicè dicatur de actibus, obiectis, circūstantijs, habitibus, legibus, & alijs, quæ ad mores pertinēt; quia eius ratio repetitur, formaliter, solū in actu humano: in alijs vero, diuersimodè, & per attributionem ad ipsum; sicut sanum in Animali, Vrina, Medicina, &c.

Actui formaliter, & magis proprie conuenit esse morale.

4 Actus autem humani sunt in triplici differentia: quidam, n. sunt, purè eliciti à voluntate; quidam, purè imperati; & quidam, partim eliciti, & partim imperati. Actus humani tantum eliciti à voluntate, sunt illi, quos ipsa voluntas immediatè exercet, nō applicata per alium actum à se elicitum; vt sunt actus primi Amoris, Odij, &c. actus tantum imperati, sunt omnes actus aliarum potentiarum, siuè internarum, siuè externarum; qui, ex imperio voluntatis, exercētur; vt scribe-

Actus humani alij purè eliciti à voluntate: alij purè imperati: alij partim imperati, & partim eliciti.

re, loqui videre, intelligere, &c. actus, tandem, mixti, sunt illi, quos ipsa voluntas exercet, vt applicata per alium actū suum antecedentem, purè elicitum; vt quando voluntas, vno actu, vult exercere actum amoris Dei, v.g., & deindè, alio actu, amat Deum; tunc, ille actus secundus amoris Dei, est simul elicitus, & imperatus à voluntate. Elicitus, quidem, quia exercetur immediatè ab ipsa voluntate, & non mediante alia potentia; imperatus verò, quia exercetur à voluntate, vt applicata, ex vi alterius actus prioris; omnes hi actus dicuntur morales.

5 Moralitas ergò, *quæ* in actibus humanis reperitur; non est ipsamet entitas naturalis, & phisica ipsorum actuum humanorum; neq; aliquid, ad ipsos essentialiter pertinens; sed est aliquid accidentale, superadditum ipsis: ratio est, quia idem actus, etiam numero, in esse naturali, & phisico; tàm internus, quàm externus; potest transire ab vna moralitate in aliam; .s. à Bonitate in Malitiam; salua, & integra manente entitate phisica ipsius actus; ergo est quid accidentale, illi superadditum: hoc.n. propriū est accidentium, (vt docuit Porph. c. de accidenti.) posse adesse, & abesse, præter subiecti corruptionem, &c. antecedens euidens est. Nam, eademmet volitio comedendi carnes fer.5. est bona: incipit autem esse mala, moraliter, fer.6. ratione præcepti prohibentis; & eademmet volitio dandi eleemosynam ad subleuādam pauperis inopiam, quæ bona moraliter est: si tamen accedat vanagloria, vel aliqua alia circunstantia mala, incipit esse mala moraliter.

Moralitas est quid accidētale superadditum actui.

Porphyr.

§. II.

Quid sit illud superadditum.

6 QVid autem sit hoc superadditū entitati naturali actus, ratione cuius transfertur, à genere naturæ, ad genus moris? non omnes, eodem modo, philosophantur.

1. sententia.

7 Quidam.n. docent, moralitatem esse extrinsecam denominationem, ab ipsa voluntatis libertate; à qua, tanquam à forma, denominatur actus, moralis; ita vt, actum esse moralem, nil aliud sit ab ipso actu; quàm, exercitum fuisse à volūtate, Ita Durand. in 2. dist.38. q.1. nu.56. Scot. dist.40. q. vnica §. *De secundo dico*. Enric. quodl.13. q.10. proximè ante solutiones argumentorum. Conrada p.2. q.18. art.1. Valto. 2. disp.2. q.13. punct.1.

Dur. Scot. Enric.

Conrad.

Vasq. verò dicit p.2. disp.73. c.9. esse denominationem extrinsecam; sumptam tamen à regula rationis, tanquam à forma. *Quam* regulabilitatem, dicit, esse ens rationis, disp.95. cap.10. Salas verò 1.2. q.18. ar.1. tract.7. disp.1. sect.1. n.7. & sect.2. nu.16. & sequentibus, vtrumq; complectens, duas moralitates distinguit in actibus humanis. Alteram, quam vocat, *primariam*; & dicit consistere in hoc, quod est, actum procedere à voluntate libera: hoc tamen, dicit, inuoluere denominationem intrinsecam in ipso actu: alteram verò, quam vocat, *secundariam*, docet cōsistere in regulabilitate per rationem; & esse denominationem extrinsecam. Alij tandem docent, consistere in modo quodam reali respectiuo alicuius extrinseci, distincti à subiecto; *distincti* (inquiunt) *à subiecto*: quia certum est, nullum accidēs esse absolutum à subiecto; sed omnia dicere respectum ad illud. Ita Zumel. 1.2. q.71. ar.6. disp.1. Franciscus Herrera in 2. sententiarum Scoti dist.40. disp.28. q.3. concl.2. & alij; quod est contra Caiet. p.2. q.45. art.3. circa finem, in prima solutione ad quoddam argumētum Duran. vbi ait; *Moralitatem, saltem in actibus elicitis, esse rationem formalem, realem, absolutam, superadditam entitati naturali actus, per modum formæ, & qualitatis absolutæ*. At verò Zumel loco cit. concl.1. dicit, modum illum respectiuum, esse respectum, quem dicit actus humanus ad suum principium efficiens morale; .s. ad voluntatem, vt subiectam regulis motū: vbi alij fatemur, potius esse ordinem ad obiectum regulabile per rationem, aut legem. Aegid. tandem in 2. dist.40. q.2. ar.3. dicit, moralitatem essentialiter consistere in intentione finis.

Quid Vasq. sentiat.

Quid Salas.

Quid alij.

Zumel.
Herrera.

Caiet.

Quid Aegid.

8 Illud tamen verum est; quod ad hoc, vt actus aliquis dicatur Moralis, requiritur, quod sit liber; saltim, quoad exercitium: ita communiter omnes Catholici: dixi, *(quod sit liber, saltim, quoad exercitium)* quia stat, actum esse necessarium, quoad specificationem, & esse bonum; ex eo solum, quod est liber, quo ad exercitium; vt operationes Christi Domini; & actus, quo homo appetit suā Beatitudinem in communi. Ratio huius est; quia omnis actus moralis, aut est bonus, aut malus; meritorius, aut demeritorius; sed ad meritum, aut demeritum requiritur libertas, vt conditio necessaria; cum, in naturalibus, nec mereamur, nec demereamur; ergo etiam ad moralitatē.

Ma.

Ma. patet; quia nullus actus moralis, in indiuiduo, est indifferens: sed vel est determinatè bonus, vel malus, (vt breuiter, post pauca, dicam;) consequentia probatur; quia non potest dari gradus genericus, à parte rei existens, sine gradu specifico; & non est dabilis tertia species moralitatis, præter bonitatem, & malitiam.

§. III.

Luter. Caluin. Bellarm. Val. 9 HOc est contra Lutherum, Caluinum, & alios Hæreticos, quos referunt, & refutant Bellarm. lib. 3. de amiss. gratiæ c. 4. & 5. & Val. p. 2. disp. 6. q. 4. punct. 2. qui affirmabant, motus sensualitatis non liberos, etiam in pueris, vsu rationis carentibus, esse contra legem Dei, & peccata, propriè, & formaliter. Quem errorem damnat Trident. sess. 5. circa finem decreti de peccato originali; definiens, concupiscentiam non nocere eis, qui non consentiunt: vbi non est sermo de concupiscētia, solum, in actu primo; i. de deprauatione naturæ; sed etiam de concupiscentia, in actu secundo; i. de motu illo, qui à tali concupiscentia oritur; cuius ratio est; quia loquitur Concilium de ea, quatenus possumus ei resistere, aut consentire; & quatenus relicta est ad agonem, & pugnam: constat autem, ante talem motus, à concupiscentia profectos, non habere locum certamen, neq; consensum, aut dissensum.

Trid damnat hęresim asserentium motus sensualitatis non liberos esse peccata.

Hæreticorū euasio. 10 Dices tamen pro Hæreticis; hos motus verè esse peccata; non tamen imputari ad pęnam; quia pęna solum debetur his, qui liberè peccant; cum nemo puniatur iustè propter id, quod euitare non potest: & ita, libertatem solum esse conditionem requisitam, ad hoc, vt actus imputetur ad præmium, vel pęnam: non verò ad hoc, vt sit bonus, vel malus moraliter; & hoc solum definiri à Concilio.

Impugnatur 1. 11 Sed contra hoc est; quia nullum est peccatum, quod non sit voluntarium, & liberum; vnde Augustini extat illud ægregium dictum: *Tolle voluntatem, & nō erit peccatum*; quod etiam ex Scriptura sacra; & alijs Patribus latè demonstrāt Auth. cit. Secundò, qa, ex Scriptura sacra, pœna debetur propriè malefactoribus; sed, qui verè, & formaliter peccant, sunt malefactores; ergo omnibus, verè, & formaliter peccantibus debetur pęna: min. probatur; quia, quod propriè, & formaliter est peccatum; propriè, & formaliter est malè factum; ergo propriè, & formaliter constituit malefacientem.

Aug.

2. impugnatur.

Obiectio 1. D. Th. D. Matt. 12 Sed obijcies. In Brutis reperitur actus moralis; & tamen in eis non est libertas; ergo, &c. ma. probatur, quia in eis reperitur mos; vt dicit D. Tho. 1. 2. q. 58. art. 1. ex 2. Matth. 11. vbi dicitur, *Maccabaos, more Leonum irruisse in hostes, & eos vicisse*. Respondetur neg. ma. nam inclinationes naturales Brutorum non sunt propriè mores: mos .n. (vt docet D. Th. in corp. ar. cit.) significat quandam inclinationem naturalem; vel quasi naturalem ad aliquid agendum; cui significationi moris propinqua est alia significatio, quæ significat consuetudinem: nam consuetudo quodammodo vertitur in naturam, & facit inclinationem similem naturali; manifestum est autem, quod inclinatio ad actum propriè conuenit appetitiuæ potentiæ; nempè, voluntati; cuius est, mouere omnes potentias ad agēdum; vt docuerat idem Sanctus Doctor supra q. 9. art. 1. vnde concludit, solum illam virtutem dici moralem, quæ est in vi appetitiua; quod si dicit, *In Brutis etiam reperiri mores*; sunt notanda verba, quibus hoc explicat; nimirum: *(vnde, & etiā Brutorum Animalium dicuntur aliqui mores, &c.)* vbi, non asserit, esse mores in Brutis, sed dici mores, potius per metaphoram, quàm per proprietatem; cum in Brutis non sit vis appetitiua: & sic, cum dicitur, *Maccabaos more Leonum, &c.* idem est, ac; *sicut Leones.*

Respousio. Inclinatio naturalis Brutorum non dicitur Mos. D. Th.

2. obiectio. 13 Obijcies secūdò. Actus humanus, & moralis sunt idem ex D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 3. in fine corp. & ad secundū; sed actus humanus potest esse necessarius, vt amor Dei in patria; ergo etiam actus moralis.

Solutio. Respōdetur neg. mi. quia licet amor Dei in Patria, quantum ad substantiam, sit actus humanus, & proprius solius creaturæ intellectualis; tamen non est humanus, quantum ad modum; quia non procedit ab homine, secundum eum modū operandi, in quo distinguitur ab alijs agentibus non intellectualibus; nam voluntas Beati non determinat se ipsam ad amorem Dei clarè visi, ex vi cognitionis, & ponderationis obiecti, sicut ad amorē aliarū rerum, quas liberè diligit; sed est, ex se, ab intrinseco, determinata ad talē amorem; & ita, talis amor, neq; est liber, neque, modo humano, habitus: quia quādo voluntas operatur necessariò, & ex determinatione, proueniente ab intrinseco, non distinguitur à Brutis, in modo ope-

Amor Dei in Patria non est actus humanus, quātum ad modū.

operandi;licèt distinguatur,pœnes subiectum operis.

Tertia obiectio. 14 Obijcies tertiò, Actio exterior potest incipere esse mala, aut peccaminosa, quando à voluntate non potest reuocari,neq; impediri; ergo, vt malitia moralis conueniat actui,non requiritur in eo libertas; Consequentia videtur euidens; antecedens prob. quia ex D.Thom. 2.2.q.79.ad 3.Omissio audiendi sacrum, (& idem est de homicidio in ebrio) non incipit habere malitiam omissionis, & homicidij, quando homo dedit causam ebrietati liberæ;sed quãdo currebat præceptum audiendi sacrum; & quando occidit; etiam si tunc nõ esset situm in eius potestate,abstinere ab omissione,& homicidio.

Solutio. 15 Resp.negando antecedens; & ad probationem dico; omissionē, & homicidium, in illis casibus,non esse peccata, quando fiunt;quia tunc sunt extra potestatem voluntatis, & non fiunt liberè; etiam si exordium habuerint à voluntate libera. alias enim daretur casus, in quo homo peccaret,& simul esset in Gratia; immò,quod peccaret, postquam esset in Purgatorio,aut Cœlo; Vt, si quis præparauit venenum alteri, aut emisit sagittam contra eum; & antequam venenum operaretur,vel sagitta accederet, conteratur de illo peccato, & moriatur. ita Gabr.in 2.dist.24.q.1. quem sequitur Vasq.t.2.disp.73.c.9.n.46.& 47. & disp. 94.c.2. & 3.

§. IV.

Ad hoc, vt actus sit moralis,requiritur omnino libertas. Zumel. 16 Dicimus ergo, requiri omninò libertatem ad hoc,vt actus ipse sit moralis:siuè requiratur, vt fundamētum moralitatis;vt docet Zumel 1.2.q.71. art. 6.disp.1.in solutione cuiusdam argumēti contra tertiam conclusionem, & disp.2. not.3 ante primam conclusionem;& ratio est, quia actus, consideratus in esse naturæ,præsupponitur, vt subiectum, & fundamentum ad moralitatem, (vt omnes fatentur) sed non præsupponitur, vt necessarius;ergò vt liber;Siuè,vt cōditio, sinè qua non, (vt minus probabiliter fatentur alij) de quo parum ad nos;Immò addimus,solam libertatem sufficere,modo dicto, vt moralitas conueniat actui, (vt optimè vidit Salas tract.7. disput.1. sect.1.num.5. & ratio est;quia sola libertas sufficit, vt actus dicatur dignus laude,aut vituperio;ergo vt sit moralis: Patet consequentia: quia Dignitas laudis aut vituperij supponit moralitatem; sicut passio, Essentiam: antecedens est. D.Thom.1.2.q.21.art.2. & confirmatur hæc ratio ex D.Thom.in 2.dist.24.art.2. in corpore,vbi dicit:*Genus moris incipere vbi primo dominium voluntatis inuenitur*,& 3.cont.gent.cap.9. dicit: *Secundum hoc, aliquid ad genus moris pertinere, secundum quod est voluntarium*. Adde,quia sola libertas sufficit, vt actus sit humanus; ex eodem D.Thom. p.2.q.1. artic.1. ergo etiam vt sit moralis; nam actus humanus, & moralis sunt idem secundum rem. D.Thom. Sola libertas sufficit, vt actus sit humanus.

Obiectio VI. 17 Et si dicas; actus puerorum, & amentium esse liberos, libertate propriè dicta, scilicet indifferētiæ ad vtrumlibet, & tamen non sunt humani,neq; morales; meritorij,aut demeritorij; eo solū,quod non procedunt ex deliberatione, & discretione inter bonum,& malum morale: Item in amentibus est aliquis discursus circa opera naturæ,& artis;& ità sæpè fugiunt sibi nociua, & interdum rectè pingunt,iuxtà regulas artis; nullo tamen modo discurrunt circa moralia: ergo distinguenda est duplex libertas: Altera, ad opera naturæ, & artis; & Altera, ad opera bona, vel mala moraliter; Vndè nō sufficere,sequitur,puram libertatem; ad hoc,vt actus sit moralis; sed requiri, insuper,quod procedat ex deliberatione rationis.Ità tenet Victoria in Relection. de Puero, & veniente ad vsum rationis par.1.præpos.2.Cordub.lib.1.q.23.dub. 7.& dub.9.not.3.Molin.par.1.q.14.art.3. disp.2.& Zum.loco supra cit.in appendice; & 1.2.quæst.89.art.6.d.1.& alij plures. Victoria. Corduba. Molina. Zumel.

Solutio. Salas. 18 Horum sententia probabilissima est: cæterum Salas t.2.quæst.1.artic.1. disp.4.sect.1.docet; quod qui dicit libertatem, dicit necessariò deliberationem intellectus; nam libertas voluntatis necessariò supponit deliberationem intellectus: Hæc enim est natura voluntatis, vt non sit soluta, & libera ad operādum, quandiu intellectus est ligatus ad deliberandum, & discurrendum; Nam sicut, voluntas non potest absolutè operari, sinè præuia cognitione: iuxtà illud, *Nil volitum, quin præcognitum*: Ità non potest operari liberè, sinè præuia deliberatione. Quarè pueri, & amentes (inquit) agunt,sicut Bruta,quæ,posito obiecto,& certis circūstantijs, nō possunt nō agere; & illis deficientibus, non possunt agere.

Nec

D. Thom. Gabr. Vasq. Salas.

Nec amentes dicuntur rectè pingere, ex discursu: sed ex memoria, aut disciplina: nam, si amentes discurrerent in artificialibus, idem certè facerent in moralibus; cum sit eadem vtrobique ratio; quod, si non valent vnam vel facilem conclusionem colligere ex principijs moralibus; nec id faciet ex artificialibus. Et hæc dicta sint circa illam particulam (*Morale*) licèt prolixius, quàm nostrum postulabat institutum; tamen quia res difficillima est, visum fuit aliqualiter ità declarare, vt non omnino videatur obscura.

CAPVT II.

De Bonitate, & Bono.

§. I.

1 SEcūda particula est ly (*Bonum*) Pro qua notanda est doctrina quædam nostri Aegid. in 2. dist. 40. ar. 2. desumpta ex Magistro 2 sent. in fine distinctionis 36. docet ergo, Bonitatem triplicem esse. Prima enim bonitas actionis, inquit, est ex sua essentia; quia omne, quod est, in quātum est; est bonum; & isto modo, omnis actio est bona; & si est ibi malum in actionibus, sic sumptis, illud malum non erit in genere moris; sed in genere entis; secundum quem modum, actio, quantumcūq; mala in genere moris, in quātum habet esse, est bona in genere entis. Huic ergo bono, vel huic bonitati non opponitur malitia in genere moris: sed malitia in genere entis, secundum quem modum, ambulatio, quando est rectá, est bona in genere entis; quando autem non est recta, (vt quando quis ambulat, & claudicat) dicitur tunc mala, non in genere moris, sed in eodem genere entis; idest defectuosa; quia est defectus in ipsa ambulatione, in genere entis, non moris.

Triplex bonitas ex Aegid.

2 Sed præter bonitatem, quam habet actio, vel actus, in genere entis, est dare duas alias bonitates, vel malitias ipsius actus, vt est in genere moris; quarum, altera dicitur bonitas, ex genere; de qua bonitate loquens Magister vbi supra, ait: *Quosdam verò actus, non tantum essentia, sed etiam genere, bonos esse, vt reficere exurientem; qui actus est de genere operationum misericordiæ*: Et sicut in actu, vel in opere potest esse bonitas ex genere, quando opus illud est de genere bonorum; vt reficere exurientem; sic potest esse mala ex genere, quando opus illud est de genere malorum; vt, Furari, vel Mœchari; ergo sunt duæ bonitates, vel duę malitię ipsius actus; Vna, vt est in genere entis; & sic dicitur actio bona, ex essentia; & mala ex defectu essentiæ; Vt ambulatio, dicitur bona, ex essentia virtutis gressiuæ; & mala, ex defectu talis virtutis. Secunda bonitas est ipsius actionis, non solum ex essentia; & malitia, ex defectu essentiæ: sed etiam, ex genere; quando illa actio est de genere bonorum; & malitia, quando est de genere malorum; hæc bonitas, & malitia competunt actioni, prout est in genere moris.

Magist.

3 Tertia autem bonitas ipsius actus est, ex fine, vel intentione; quando illud, quod fit, & fit de genere moris, & fit propter bonam intentionem, & propter bonum finem; vt propter Deum; & non propter inanem gloriam; Et de hac bonitate actionis loquitur Magister ibid. dicens: *Quosdam verò actus absoluti, & perfectè bonos esse, quos non solum essentia, vel genus; sed etiam causa, & finis commendat*. Prima ergo bonitas, ex essentia, pertinet ad genus entis; reliquæ verò ex genere, & ex fine, pertinent ad genus moris.

§. II.

4 NOta insuper, ex eodem Aegidio, Bonitatem ex genere dici etiam Bonitatem ex materia; quia tunc est talis bonitas ex genere, quando actus cadit supra materiam debitam: & tunc malitia ex genere, quando cadit super indebitam. Dicitur etiam Bonitas ex obiecto, quia tunc est talis Bonitas, quando actus cadit super debitum obiectum; & tunc est talis malitia, quando super indebitum; & sicut Bonitas ex genere habet multa nomina; ità Bonitas ex fine. Nam Bonitas ex fine, dicitur Bonitas ex causa: Bonitas ex animo, Bonitas ex intentione. Nam finis potest esse in apprehensione, in intentione, & in exequutione. Cum ergo bonus finis est in apprehensione, Potest dici Bonitas ex animo; cum in voluntate, potest dici Bonitas ex intentione; sed cum in exequutione, dicitur Bonitas ex causa: quia propter exequutionem finis, & propter adeptionem finis, tanquam Aegid.

quam per causam exequimur aliam, vel ambo ista: Bonitas ex Animo, & Bonitas ex intentione possunt referri ad voluntatem; vt Bonitas ex Animo referatur ad libertatem voluntatis; & tunc dicetur Bonitas ex animo, quando voluntas liberè facit; quia si coactè faceret, nō benè faceret; dato, quod bonum faceret, sed Bonitas ex intentione potest referri ad motus voluntatis; quia bonum intendere, est in bonum tendere; vel in Bonum moueri. Hæ ergo duæ Bonitates, Bonitas, scilicet, ex genere, & Bonitas ex fine, sic distinguntur; quia Bonitas ex genere sumitur ex eo, quod agitur. Bonitas ex fine, ex eo, propter quod agitur.

Accidit actioni, quod sit bona, vel mala moraliter.

5 Insuper nota, ex eod. Aegid. quod accidit actioni, vt est in genere entis, quod sit bona, vel mala moraliter; (vt supra nos diximus.) Immò, si est mala, in genere entis; non per hoc est mala moraliter: nam claudicatio, quæ est mala ambulatio, in genere entis, non per hoc est mala moraliter; immò potest esse melior, in genere moris, quam ambulatio recta, quæ est bona in genere entis: Claudus enim pergens ad Ecclesiam plus laborando, quàm rectus, cæteris paribus, ex maiori labore, magis meretur; immò rectus, stante præcepto accedendi ad Ecclesiam; si non iuerit, sed ad ludum; licèt sit bona in genere entis, ambulatio; erit tamen mala, in genere moris. Et claudicatio, ex opposito, bona moraliter; licèt mala, entitatiuè. Totam hanc doctrinam, quasi de verbo ad verbum, mutuauimus ex fundamentalissimo Aegid. loc. cit.

CAPVT III.

An dentur actus indifferentes in indiuiduo?

§. I.

Aegid.

1 EMinentissimus Aegid. noster column. duos instituit huius rei articulos in 2. dist. 40. nēpè; Secundum, in quo vniuersaliter disputat; *An omnes actiones humanæ sint indifferentes*; & tertium vbi particulariter petit; *An aliqua actio humana sit indifferens?* In priori docet, *§. cum ergo quæritur, &c.* quod, vel loqui possumus de actibus, vt sunt boni, per essentiam; & vt sunt in genere entis; & sic omnes actiones, ait, esse indifferentes, respectu bonitatis, & malitiæ moralis; accidit enim (vt diximus) actioni, vt sic consideratæ, esse bonam, vel malam moraliter; sicuti Animal, generaliter sumptum, dicitur esse indifferens ad Rationale, & Irrationale; cui accidit, esse Rationale, vel Irrationale; &, vniuersaliter loquendo, omne id, quod prius est, & generalius, potest dici indifferēs ad omnia posteriora: Sed nota ex artic. 1. quod actiones, præcisè consideratę, prout sunt in genere entis, non dicuntur propriè, & in rigore, actiones humanæ; Siquidem, actiones humanæ, vt humanæ, petunt elici, siuè imperari à voluntate deliberata; quo pacto dicuntur propriè actiones, liberæ, & morales; Vndè, si quis fricauerit sibi barbam, nil cogitās de tali actione; vel nil deliberans de ea; vel si quis mouet pedem, nil cogitans de tali motu; sed habens suam cogitationem ad alia: Tales actiones non sunt humanæ, vt humanæ; & licèt sint in genere entis; non tamen sunt in genere moris. Hoc idem docet D. Thom. artic. 9. citato: Dicuntur ergò actiones esse in genere entis; prout referuntur ad sua principia, à quibus habent esse. Exemplificat Aegid. de ambulatione, quæ est in genere entis; prout refertur ad virtutem progressiuam, ad musculos, neruos, &c.

Actio, prout in qua entis non est actio humana.

D. Thom.

2 Vel possumus loqui de ipsis actibus in eo genere moris; quatenus sunt actus humani, vt humani; & procedunt à libera voluntate; & tunc (docent hi Doctores;) quod possumus considerare illos, in specie, vel in indiuiduo: Actiones morales, in specie, possunt esse bonæ, malæ moraliter, & indifferentes. Pro quo, notat Aegid. artic. 3. quod, ad hoc, vt actio moralis sit mala, sufficit quilibet defectus, etiam si aliundè, ex omni alia parte, sit bona. Ad hoc autem, vt bona sit moraliter, requiritur, quod nil mali sit in illa; Vndè illud extat; *Bonum debere esse ex integra causa; malum autem ex quocumque defectu*: Exemplificat Aegid. (facilitatis causa) de pulchro, & turpi, in naturalibus, & artificialibus, dicens: Cum formatur à natura fœtus hominis in vtero, pulchris oculis, pulcherrimo nasu, &c. si turpe ei formetur os, non facit, quod oculi, alios formati pulchri, non sint pulchri; vel nasus pulcher non sit; sed facit, quod totum illud, formatū ex

Bonum ex integra causa; malum ex quocunque defectu.

ex talibus membris, dicatur turpe: quia tunc solum dicitur pulcher homo, quando habet omnia membra pulchra; sed dicitur turpis, si solum vnum membrum notabile, & apparens, turpe habeat.

3 Hoc idem in artificialibus cernitur; vt, si Pictor faciat imagini hominis pulchros oculos, nasum pulchrum, & reliqua membra pulcherrima; si tamen illi faciat turpe os, vel aliquod aliud apparens membrum; tota imago dicitur turpis; ita accidit in moralibus; vt, si opus, ex genere, sit bonum; & fit, circa debitam materiam, secundum rationem; sicut est; ire ad Ecclesiam, visitare infirmum, vestire nudum, &c. si hoc faciat mala intentione; illa mala intẽtio est quædam actio superueniens bono operi ex genere, vel ex materia debita; quæ intentio non facit, quod opus bonum ex genere, non sit bonum ex genere: sed facit, quod hoc totum, v.g. bonum opus ex genere, ordinatum ad malum finem, fit malum; nam, licet ad bonum non sufficiant particulares perfectiones: ad malum tamen sufficiunt particulares defectus; & particulares imperfectiones.

4 Exemplificat, tandem, in propositionibus de necessario, & de contingenti; nam quotiescunque, propositionibus de necessario addatur vna propositio de contingenti; tota dicetur contingens; vt hæc propositio (*Homo est animal*:) est de necessario; &, (*Homo est quid rationale*) est de necessario: sed *esse album*, est quid contingens. Addatur ergò (*esse album*,) quod est de contingenti, ad illas, de necessario, & dicatur (*Homo est animal rationale album*:) Propter illam vnã de contingenti, totum hoc dicetur de contingẽti; illud ergò (*esse album*,) quod est de cõtingẽti, non facit quod ly (*Homo est animal*,) non sit de necessario; vel quod (*Homo est rationalis*,) sed facit, quod hoc totum; (*Homo est animal rationale album*;) sit de contingenti.

Si rei indifferenti addatur bonum, tota bona: si malũ, tota mala.

5 Concludit ergò, quod ad *Esse bonum*, omnia requiruntur; ad *Esse malum*, vnum tantummodo sufficit deficere; & addit, quod, si rei indifferenti addatur bonum; totum dicetur bonum; quia sufficit, ad *Esse bonum*, quod nihil sit ibi de malo; & quia res indifferens, de se, non dicit malum; si rei indifferenti addatur bonum; totum dicetur bonum; sed si addatur malum, totum dicetur malum.

§. II.

Diuisio substantiæ in 1. & 2. potest cuilibet rei adaptari.

6 QVibus positis; docet insuper, & ægregie, illam Substantiæ diuisionem, à Philosopho c. de Substantia assignatam, in primam, & secundam; quorum, primæ substantiæ sunt Indiuidua; secũdæ verò, Genera, & Species; & id, quod subdit idem Arist. quod, (*destructis primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum remanere*:) posse cuilibet rei accõmodari; & sic, ipsis etiam actionibus; ex quibus, dicere possumus; Actiones primas, esse ipsas actiones in indiuiduo, siuè indiuidualiter sumptas, in genere actionum: actiones verò secundas, Genera, & Species, in eodẽ genere actionum: Actiones autem secundæ, .i. Specificæ, & Genericæ, dicuntur esse in primis, .i. in actionibus indiuidualibus; quibus destructis, impossibile est remanere secundas: Actio ergo moralis, primò consideratur, vt habet esse hanc actionem in indiuiduo; secundò; vt habet esse specificum. Tertiò; vt habet esse Genericum; nam res prius sunt sub esse particulari, & postea, per intellectum, fiunt sub esse vniuersali (vt diximus in nostra logica disp. de vniuersali) intellectus .n. est, qui facit vniuersalitatem in rebus; ex quo infert, quod si actio sumatur generaliter, eo modo, quo, *Animal*; indifferens est, ad rationale, & irrationale; & nec rationale est, formaliter, neq; irrationale; ita actio, genericè sumpta, neq; bona moraliter est, neq; mala: sed indifferẽs ad vtrumq;. Actio .n., vt sic considerata, circumuenit materiam, & obiectum, generaliter; secundum quem modum non fiet descensus; vtrum illud obiectum; vel illa materia sit secundum rationem, vel contra rationem? & eo modo, quo, *Animal*, si sumatur specialiter contractum, per aliquã ex assignatis differentijs, ad aliquam speciem ex inferioribus, erit tale, vel tale Animal; nempè, *Homo*, vel *Leo*, vel *Canis*, *&c.* Ita si actio sumatur specialiter, prout circumcernit materiam specialẽ; vt, *ire ad Ecclesiam*; vel, *ire ad tabernam*; vel *eleuare festucam*; sic erit, vel bona, vel mala, vel indifferens; quia *ire ad Ecclesiã*; bona actio est; *ire ad ludum*; mala: *eleuare*, verò, *festucam*, secundum se, est materia, & obiectum indifferens. En quomodo omnis actio, genericè sumpta, indifferens est, respectu bonitatis, & malitiæ moralis; specificè, verò, sumpta; aliquando est bona; aliquando mala; & aliquando

do

do indifferens: at verò tandem, si indiuidualiter sumatur, necessariò, vel erit determinatè bona; vel determinatè mala moraliter; quia res habet esse indiuidua, & particularis, cum omnibus suis conditionibus, & circumstantijs; cumq; nulla sit actio moralis, quæ non fiat, (loquendo hic, & nunc) à libera voluntate, cum intentione alicuius finis particularis; necesse est, quod talis intentio, vel sit bona, vel mala; & ille finis, vel bonus sit, vel malus.

Satisfit cuidã obiectioni. Aegid. D. Th. Caiet.

7 Et si dicatur, inquit Aegid. (sicuti etiam obijcit sibi D. Tho. & Caiet.) non solum materiam; sed etiam intentionem ipsam esse indifferentem. Respondent, impossibile esse, dari talem intentionem indifferentem; nam, eo ipso, quo illam indifferẽtem fatemur, necesse est, fit otiosa, &, ex consequenti, mala moraliter.

Satisfit alteri obiectioni.

8 Et si iterum obijcias; quod intentio accidit actioni; respondent, quod sicut; Homo, secundum speciem, potest considerari, nec vt albus, nec vt niger, nec vt medio colore coloratus: tamen, secundum esse indiuiduale, semper est aliquid tale; sic actio moralis secundum speciẽ, potest esse indifferens; sicut ponebatur exemplum de eleuatione festucæ; sed secundum esse indiuiduale, nisi fiat ratione iustæ necessitatis, vel intentione piæ vtilitatis (secundum Gregorium lib. 3. sui Pastoral. c. 37.) otiosa reputari debet; tota hæc doctrina fidelissimè desumpta est ex ipso Aegidio; cum qua concordat id, quod D. Th. docet in duobus superius citatis articulis; & Caiet. in expositione illorum, & omnes eius discipuli.

Greg.

§. III.

Actus humanus necessariò, vel bonus, vel malus.

9 Ex qua tamen doctrina liceat colligere hanc veritatem; quod si sermo est, de actibus moralibus, vt actus morales sunt, & actus propriè, & verè humani sunt: necessariò debent esse boni, vel mali moraliter; & ratio est breuis, ac facilis, superius tacta, quia omnis actus humanus; qui verè, & propriè dicitur actus humanus, debet procedere à libera voluntate; sed omnis actus liber, eo ipso, quo liber est, vel est dignus laude, vel vituperio; vel meritorius, vel demeritorius, (vt ex supradictis satis liquet.) ergo omnis actus humanus, necessariò, vel est bonus, vel malus moraliter: nequit .n. esse meritorius, vel demeritorius, quin sic bonus, vel malus. Hinc ipsemet Aegid. art. 1. illius disputationis 40. q. 2. docet; Bonitatem, & malitiam esse essentiales differentias humanorũ actuum, vt humani actus sunt, verè, & propriè; quod multis efficacissimis rationibus probat, vt videre est, ibi, & apud D. Th. in ead. disp. 40. q. 1. ar. 1. & Riccard. q. 5. vnde concludimus; actiones, quas nos diximus, esse indifferentes in specie; vt, *fricatio barbæ, eleuatio festucæ, &c* non esse propriè, & in rigore dicẽdas actiones humanas; cum non procedant a deliberata voluntate; sed potius dicendas esse naturales puras; seu in rigore entis: omnis namq; actio debet ordinari ad aliquem finem; cum omne agens agat propter finem: Ast quando quis fricat barbam, nil cogitans de tali actione, signum est, quod, dum is non ordinat ad finem talem actionem, quod ordinetur illa actio ad finem suum, à natura; nil .n. ipsa natura frustra facit, ergo illa actio erit actio naturæ, & nõ moralis propriè, & in rigore; (vt alibi dicam latius.)

Bonitas, & malitia sunt differẽtiæ essentiales actuũ humanorum.

Aegid. D. Th. Riccar.

10 Neq; valet dicere; bonitatem, & malitiam accidẽtaliter aduenire actibus humanis: siquidem, possunt adesse, & abesse, saluis manentibus ipsius actibus in eorum essentia, & natura: nam respõdeo; accidẽtaliter aduenire actibus humanis, quatenus actus humani sunt: neg. quia vt sic, necessariò, & essentialiter vel sunt boni, vel mali (vt diximus) accidentaliter aduenire ipsis, in genere entis consideratis, & naturæ: concedimus; & hæc dicta sint, circa secundam particulam, quam sumpsimus explicandam, nempè ly (*bonum.*)

Obiectio.

Solutio.

§. IV.

11 Tertia tandem particula erat ly (*naturale,*) quæ ponitur solum, quatenus distinguitur à supernaturali; ita vt, sensus illius tituli quæstionis sit: vtrum homo, siuè in natura integra consideratus, siuè in natura corrupta, possit velle, aut facere aliquam actionem moralem; (siuè, procedentem à libera, & determinata voluntate;) Bonam, absq; alio Auxilio, superaddito naturæ; siuè illud sit ordinis supernaturalis, siuè naturalis, vbi per ly (*possit velle, & facere,*) intelligo, tàm actus elicitos à voluntate libera, quàm imperatos ab ipsa; quam tandem simul elicitos, & imperatos; iuxta superius dicta.

Sensus præsẽtis disputationis.

CAP.

CAPVT IV.

Quid censeant Infideles de viribus humanis, in ordine ad actus morales?

§. I.

Neq; per totam vitã benè operari; nec ea opera, quæ ad gratiam iustificãtem; absq; auxilio peculiari nos posse.

1 IN qua re primo supponendum est, tanquam certum, & ab omnibus receptum (vt ex inferius dicendis latius patebit;) nos non posse per totam vitam, aut per multum tempus, semper benè moraliter operari, ex proprijs viribus, absq; aliquo Auxilio superaddito nostris potentijs. Item, non posse, absq; aliquo Auxilio speciali, præstare nos aliquod bonum opus morale, quo disponamur ad Gratiam iustificantem; vt ex Concilio Arauf. 2. can. 7. habemus; vbi dicitur. *Si quis, per natura vigorem, dixerit, se posse aliqua opera, qua pertinent ad salutem vita aterna, cogitare, aut facere: Haretico fallitur spiritu*; & huius ratio esse potest; quia (vt Sancti frequenter dicunt) iustificatio nostra initiũ habet à Gratia vocationis Dei, & terminatur ad Gratiam iustificantem: cum ergo hæc ambo sint supernalia, omnia opera, quæ sunt, inter vocationẽ, & Gratiam iustificantem, quæ sunt dispositiones ad ipsam Gratiam, sunt etiam supernaturalia; & ita, præstari à nobis non possunt, per proprias vires; sed necessario, fatendum est, requiri ad illa Auxilium supernaturale; vnde liquet, ex proprijs viribus, non posse nos elicere actus Christianæ fidei, dilectionis Dei super omnia, Contritionis, & Martyrij: &c. quibus adde (vt optimè Vega in principio quęstionis 12. de iustificat. & est etiam communiter receptum,) quod sunt aliqua bona opera moralia, quæ sunt dispositiones ad Gratiam; sunt tamen adeò præclara, & excelsa, vt præstari non possint ab homine; nisi supernaturaliter adiuuetur; vt sunt, seruare virginitatem perpetuam; aut perpetuã continẽtiam; voluntariam paupertatem; erogare copiosissimas eleemosynas; diligere inimicos, illisq; benefacere; & alia huiusmodi. Quare præsens quæstio tantum procedit, de operibus bonis moralibus, facilibus; vt est, dare paruam eleemosynam ex bona intentione, & propter bonum finẽ; nam, diximus, quod ad hoc, vt opus sit moraliter bonum, requirit omnes circumstantias bonas; quatum, vna si deficiat; iam desinet esse bonum opus; præstare aliquos actus temperantiæ, siue Continentiæ, siue Pietatis, siuè iustitiæ, &c.

Cõc. Arausic.

Vega.

§. II.

2 HIs positis; fuit in hac re hæresis Lutheri; qui (vt docent Rofens. ar. 6. con. illum. Prateol. lib. 10. verbo (*Lutherus*.) hæresi 28. & Stapletonius lib. 1. de iustific. c. 13.) asserebat, omnia opera, quæ fiunt ab homine, existente in peccato, esse peccata, & mereri odium Dei. Immò Castro lib. 11. contra hæreses verbo (*opera*) hæresi prima, docet, hoc illum asseruisse de homine, quantumuis iusto; *Qui* error portentosus plura adeo enormia continebat, (vt not. Steplat. loc. cit. ex mente Caluini,) vt mens, excogitando, horreat: aiebat. n. in homine esse peccatum originale, quod ad animam se extendebat, & ad corpus; namq; tale peccatum in anima nil aliud erat, quam cõtemptus Dei, odium iudicij Diuini, ira cõtra Deum; disperatio Diuinæ Gratiæ; in carne verò, dicebat, illud peccarum esse concupiscentiam, quæ necessario, & incessanter producit peccata; non secus, quam incensa fornax flammas, atq; scintillas efflat; dicebat deniquè, totũ ipsum hominem, ab intellectu ad voluntatem; ab anima ad carnem, adeo inquinatum esse peccatis, vt sit ipsa concupiscentia; & veluti quoddam diluuium peccatorũ; & ideò, vniuersa hominis opera Deum sibi ad peccatum imputare.

Error Luteri. Rofens. Prateol. Staplet. Castro.

§. III.

3 HVnc errorem damnauit Concil. Trid. sess. 6. can. 7. dicens: *Si quis dixerit, omnia opera, que facit homo ante iustificationem; quacunq; ratione facta sint, esse peccata, & odium Dei mereri; & quanto vehementius homo nititur se disponere ad iustificationem, tanto eum grauius peccare; anathema sit.* Eundem errorem optimè impugnat, intèr alios, idem Staplet. lib. 1. cit. à cap. 14. vsquè ad 16. ostendens, ex eo sequi, quod peccatum originale non sit vitium, & infirmitas naturę: sed potius illius euersio, atq; destructio; immò lib. 2. cap. 9. nouis rationibus insurgit contra hanc hæresim. Idem efficaciter faciunt Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 19.

Damnatur Conc. Trid.

Stapleton.

Soto. Vega.

cap.19. & Vega lib.6. super Concilium cap.39. & 40. vbi dissoluit argumenta omnia Hæreticorum; quod verò omnia opera iusti falso dicantur esse peccata, demonstrat Castro loc.supra cit.& idem diffinit Concilium Trid.eadem sess.can. 25.

Castro.

§. IV.

Argumenta Hæreticorũ. 1. D.Paul.

4 SEd dices;saltem,Infidelium actiones omnes esse peccata; nam ex Apostolo Rom.14. *Omne,quod non est ex fide,peccatum est*;sed opera,saltem Infidelium, non sunt ex fide; ergo omnia opera,saltem Infidelium,sunt peccata; vnde vult Glosa super illa verba Pauli; quod omnis vita infidelium est peccatum.

Glosa.

2.arg. 5 Adde; nam omnis actus bonus debet procedere ab intentione recta; sed fides est, quæ dirigit intentionem ad rectum finem (vt docent communiter Scholastici dist 41.& 4.in 2.) vnde colligunt, nil posse esse rectum, vbi non est fides;ergo omnis actio,infidelium saltē, peccatum est;patet;quia nō datur actus moralis indifferens; vt nos supra diximus.

3.arg. 6 Adde tertiò id,quod dicitur Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*; ergo omnis actio Infidelium displicet Deo.Patet consequētia,nam non datur actio media in moralibus; si.n.est bona, placet Deo; si mala,displicet.

4.arg. 7 Adde quartò, quod illud est malum,quod caret aliqua perfectione, quā debet habere; sed omnis actio Infideliū caret perfectione,quam debet habere; nam omnis actus humanus,vt sit bonus, debet habere perfectionem vltimi finis, & debet esse ordinatus in vltimum finē, cumq; actus infidelium careat hac ordinatione ad vltimum finem,erit malus, &c.

§. V.

Aegid.D.Th. Argent. Capreo.Magist.

8 HAec argumenta ponuntur ab Aegid.in 2.dist.41.q.1.art.3. à D.Tho ead.dist. q.1.art.2. Argent.q.1. art.3.& Capreol.q.1.& 2. vbi disputant hi Doctores: *An omnis Infidelium vita sit peccatum?* Magister,aliquantulum, saltem verba communia videtur habere cum Hæreticis; licet longè, in sensu,discrepet ab illis. Disputans.n. hanc quæstionem (vt benè not.Aegid.) tria dicit;

Nota tum dicta Magist. sanct.

primum est, *omnem vitam Infidelium peccatum esse*; innixus verbis Apostoli, & expositioni Augustini;vt patet in primo argumēto; verba namq; Glosæ sunt ex Augustino desumpta. Deinde secundò ait, quod licet Infidelis possit aliquod bonum agere; non tamen benè; vbi distinguit inter agere bonum, & benè agere;dicens; agere bonum est agere aliquid, ex genere bonorum; vt, dare eleemosynam, quod est de genere bonorum. At verò, agere benè, est, quod talis actio sit benè directa, & ordinata ad debitum finem. vult ergò; Infideles posse vtiq; agere aliqua, quæ sunt de genere bonorum; non tamen erunt benè facta, cum non ordinēt actiones suas ad debitum finem.Tertiò tādem subdit, concedendo,etiam,ab Infidelibus posse fieri,nedum opera bona; sed etiam benè fieri,non tamē meritoriè;poterit namq. Infidelis facere eleemosynam, quod est bonum ex genere;illamq. facere pauperi,naturali pietate motus, quæ intentio vtiq. bona est etiam.En quomodo bonū facit,& benè facit: tamen, quia non habet charitatem, quæ est principium merendi,non meritoriè facit.

August.

§. VI.

9 CIrca quæ tria dicta Magistri,occurrit dicendum, ex mente Aegidij,& Argent. locis citatis,quod licet secundum, & tertium eius dictum sint sapienter dicta.In primis.n.nulli dubium est, opera quæcunq. Infidelium non posse esse meritoria de condigno Gratię,vel glorię;infra namq. dicemus, Gratiam ipsam, vel habitum charitatis esse formam, quæ dat actibus humanis rationem meriti, maioris Gratiæ, vel Gloriæ;cumq. illa careant Infideles, nō poterunt, apud Deum, aliquod supernaturale mereri, actibus depromptis ex naturalibus. Secundum etiam dictum verum esse quoq. potest; nam hoc etiā multoties accidit ipsis fidelibus, vt bonum opus faciant,non tamen benè: accedent ad Ecclesiam,propter inanem gloriam;ieiunat Hypocrita,vt appareat hominibus ieiunans;en quomodo bonū opus,ex genere, nempè,bonorum,facit; non tamen benè; quia deficit bona intentio.

Quid sentiat Aegid.de dictis Magist.

10 Ce-

§. VII.

Nota quid sentiendum.

10 Ceterum primum ipsius dictum arduissimum videtur, si ita intelligatur, vt sonat, (quod non credo,) sicuti nec credit Aegid. Durissimum .n. est Intelligere, quomodo, si Infidelis, ex naturali pietate, nudum vestiat, pauperem nutriat, egeno det bona sua ad subleuãdam ipsius inopiam, & ægestatem, infirmum visitet, consoletur in afflictione positos: dicatur, his operibus, nedum ex genere bonis, sed etiam ex intentione; peccare; dura quidem esset hæc sentẽtia, immò ab omni pietate aliena.

11 Quarè dicendum est cum Aegid. Magistrum sentisse, quod quicquid faciunt Infideles, vt Infideles; vel, ex infidelitate; vel, referendo ad infidelitatem; peccatum est; vt, si Infidelis vestiat nudũ ex naturali pietate, credens, ex hoc, placere Deo suo; .i. Idolo; quodcunq; opus sit bonum, & factum, aliquo modo, bona intẽtione: quia, ex naturali pietate: tamẽ propter illam malam credulitatem; vel intentionem; qua credit, & intendit placere Idolis; habet ibi esse peccatum. De his est sermo in Cantico Moysi, Deuter. 32. vbi dicitur, *Dereliquerunt Deum Factorem suum; & recesserunt à Deo salutari suo: prouocauerunt eum in Dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt: immolauerunt Dæmonijs; & non Deo; Dijs, quos ignorabant.*

Deuter.

§. VIII.

Respondetur argumentis Hæreticorũ. Ad 1.

12 Restat satisfacere oppositis: & primo ad primum, ex dictis, facilis est solutio: dicimus .n., Apostolum sentire, omnem actionem procedentem ab Infideli; quatenus Infidelis est; ordinatã ad finem, eius infidelitati respondentem; vt est, nudum vestire, vt Idolo suo placeat; vel, vt talem pauperem, cui opus misericordiæ impartitur, ad errorem suæ infidelitatis alliciat; Thura dare Idolis; sacrificare Idolis; preces corãm illis effundere, &c. esse peccatum proculdubio: quare hæc positio *(omnia opera Infideliũ sunt peccata:)* potest intelligi, sicut illa, *omnes actiones humanæ sunt morales, & liberæ*: quæ, nisi cum reduplicatione intelligatur; nimirum, quatenus actiones humanæ sunt, & fiunt modo humano: potest non esse vera, (vt diximus supra de fricatione barbæ, eleuatione festucæ, &c.) sic illa propositio debet intelligi cũ reduplicatione; sic: *omnia opera Infidelium, quatenus opera Infidelium sunt, & fiunt ab ipsis Infidelibus, Infideli intentione; sunt peccata*; quod certissimum est.

13 Ast, si vis fiat in hoc, quod dicitur; *quod omnis vita Infidelium est peccatum*; quæ verba sunt Augustini, adducta eo loco à Glosa; tunc dicendum, id etiam verum esse; nam, nisi conuertantur ab infidelitate; quandiù viuunt, sunt in peccato infidelitatis. Ita respondet Aegid. Aegid.

14 Ad secundum respondeo cum Argent. quod quamuis humana prudentia non possit sufficienter dirigere intentionem respectu finis supernaturalis, & vltimi; potest tamen ratio perfecta per humanam prudentiam dirigere intentionẽ; respectu finis naturalis, & proximi; vt actus transeat sine demerito, & peccato; quamuis nec sit meritorius; eo quod sit elicitus à peccatore, & Infideli. Ad 2. Argent.

15 Ad tertium respõdeo verum esse, actiones Infidelium non esse meritorias alicuius præmij supernaturalis; & Infideles, vt Infideles, non placere Deo; ex quo tamen non sequitur, ipsa Infidelium opera, si sint ex genere bona, & saltem ex naturali pietate, displicere Deo, in tantum, quod sint peccata, & demeritoria; nam (vt infra dicam) sentio, ad huiusmodi opera cõcurrere etiam ipsum Deũ; nedũ generali concursu, quomodo ad omnia naturalia opera creaturarum omnium, concurrit; verum etiam peculiari quodã Auxilio Gratiæ per Christum. Siquidem illud opus bonum, de se, ordinabile est ad salutem, & gloriam; sed de hoc infra. Quare censeo, Deum sibi complacere aliquo modo in illo opere: quia bonum; non tamen in operante, quia Infidelis; neq; implicat, actionem aliquam posse placere Deo, & displicere operantem; sicuti nos possumus odisse malam actionem, non tamen licet odisse proximum patrantem illam. Ad 3.

16 Ad quartum tandem, variè solet à Doctoribus responderi: cęterum omissis reliquis responsionibus; dico, distinguẽdam esse illam minorem; *Omnis actus Infidelium caret perfectione, quam debet habere*: ad hoc, vt absolutè dicatur actus bonus naturalis moralis, neg. mi. Ad cuius probationem respõdeo. *Omnis actus humanus debet esse ordinatus ad vltimum finem, & supernaturalem*; ad hoc, vt absolutè dicatur bonus in genere moris; negatur: non .n. necessaria est ordinatio actualis actus ad finem supernaturalem, Ad 4.

& vltimum, ad hoc, vt non sit malus moraliter; sed sufficit, quod versetur circa materiam bonã in genere moris; & quod à recta intentione dependeat; & non habeat aliquod in se, quod opponatur vltimo fini; licet de facto non ordinetur ad illum; nam, vt sic, virtualiter dicitur ordinatus; quantum n. est de se, non repugnat illi ordinari actu; cum nil mali cõtineat; & præter hoc, bonus moraliter est ex genere, & ex intentione; immò (vt dicebamus ex Argent. in responsione ad 2.) ipsa ratio perfecta per humanam prudẽtiam dirigit illam intentionem respectu finis naturalis, & proximi, ad hoc, vt actus ille non sit malus moraliter, & demeritorius.

Coroll. contra Hæreticos.

17 Ex his sequitur contra Luther. & Caluin. quod si, (de Infidelibus, & Hæreticis loquentes,) falsum est omnino asserere, omnes actus eorum esse peccata; licet, nedum Gratia, & Charitate careãt; verum, & ipsa fide, quæ est fundamentum verę Religionis, & Christiani cultus; quãtò magis abominabilis, & omnino vitandus est ipsorum error, qui, nedum de Catholico, tamen peccatore; (qui, licet Charitate careat, non caret fide Christiana;) verum, & de quolibet iusto id somniauere; nimirum, omnia eorum opera, esse odibilia Deo, & peccata; & totum hominem esse peccatis inquinatum ab intellectu, ad voluntatem, ab anima ad carnem?

CAPVT V.

Ponitur aliquorum Scholasticorum opinio.

§. I.

Sententia asserentium, posse hominem operari aliqua bona opera absquè aliquo nouo auxilio. D. Bonauent. Riccar. Dur. Gabr. Dried. Sot. Vega Caiet. Med. Zum. Mol. Bellar. Azor. Suar.

1 HOc ergo errore enormissimo reiecto; videamus, quid circa propositam quæstionem Catholici sentiant?

2 In hac ergo re, est prima sententia Bonau. in 2. dist. 28. ar. 2. q. 3. Riccar. ar. 1. q. 1. Durand. in 2. dist. 28. q. 2. Gabr. q. 1. art. 2. concl. 1. & 2. Dried. lib. 1. de liber. arbit. tract. 2. c. 2. p. 2. in princ. Soti lib. 1. de nat. grat. cap. 20. Vega in de iustitic. q. 12. Caiet. Med. Zumel. 1. 2. q. 109. & omnium ferè recent. Thomist. Molin. in concord. disp. 5. 19. Belarm. lib. 5. cap. 9. Azor. lib. 3. inst. c. 34. q. vlt. Suar. in opusc. lib. 3. cap. 2. nu. 3. hi omnes, & alij cum illis sententur; posse hominem aliqua bona opera moralia efficere, solis viribus naturæ, absq; alio Auxilio per Christũ; poteftq; hæc sententia aliquibus locis sacræ Scripturæ, Conciliorum, Patrum; & etiam rationibus probari.

Probatur 1. ex Rom. 2.

3 Et primò ex illo ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*; i. Ethnici, & Infideles faciunt, viribus naturæ, bona opera, quibus satisfaciunt præceptis naturalibus; & statim subditur, *& ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*; .i. dictãte ratione, habẽt in corde scriptum, quid faciendum sit; vt rectè, & cum ratione viuant.

2. probatur ex Trid.

4 Secundò probatur ex Trident. sess. 6. c. 11. vbi dicitur: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis*; vbi Concilium, ex his, quæ iubentur, duo genera operum distinguit; quædam, quæ sine Gratia facere possumus, & ad ea, oratione non indigemus; & alia, quæ sine Gratia facere non possumus; & ideo oratione postulare debemus.

Conf.

5 Confirmatur ex eadem sess. can. 1. *Si quis dixerit, hominem, suis operibus; quæ, vel per humana natura vires, vel per legis doctrinam fiunt; absque Diuina per Christum Gratia posse iustificari, anathema sit*. Vbi aperte supponit, posse fieri aliqua bona opera per vires naturæ humanę; & de his, definit, esse insufficientia ad iustificationem.

3. probatur ex Aug.

6 Tertiò probatur ex doctrina Patrum; & primum testimonium sit Augustini lib. de spiritu, & litera cap. 27. vbi expressè dicit; *sine Gratia Christi fieri multa quæ secundum iustitiæ regulam, non tantum vituperanda non sunt, sed etiam merito laudanda*. Et lib. de perfectione iustitię ad rationem 17. concedit, *posse aliquem, sine Gratia, ducere vxorem*; sed hoc opus bonum est; ergò, &c. Greg. & homil. 27. in Euangelio explicat verba illa Io. 15. *Hoc est præceptum meum, &c.* dicens: *sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen, in hac dilectione, sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ; aliud, quod præceptis Dominicis, ex charitate, debetur obeditur*; vbi distinguit opera quædam naturæ, ipsius facultate, & sponte, facta, ab eis, quæ fiũt ex charitate; cumq; illa,

Ex Greg. D. Io.

illa, dicat non reprobari sanctis eloquijs; sentit manifeste, bona esse.

4. probatur Trident. 7 Quarto probatur ratione: Nam quamuis, per peccatum, Natura nostra fuerit extenuata, & remanserit infirma; non tamen remansit penitus extincta: vt definitur in Trident. sess. 6. cap. 5. & ait August. libro de Gratia Christi cap. 50. ergo quamuis Natura nostra, per proprias vires, nequeat efficere omne opus bonum: poterit tamen aliquod. Consequentia patet: nam infirmitas non tollit omnino virtutem ad aliquid operādum; sed extenuat vires, vt non possit infirmus id omne, quod potuisset sanus. Confirmatur, nam infirmitas hæc, licet data sit in pœnam peccati; tamen, ex naturali conditione hominis, prouenit; & ità reperiretur in pura natura; sed non est dicēdum, hominem, ità esse à natura constitutum; vt, cum omnia creata habeant à natura vires sufficientes ad faciendum quod est consonum suæ naturæ; Creatura tantum rationalis nō habeat vires ad faciendum quod est consonum rationi; esset enim homo miserrimus inter omnia creata; vel dicas, quæso; quorsum fundata est ratio à natura, si, per vires ipsius, nil omninò secundum rationem agere potest?

August.

Confir.

5. probatur 8 Quintò, omnis potentia, cum solo concursu generali, potest exire in actū, circa obiectum sibi proportionatum; sed bonum opus morale est proportionatum voluntati: ergo. Maio. est certa; communi omnium consensu, sic definiētium obiectum proportionatum: *Quod non excedit propriam, & naturalem actiuitatem potentiæ*. Min. probatur; nam voluntas habet naturalem inclinationem, & appetitum ad bonum rationis (vt dicitur in materia de peccatis) ergò bonum rationis est obiectum proportionatum voluntati: Patet consequentia, quia natura non dedit inclinationem ad obiectū improportionatum, &, ad quod vires non dedetit; sed in volūtate est proximus appetitus potentiæ actiuæ ad bonum rationis; ergo in voluntate est sufficiens actiuitas respectu talis boni.

6. probatur Caiet. 9 Sextò probatur ex Caiet. Appetitus sensitiuus, & rationalis sunt contrarij; sed hæc est natura contrariorum, vt mutuò in se agant, & repatiantur, & aliquando se vincant; ergò appetitus rationalis aliquando vincit sensitiuum; & è contra: & per consequens, voluntas aliquando sequitur bonum honestum: & oppositum dicere (secundum hunc Doctorem) est nimis abiectè sentire de natura rationali.

10 Septimò, Nam illud est in hominis potestate, cuius ipse est Dominus; sed homo est dominus suorum actuum; & maximè, eorum, quæ à proprio velle dependent; ergò homo potest velle, & facere bonum, per se ipsum, absq; Auxilio Gratiæ. 7. probatur

11 Octauò, vnumquodquè potest magis in id, quod est sibi secundum naturam; quàm in id, quod est sibi præter naturam; sed peccatum est contra naturam (vt docent Patres omnes, præsertim Augustin. & Damascen.) opus autem virtutis est secundum naturam hominū; (vt diximus supra.) ergò si homo, per se ipsum, potest peccare; multò magis, per se ipsum potest bene moraliter operari. 8. probatur

CAPVT VI.

Verior sententia.

§. I.

1 SEcunda sententia, nobisque, vt probabilior, sustinenda, docet; Nullum bonum opus morale, quantumuis leue, si sit ex omni circumstantia bonum, siuè duret longo tempore, siuè breui, fieri posse ab homine, siuè aliquo peculiari Auxilio Gratiæ per Christum. Ita tenent Alber. in 2. d. 28. ar. 1. ad 6. Altisiodoren. lib. 2. summæ trac. 11. c. 1. q. 4. Marsil. in 1. q. 20. ar. 3. propos. 4. & 5. Alex. 3. p. q. 69. mem. 1. ar. 2. Gerson. trac. de Vita Spirituali: alfabeto 61. litera G. Greg. noster in 2. dist. 28. q. 1. ar. 1. Abulen. in cap. 19. Matt. q. 174. & 178. Castr. contra hæreses Verbo, *Gratia* hær. 1. concl. 3. quam, vt catholicam, contra Pelag. statuit. Capreol. in 2. dist. 29. q. 1. ar. 1. concl. 4. Deesa Archiep. Hispalen. dist. 28. q. 1. & 3. Petr. à Soto lib. de Institut. Sacerd. lect. 16. Cassar. de tripart. hist. par. 1. lib. 1. cap. 35. vsque ad finem libri; Et omnium optimè, ac præstantissimè eam defendit nouissimè Pater Vasq. par. 1. disp. 91. & 1. 2. disp. 190. per totam, vbi plures alios Doctores pro hac sententia citat; & ait, hanc esse certissimè mentem D. Th. pluribus in locis, præsertim de Veritate q. 14. ar. 4. & in 2. dist.

Aug. Damas. Probabilior sententia; non posse hominem, nec minimū opus bonum operari propijs viribus. Alber. Altisiodor. Marsil. Alexan. Gerson. Gregor. Abulen. Castr. Capreol. Deesa Petrus à Soto Cassarius Vasq.

Nota ex D. Thom.

dist.28.quæst. 1. art.2. & 1.2.quæst. 109. ar. 2. vbi apertè hanc Veritatem docet: nam in argumento, *sed contrà*; adducit illa verba Apostoli Rom.9. *Non est volentis,scilicet,Velle; neque currentis;scilicet,currere;sed miserentis Dei*, Et illa Augustini in lib.de correct.& Gratia cap.2. *Quod sinè Gratia,nullum prorsus,siuè cogitando, siuè volendo, & amando, siuè agendo faciunt homines bonum*: Etiam in corpore ar. comparat naturam integram,& naturam lapsam, inter se, in ordine ad operandum;& duo dicit. Primũ est,quod *In Statu natura integræ,quantum ad sufficientiam Virtutis, poterat homo per sua naturalia Velle, & operari bonum, sua naturæ proportionatum; nempè, Virtutis acquisita. In statu tamen natura corrupta, etiam deficit homo quantum ad hoc bonum; idest non est sufficiens Implere bonum naturale morale per sua naturalia, Et sic in statu natura integræ, tantum indiget homo Auxilio ad operandum opera ordinis supernaturalis: At Verò, in natura lapsa, indiget Auxilio peculiari, quantum ad duo, scilicet vt sanitur: Et vt bonum supernaturalis ordinis operetur*: Secundum quod ibidè docet est; *quod, licet in hoc disconueniant hi duo status: conueniunt tamen, quia in Vtroque statu indiget homo Auxilio Diuino, vt ab ipso moueatur ad benè agendum*: Id quod etiam confirmat in respõsione ad primum, vbi dicit *Hominem Dominum esse suorum actuum, & Volendi, & non volendi, propter deliberationem rationis, qua potest flecti ad vnam partem, vel ad aliam, sed quod deliberet, vel non deliberet, & si huiusmodi etiam sit Dominus, oportet, quod moueatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet à Deo.*

D. Paul.

August.

§. II.

Explicatur mens D. Th.

2 QVæ, Vt intelligantur, notandum est; quod ad aliquid Volendum, duo requiruntur: Primum est, Obiectum, à quo Voluntas mouetur; quod se habet ex parte Intellectus: Secundum est,sufficientia potentiæ ipsius Voluntatis: Altero horum deficiente,non erit Volitio; nam (vt inquit Philosophus) *ex obiecto,& potentia paritur notitia*: Ità etiam; ex obiecto, & voluntate potente paritur volitio; Vndè si obiectum excedat Vires naturales ipsius Voluntatis, non poterit sola Voluntas, sine eo, quod adiuuetur illud attingere;sic etiam, si Vires Voluntatis erunt debilitatæ,& infirmæ,etiam si obiectum, aliàs, sit naturale; neque Velle illud poterit, absque Auxilio. Sit exemplum, in potentia Visiua:cuius obiectum est,Color: multoties potentia Visiua alicuius hominis est adeo infirma, ac debilis;vt, se sola, nequeat suum proportionatum obiectum respicere. Vndè indiget iuuamine,& sic,senes, & huiusmodi Vtuntur ante oculis, siue perspicillis, sine quibus, non possent aliquid respicere. Itâ ad propositũ; certum omninò est, quod si obiectum, quod proponitur Voluntati,sit ordinis supernaturalis, non poterit illud velle Voluntas sine eo, quod eleuetur, & adiuuetur Auxilio eiusdem ordinis cum obiecto; Ast, si obiectum sit ordinis naturalis, & proportionatum ipsi Voluntati: & Voluntas sit sana, poterit vtique,se sola, attingere illud;Si verò sit debilis, & infirma: indigebit Auxilio viribus naturæ superaddito, ad hoc, vt illud attingat.

Arist.

3 Item not.quod (vt supra diximus in principio huius Quodl.) Natura Rationalis, ex vi suæ constitutionis, est indifferens ad volendum hoc, vel illud, & in sua potestate est, quod possit indifferenter operari circa proposita sibi obiecta. Ast quod in actu secundo amet vnũ, & respuat alterum; opus est, determinetur, & moueatur p us, minusuè, ab extrinseco principio; Itaque Auxilium Potest considerari,&,ex parte obiecti,& ex parte potentiæ. Ex parte obiecti, dicitur excitans, vel mouens. vel operans; & consistit in hoc, quod tali, vel tali cogitatione ad volendum perueniamur. Auxilium verò ex parte Voluntatis, dicitur cooperans;& consistit in concursu, seu influxu Dei, quo nobiscum concurrit cum operationem elicimus; Et licet Deus (vt diximus) concurrat ad omnia opera secundarum causarum, concursu generali; Vltra tamen illud generalem concursum, solet Deus, peculiari alio concursu, adiuuare imbecillitatem, & infirmitatem potentiæ, ad hoc, vt attingat suum obiectum.

§. III.

D. Thom.

4 HIs adnotatis,facilè intelligemus mentem Angelici Doctoris; quid,inquam,velit in illis duobus dictis, supra positis? Nam, in primis docet; in natu-

natura integra, eo quod voluntas, tunc, humana consideratur in suo robore, & virtute constituta, non indigere hominem, ad volendum obiectum bonum sibi proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, aliquo peculiari Auxilio, distincto a generali concursu; nam, se solo, vt sic, sufficiens est exire in actus naturales moraliter bonos. At verò in statu naturæ corruptæ, quia remansit voluntas infirma & imbecillis, ratione peccati; ad huc, ad volendum bonum morale sibi proportionatum, indigere Auxilio Gratiæ, .i. vt Deus illam adiuuet ad operandum, peculiari concursu; Quare homo in natura integra constitutus tantum indigeret nouo concursu ad operandum opera ordinis supernaturalis; quia hæc excederent capacitatem naturalem. At verò, in statu naturæ corruptæ, non solum ad opera supernaturalia, indiget auxilio peculiari: sed etiam ad naturalia. Benè verum est, quod in vtroque statu (docet sanctus Doctor) requiritur Auxiliũ Gratiæ, ex parte obiecti, & cogitationis; nam, tam indifferens est ad operandum voluntas in statu naturæ integræ, quàm in statu naturæ corruptæ: Si quidem indifferentia hæc pertinet ad libertatem arbitrij; quod licèt post peccatum remanserit promptius ad malum, quàm ad bonum; & sic, indigeat maiori Auxilio excitãtè, & mouente, ad hoc, vt respuat malum, & amplectatur bonum: tamen in actu primo, tam indifferens est ad vtramque partem propositi obiecti, in natura corrupta, quàm in natura integra: Vndè sequitur euidẽter, quod Angelicus Doctor est pro nostra sententia.

§. IV.

5 NEque valet illum interpretari, quod loquatur de indigentia Auxilij generalis; nam hoc est præter mentem ipsius Doctoris; vt videre est in illo articulo: dum enim loquitur de natura integra, inquit; Ad vnum tantũ indigere auxilio, nempè, ad bonum supernaturale, non autem ad bonum virtutis acquisitæ: quod si loqueretur de concursu generali, id omnino falsum esset, nam etiam ad operandum bonum naturale, eo indiget homo, in quocumque statu consideretur. & quando asserit: *In vtroque statu indigere hominem auxilio Diuino, vt ab ipso moueatur ad benè agendum*: neque potest interpretari de concursu generali: Diximus enim, Auxilium mouens, siuè excitans, aliud esse ab auxilio cooperante, seu concomitante: hoc enim se habet ex parte potentiæ: Illud vero, ex parte obiecti: Concursus generalis dicitur auxilium cooperans, quia cooperatur cum ipsa potentia, & sic se tenet ex parte illius. Diuus autem Tho. loquitur de auxilio mouẽte, quod se tenet ex parte obiecti.

§. V.

Occurritur obiectionib. Caiet. qui nititur aliter interpretari D. Thom.

6 NEque Caietani aliquid obiectiones probãt, in expositione illius articuli §. *Ad euidentiam huius difficultatis*, &c. vbi nititur extorquere Sancti Doctoris mentem, dum ait: In eo loco, potius oppositum docere: siquidem, asserit, naturam humanam, per peccatũ non esse totaliter corruptam; nam potest, etiam in eo statu, per virtutem suæ naturæ, aliquid bonum particulare agere, vt ædificare domos, plantare vineas, & alia huiusmodi; non tamen totum bonum sibi connaturale: Ità quod in nullo deficiat. Sicut homo infirmus potest, per se ipsum, aliquẽ motum habere; non tamen perfectè potest moueri, motu hominis sani, nisi sanetur medicinæ auxilio. En (inquit Caietanus) quomodo Diuus Thomas non dicit, quod in statu naturæ corruptæ nullum opus morale potest: sed dicit, quod non potest totum huiusmodi bonum, per sua naturalia, implere; nam clarè affirmat, posse ædificare domos, plantare vineas, &c. qui actus sunt vtique virtutis acquisitæ. Ars, namque, vna quinque virtutum intellectualium est, (vt patet 6. ethicor.) ergò si potest proprijs viribus hos actus exercere, affirmat Diuus Thomas, posse benè moraliter operari; cum non concedat actus indifferentes in indiuiduo (vt nos supra tetigimus) alias, plantando vineas, & ædificando domos, homo peccaret: Patet consequentia, nam si huiusmodi actus non sunt boni moraliter; ergò moraliter mali; ergò sunt peccata.

7 Hæc inquam expositio nullo pacto est ex mente Sancti Doctoris, nam ipse inquirens; *An homo possit velle, & facere bonum absquè Gratia*; determinat, quod, *in statu naturæ integræ, poterat per sua naturalia operari bonum naturæ suæ proportionatum; quale est, bonum virtutis*

acqui-

acquisita, quantum ad sufficientiam operatiua virtutis. In statu autem naturæ corruptæ, etiam deficit homo ad hoc, quod secundum suam naturam potest; vt non possit totum huiusmodi boni implere per sua naturalia: hæc sunt formalia verba D.Th. non parum ponderāda; nam, cum asserit, *in statu naturæ corruptæ hominē deficere, etiam ad hoc, quod secundum suam naturam potest*: vult; quod licet bonum morale sit proportionatum naturę rationali; nihilominus tamen adhuc homo deficit; & nequit illud, proprijs viribus, attingere; sicuti attingeret in natura integra; quod autem ait (*vt non possit totum*) nō intelligitur eo modo, quo vult Caiet. ita vt dicat Sanctus Doctor, quod homo in eo statu potest aliquod bonum opus præstare; non tamen omnia, propter infirmitatem: nam aliud est dicere, *non potest totum opus præstare*; & aliud, *non potest omnia*; qui .n. dicit, *non potest totum*: idem est, ac si dicat, *non potest totaliter, ex omni parte, & perfectè illud opus attingere; benè tamen imperfectè*; & hæc est mens legitima D.Th. & colligitur ex exēplo, quod affert, de homine infirmo; qui potest, per se ipsum, aliquem motum habere: non tamen perfectè potest moueri, motu hominis sani; vbi non dicit, quod homo infirmus, licet possit exercere aliquem motum; non tamen omnes; sed dicit, quod illum motum, quem exercet, non exercet perfecto modo; sicut sanus: si .n. vult ambulare, ne deficiat, & cadat, indiget baculo, quo non indiget sanus; *sic etiā homo in natura corrupta* (inquit) *potest, per virtutem suæ naturæ, ædificare domos, plantare vineas, &c. non tamen taliter potest huiusmodi actus exercere, proprijs viribus, vt dicantur perfectè boni*; .i. vt habeant omnes circūstantias, ad hoc, vt dicantur moraliter boni; ita quod, in nullo deficiant; sed poterit, quantum ad substantiam, illa opera facere; vt autem sint bona moraliter; & sic perfecta, indiget Auxilio Gratiæ per Christum.

8 Neq; inde sequitur inconueniens, quod putat sequi Caiet. nimirum, quod Infidelis, & quilibet Christianus, in mortali, in omni suo actu deliberato, peccarent: hoc .n. falsum est; nam huiusmodi Auxilia, cum pertineant ad genus Gratię gratis datæ, concedit Deus, nedum Fidelibus, existentibus tamen in peccato: verum, & ipsis Infidelibus: pro omnibus .n. mortuus est Christus Dominus, & vult omnium salutem: præterquam quod, huiusmodi Auxilia ad opera bona moralia non sunt ordinis supernaturalis (vt censent nōnulli) sed naturalis; & sic, facilius, & libêtius conceduntur à Deo omnibus. Concludimus ergo, hanc nostram sentētiam esse etiam expressè ex mente D.Th. (quidquid eius discipuli dicant.)

§. VI.

9 Est etiam nostri Aegid. qui clarius idem dicit, ac D.Tho. illo namq; art.2. cit. dub.1. §. *Dicendum, &c.* docet; *omnia opera fieri propter aliquem finem; & sic, duplicem esse finem, naturalem, & supernaturalem: hominē, in natura integra, posse vtiq; operari opera, ordinata ad finem naturalem; Ast verò hominem, in natura corrupta, non posse, sufficienter, etiam in ipsa opera naturæ exire; quia infirmus non potest sufficienter facere opera sani*; & subdit, *quod dupliciter, post peccatum Adæ, indigemus Gratia; &, vt possimus facere opera naturæ; .i. bona moraliter, & consequi finem naturalem: &, vt possimus facere opera meritoria, & consequi finem supernaturalem.* Et §. *Cum ergo quæritur, &c.* dicit; *in statu naturæ lapsæ (cum comparemur ad opera naturalia, sicut infirmus est comparatur ad opera sani) sicut infirmus non potest facere, sufficienter, opera sani; sic, & nos non possumus, etiam opera naturalia, sufficienter facere.* Et §. *Possumus, &c.* ait; *possumus tamen, sine Gratia, exire in aliqua opera naturæ, aliqualiter: non tamen omninò sufficienter: quia natura post peccatum effecta est infirma; fuit vulnerata in naturalibus, & reddita inhabilis ad ipsa bona naturæ: incurrit .n. homo, per peccatum, cæcitatem in intellectu, vt iudicet falsa per veris; & difficultatem in affectu, vt difficile sit ei exire in bona opera*; adducitq; authoritatem Augustini 3. de liber. art. tom.3. vbi habet: *Sunt, reuera, omni peccanti animæ duo ista pœnalia; ignorantia; & difficultas: ex ignorantia, dehonestat error: ex difficultate, cruciatus affligit*; & subdit; quod, *approbare falsa pro veris, vt erret inuitus; & non posse se à libidinosis operibus temperare; non est natura instituti hominis: sed pœna damnati*, & tandem hoc idem docet in responsione ad secundum, ex argumentis artic.2. & in responsione ad primum ex argumentis in contrarium adductis, vbi nos.

Aegid. Columm. huius sententiæ.

Aug.

quod

quod idem est apud Aegidium ly, *sufficienter*; ac ap. d D.Th. ly, *totum* i vtrobiq. significat, *perfectè*.

§. VII.

1. conclusio. 10 His ergo sic statutis, sit prima nostra conclusio: Ad operandum quodcunq. opus bonum morale, quantumcunq; sit leue; dummodo sit ex omnibus circumstantijs bonum, necessariò, requiritur peculiare Auxiliũ Gratiæ per Christum, ex parte intellectus, quod dicitur, *Excitans*, & mouens efficaciter ipsam voluntatem; & consistit in præparatione sanctæ cogitationis. Hec conclusio mihi videtur omninò certa; & tantum maiori dilucidatione indiget. *Quare*, vt melius intelligatur, explicanda est quædam dignissima doctrina; quę erit fundamentum præcipuum, & ratio à priori huius conclusionis; & licet in principio huius Quodlibeti illam etiã adduxerimus; est nihilominus hoc loco clarius enucleanda: dicimus ergò, necessariam omninò nobis esse bonam cogitationem, qua præueniamur per singulas occasiones, in quibus operamur bonum: nam, licet liberi simus, & voluntas nostra liberè feratur in vtramq. partem; tamen, sine cogitatione, moueri nulla ratione potest; cum voluntas sit cęca potentia; &, ex consequenti, in tantum mouetur ad volendum, in quantum ei proponitur ab intellectu, mediante cogitatione aliqua, obiectum, quod amplecti debet, vel respuere: vnde inquit Philosophus, *Nil volitum, quin præcognitum*; & quia libera potentia est, ex ratione suæ naturæ; &, ex vi suæ creationis, non inclinetur magis ad volendum bonum, quàm malum; sed indifferenter ad vtrumq; se habeat; hinc fit, quod, quando excitatur ad bonum cũ bona cogitatione, cum posset non excitari; vel, excitari ad malum à cogitatione mala; debet, in hoc, peculiarem Gratiam agnoscere: nam liberum esset Deo, non mouere nos ad hanc, & illam boni cogitationem; immò permittere, quod moueremur ad malum; & sic, quod nos excitet cogitatione bona, & non permittat excitari mala; peculiare ipsius Gratiæ Auxilium est; & licet nos non simus, ex nostra conditione, destinati potius ad cogitationem mali; quàm boni; cum tamen succumbimus malo, nullum beneficium agnoscere possumus; sed in eo tantum beneficium est, quod applicemur ad bonum; nam signum est, quod efficacius mouemur, & excitamur a cogitatione bona: & vtique ad hoc Christus Dominus mortuus est, vt bene operemur, & cõformiter rectæ rationi viuamus.

Arist.

§. VIII.

11 Sed obijcies contra hoc: quia cogitatio bona multoties prouenit à causis externis, quæ ita ordinatæ sunt, vt, sine miraculo, non possint non excitare; ergo talis cogitatio nõ est Gratia distincta à dono creationis, & conseruationis, quo, causæ istæ cõseruatæ, & creatæ sunt. Obiectio.

Respondeo, negari non posse, talem esse aliquando rerum seriem; vt sine miraculo, Deus nõ posset bonam cogitationem impedire; tamen, cum talis rerum ordo sit à Deo dispositus, nulla est ratio, cur negari possit, hanc bonam cogitationem ad Deum referendam esse, qui poterat aliter, & aliter causas ordinare; &, licet aliquãdo cogitatio necessariò detur homini, ex vi præcepti; illa tamen est solum sufficiens; cum qua, licet possit voluntas benè moraliter operari, potestate antecedenti; non tamen de facto cum illa operabitur: quia non est congrua, & efficax, cum qua voluntas necessariò operatur, necessitate consequenti; eo quod vidit Deus voluntatem cum tali cogitatione consensuram liberè; vnde dicimus, verum esse, hanc congruam cogitationem sæpè oriri ex naturalibus causis; & causarum dispositionem pertinere ad prouidentiam Dei, ad communem, quidem, prout causat communes, & debitos effectus: ad specialem verò, prout facta est, & ordinata à Deo ad effectus speciales, & indebitos; cuiusmodi est congrua cogitatio. Solutio.

§. IX.

12 Sed iterum fortius obijcies: ad hoc, vt Auxilium non sit Gratiosum; sed necessariò debitũ, non est necessitate, quod semper detur, & omnibus indiuiduis; sed satis est, quod toti speciei negari non possit, iuxta exigentiam talis naturæ; *Quod* patet exemplis: nam, ad communem spectat prouidentiam, Aquilam volare; quia hic actus debetur, saltem, speciei; & congruenter condi non potuit Aquila, quin plura huius speciei indiuidua volarent; licet plura sint indiuidua, quæ, vel ex defectu speciei excitantis cogni- Obiectio.

gnitionem, vel appetitum volandi; vel quod sine potentijs, monstruosè, condita sint, hos actus nō exerceant. Item pia cogitatio sufficiens (secundum Vasq.) est debita; alias nec libertas integra maneret, nec consensus malus imputaretur ad culpam; (vt infra nos latius docebimus:) non tamen est Gratia peculiaris; neque spectans ad specialem prouidentiam: & tamen non omnibus datur, neq. magis pendet ex nostra potestate, quàm cogitatio congrua; sed, licet in vno, vel alio indiuiduo, vel respectu aliquorum actuū in particulari possit Deus condere hominem, cui non detur Auxilium congruū ad benè operandum; tamen quod omni homini, & respectu omnis bonæ actionis deneget illud, fieri non potuit, seu nō debuit: ergo cogitatio congrua non est Gratia: mi. prob. nam oppositum alienū est à Diuina Bonitate: alienum namquè ab illa est, impedire causas, ne vllam excitent cogitationem congruam; Ast, si Deus, causas, suos cursus agere sinat, & nisi, d. ita opera, illas impediat; impossibile est; quin, in tanta hominum multitudine, cogitatio, à causis naturalibus orta, sæpè habitura sit effectum bonum; quod non tātum videtur verum, in dispositione causarum, quam de facto Deus constituit: sed etiam in quacunquè possibili, suo cursui relicta, & non impedita.

Vasq.

13 Hoc argumentum, licet videatur difficile; nihilominus facilè soluitur, cōc. ma. & neg. mi. Ad cuius probationem respondeo; falsum esse, pugnare cum Dei bonitate, in aliquo statu, ita cōdere causas, vt in aliquo, saltem, indiuiduo non oriatur cogitatio pia efficax: damnati .n. non habent hanc cogitationem efficacē. Ideo verò non pugnat; quia, cum causas disposuit, vnde vidit, non orituram cogitationem efficacem, non assumit curam impediendi, ne bonus sequatur effectus; potius .n. voluit, voluntate antecedenti, bonum sequi: quod si non sequitur, non est, quia Deus nolit sequi; vel quia neget auxilium, vt sequatur, sufficiens; sed quia homo non vult Deo vocāti respondere; vult ergo Deus primum nostrum cōsensum, dum excitat: falsum est, quod velit, positiuè, non esse primum nostrum consensum; neq; disposuit causas excitaturas cogitationem sufficientem, vt non sit consensus noster: ordinat ergo causas, & prævidet, cogitationem inde emanaturam, ex defectu nostri liberi consensus, fore inefficacem; non tamen ordinat illas in eum finem, vt cogitatio illa excitanda non sit congrua; seu vt homo non consentiat; & sic, potuit etiam ordinare causas naturales, saltem, in natura lapsa; quæ, nisi per Christum reparata fuisset, remansisset in termino damnationis; vnde quod sanctam cogitationem congruā habeat natura lapsa, vel in vno indiuiduo; Gratia est per Christum, & non debitum; non .n., ex debito, præparauit homini medicinam, cum remedium nostræ infirmitatis positum fuerit in libera Dei voluntate; & nemo potuisset cogere Deum; vt exhibuisset Gratiam creaturis lapsis in peccatum; hinc Sap. 12. dicitur, *Quis .n. imputaret tibi, si perirent nationes, quas tu fecisti?* Nimirum, quia nemo potuisset contendere cum Deo, & obijcere ei rationes, quibus ostenderetur, indignum fuisse sua Maiestate, & alienum à sua bonitate, permittere suarum creaturarum ruinas.

Solutio.

Nota benè.

Sap. 12.

14 Tunc .n. iudicatur indecens, & indecorum alicui, non emendare defectus propriorum operum; quando imminet suspitio defectus potentiæ: at verò Deo, neq. indecens fuisset, neq. indecorum, neque à sua bonitate alienum; etiam si omnibus hominibus denegasset sanctam cogitationem congruam, & permisisset totam naturam rationalē, in peccatum lapsam, perire; quia non poterat id tribui defectui potentiæ; prætetquam quod illud dicitur indecens alicui, quod primo intuitu videtur alienū à dignitate illius; &, alias, non fulcitur ratione fortiori, qua superetur prædicta indignitas, & abalienatio: Deum autem denegare congruam cogitationem omnibus hominibus, & permittere ipsorum ruinam, post peccatum, præsertim; & si videatur alienum ab eius Maiestate; initi potest fortiori rationi; secundum quam reddatur decens, & decorum; v.g. si Deus, negando Gratiam, vellet ostendere turpitudinem peccati, quod talem meruit indignationem; aut exhibere se Dominum Gratiæ suæ; non conferendo illam indignis; quod si fecisset, sapientissimè fecisset, & argui minimè potuisset, nec conuinci indecentiæ; quemadmodum, quamuis magis alienū videatur à Maiestate Dei, assumere formam serui, & eam exponere ludibrio Crucis, & tormentorum; tamen quia id factum est ex nimia illa charitate ad destruendum Regnum peccati, non iudicatur indecens Deo; immò decentissimum; iuxta illud Apostoli: *Quod stultum* est

Non fuisse indecens, & indecorum, D.o si perire permisisset omnes creaturas.

D. Paul.

est Dei; sapientias est hominibus; ita similiter fuisset in nostro casu, si Deus denegasset congruam cogitationem hominibus lapsis; vnde sequitur; quod, etiam si multories à dispositione causarum naturalium oriatur congrua cogitatio; & illa causarum dispositio pertineat ad prouidentiam Dei; tamen, quatenus ordinata est ad effectus debitos, & ordinarios, pertinet ad prouidentiam communem, & genetalem; quatenus verò disposita est à Deo ad effectus speciales, & indebitos, cuiusmodi est, congrua cogitatio, pertinet ad Dei prouidentiam specialem, & sic, indebitam, & Gratiosam.

§. X.

Voluntas necessario, vt moueatur indiget moueri ab obiecto.

15 Dicebamus ergò, requiri, necessariò, ad nostram volitionem, (ad hoc, vt sit circa bonum,) cogitationem bonam; qua necessitate, non impeditur libertas nostra: nam necessitas hæc est vniuersè; quatenus voluntas necessariò indiget moueri ab obiecto, ad hoc, vt operetur; non quia ab illa cogitatione necessariò moueatur; cum possit non moueri, adhuc, illa posita, possibilitate antecedenti; & sic, verùm est dicere, loquendo vniuersaliter, nullo modo voluntas potest operari, absque eo, quod prius sibi proponatur obiectum ab intellectu: & hoc non repugnat libertati, quæ consistit in hoc, quod, proposito sibi obiecto, possit consentire, & non consentire. Non autem, quod operetur, absque proposito obiecto; vel antequam sibi proponatur; cum de ratione cuiuscunq. potentiæ sit, versari circa suum obiectum; quod, si impossibile esset obiectum, impossibilis etiam esset potentia: vt, si esset impossibilis color, esset vtiq. impossibilis potētia visiua; &, si esset impossibile Verum, quod est obiectum intellectus, esset etiā impossibilis adhuc intellectus ipse, &c. quorsum.n. dare potentias, quæ non possent exire in aliquem actum? falsum tamen esset dicere; proposito obiecto voluntati, necessario, & simpliciter ipsam operaturam: nam, non necessariò operatur voluntas circa suum obiectum, sed liberè: se habet.n. indifferenter ad velle, & nolle; &, quodcunq. obiectum illud sit, (excepto Deo, in quo extat omnis ratio boni) poterit voluntas velle, & respuere, pro sua libertate, saltem simpliciter loquendo, & potestate antecedenti: restat, ergo efficacissimè probata, stabili fundamento, prima nostra conclusio.

§. XI.

16 Secunda conclusio: præparata sancta cogitatione congrua voluntati; ad hoc, vt operetur voluntas circa illam, & velit: idest; ad hoc, vt respondeat, & exeat in actum suum, benè moraliter operando, in natura corrupta; præter generalem cōcursum Dei, indiget alio peculiari Auxilio Gratiæ, coadiuuante ipsam voluntatem, & cooperante cum illa; ne deficiat in aliqua circumstantia operis necessaria ad efficiendum ipsum moraliter bonum; licet, absq. tali peculiari concursu, & Auxilio, posset aliquando, proptijs viribus, attingere substantiam alicuius actus; vt ædificare domos, plantare vineas, pergere ad agrum, &c. At verò, vt huiusmodi opera fiant, ex debita intētione, & fine, ad hoc, vt dicantur bona moraliter, non sufficit sola, & nuda volūtās. Hæc est expressa D.Th. & Aegid. vt supra vidimus; & omnium Doctorū, quos pro nostra sententia citauimus; quam, inter alios, egregiè probant Vasq. p. 2. disp. illa cit. 190. per multa capitula Vega de iustific. q. 12. & Castro, verbo *Gratia*. hær. 1. concl. 3. authoritatibus sacræ Scripturæ, Cōciliorum, Summorum Pontificum, Sāctorum Patruum, & etiam rationibus; quæ omnia possunt apud citatos Doctores videri. Ex quibus multis, nos, breuitatis causa, pauca adducemus. 2. concl. D.Th. Aegid. Vasq. Vega. Castro.

17 Et primò authoritatibus sacræ Scripturæ probanda est: nam Io. 15. dicitur, *Sine me nihil potestis facere*; quæ verba in Conc. Milleu. explicata fuere can. 5. de operib. bonis vniuersaliter; immò Augustinus lib. 1. de Grat. Christi c. 29. vrgēs hunc locum, dicit; *Non dixit Christus; sine me parum, aut difficilius potestis facere; sed nihil*: vnde constat, falsam esse interpretationem eorum, qui volunt; illis verbis, tantum voluisse Christum significare insufficientiam nostram ad opera meritoria, vel conducentia ad nostram iustificationem, immediatè, & disponentia nos ad Gratiam. Probatur ex sacr. Script. D. Io. Conc. Milleuit. August.

18 Immò extat locus adductus à D.Th. in argumento: *Sed contra*: Rom. 9. *Non est volentis*, .s. (velle,) *neq. currentis*, .s. currere, *sed miserentis est Dei*; vbi, nisi esset sermo de bono opere morali, frustra D.Th. vsus illo fuisset, eo loco; siquidem, quærit in illo art. 2. *An possit homo, absquè Auxilio Gratiæ, velle, & facere bonum opus morale*? & postquam triplici argumento partem quæstionis affirmatiuam D.Paul. D.Th.

probasset, eligit partem negatiuam, quā probat hac authoritate Pauli; & alia Augustini superius adducta c.6.§.1. *Secunda sententia, &c.* ergò ex mente D.Th.Paul. loquitur de bono opere morali.

19 Item ad Philipp.2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate.* Operatur *velle*, excitando voluntatem ad opus; præparando illi sanctam cogitationem: operatur, autem, *perficere*; cooperando simul cum illa, & adiuuando imbecillitatem ipsius, ne deficiat.

Ex Concilijs probatur. Arausic. 20 Secundò probatur authoritatibus Conciliorum in Arausic.nu.2.can.9. dicitur; *Diuini muneris est, cum rectè cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & iniustitia tenemus; quoties n. bonum aliquid agimus, Deus in nobis, & nobiscum, vt operemur, operatur*, & Can.20. dicitur, *Multa bona facit Deus in homine, qua non facit homo: nulla tamen bona homo facit, qua non Deus præstet, vt faciat homo*; & Can. 22. dicitur, *Si quis est homo, qui faciat veritatem, & iustitiam, ob illo vtiq. fonte habet, quem debemus sitire.*

Conc. Palestinum. 21 Item ex Conc. Palest. vbi refertur Pelag. retractasse hanc propositionem, quæ apud ipsum erat 7. (*Gratiā Dei, atq. adiutorium, nō ad singulos actus donari; sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina*) Retractatio Pelagij. retractatio verò, quæ ei oblata fuit in Concilio, & quam ipse cum alijs ibi confessus fuit, hæc est. *Fateor, Gratiā Dei, & adiutorium, ad singulos actus dari, eamq. non dari secundū merita nostra*: quam etiam retractationē refert Augustinus epist.106. & 107. vbi ait, quod Pelag. tantum concedebat Gratiam creationis; & sic, compulsus est aliam distinctam confiteri. Aug.

Ex Summis Pontificibus probatur. Innocent.I. 22 Probat etiam tertiò Vasq. multorum Summorum Pontificum authoritate: & quartò in numeris ferè Sanctorum Patrum testimonijs; sed pro illis sufficiat Innocent.I. qui in Epist.25. quæ habetur in 1.to.Conc.ad Conc.Carthaginen. c.8. inquit. *Patet nos ad resistendum, non lib. arbitrium, sed diuinum fecit esse Auxiliū*; & paulò inferius asserit; *omnes Sanctos dicere, homines nil boni posse facere, sine adiutorio Dei*; & subdit postea; *necesse est, vt quo adiuuante vincimus, eo non auxiliāte vincamur*. Chrysost. Adde Chrisostomum in epist. ad Cōcilium Milleuit. vbi ait, quod omnia merita, & omnia opera bona cōceduntur nobis à Deo; sine quo nil istorū habere possemus; & infra: quod in omnibus bonis actibus, & operibus plus valet Diuinum auxilium, quàm nostrum liberum arbitrium. Adde Cęlestinum tādem Cælestin. I. primū, qui epist.1. ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in eodem to. Conciliorum, (postquam retulisset, & probasset verba citata, ex Innocent.) inquit. *Liberum nostrum arbitrium nihil, sine Diuino adiutorio, operari posse, sed quod in omnibus, & singulis actibus indiget Auxilio Diuino.*

Cyprian. 23 Ex Patribus autem, sufficiant Cyprianus, lib.3. ad Quirin.c.4. vbi ait: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est: quid n. habes, quod non accepisti?* & Hieron. Hier.lib.1.con.Pelag. adducit huius Hæretici dogma, dicentis; *non indigere nos Dei Gratia ad singula bona opera*: postea subdit: *Dormitat ergo Deus in operibus nostris, semel data liberi arbitrij potestate; neque orandus est, vt in singulis operibus nos adiuuet?* & in epist.ad Cthesifontem. aduersus Pelag. ait; *audi ingrate, immò sacrilege. Apostolum, 1. ad Corinth. 10. prædicantem, siuè manducatis, siuè bibitis, siuè quid aliud agitis, omnia in nomine Domini agite.* Quibus verbis, ostendit manifestè, ad singula hæc necessarium esse Auxilium Gratiæ. Omitto reliquos; omitto tādem Augustinum, acerrimum Gratiæ Dei defensorem, & Pelagij apertissimum inimicum; qui, singulo quoquè verbo, Dei Gratiam commendat ad omnia opera; cuius si vellem dicta notare, in cōfirmationem huius conclusionis, molestissimus essem; videantur tamē eorum multa, apud Vasq. præsertim.

§. XII.

24 Solet variè responderi ad omnia hæc loca; quatuor solutiones adducit Vasq. easq. optimè impugnat c.7. 8.& 9. sed nouissimè respondet Zumel Responsio ad hæc loca ex Zum. disp.6. post 8.cōcl. *§. ad argumenta*, cum ferè tota Schola Salmaticensi, ea loca intelligenda esse omnia, de collectione bonorum operum moralium; non autem de illis, diuisim sumptis; Quæ solutio parui momenti est, & hi Authores videntur Impugnatur. sibi ipsis contradicere: supponunt .n. esse aliqua opera difficilia, & ægregia, quæ fieri nequeunt absq. Gratia: ergò iam, nō tantum ad omnia, collectiuè, requiritur Auxilium speciale; sed & ad aliqua, diuisiuè. Addo, quod Sancti Patres, & Concilia clamant; nihil, omninò, boni posse hominem, sine Dei Gratia; non habere de suo, nisi peccatum, & mendacium; &,

ad.

ad singulos actus esse necessariam Gratiam; ergo apertè hæc interpretatio est contra mẽtem Conciliorum, & Patrum.

Responsio aliorum.

25 Alij etiam recentiores, vt respondeant illis locis, dicunt; Pelag. non fuisse à Concilijs damnatum, ex eo, quod negabat necessitatem Gratię ad bona opera; sed ex eo, quod aiebat, posse hominẽ, per vires naturæ, iustificari, totam legem implere, & mereri vitam æternam; & ita Concilia, & Sanctos Patres, per hyperborem, vsos fuisse exageratione; &, vt vitarent errorem illum, in extremum declinasse; ita vt dicerent, non solum ad ea, quæ Pelag. negabat; verum etiam ad bona opera moralia, esse necessariam Gratiam.

§. XIII.

Impugnatur.

26 Cœterum hi Doctores videntur potius imponere stultitiam Sãctis Patribus, & Sacris Concilijs: dicitur .n. *quod stulti, dum vitant vitia, in cõtraria currunt*; &, licet gratis eis concedamus, quod in vna, vel altera ratione sancti vti potuissent hyperbore, tamẽ, in tota doctrina, admittere illam, non licet; & præsertim, hoc valdè intolerabile est concedere in definitionibus Conciliorũ; hac .n. ratione posset enetuari tota vis sacrarũ diffinitionum, & sãctionum; & per consequens, infringi omninò nostrę fidei robur.

27 Benè verum est; quod, cum hoc nõ sit ab Ecclesia directè decretum, non erit error, contrariam sententiam substinere; pro qua (vt vidimus) sunt celeberrimi Theologi: tamen lõgè probabilior; immò plus pia, & de Excellentia Diuinæ Gratiæ meliùs sentiens, & Concilijs, Patribusq; conformior est sententia nostra.

Reprehenditur Maldon. D. Io.

Quidquid dicat Maldonat. qui exponens illud Io. 15. *Sine me nihil potestis facere*; iniquum iudicium fert de illa, dicens; *Duces illius esse Hæreticos nostri temporis*; cum illam, tot Sãctorum Patrum authoritatibus, probauerimus. Sicuti, & in multis alijs punctis speculatiuis, quæ nititur hic Author tangere in expositione Euangeliorum clarè demonstrauit, se parum versatum in materijs Scholasticis; licet sacræ Scripturæ sit optimus expositor; & videtur ignorasse errores Hæreticorum nostri temporis; dum, Duces huius sententiæ, Hæreticos nostri temporis appellat; & quanto sibi fuisset honori, si Ducum huius sententiæ, nedum, intelligere ægregia scripta; verum, & excutere ab illis puluerem valuisset? præsertim, Gregorij Arimin. qui antiquitus hanc in medium propalauit doctrinam; viri nunquam satis laudati, & nudato capite, ab omnibus nominandi: & nouissimè, celeberrimi Patris Vasq. qui, eam ferè emortuam, suscitauit, inter reliquos Eminentissimos sacrę Societatis Iesu Theologos, præstãtissimi Theologi? est ergo nedum Catholica hæc nostra sententia, verum, & magis confirmis menti Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum.

§. XIV.

Probatur rationibus. 1. ratio. D. Th. Aegid.

28 Quæ, tandem, etiam rationibus potest probari; & primo ratione, qua vtuntur D. Tho. & Aegid. locis cit. Natura humana, post peccatum, remãsit, etiam in naturalibus, vulnerata, & infirma; ergo non est sufficiens ad operandum, absq; aliquo auxilio, de nouo illi superaddito, aliquod bonum opus morale; antecedens est certum; consequentia verò probatur; nam opus bonum morale est opus naturæ institutæ, & sanæ proportionatum: sed infirmus non potest exercere, proprijs viribus, opera sani, perfectè, & sufficienter; quia habet vires debilitatas; ergo neque homo, in statu naturæ infirmæ, potest, se solo, operari opera bona moralia perfectè. Et cõfirmatur, ex eodem Aegid. nam non solum (inquit Aegid.) habemus naturam infirmam; quia nascimur in peccato; sed etiam habemus naturam contrariam; siquidem habemus aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ. ergo ad roborandas infirmas vires naturæ, & viriliter resistendum contrarietati legis, quæ est in membris nostris, indigemus necessariò Auxilio peculiari Dei per Christum; nam ad hoc Christus mortuus est, vt sanetur infirmitas naturæ, & tollatur imbecillitas; & etiam, vt euadamus fortes in bello, quod contra rationem continuò mouet appetitus sensitiuus, &c. vtraquè hæc ratio est efficacissima, & à priori; nec parui faciẽda, quia facilis; siquidem citati Doctores in ista infirmitate, & pugna fundant omnem insufficiẽtiam naturæ corruptæ. Conf.

29 Secundò probatur conclusio ex vtilitate orationis; quæ ratio etiam est magni momenti, desumpta ex doctrina Patrũ (vt optimè docet Vasq. disp. 189.)

nam

nam non inaniter petimus à Deo Auxilium ad singula bona opera: esset autem inutilis oratio, qua peteret aliquis id, quod præstare posset, sine Auxilio Gra-
4. ratio. tiæ: ergo ad singula bona opera est necessaria Gratia. Consequentia patet, ex illo
Aug. dicto Augustini epist. 90. *Oratio est clarissima Gratia testificatio*; & ma. est euidens, ex consuetudine Ecclesiæ, quæ, varijs orationibus, petit Auxilium Gratiæ ad singula bona opera; vt patet in illa oratione communi. *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Vbi etiam nota, in corroborationem primæ conclusionis; quod petit Ecclesia, ista oratione, à Deo Auxilium excitans, & mouens ad benè operandum, dum dicit; *Aspirando, præueni; Et à te semper incipiat*; & etiam petit Auxilium cooperans, dum ait; *Et adiuuando prosequere; Et per te cœpta finiatur, &c.*

30 Habemus etiam orationē Dom. 6. post Epiphan. *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis*; in qua oratione, notāda est particula (*semper*) .i. in quocunq. bono opere; &, vt indicet, de quo bono opere loquatur, dicit (*Rationabilia meditantes*) .i. opera rationi conformia; qualia sunt, bona opera moralia; vnde patet; Ecclesiam, non pro vno, vel altero bono opere petere; sed pro omnibus, & singulis, quocunq. tempore, faciendis.

31 Item oratio Dom. in sexag. *Deus, qui aspicis, quia ex nulla actione confidimus, &c.* & oratio Dom. 2. Quadr. *Deus, qui cōspicis omni nos virtute destitui, &c.* manifestè indicant etiam insufficiētiam nostrarum virium naturalium; dum in secūda dicitur (*omni nos virtute destitui*;) idest; non solum in ordine ad supernaturalia opera; sed etiam ad moralia, quantumuis leuia; nā ex nulla prorsus actione confidimus; ergò si hæc omnia à Deo petimus; fatendum est, nos non posse aliquod bonum opus præstare, absq. Diuino adiutorio. Patet consequētia iterum; quia ideo non petimus à Deo, vt Sol illuminet; aut, vt ignis calefaciat; quia hæc fiunt ab his agentibus, solo concursu ge-
Conc. Carth. nerali. Hac consequentia vtitur Concilium Cart. contra Pelag. vt patet ex illius epist. ad Innocent. I. & Aug. contra eundem, lib. de Grat. Christi cap. 18. & con. Vital. in epist. ad ipsum.

32 Tertiò probatur ab inconuenienti; nam si cum solo concursu generali potest homo lapsus benè moraliter operari; sequitur, quod non aliter Deus nobis auxiliatur ad bona opera, quam ad mala, & peccata; quod patet esse falsum; nam sæpissimè proclamatur à Sanctis; nos à nobis ipsis habere vt peccemus; vt autem benè operemur, hoc solum esse à Deo; patet etiā inde huius falsitas; quia, item, alias sequeretur, quod sicut peccādo non debemus de peccatis Deo reddere gratias; sic etiam benè moraliter operando, & superando tentationes per actus oppositos virtutis, neq. deberemus Deo gratias reddere; siquidem non magis mihi auxiliatur ad benè operādum, quàm ad peccandum; quod autem illud prius absurdum sequatur; patet; quia ad elicienda mala opera, etiam indigemus Auxilio generali Dei. ergo si non indigemus ad benè operandum alio Auxilio, à generali distincto, eodem modo se habet Deus mecum ad bonum, ac se habet ad malum; hac etiam ratione vtitur Augu- Aug.
stinus contra Pelagianos lib. de Grat. Christi; & de peccato originali cap. 25. 3. ratio.

CAPVT VII.

Satisfit rationibus, pro contraria sententia adductis supra cap. 5.

§. I.

1 Ituntur aduersarij variè etiā has soluere rationes; cęterum, optimè pōderatis his omnibus, quæ diximus in notabilibus positis, & fundamētis iactis, facilè poterunt eorum friuolę solutiones impugnari, nostraq. sententia roborari, atq. fortius confirmari; satisfaciamus ergo argumentis, in contrarium adductis, oportet.

2 Et primò ad locum desumptū ex 2. ad Rom. Respondeo; ly (*Naturaliter*) posse dupliciter vsurpari ibi: primò ita, vt idem sit; ac, *Viribus naturæ*. Secundò ita, vt idem sit, ac, *Consentaneè rationi naturali; seù naturæ rationali*; non est autem eo loco ly (*Naturaliter*) intelligendum, primò modo; sed secundo: ita, vt mens Apostoli fuerit, dicere; Gentiles, quia Satisfit argumentis oppositę sententię Ad 1.

quia carent lege fctipta, & Euangelica, operaucur opera, quæ consentanea sunt rationi naturali; qualia sunt opera virtutum moralium; non tamen voluit excludere Paulus Auxilium Gratiæ, quod etiã conceditur à Deo Infidelibus ad operãdum opera bona moralia; quæ benè possint fieri ab Infidelibus, & Gentilibus (vt supra tetigimus.) nam quando Infidelis, naturali compassione, compatitur miserijs alicuius, sine eo, quod ordinet talem actum ad aliquem prauum finem, (iuxta dicta supra,) talis actus proculdubio moraliter bonus est, *ex obiecto*; quia pertinet ad genus Misericordiæ; *ex intentione*; quia qui compatitur miserijs alicuius, vellet non reperiri in illo tales miserias; & tandem est etiam actus bonus *ex fine*: nam licet non sit actu ordinatus ab operante; sufficit, quod sit actus, ex obiecto, & genere bonus, & non ordinatus ad finem, oppositum verò fini; ad hoc, vt, virtualiter saltem, dicatur ordinatus ad verum finem: nam, cum actus honesti ex se, & ex natura sua (nisi vitientur à malo fine ab ipso operante) habeant naturalem ordinem ad rectam rationem, cum qua concordant; & recta ratio habeat naturalem ordinem, & consensum cum Diuina ratione. Cuius hæc nostra ratio est quædã participatio: manifestè sequitur, quod ea, quę consonant cum recta ratione humana; licet ab Agente non ordinẽtur in altiorem finem; consonabunt tamẽ cum ratione Diuina; & dicentur, ex se ipsis, ordinata ad verum finem; ita docet

Aragon. Aragon. 1. to. 2. 2. q. 10. art. 4. concl. 2. & ad 1. quare dicimus; Paulum voluisse insinuare, illis verbis, Infideles, adhuc, operari opera consentanea rectæ rationi; nõ tamen sine Auxilio Gratiæ ordinis naturalis; non .n. ad similia opera indigemus Auxilio ordinis supernaturalis; ita docet

Anselm. D.Th. Aug. Ansel. & etiam D. Tho. in expositione illius loci, & Augustinus l. de Spiritu, & litera c. 27. dicit: *cum illic scribitur, fiunt quæ legis sunt, naturaliter; non quod, per naturam, Gratia sit negata: sed potius, per Gratiam, reparata natura.*

§. II.

Ad 2. respondetur 1. 3 AD secundum locum, desumptum ex Tridenr. Respondeo potius fauere nostræ sententiæ; mens .n., & sensus Concilij, eo cap. est; omnia præcepta esse nobis possibilia, *potestate antecedẽti*; nam, ex vi præcepti, datur nobis pia cogitatio sufficiens, qua posita, potest, simpliciter, & absolute voluntas, *possibilitate antecedenti*, quæ se tenet ex parte causæ liberæ, omnia obseruare: non tamen, *possibilitate consequenti*, illa obseruabit; & hoc, quia vidit Deus, voluntatem non responsuram suis monitionibus, & inspirationibus; quibus eam excitat ad præceptorum obseruantiam; & sic, inquit Concilium, *Deum impossibilia non iubere nobis: sed iubendo monere*. i. quando iubet obseruantiam præceptorum, excitat nos ad illa obseruanda, Auxilio sufficiẽti; quia, eo posito, possumus illa, simpliciter, obseruare; & quia, (ex suppositione, & potestare consequenti,) in actu secundo, non valemus, absq. nouo Auxilio Gratiæ, ea adimplere; monet, quod petamus ab ipso tale adiutorium: vnde ipse postea adiuuat, peculiari Gratia, nostrã voluntatem, vt valeat, in actu secundo, præcepta naturalia, sibi imposita, adimplere. Vel secundo respondeo, quod in Respondetur 2. obseruatione præcepti, duo considerantur; nempè, Substantia ipsa præcepti, & circumstantiæ, diximus in nostra secunda conclusione, ex mente D. Th. & Aegid. posse hominem aliqua bona opera facere, quoad substantiam, viribus naturæ: non autem illa opera bona, erunt moraliter bona, nisi fiant cum debitis circumstantijs; hoc autem, quod est, facere opera perfectè bona, & ex omnibus circumstantijs, non potest homo infirmus, quia sunt opera hominis sani; & sic, monet Deus (inquit Concilium,) quod ab ipso petamus Auxilium; vt, nedum possimus obseruantiam præceptorum, quoad substantiam, adimplere; verum, etiam, quoad omnes circumstãtias; & ipse adiuuat, vt ita possimus illa obseruare. Vtraq. solutio optima est.

4 Ad confirmationem respondeo, Ad conf. Concilium, eo can. diffinire contra nouos Hæreticos Pelag. sectantes, qui fatebantur, homines, absq. aliqua Gratia per Christum, iustificari, solummodo suis operibus, ex viribus naturæ depromptis, vel à legis doctrina dictatis; cumq; soleãt Concilia, in damnando Hæreticorum dogmata, illa, ferè de verbo ad verbum, repetere; hinc est; quod dicat; *si quis dixeris* (nempè illud, quod noui Pelagiani falso disseminant) v. g. *Hominem, suis operibus, quæ, vel per humana naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absq. diuina per Christum Gratia posse iustificari, anathema sit*; ex qua definitione nõ sequitur;

Cócilium ſupponere, eſſe aliqua opera, quę fiunt, per humanæ naturæ vires; nam, de hoc, nil ſibi: ſiquidem error damnandus illorum Hæreticorum non erat; quia faterentur, poſſe hominem, proprijs viribus, operari bona opera moralia; ſed quia docebant; abſque Gratia, poſſe iuſtificari; & hunc errorem illa definitione damnat Concilium; remittens, vt opinabile, à Catholicis Theologis, diſcutiendű impune; an dentur huiuſmodi bona opera moralia proprijs viribus à nobis elicita, abſq. aliquo Auxilio Gratiæ, ſaltem naturali?

§. III.

Ad 3. 5 AD tertium argumẽtum, depromptum ex authoritatibus Sãctorum Patrum, Reſpondeo; & primò ad primum locum Auguſtini; (licet ad illű optimè reſpondeat Pater Vaſq. diſp. cit. cap. 17. n. 164.) Reſpondeo, Auguſtinum docere, fieri interdű bona opera ab his, qui nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti iuſtificat Gratia; *quibus* verbis, non excludit Aug. Auxilium Gratię ab operibus bonis moralibus impiorum; ſed Gratiam iuſtificantem; quaſi dicat Auguſtinus, quod impij, ſiue peccatores Catholici tamen, ſiue Infideles; licet nondum habeantur in numero iuſtificatorum; habent tamen quædam bona opera in vita impia. Non vero, ex illis verbis ſequitur, Auguſtinum docere, impios operari perfectè illa opera bona moralia, proprijs viribus, abſquè aliquo Auxilio per Chriſtum; vt patebit ponderanti verba Sancti Doctoris, quæ ſunt ſequentia, fideliſſimè adducta ex cit. loco; *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti iuſtificat Gratia; ſed eorum potius, quorum, etiam impiorum; nec Deum verum, veraciter, iuſteq. colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ, ſecundum iuſtitiæ regulam, non ſolum vituperare non poſſumus; verum etiam meritò, rectèq. laudamus; quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant? vix inueniuntur, quæ iuſtitiæ debitam laudem, defenſionemuè mereãtur.* hæc Auguſtinus, vbi, poſtquam loquutus fuiſſet de homine iuſtificato; nimirum, quod delectabiliter operatur opera legis, ſubdit. *Hominem peccatorem, & impium, etiam aliquando operare aliqua opera legis.* Indicans, non requiri gratiam habitualem ad benè moraliter operandum, licet cum illa delectabilius operemur: raro autẽ huiuſmodi opera docet, eſſe perfectè bona; ſed, ad plurimum, apparẽter; vnde inquit; quod videntes nos, qui non iudicamus intrinſeca illa impiorum opera; ea digna laude, potius, quam vituperio iudicamus; quod ſi poſſemus penetrare, quo fine fiant, & qua intentione (quemadmodum iudicat Deus:) vix aliqua inueniremus digna defenſione, & laude; non quod ab his excludat Auxiliű peculiare per Chriſtum Auguſtinus.

§. IV.

6 VErum poteſt adduci alius locus difficilior eiuſdem Auguſtini in eodem loco c. 28. vbi, loquens de Iudæis, qui non poterant, per legem, in tabulis ſcriptam, iuſtificari, nec meritoriè operari aliquid; ait; *ipſi homines erant, & vis illa natura inerat eis; qua legitimű aliquid anima rationalis & ſentit, & facit.* Vbi, per ly, (*legitimum aliquid*,) intelligitur; proculdubio, bonum opus morale perfectum; cum autem aſſerit, *quod Iudæis inerat illa vis natura, qua huiuſmodi bona opera operatur Anima rationalis*; i. volũtas humana: videtur ſentire, quod, proprijs viribus, aliquod bonum opus morale fit, abſq. omni Gratia. Obijcitur locus difficilis Aug.

7 Reſpondeo tamen; ibi, nullo modo, argumentum excludere ab operibus bonis moralibus Auxilia ſpecialia; cum de his non ſit eo loco ſermo; vbi tantum loquitur de operibus meritorijs æternæ vitæ; & ſic, immediatè poſtpoſita verba, ſubdit Sanctus Doctor; *ſed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, legem habet immaculatam, conuertentem animas; vt ex eo lumine renouentur; fiatq. in eis, &c.* cum verò ibi dicitur; quod (*Iudæis inerat vis illa naturalis, qua anima rationalis facit aliquid legitimum*;) ſic eſt intelligendum; quod Iudæi habent inclinationem illam, naturalem cuilibet homini ad opera virtutum moralium, per quam mouetur homo, non tamen ſine auxilio naturali, ad illa facienda: hoc. n., quod eſt, (*habere inclinationem naturalem ad virtutem*) habet homo ex natura ſua; quæ, cum ſit rationalis, dicit propenſionem naturalem ad opera rationi conſona: veriſſimum. n. eſt dicere; Hominem, naturaliſſimè, & ex vi naturę, facere opus morale; nam hoc, quod eſt, *facere naturaliter illud opus*, non habet Reſpondetur

volun-

volūtas ab Auxilio; sicuti cum facit opera supernaturalia; tunc .n., quia non sunt proportionata naturæ; Auxilium supernaturale facit, quod proportionentur, eleuando potentiam; & sic, ab auxilio supernaturali habet voluntas hoc, quod est, operari opera supernaturalia; vel ab habitu supernaturali; solum ergo voluntas habet ab Auxilio naturali hoc, quod est, perfectè facere illud bonum opus; & quod sit ex omni circumstantia bonum; quod non posset, se sola, præstare voluntas, propter rationes superius adductas; itaquè, voluntas, si consideretur in ordine ad opus supernaturale; nullam dicit potentiam naturalem actiuam; nequè, illud operando, secundum se naturaliter operatur; quare Auxilium supernaturale non solum tunc præstat voluntati hoc, quod est, perfectè facere illud opus; sed, quasi, connaturaliter facere; at verò, respectu operis boni moralis naturalis, habet naturalem potētiam voluntas, & naturaliter illud operatur; & Auxilium naturale non est necessarium illi, ad hoc, vt naturaliter illud operetur; sed solum, ad hoc, vt faciat illud perfectè; vnde sic exponenda sunt illa verba; *(Inerat Iudæis vis naturalis, quæ Anima rationalis,)* i. (voluntas humana,) *facit aliquid legitimum*; supple (naturaliter;) sed si perfectè vult illud operari, indiget proculdubio peculiari Auxilio per Christum.

§. V.

Ad aliam authorit. Aug. 8 AD aliam authoritatem D. Augustini desumptam ex lib. de perfect. iust. Respondeo, ibi tantum excludere Gratiam habitualem, non vero Auxiliorum; & sic ait, *quod homo quantumuis careat habituali Gratia, poterit nihilominus vxorem ducere*. Vel secundo respondeo, Augustinum ibi non concedere, posse hominem vxorem ducere, secundum virtutem, sine Auxilio Gratiæ; & sic ait; *Haud verò ibi prodest aliquid velle, nisi Deus, prouidentia, qua gubernat omnia, Marem, Fœminamq. coniungat*; ac si dicat; neq. id fieri posse sine Diuina Prouidentia, quæ temperat Maris, Feminæquè voluntates, vt coniungantur. *Prouidentiæ* autem nomine, non quamcumq. Prouidentiam, sed, *Gratiæ*, debemus Intelligere: tum, quia de hac tantum erat controuersia cum Pelagio: quare frustra ad cōmunem prouidentiam confugeret; nec rectè Pelagium impugnaret; tum quia, rectè, & affectu virtutis, Marem, Feminamq. copulari, opus est insigne; & ex illis, quæ, sine Gratia, fieri non possunt; nequè obstat, Augustinum dixisse, *(Prouidentia sua;)* nam prouidentia Dei, vniuersè, qua omnia dicuntur gubernari, sub se complectitur Prouidentiam Gratiæ. Etenim Prouidentia Diuina erga quasdam res non potest esse prouidentia Gratiæ: quia illius ipsæ compotes non sunt; vt res inanimatæ, & irrationales; erga alias autem potest habere rationem Gratię; quia gratis omninò eas gubernat, & mouet ad bona opera.

9. Ad testimonium Greg. Respōdeo; Gregorium tantum docere; *(Esse quandam dilectionem proximorum, per cognationem, & affectum carnis spontè elicitā;)* quam non negamus; præterea concedimus, quod ait ipse; *huic dilectioni non contradicere Diuina eloquia;)* quia talis dilectio non est mala, nisi iustitiæ, & virtutis regulas excedat: sed non propterea dicimus, nec Gregorius affirmat, illam esse bonam moraliter; nam si talis esset, præceptis Dominicis ex charitate deberetur obedientiæ: quod tamen negat Gregor. cum inquit. *Aliud est, quod spontè impenditur naturæ.* (Nempè, diligere proximos, ex affectu cognationis,) *aliud autem, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientia,)* nec tantum sacra eloquia ei non contradicerent; sed ipsam, etiam, aut pręciperent, aut maximè commendarent; cum tamen Gregorius tantum dicat, *(his operibus sacra eloquia non contradicere;)* & sic, talia opera, secundum se, indifferentia sunt in moribus; ratione autem finis, (si in indiuiduo aduertenter fiant,) habebunt rationem boni, vel mali; &, si bona fuerint, fient ex Auxilio Gratiæ; sicut & cętera bona opera moralia; si mala, fient ratione voluntatis puræ: si vero (vt aliqui concedunt) dentur opera etiam in indiuiduo indifferentia (quod nos supra negauimus cum D. Tho.) talia poterunt huiusmodi esse; & sic, neque mala, neq. bona. Quod dentur opera indifferentia in indiuiduo, tenet, inter alios, nouissimè Vasq. p. 2. disp. 52. c. 2.

Ad testimonium Greg.

§. VI.

10 AD quartum desumptū ex ratione; Respondeo conc. antec. & disting. cons. *(ergo nostra natura, per proprias vires, saltem poterit aliquod bonum* Ad 4. arg.

Ss opus

opus operari.) quantum ad substantiam operis. Concedo conseq. Quantum vero ad omnes eius circumstantias, quibus dicitur perfectè bonum opus. Neg. Vel, poterit, imperfectè. Concedo. perfectè. Neg. iuxta superius dicta. Ad prob. concedo, quod infirmitas non tollat omninò virtutem ad aliquid operandum, *Imperfectè*, & quantum ad substantiam actus; sed quod extenuet vires, vt non solum non possit id omne, quod potest sanus; sed etiam, vt non possit perfectè facere id, quod potest aliqualiter facere. Ità D. Th. & Aegid.

Ad Confirm. 11. Ad confirmationem Respondeo, negando, quod hæc infirmitas fuisset etiam in natura pura: siquidem contracta est per peccatum; ratione cuius, remansit etiam in naturalibus vulnerata natura; fuisset tamen in pura natura pugna, & contrarietas inter appetitum sensitiuum, & rationem (vt diximus in expositione huius status.) Item neg., quod creatura rationalis non habeat vires sufficientes ad faciendum quod est consonum rationi: dicit enim naturalem inclinationem ad actus virtutis (vt diximus in responsione ad loca Augustini.) Vndè naturaliter, & viribus naturæ operatur opus naturale: non tamen sine Gratia, perfectè operabitur illud. Nec indè sequitur, hominem miserrimum esse inter omnia creata; sicuti nec miseriam arguit, posse ad libitum peccare; vt probat Augustinus 12. de Ciuit. cap. 1. Id enim prouenit ex perfectione naturæ rationalis, quæ indifferens est ad operandum bonum, vel malum; Ast, ad operandum malum, sufficit nuda voluntas, solo concursu generali. Ad operandum verò bonum, perfectè, indiget Auxilio Christi, quo potius perficitur; quam quod Misera fiat: cum Gratia perficiat naturam.

Augustin.

§. VII.

Ad 5. Argumentum. AD quintum argumentum, Respondeo, quod cum dicitur: *Omnem potentiam, cum solo concursu generali, posse exire in actum circa obiectum sibi proportionatum.* Verum est, si potentiæ non desit aliquid, ad suam naturalem perfectionem spectans; Vel si potentia sit in sua vi, & robore naturali; quod si potentiæ naturali aliquid desit; vel si non sit in suo robore, & vi naturali; licèt poterit aliqualiter attingere obiectum suum; non tamen perfectè. Et hoc, quia, si potentia erit infirma, ac debilis, obiectum non erit sibi totaliter proportionatum; sit exemplum. Viribus Francisci sani sunt proportionatæ centum libræ ponderis, & facilè eleuat tale pondus; si infirmetur, non poterit illud leuare; quia licet illud pondus sit proportionatum sibi sano, non tamen sibi infirmo; Modo dico ad minorem: *Bonum opus morale esse proportionatum voluntati hominis*, in natura sana, & integra. At verò, in natura corrupta; licèt sit etiam illi aliqualiter proportionatum, saltem quãtum ad substantiam; non tamen erit perfectè proportionatum; *ergo poterit, sine Auxilio, operari illud* eo modo, quo sibi est proportionatum: nempè, *Imperfecto modo*: quod si velit perfectè operari, indiget adiutorio Gratiæ: quando dicitur in probatione maioris: (*Obiectum proportionatum non excedere propriam, & naturalem actiuitatem potentiæ.*) quando illi est perfectè proportionatum; Verum est. Ad probat. mino. Respondeo, conc. anteced. disting. conseq. (*ergò bonum rationis est obiectum proportionatum voluntati:*) in natura lapsa, loquendo, perfectè; neg. imperfectè; Conced. Ratio est, quia perfectè est proportionatum voluntati, in natura sana, & integra: Voluntas autem, in natura corrupta, est debilis, infirma, ac vulnerata in proprijs viribus naturalibus. Ad probationem conseq. vlt. Resp. quicquid sit de illa propositione, vz. (*Non dedisse naturam inclinationem ad obiectum improportionatum, & ad quod vires non dederit*: sed Natura iam dederat vires voluntati ad operandum obiectum sibi proportionatum perfectè; tamen per peccatum fuit vulnerata in hisce viribus: & sic infirma, ac debilis remansit circa propositum obiectum; vndè ad hoc, vt perfectè attingat obiectum suum, indiget adiuuari à Gratia Dei per Christum.

§. VIII.

13 AD sextum ex Caiet. desumptum Respondeo, (quicquid sit de contrarietate inter appetitum sensitiuum, & rationalem.) Concedo minorem, & disting. conf. (*ergo appetitus rationalis aliquando vincet sensitiuum.*) si adiuuetur Auxilio peculiari per Christum; Concedo: nisi adiuuetur, nequaquam vincet. Neque hoc est abiectè sentire de natura rationali; Gratia namque potius perficit natu- Ad 6. Caiet.

naturam (vt diximus.) Et licet itá abiectè sentiamus de rationali natura, post peccatum; quid indè sequeretur? Dicimus enim, naturam rationalem, absque Gratia, nõ posse, nisi peccatum: si autem vult bonum quid perfectè facere, necessario requiritur Auxilium Gratiæ, *necessitate consequentis*, modo superius explicato.

Ad 7 Respõdet D. Tho. Secunda responsio.

14. Ad septimum, quod est primum, quod sibi obijcit D. Thom. in art. cit. Respondet ipse D. Thom. Sed secundo Respondeo ad illam maiorem: (*Illud est in hominis potestate, cuius ipse est Dominus:*) eo modo, quo Dominus est talis rei, cõcedo. Ad minorem, (*sed homo est Dominus suorum actuum.*) quãtum ad substantiam ipsorum, concedo: quantum verò ad omnimodam perfectionem illorum; non est ipse Dominus, sed Deus, cuius Gratiæ tribuitur omnis bonitas perfecta nostrarum actionum; & sic, quando infert: (*ergò homo potest velle, & facere bonum, &c.*) quantum ad substantiam transeat: perfectè, sine Gratia, negatur.

Ad vlt. prima responsio est D. Thom. Secundo Respondetur.

15. Ad vltimum, quod est secundum in ordine, quod sibi obijcit D. Thom. Respondet ipsemet D. Thom., & optimè. Sed secundo Resp. illam maiorem propositionem; nimirum, (*Vnumquodque magis potest in id, quod est sibi secundum naturam: quam in id, quod est sibi præter naturam,*) sic esse intelligendam: itá vt dicat, Vnumquodque magis posse in id, quod est sibi secundum naturam; idest, quod est naturaliter proportionatum viribus suæ potentiæ naturalis, quam in id, quod est sibi præter naturam; idest, quod superat vires suæ potentiæ naturalis. Et sic, vera est illa propositio. Et ad minorem, cum dicitur. (*Sed peccatum est contra naturam,*) si dicat: peccatum esse supra, vel extra vires potentiæ naturalis nostræ: falsa est propositio; siquidem potentia nostra naturalis, est indifferens ad bonum, & malum: itá vt, vtrumque contineatur intra limites suæ actiuitatis: est tamen contra naturam nostram, Peccatum; quia est oppositum virtuti, quæ est consentanea nostræ rationi naturali. Quando autem infertur, (*ergò si homo, per se ipsum, potest peccare, multò magis, secluso omni alio Auxilio, poterit bene moraliter operari.*) perfectè: negatur consequentia: Et ratio est, quia, licet habeat naturalem potentiam actiuam ad benè operandum; tamen per peccatum, reddita est nostra natura pronior ad bonũ delectabile, quam ad bonum honestum; & quia plus requiritur ad operandum bonum honestum, quàm delectabile; fit, quod, de se, fertur in delectabile; non autem potest, sine Auxilio, ferri in honestum. Prætérquam, quod bonum debet esse ex integra causa, & ex omnibus circumstantijs; & sic, facilè deficit in operando perfectè bonum; ex qua defectione resultat malum moraliter; Siquidem malum est ex quocumque defectu. Vndè ad operandum, perfectè, bonum opus morale, indiget nostra volũtas Auxilio Gratiæ.

16. Remanet ergò, ex dictis, clarum, quomodo indiget Auxilio Operante, & Cooperante nostra Voluntas? Et quid, sinè tali auxilio, possit? Quod quidem Auxilium, non est necesse, sit ordinis supernaturalis: sed naturalis; siquidem datur ad opus morale, quod est ordinis naturalis, & proportionatum, aliqualiter, modo exposito, viribus nostræ naturæ; Vndè non indiget illo, ad hoc, vt simpliciter proportionetur ipsi, & naturaliter operetur ab illa; sed solum, vt proportionetur, perfectè, & perfectè operetur.



DISPVTATIO QVARTA.

Vtrum Homo, in statu naturæ lapsæ, possit vincere aliquas tentationes absq; Auxilio Gratiæ per Christum?

CAPVT PRIMVM.

Adnotantur aliqua, pro intelligentia quæstionis?

§. I.

Quomodo violantur, & adimpleantur præcepta affirmatiua, & negatiua.

1 Ro intelligentia eorum, quæ in hac celebri disputatione dicẽda sunt; primo not. est; tentationem posse esse, vel contra præceptum affirmatiuum; vel contra præceptũ negatiuum. (*Vnum cole Deum.*) Præceptum est affirmatiuum; illo .n. iubetur aliquid fieri. (*Non iures vana per ipsum;*) præceptum est negatiuum, nam eo iubetur aliquid non fieri; possumus ergo tentari, vel contra præcepta affirmatiua; vel contra negatiua. Præceptum affirmatiuũ violatur omissione, non faciẽdo id, quod nobis præcipitur; vt, non amãdo Deum; non honorando parentes; negatiuum, verò, violatur commissione; nempè, faciendo id, quod nobis præcipitur, non fieri; vt, cum occido; furtum facio, &c. quæ nobis prohibentur fieri. Vnde adimplerio præcepti, quæ includitur in victoria tentationis, fit vice versa; ita vt, victoria tentationis contra præceptum affirmatiuum, fiat opere positiuo, vt est; *Amare Deum; Honorare parentes, &c.* victoria verò tentationis contra præceptum negatiuum, fiat omissione quadã bona; nimirum, omittendo facere id, quod nobis proponitur faciendum per tentationem; vt, cum tentatur quis ad mactandum inimicum; ad mœchandum; & non mactat, neq. mechatur; dicitur vicisse tentationem contra præceptum negatiuum. Cęterum sicut omissio mala, nunquam reperitur fine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio illius (vt dicitur p.2. q.71. ar.1.) ita omissio bona, regulariter, non est pura omissio actus mali; sed includit actum; vel semper, vel vt plurimũ, quo quis vult, non facere malum, & violare præceptum negatiuum.

§. II.

Not. posse reperiri duplicem actũ in omissione. D.Th.

2 PRo quo not. est secundò; duplicem actum posse reperiri, cõiunctum peccato omissionis; vnum tendentem in ipsam omissionem, per modum obiecti, per se, ac directè; quem actum D.Thom. q.71. cit. art.5. dicit; per se spectare ad omissionem, qualis est actus; quo quis expresse vult, non audire Missam, quando instat præceptum; alterum, verò, tendentem in aliud obiectum, in compossibile cum actu, quo priuat omissio, directè; & in ipsam omissionem, indirectè; qui actus dicitur occasio, & causa per accidens omissionis; vt, cum quis, tempore, quo obligat præceptũ audiendi Missam, vult exercere aliquod opus incompossibile cum precepto; vt studere, ludere, &c. quod duobus modis contingere potest: vel, aduertendo ad obligationem præcepti, & incompossibilitatem illorũ actuũ, vel vtramq. ignorando inuincibiliter.

3 Ad peccatum ergo omissionis nõ requiritur necessariò actus voluntatis, directè tendens in illam; (vt falso putauit quidam Author, quem, suppresso nomine, refert Basolis in 2. dist.35. q.1. art.1.) tum, quia omissionis peccatum potest contingere ex ignorantia vincibili; in quo casu, nõ potest esse voluntas expressa omittendi; tum etiam, quia licet omittens aduertat ad obligationem pręcepti, potest eius voluntas ferri desiderio alterius obiecti incompossibilis cum actu præcepti; in quo casu, solum indirectè vult omissionem; tamen non parua difficultas est inter DD. an ad peccatum omissionis requiratur aliquis actus, necessariò, directè, vel indirectè tendens ad ipsam omissionem? quam breuiter examinabimus c. sequenti.

CAP.

CAPVT II.

An possit dari omissio absquè omni actu?

§. I.

1. opinio. Riccar. Dur. Ocham Marsil. Almayn. Hadrian.

2. opinio. Magist. Alber. Bonau. Capreol. Enric. Caiet. Conrad. Vasq.

3. & quæ eligitur, & explicatur.

1 ET quicquid circa hanc difficultatem dicant Riccar. in 2. dist. 35 art. 1. q. 1. & quodl. 1. q. 22. Dur. eadem dist. q. 2. Ocham in 3. q. 10. Marsil. in 2. q. 21. ar. 2. Almayn. in 3. tract. moral. c. 25. Hadrian. in 4. q. 3. de Eucharistia; & alij recentiores, asserentes absolute, posse dari puram omissionem sine aliquo actu, per se, vel per accidens ad illam pertinēte. Et quicquid alij dicant cum Magistro in 2. dist. 35. c. 11. Alber. in 2. dist. cit. art. 3. Bonau. eadem dist. circa tex. Magistri: Capreol. q. 1 art. 1. concl. 2. Enric. quodl. 12. q. 24. Caiet. & Conrado p. 2. super q. 71. art. 5. quibus etiam adheret Vasq. ibidem, & alij recentiores Thomistæ, qui asserunt; nunquam in nobis posse reperiri peccatū omissionis operis interioris, aut exterioris, sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio ipsius; nobis tamen in hac re, cum distinctione loquendum est; vel, n. est difficultas, an omissio, vt sic peccatum, & imputetur ad culpam, requirat, ex natura sua, & essentialiter, aliquem actum, directè, vel indirectè tendentem, seu spectārem ad ipsam; ita quod, sine tali actu, non possit esse peccatum? in quo sensu, difficultas, ad naturam ipsam omissionis propriè pertinet; vel est difficultas; An, licet non sit de Essentia peccati omissionis aliquis actus directè, vel indirectè tendēs in illam; semper tamen, necessariò, quando contingit omissio in re ipsa, quæ est peccatum, illi coniungatur talis actus concomitanter; sine quo, alias, saluari optimè posset tota essentia, & ratio peccati omissionis? in quo sensu difficultas potius spectat ad factum ipsum, quam ad naturam omissionis peccaminosæ.

Saluatur Essentia omissionis absquè omni actu.

2 Si in primo sensu dubium procedat; certum est, peccatum omissionis, in sua Essentia, & natura, vt sit tale, non requirere actum aliquem, directè, vel indirectè tendentem in ipsam; sed posse saluari, in ratione peccati, & culpæ sine tali actu; siuè accidere possit in re ipsa sine illo, siuè non (de quo statim dicam.) Et in hoc sensu, verum est id, quod docent Authores primo loco citati; nempè, peccatum omissionis non requirere actum aliquem: si solum hoc velint: cęterum, si, pręter hoc, asserant, etiam in re ipsa, posse reperiri sine aliquo actu omissionem; infra dicam, quid sentiendum sit de tali sētētia. Principalis ratio huius dicti ea est; quia si per possibile, vel impossibile aliquis omitteret actum, qui cadit sub præcepto affirmatiuo, quando instat obligatio, & nullum haberet actum, omninò, directè, vel indirectè tendentem in omissionem: talis omissio esset peccatum, & culpabilis: quia esset contra præceptum; ergo optimè saluatur peccatū omissionis absq. aliquo actu: antecedens autem ex eo probatur, quod peccatum omissionis, vt tale, est voluntarius defectus eius, ad quod quis tenetur; ad neutrum autem horum requiritur actus formalis, directè, vel indirectè tendens in omissionem, non vt sit voluntaria; quia volūtarium potest esse absquè omni actu formali, vt docet D. Tho. q. 6. at. 3. 1. 2. & cum eo eius Interpretes; quod probat Sanctus Doctor ex eo, quod illud dicitur voluntarium, cuius Domini sumus; nos autem sumus Domini eius, quod est, agere, & non agere; velle, & non velle; ergo sicut agere, & velle est voluntarium; ita non agere, & non velle, absolutè, negatiuè, & loquitur D. Tho. de voluntario indirectè, & interpretatiuè, quod est sufficiens ad peccatum; & consistit in hoc, quod sit in potestate voluntatis, quantum ad esse, & non esse, .i. quod ita omittat, & cesset ab actu debito, vt possit non cessare; eo .n. ipso, quod voluntas potest non omittere, & omittit; indirectè, seclusò quocunq. actu, vult omissionem, &, iure, interpretatur, velle omittere: siquidem potest nō omittere, & omittit. Nec etiam ad defectum, & omissionē requiritur actus; quia omissio est carentia actus debiti; igitur, si saluatur ratio defectus voluntarii, sine aliquo actu; & saluatur essentia peccati omissionis. D. Th.

3 Adde: quia libertas, quam habet voluntas, vt possit exire, vel non exire in actum; quæ est libertas contradictionis; sufficit, vt voluntas habeat dominium actus; & vt ipse actus sit voluntarius, & meritorius, ergo & libertas, quam habet voluntas, vt possit impedire, & non impedire omissionem, sufficiet, vt sit voluntaria, & peccatum. Adde insuper, quia actus voluntatis, qui ita exit ab illa, vt possit non exire; licet non sit volitus alio

actu.

actu, dicitur voluntarius; quia hoc modo est in potestate voluntatis; omissio autē, secluso omni actu, eodem modo est in potestate voluntatis; ergo absquè omni actu habet omnia requisita, vt sit defectus voluntarius, & consequenter, peccatum; quia ad hoc sufficit, quod sit in potestate voluntatis eam impedire.

§. II.

4 Illud tamen not. quod ad hoc, vt omissio sit voluntaria, & culpabilis, necessarium est, præcedere aliqualem cognitionem ipsius, quæ requiritur, vt omissio dicatur esse in potestate voluntatis; vndè, si aliquis, propter aliquam inaduertentiam, aut inconsiderationem, omittat actum aliquem, alias debitum; quæ consideratio talis sit, vt nō subiaceat voluntati, ea ratione, vt possit eam vitare, applicando intellectum ad considerationem illius actus; ad quod necessariò requiritur aliqualis notitia ipsius, saltem, confusa, & imperfecta: talis omissio non erit voluntaria, nec peccatum (vt docet D. Thom. in fine corporis illius art. 5. cit. q. 71.) ex quo fit, quod, licet possit saluari peccatum omissionis, & tota eius Essentia absq. actu aliquo voluntatis directè, vel indirectè tendente in ipsam; non tamen absq. actu intellectus, qui prærequiritur necessariò, modo explicato; hic tamen actus nō spectat per se ad omissionem, vt causa illius, vel occasio; cum potius instiget ad opus; sed solum est conditio necessaria, vt omissio sit voluntaria, & peccatum; nullo. n. modo diceretur volita, siuè indirectè, siue directè, nisi aliquo modo præcognita. Per quod occurritur tacitæ cuidam obiectioni, quæ fieri solet; nimirum; sequi ex hoc, quod dictum est; nēpè, (quod nullus actus requiritur ad omissionē;) esse similiter voluntarias infinitas omissiones: si. n. quod non volo, & possum velle, est mihi volūtarium; ergo omne id, quod possem modo velle, & non volo, esset mihi voluntarium: ac per consequens, cum possem modo infinita velle sine termino; infinitę omissiones essent mihi voluntarię. Negatur. n. illa sequela, nam (vt diximus) vt omissio, de facto, sit nobis voluntaria, requiritur aliqualis cognitio actualis ipsius; vnde illud solum est voluntarium, quod est in voluntatis potestate, præcedente sufficienti cognitione, vt fiat; non autem de facto præcedit cognitio infinitorum; nec possumus infinitos actus simul habere in actu.

Vt omissio sit volūtaria requiritur aliqualis cognitio eius, quod omittatur D. Th.

Obiectio.

Solutio.

§. III.

5 Cœterum potest obijci contra positam doctrinam; videri impossibile, contingere peccatum omissionis, absquè aliquo actu; nemo. n. potest peccare, nisi mutetur, & aliter se habeat, quam antea; sed voluntas, si non haberet aliquem actum, eodē modo se haberet, quando contingit omissio, ac antea; ergo si prius non peccabat, nec etiam modo. Respondeo tamen; illum, qui peccat, nō esse necessarium aliter se habere, quàm prius, in genere naturæ, habēdo aliquem actum, quem antea non habebat; sed sufficit, quod aliter se habeat in genere moris; qui autē peccat peccato omissionis, omittendo actum debitum; pro illo tempore, aliter se habet in genere moris, quā antea; & si nullū habeat actum; eo quod in hoc tēpore instat præceptum, & obligatio, propter quam tenetur facere tale opus; antea autem non tenebatur: ex circumstantia verò temporis, optimè contingere potest mutatio, in esse moris; sine eo, quod id, quod moraliter mutatur, mutetur physicè; sit exemplum in valore monetæ. Præcipit Rex, quod nummus, qui ad præsens currit, pro decem; ex tali die, & deinceps currat, pro duodecim; aduentante illo die; sine eo, quod nummus ille mutetur phisicè; mutatur valor eius, per solam temporis mutationem; quæ mutatio dicitur moralis. Sic ad propositum, &c. ita doctè respondet Aegid. noster in 2. dist. 35. q. 1. art. 2. vbi hanc difficultatem optimè discutit; & præsertim, respondēs ad propositam obiectionem; quæ quidem, prima facie, difficilis est; sic ait §. *Quod verò dicunt, &c. Quod aliqua præcepta, præsertim affirmatiua, obligant, pro loco, & tempore tantum; vt, si quis tenetur ire ad Ecclesiā, hoc erit certis horis, & certis temporibus; ergò, aliquo se habēte eodem modo, nunc, & prius, nulla mutatione facta in eo, potest peccare peccato omissionis; nam, si non ibat prius ad Ecclesiam, poterat non peccare; quia non erat hora eundi; modo autem si non vadat peccat, quia est hora eundi: per mutationem ergo factam in alio, non in ipso homine, potest contingere, quod prius non peccabat non eūdo, & modo peccat; sed quā possunt cōtingere, ex sola mutatione facta in alio, non ex mutatione facta in peccante; non oper-*

Obiectio.

Solutio. Quomodo quando quis peccat aliter se habeat, quam autem se habebat.

Aegid.

oportet ire actum aliquem in ipso potentie. Hec Aegid.

§. IV.

Nunquam in natura datur omissio sine aliquo actu.

6 SI autem difficultas intelligatur in secundo sensu: dicendum est, nunquam in re ipsa dari in nobis omissionẽ culpabilem, tam actus interioris, quam exterioris, sine aliquo actu, directè, vel indirectè tendente in illam, qui sit causa, vel occasio illius; licet, sine illo, possit salvari tota essentia omissionis. Ità sentit D. Thom. loco citato quæst. 71. & Aegid. Rom. loco etiam citato dist. 35. & in hoc sensu, optimè dicunt Authores secundo loc. cit. Benè verum censeo, in Angelis nullam esse rationem efficacem, quę hoc conuincat. Illud primum manifeste probatur; & in primis, omissionem exteriorem reperiri non posse sine aliquo actu exteriori proprio, vel improprio, qui, vel sit operatio alicuius alterius potentiæ, vt Videre, Ambulare; vel aliquid per modũ actus, impropriè, quod præcepto aliquo potest prohiberi; vt Esse in tali loco; Armatum esse, & quæ omnia possunt esse causa omittendi actum exteriorem debitum; hoc modo probatur, quia experientia docet, nunquam aliquem omittere actum exteriorem, tempore, quo illum facere tenebatur; vt, actum audiendi Sacrum, Visendi ægrotos, &c. nisi occupatione aliqua teneatur, quæ se habeat per modum actus proprij, vel improprij, (vt explicauimus.) Si enim aliquis non audit Missam, tempore quo obligat præceptum, tunc, aut scribit, aut dormit, aut facit aliquid aliud simile, quod est causa, & occasio talis omissionis, ergo omissio actus exterioris in nobis nunquam potest reperiri sine aliquo actu exteriori, qui sit causa, & occasio illius; immò nec potest esse sine aliquo actu etiam interiori, quo talis causa diligatur, & sit volita; & vterque per accidens refertur ad omissionem.

D. Thom. Aegid.

Prob. de omissione exteriori.

De interiori prob.

7 De omissione verò actus interioris tam intellectus, quàm voluntatis, probatur idem; & in primis, de intellectu; quia nunquam cessat à consideratione alicuius rei, non distractus cogitatione alterius; quamuis enim parere possit voluntati, vt cesset a consideratione huius, vel alterius obiecti; non tamen vt cesset ab omni, & nihil prorsus cogitet; Vt in nobis experimur: vndè si intellectus non credit, quando credere debeat, occupari debet; vel (vt proprius loquar) necesse est, sit occupatus circa aliud obiectum, mediante aliquo actu, qui sit causa, & occasio omissionis actus fidei.

8 De Voluntate autem, idem eadem ratione probatur. Semper enim in dilectione alicuius obiecti occupatur; &, si omittit actum pro aliquo tempore, debet necessariò trahi amore alterius obiecti, qui sit causa, & occasio.

§. V.

9 COncludimus ergo circa omissionẽ, primo, actus exterioris, quod, ratione conditionis naturæ humanæ, nõ solum de facto nõ datur sine aliquo alio actu exteriori proprio, vel improprio qui sit causa, & occasio illius per accidẽs; sed, nec de possibili, dari potest. Circa verò omissionem actus interioris, tàm Intellectus, quàm Voluntatis, pro hoc statu; dicimus, quod ratione modi intelligendi, & volendi, habet, quod neq; reperiatur absque aliquo actu, modo dicto. Nam Fantasma semper ministrat intellectui obiecta, & illum excitat ad considerandũ, & intelligendum; eo quod imaginatiua semper est in actu secundo, quia est veluti potentia naturalis. Vndè, sicut potentia vegetatiua; quia est naturalis, semper est in actu secundo, ità, & imaginatiua, circa hoc, vel aliud obiectum; dummodo non impediatur per causas naturales, vt, per somnium, aut per ebrietatem: Immo etiam in somnio, & ebrietate potest esse actus imaginatiuæ, licet non ità perfectus. Rursus etiam intellectus, semper dum intelligit, excitat voluntatem ad amandum, vel odio habendum aliquod obiectum. Hinc ergo est, intellectum nostrum non posse omninò cessare à consideratione: nec voluntatem, à volitione alicuius obiecti. Nota.

10. Præterea, cum intellectus finitæ virtutis sit, eiusq. virtus debilior fiat, quo plura considerat: hinc est, vt quoties non cogitat quæ debet, detineatur in consideratione alterius rei, in quam fertur tota attentione. Ità, vt nequeat, quod debebat considerare: Et eandem ratio est de voluntate, quæ semper aliquid vult, propter rationem dictam: Vndè infero, non solum omissionem, quæ est peccatum, semper reperiri coniunctam alicui actui in nobis, qui per se, vel per accidens sit causa illius; sed etiam omissionem, quæ

non

nō est peccatum, quia eadem est vtriusq. ratio.

De Angelo nulla ratio assignari potest, cur non possit omittere absque omni actu.

11. De Angelo autem, dixi, nullam rationem efficacem adduci posse, quæ conuincat, ipsum, in re ipsa, & ex natura rei, non posse cessare ab omni actu circa quodcumque obiectum creatum, tam intellectus, quàm voluntatis, etiam si sit propria substantia. Rationes enim, quæ ad hoc probandum adduci solent par. 1. quæst. 58. artic. 1. optimè ibidem soluit Vasquez, & licet admittamus, Angelum seipsum necessario semper intelligere, & amare; ex hoc non sequitur, in re ipsa, non posse dari in Angelis omissionem sine aliquo actu, directè, vel indirectè tendente in ipsa, quæ sit causa, vel occasio ipsius; nulla enim est ratio, quæ probet, Angelum alia obiecta, præter ipsum, necessariò debere intelligere, In illis enim cessat ratio Fantasiæ.

Vasquez.

12 Præterea, quia admissa hac opinione, non sequitur, non posse cessare ab omni actu alio, quando obligaret aliquod præceptum affirmatiuum: In quo casu, esset omissio absque actu, qui per se, vel per accidens esset causa illius. Actus namquè Intelligendi, & Amandi suam substantiam nullo modo esset causa talis omissionis, neque occasio. Cum iuxtà hanc sententiam, sit necessarius, & stare possit: Immò de facto, staret cum adimpletione præcepti. Nulla ergo est ratio, quæ efficaciter conuincat, Angelum, ex natura sua, in re ipsa, non posse omittere aliquem actum debitum, vel indebitum, pro sua libertate, absq. actu, qui sit causa, vel occasio ipsius.

§. VI.

Petitio.

13 SED quæres: An, Intellectum, & Voluntatem non cessare ab omni actu, dum contingit omissio, sit necessarium, ex natura rei, an solum moraliter loquendo?

Responsio. Valentia. Medina.

Respondeo, (quicquid Valentia, & Medina dicant super illum articulum quintum Diui Thomæ:) hoc esse necessarium, ex natura rei, iuxta connaturalem modum operandi, propter rationem dictam; cum quo stat, omissionem interiorem contingere posse absque omni actu præter naturam, quia potest Deus suspendere concursum circa quodcumque aliud obiectum: In quo casu etiam omissio esset voluntaria: Omissio tamen actus exterioris, etiam de potentia Dei absoluta contingere non potest, absque aliqua occupatione exteriori.

Obiectio.

14 Sed obijcies: Non posse saluari omissionem, in ratione culpæ, absque omni actu, quia nullum meritum potest dari absque aliquo actu; ergo nec demeritum. Respondeo cum Diuo Thoma loco citato ad primum, & Aegid. loco etiam citato ad secundum, neg. consequentiam: Plura enim requiruntur ad meritum, quàm ad demeritum; eo quod meritum sit bonum, quod (iuxtà doctrinam Dionis. 4. cap. de Diuin. nomin.) consurgit ex integra causa: Peccatum verò, quod est malum, ex quocumque defectu (vt Nos etiam supra dicebamus Disputatione præcedenti.) Vndè, ad meritum non sufficit voluntarium, quod consistit in negatione cum indifferentia potentiæ ad Vtrumque; sed est necessaria actio positiua, procedeus ex gratia Dei, sine qua non est meritum apud ipsum. At verò ad peccatum, cum sit malum, sufficit priuatio actus debiti voluntaria, modo explicato.


Solutio. D. Thom. Aegid.

Dionis.

Obiectio.

15 Iterum obijcies Augustinum, qui diffiniens peccatum: Illud quidem, (quodcumque illud sit), per actum diffinit, dum ait: *Esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*. Respondeo, sicuti ad hoc Respondet Aegidius loco citato *§. Quod autem dicebatur*; vbi adducit Glos. ad Roman. 7. nempè, quod operari, & non operari sunt partes eius, quod est operari. Hæc sunt enim verba Glosæ: *Quod dimittere bonum, idest non operari bonum; & facere malum, idest operari malum; sunt partes eius, quod est operari malum*. Nomine ergò *Actus* potest intelligi, siue operari indebitè; quod est peccatum commissionis, siuè cessare ab opere debito, quod est peccatum omissionis.

Responsio. Aegid. Glosa.



CAPVT III.

An actus, qui est causa omissionis, sit semper peccatum?

§. I.

1 NOn minor difficultas est hæc; nec loquimur de actu interiori, directè tendente in omissionem: certum .n. est; hunc esse peccatum, quia tendit in obiectum malum; qualis est actus, quo quis vult non audire Missam, tempore, quo obligat præceptum; sed sermo est de actu, qui est causa omissionis per accidens, & occasio illius; siue sit interior, siue exterior; &, licet hæc quæstio non sit ad præsens institutum adeò necessaria; quia tamen grauis est, vtilis, & scitu dignissima, occasione desūpta ex superiori difficultate; breuiter, quid nobis sentiendum sit in hac re, aperiam.

Sent. Dur. 2 Duran. ergo in 2. dist. 35. q. 2. tenet; talem actum non semper esse peccatum; licet sit causa omissionis; nisi alias sit malus; immò supponit; huiusmodi actum posse manere bonum, etiam quando est causa omissionis; si ex se, bonus sit; vt, visitare ægrotos, dare eleemosynam, &c. probat; quia alias sequeretur, talem actū esse peccatum commissionis; quia si, *studere* v.g. tēpore, quo obligat præceptum audiendi Missam, est peccatū, non potest esse peccatum omissionis; eo quod non sit carentia actus debiti; sed potius actus positiuus; &, ex hoc, vlterius, sequeretur; illum, qui omittit actum debitum, mediante alio actu incompossibili cum adimpletione præcepti, committere duplex peccatum; aliud cōmissionis, quod esset actus ipse positiuus, qui est causa omissionis; & aliud omissionis, quod est carentia actus debiti; & ita, in confessione, necessariò deberet manifestare, non solum omissionē, sed actum positiuum, qui esset causa illius.

3 Adde; quia actu aliquo, qui est causa omissionis, potest quis adimplere præceptum aliud; vt, si quis, dum obligat præceptum audiēdi Missam, faciat eleemosynā; vel visitet infirmos; ad quæ opera tenetur, iure misericordiæ: in quo casu non peccauit, omittendo Missam; nōn .n. potest adimpleri præceptum actu peccaminoso; ergo non semper actus, qui est causa omissionis est peccatum

§. II.

4 COeterum, dicendum est; omnem actum, qui est causa, vel occasio omissionis culpabilis, esse peccatū propter omissionem, cuius est causa; quæ sētentia, communiter con. Dur. defenditur; licet nonnulli dicant, talem actum, qui est causa omissionis, esse peccatum commissionis, (vt infra dicam.) probatur, autem, hac potissima ratione; quia actus, alioqui bonus, potest vitiari, & reddi malus, ratione circumstantiæ euentus, & effectus; (vt suppono ex his, quæ dici solent 1. 2. q. 7. art. 4.) quæ circumstantia reducitur ad circumstantiam, (*Quid*) quo pacto, actus, alias bonus, potest effici malus, propter euentum; .f. scandalum inde sequutum, quod quis vitare debebat; pari ergo ratione, actus, qui est causa omissionis; quando obligat præceptū, licet sit bonus, redditur malus, propter omissionem, cuius est causa. Vera sentētia omnis actus, qui est causa, vel occasio omissionis, peccatum est

5 Quæ ratio amplius declarari potest: quia si quis sit causa peccati alterius, eo ipso peccat: etiam si suus actus sit indifferens; immò & bonus, propter euentum inde sequutum; ergo si aliquis actus est causa peccati sui ipsius .f. omissionis, erit peccatum.

6 Sed not. quod si simul occurrant duo præcepta affirmatiua obligantia, quorum actus sint incompossibiles; v.g. tempore, quo teneor Missam audire, si occurrat extrema proximi necessitas, qua vrgeat mortis periculum, & petat confessionem; & dum occupor in auscultando eius confessionem, transeat tempus, quo tenebar Missam audire: nō ideo illa omissio Missæ erit in culpam, nam, in eo casu, minus præceptum cessat, eiusq. obligatio, & instat obligatio subueniendi animæ proximi, quæ strictior, & vrgētior est. Quando instat duo præcepta: maius adimplendū.

7 Sed petes: omnis ne actus, qui potest cōtingere tempore, quo præceptum affirmatiuum obligat, & est incompossibilis cum exequutione illius, erit peccatum? Multi recentiores docent; non omnem actum incompossibilem adimpletioni præcepti esse peccatum, nisi sit causa directè, vel indirectè omissionis; si quis .n. (inquiunt) statuit efficaciter non audire Missam, & postea, aduenient tempore, quo obligat præceptum, studeret, vel faceret aliquid incompossibile exequutioni præcepti; talis actus non esset peccatum, si alias non esset malus; quia Petitio. Aliquorum responsio.

Tt non

non est causa omissionis, sed solum concomitanter se haberet; nam iste non ob talem actum omittit præceptum, sed ob aliam causam directam, s. quia vult non audire Missam: cuius signum est; quia, si interrogetur, quare non audit Missam; Respondebit, non, quia facit talem actũ; sed quia ita statuit.

8 Adde; quia supposito, quod aliquis decreuerit omittere, non tenetur esse otiosus; ergo si aliquid agat, tali actu, non peccabit, nisi alias sit malus. Ita sentit inter alios Medin. super illum art. cit. D.Th. Med.

§. III.

Responsio Vasq. Nota duas regulas. 9 Vasq. ibidem disp. 93. cap. 2. duas statuit regulas, vt cognoscatur, quisnam actus, ex illis, qui occurrunt, tẽpore, quo obligat præceptum, sit peccatum, & causa omissionis? prima est: illa actio, seu operatio propria, vel impropria, quæ per se primo eligitur, & secundum se manere non potest cum obseruatione præcepti; etiam si, post voluntatem omittendi, eligatur, reuera est causa omissionis; & consequenter, peccatum: hoc modo se habet operatio manendi domi, propter incõmoditatẽ pluuiæ, aut frigoris, sedere ad ignem, &c. hæ namquè operationes, per se, sine alijs, sunt causa omissionis, re ipsa; quod .n. aliquis constituerit prius non audire Missam, non obest, quominus tales operationes sint verè causa omissionis; quia causa omissionis exterioris non est solum propositum omittẽdi; sed opus externum, quod, simul cum obseruatione præcepti, stare non potest: quinimo propositum illud nequit habere efficacitatem causæ, nisi medio aliquo actu exteriori, virtualiter incluso in illo: qui .n. decreuit Missam nõ audire; virtute etiam decreuit, vno, aut alio actu interim occupari; hoc ergo; siuè, illud, quod eligit postea, causa erit, in re ipsa, omissionis. Veluti, cum quis decreuit occidere Petrũ, liberè potest hoc, vel illud instrumentum eligere; illud tamen, quod eligit postea, reipsa, causa erit illius homicidij.

10 Secunda regula est: omnis operatio, vel occupatio, quæ secundariè eligitur cum priori illa operatione, non est causa omissionis; & consequenter, ex illa non reddetur mala; v.g. cum aliquis nõ vult audire Missam, vt domi maneat, vel cubet; & hoc apud se decernit, non eo fine, vt recitet Diuinum officium, vel studeat, vel aliud domi faciat; sed propter incommoditatem, quam sentit, si domo exeat; & si postea, manens domi, librum assumat, vel studeat, vel oret: huiusmodi opera non erunt causa omissionis; quia secundariè eliguntur post prius, quod fuit tota causa omissionis; ac proindè nõ videntur mala ex ipsa omissione; sed solum concomitanter se habebunt cum illa, & possunt manere bona, si alias ex suo obiecto, & circumstantijs non sint mala.

11 Licet autem vtraquè hæc opinio probabilis sit; tamen probabilius dicendum existimo; omnem actum, & occupationem incompossibilem adimpletioni præcepti, qui exercetur tempore, quo obligat præceptum; nõ solum primariò, sed etiam secundariò electum, esse peccatum propter ipsam omissionem, & ex illa vitiari. Hoc solet probari ex ipsa incompossibilitate actus, etiam secũdariò electi, cum adimpletione præcepti; nam, eo posito, sequitur omissio actus debiti; cum impossibile sit, eo existente, posse impediri omissionem; & sic omnis actus incompossibilis præcepto, eo ipso, quod talis est; est causa omissionis; ad hoc .n., vt aliquid sit causa alicuius effectus, sufficit, quod illo posito, sequatur effectus; & si simul, ob aliam causam, idem effectus sequeretur, vel sequi posset; de ratione .n. causæ nõ est, vt ab illa tantum sit effectus alioqui non futurus; sed vt ab illa sit, siuè ab ea sola, siuè etiam ab alia sequatur. Verior sent.

12 Adde; quia actio, quæ prius eligitur, post voluntatem omittendi; si est incompossibilis exequutioni præcepti, non ob aliam rationem est causa omissionis, nisi quia est incompossibilis cum præcepti adimpletione, pro illo tempore; immò voluntas, eo ipso, quod vult talem actionem, indirectè vult omissionem; & illi, vt causæ morali, imputatur; sed pari ratione, actus, etiam secundariò electus, incompossibilis adimpletioni præcepti, non potest stare cum obseruatione illius pro illo tempore: ergo est causa omissionis; & consequenter, voluntas talis actus incompossibilis, mediante illo, indirectè vult omissionem, & illi moraliter imputatur.

§. IV.

13 Sed facilius probatur, & efficacius (licet optima sit superior ratio) ex doctrina eiusdem Vasq. Propterea .n. dicit, Vasq.

cit, operationem primariò electam, & nō solum propositum omittēdi, esse causam omissionis; quia tale propositum, se ipso solo, non est efficax causa omissionis. Sed mediante actu incompossibili cum obseruatione præcepti; qui .n. decreuit Missam non audire; virtute etiam decreuit, hoc, aut illo opere, interim, occupari; sed pari ratione, qui eligit domi manere, ex voluntate omittendi Missam, virtute etiā eligit, domi interim aliquid facere; vt, studere, sedere, &c. quia status domi non potest præscindi ab aliquo actu proprio, vel improprio, quo modificetur; cum impossibile sit, manere domi, sine aliquo horum; ergo nō solum mansio domi, sed studium, secundariò electum, est causa omissionis; cum omissio sequi nō possit, præcisè, ex mansione, non adiuncto alio actu proprio, vel improprio.

14 Adde; quia alias sequeretur, Clericum, qui decreuit non recitare, in tota nauigatione, propter incommoditatem, quam sentit, persoluendo horas Canonicas, nō peccare, proijciendo Breuiarium in mare; quia adhuc huiusmodi effectus sequeretur ex alio fine; licet non proijceret Breuiarium; consequens tamen est falsum; quia is verè peccat, proijciendo Breuiarium; eo quod ponat nouam causam omissionis, cum qua est impossibile implere præceptum persoluendi horas Canonicas; licet alias huiusmodi effectus, ex priori voluntate, & ex fine alias intento, sequeretur.

Obiectio. 15 Nec refert, si dicas; sequi, ex hac doctrina, concurrere duas causas totales, simul, ad eundem effectum; quod videtur

Solutio. falsum. Nam respondeo primo nullum esse inconueniens, duas causas morales totales, simul, concurrere ad eundem effectum, præsertim priuatiuum; sicut nullum est inconueniens; duos esse actus incōpossibiles adimpletioni alicuius præcepti, & duas voluntates, quibus placeāt tales actus, pro illo tempore, quo obligat præceptum; quemadmodum, in probabiliori opinione, asserente, in priuatione in facto esse alicuius formæ non dari magis, ac minus; vnde pęna damni, quæ cōsistit in priuatione visionis beatificæ, nō est maior in vno damnato, quàm in alio; siuè infligatur propter vnum peccatum,

Vasq. siuè propter plura; vt docet Vasq. p. 2. disp. 100. c. 2. dicendum est, eandem pęnā damni infligi propter plura peccata, ac infligeretur propter vnum solum, si in illo homo decederet; ac per consequens, plura peccata sunt principales causæ totales eiusdem effectus priuatiui.

16 Vel respondeo secundò, quod nec ex nostra doctrina sequitur, concurrere duas causas totales ad eandem omissionem, ex eo, quod actus, secundariò electus, sit simul causa omissionis, cum actu primariò electo; cuius ratio est; quia, qui vult domi manere, tēpore, quo debebat audire Missam, propter incommoditatē, quam sentit, exeundo domo; non potest manere domi, nisi exerceatur, necessariò, in aliquo actu; ex quo, vltimatè, & ex mansione domi, sequitur omissio, & integratur vna causa totalis omissionis; quēadmodum, ex voluntate omittendi, & ex actu primariò electo, integratur vna causa omissionis totalis; quia non potest sequi omissio, præcisè, ex proposito omittendi, nisi adiuncto alio actu exteriori.

§. V.

17 Illud tamen notandum; ex his omnibus actibus incompossibilibus cum obseruatione præcepti; immò, ex voluntate omittendi, conflari vnum solū peccatum numero omissionis. quia omnes ordinantur ad eandem omissionem: si tamen perseueret voluntas omittendi, quando opponuntur actus incompossibiles exequutioni præcepti: si .n. non perseueret, nouum peccatum est, opponere causam incompossibilem; distinctum à priori voluntate, quæ etiam fuit peccatū propter obiectum malum. — Ex multis actibus, qui possunt esse in omissione cōflari vnum peccatum omissionis.

18 Ex quo colligitur, Clericum proijcientem Breuiarium in mare; etiam, interiecto aliquo tempore, inter proiectionem, & voluntatem omittendi, non committere nouum peccatum, si perseueret eadem voluntas omittendi: sed vnum, æquiualens omissionibus illorum dierū, in quas refertur; sicut, quod vno ictu plures homines occideret, non committeret plura peccata, sed vnum, æquiualens occisionibus singulorum; si tamen non perseueret eadem voluntas; etiam si parum temporis transactum sit; est nouum peccatum, & diuersum, in genere moris; (quicquid dicat Medina,) quia, vt censeretur idem peccatum, deberet manere eadem voluntas omittendi, phisicè; vel saltem in aliquo effectu morali; in quo censeretur perseuerare; (vt suppono ex his, quæ dici solent p. 2. q. 20. ar. 3.) — Med.

19 Ex dictis constat; eodem modo philosophādum esse de omissione actus

interioris,& exterioris; vndè, ficut actus exterior incōpossibilis exequutioni præcepti actus exterioris, est peccatum, propter ipsam omissionem; quia est causa illius; pari ratione quoquè, actus incompossibilis exequutioni præcepti actus interioris, erit peccatum, propter ipsam omissionem actus interioris.

§. VI.

Ad 1. Medin. 20 ET sic possumus respondere fundamentis Medinæ, quibus probat; non omnem actum, incompossibilem cū adimpletione præcepti, esse peccatum; dicimus.n. verum esse; actum, qui non est causa omissionis directè, vel indirectè, non esse peccatum, propter ipsam omissionem: sed constat ex dictis, omnem actum incōpossibilem exequutioni præcepti, eo ipso, quod talis est, esse causam omissionis. Nec ex responsione facta interrogationi colligitur aliud, nisi, causam directam talis omissionis esse volūtatem omittendi: non tamen, actum incompossibilem non esse causam, saltem indirectam; propter rationē dictam; tali enim interrogationi, per causam directam solum responderi solet,

Ad 2. 21 Ad confirmationem, siue secundā rationem Med. Respondeo etiam supposita voluntate omittendi, teneri nos vitare quemcunq. actum incompossibilem cum obseruatione præcepti; vndè, si studium incōpossibile sit tali exequutioni, vitandum est. Patet etiam ex dictis, quid dicendum sit de regulis positis à Vasq.

Ad 1. Dur. 22 Satisfaciēdum modo restat rationibus Dur. in principio huius dubij positis, & ad primam dico (quicquid alij sentiant, nimirum, prædictum actum esse peccatum commissionis, licet nō distinctum ab omissione; quod quidem, qua ratione defendi possit, prorsus ignoro) quod, quantum attinet ad mores; vnum; & idem numero peccatum est, actus, qui est causa omissionis directè, vel indirectè; & ipsa omissio, à qua sumit malitiā; & sic, in confessione, sufficit explicare omissionem, sine actu; si alias non erat malus, ex propria ratione; vndè, in rigore loquendo, talis actus est peccatum omissionis, & non commissionis; ratio est; quia est contra præceptum affirmatiuū; qui.n. opponit causam incompossibilem auditioni Missæ non peccat cōtra alium præceptum, nisi contra præceptum affirmatiuum audiendi Missam: vnde talis actus sumit suam malitiam ab omissione Missæ; & licet, in genere naturæ, non sit aliqua priuatio actus, ab illa tamen, in genere moris, sumit malitiam.

23 Ad reliquum, iam diximus; si alterum præceptum occurrens erit maius, cessabit obligatio minoris; sin autem, proculdubio peccabit is, qui omittet obseruare præceptum maius, propter minus: falsum etiam est, non posse adimpleri præceptum, actu peccaminoso, qui.n. ieiunaret die præscripto ab Ecclesia, proculdubio satis faceret præcepto ieiunandi; licet ieiunaret ex fine vanæ gloriæ; quo actu peccaret, saltem, venialiter; cuius ratio est; quia præceptū solum obligat ad substantiam actus; præsertim, si est præceptum actus exterioris; immò, qui cōmunicaret in Pascate in peccato mortali; vel cum intentione redeundi ad cōcubinam; hic grauissimè peccaret, & sacrilegium committeret; siquidem poneret obicem effectui Sacramenti, tamen adimpleret præceptum Ecclesiæ, de cōmunicando in Pascate. Ad 2.

24 Constat ergò, quomodo omnis actus incompossibilis cum exequutione præcepti affirmatiui, sit culpabilis, & peccatum; & etiam, quomodo, licet possie essentialiter saluari omissio mala in ratione peccati, sine aliquo actu; non tamen de facto datur aliqua omissio actus debiti, siuè interior, siuè exterior, sine aliquo actu, qui directè, vel indirectè pertineat ad ipsam omissionem; & idem etiā dicimus, quantum ad hoc, de omisione bona, qua superatur tentatio contra præceptum negatiuum; nimirum, non dari, de facto, absquè aliquo actu, qui directè, vel indirectè ordinetur ad illam; (*directè*) vt quando voluntati proponitur aliqua vindicta v.g. contra inimicum; quæ tentatio est contra præceptum negatiuum, *non occides*; & ipsa determinate dicat; *nolo vindictam de inimico sumere*; (*indirectè*) verò, vt si alicui proponatur pergere domum meretricis; & ipse se occuper studendo, vel aliquid aliud domi faciendo; vel vadat ad agrum, ad Plateam, ad Ecclesiam, &c.



CAP.

CAPVT IV.

Prima sententia refertur, cum suis rationibus.

Varijs modis potest superari tentatio. 1 VLtimo eandem, circa tituli principalis explicationem, notādū est. Victoriam tentationis varijs modis fieri posse: Primò, itá vt, per illam, apud Deum vitam æternam mereamur. Secundò, itá vt, licèt non mereamur vitam æternam, ratione illius; Viriliter tamen, graui tentationi resistamus, actu bono contrario virtutis; vt, si tentatio sit, desumenda vindicta de Capitali inimico, ob grauem passam ab illo iniuriam; & non solum nō sumatur vindicta, sed parcatur illi, oretur pro eo, benefiat illi, &c. Tertiò, sine effectu contrario bono, directè pugnante cum tentatione; sed solum, non consentiendo tentationi, saltem, indirectè. Vt, si cui proponatur pergere domum ludi, & ille absque eo, quod directè proponat non pergere domum ludi, vadat tamen ad agrum, vineam, ad visendum amicum, &c. Quartò, itá vt, succumbatur minori tentationi, & superetur maior. Vt, si cui proponatur vlcisci de Capitali inimico, dando illi mortem; & ille decernat, non necare; sed solum, in facie vulnerare; vel alapa percutere. De his omnibus ergò tentationum victorijs, quæritur: An possint haberi ab homine in natura corrupta, sine aliquo Auxilio Gratiæ?

2 In qua re plures exstant sententiæ; quę tamen ad tria possunt capita reduci. Prima sententia. Aliqui enim censent. Vtique, absque aliquo Auxilio Gratiæ, posse ab homine superari omnes tentationes: Sigillatim tamen, & seorsim sumptas, non collectiue, & vniuersim. Pro qua sententia citari solent Molin. in cōcord. disp. 19. Riccard. art. 7. §. *Hæc confirmatur*. Bonauent. in 2. dist. 28. art. 2. q. 2. Scot. Gabr. Durand. Conrad. & alij; licet aliqui velint, nequaquam hoc sentire hos Doctores, (excepto Bonauen. qui id manifeste tenet.) Sed, ne immoremur in explicando, quæ fuerint horum Doctorum sententia. Cuiuscumque hæc opinio sit, potest aliquibus rationibus probari. (Molin. Riccard. Bonauent. Scot. Gabr. Durand. Conrad.)

Prob. 1. 3 Prima Ratio sit: Obseruatio cuiuscumque præcepti naturalis, & victoria cuiuslibet tentationis contra quodcumque præceptum naturale non est supernaturalis ordinis, sed naturalis: ergo sufficiēret, ex se, est accomodata, & proportionata nostris viribus naturalibus; itá vt, sine aliquo alio Gratiæ Auxilio, à nobis obtineri possit; siquidem Auxiliū Gratiæ ad opera tantum supernaturalis ordinis videtur necessarium.

4 Secunda Ratio: quia nullum est obiectum creatum, quod possit necessitare voluntatem nostram, quia in nullo obiecto creato potest apparere omnis ratio boni (vt dicitur p. 2. q. 10. art. 2.) ergò, occurrente quacunque tentatione, manet voluntas libera, & per consequēs, potest consentire, & dissentire tentationi; siuè illa proueniat à passione insurgēte, siuè à suggestione Dęmonis, siuè ab vtroque. 2. prob.

5 Tertia ratio: Nemo negabit, posse hominem iustificatum superare quālibet tentationem, imminentem, etiam si vehemens illa sit, sine Auxilio Gratiæ Dei, sola vi naturalis voluntatis, sanata simul natura, & à peccato iustificata per Gratiam habitualem; sed Gratia sanans vulnus pecati, quamuis sit principium operis supernaturalis, & ad hoc corroboret ipsam naturam; tamen non auget vites ipsius, intra limites proprios; neque ad opus naturale corroborat: Tum etiā, quia, post iustificationem, itá propensus manet homo ad peccata, sicut antea: ergò si post iustificationem potest homo iustus seruare, sine Gratia, præcepta, & vitare quamlibet tentationem, poterit etiam id idem antè iustificationem. 3. prob.

6 Quarta Ratio: Potest voluntas resistere, merè negatiuè se habendo, & suspendendo actum, idest, nec consentiendo, nec è contra: Sed resistentia ista negatiua non indiget Auxilio Gratiæ; immò neque concursu generali, quod maius est, quia, ad non operandum, non indigemus, quod concurrat nobiscum Deus, ergò, &c. 4. prob.



CAPVT V.

Ponitur secunda sententia cum suis rationibus.

Secunda sententia. 1 SEcunda sententia esse potest: posse quidem hominem, sine aliquo Auxilio Gratiæ Dei per Christum vincere, & superare aliquas tentationes faciliores, & mediocres; & seruare aliqua præcepta facilia; non tamen difficiliores poterit superare; quæ opinio communiter est hodie in Scholis, & eam docent Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 21. ad secundum. Vega de iustific. q. 12. non longè à principio. Medina p. 2. q. 10. art. 3. circa finem; & quæst. 109. art. 3. ad confirm. secundi, & art. 4. & alij multi Recentiores Thomistæ, quæ sententia habet præcipuè pro se vnicum locum scripturæ sacræ: alium D. P. Aug. & vnicam rationem. (Soto. Vega. Medina.)

Primo prob. ex sacra scriptura. D. Paul. 2. Probatur ergò primò ex sacra scriptura, primò namq; ad Corin. 10. dicitur: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, & faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*; quo loco, nomine tentationis humanæ, intelligitur facilis, ac leuis tentatio, iuxta communem expositionem: Inquit ergò Paul., Deum nō permittere, tentationem esse maiorem proprijs viribus; ergò supponit, esse in nobis vires aliquas ad vincendas huiusmodi leues tentationes. Nec valet Respondere, Paul. tantum agere de potestate collata ex Gratia, quia nulla tentatio, quantumuis grauis, potest esse supra vires, collatas ex Gratia: ergò loquitur de potestate ex proprijs viribus habita, & connaturali, & sine Gratia.

Secundo probatur ex August. 3 Secundo probatur ex D. P. Aug. lib. de perfect. iustit. in Responsione ad tertiam ratiocinationem, vbi ait: *Liberum arbitrium; nisi sanetur Gratia Dei; parum esse ad non peccandum*. Si ergò parum valet; ergò paruam aliquam tentationem poterit superare ex se.

3. prob. ratione. 4 Denique ratione probatur, nam si hominis arbitrium, sine Auxilio Gratiæ, non posset vitare aliquod peccatum; ergò necessariò mouetur ad peccandum, & non liberè: Patet sequela, quia, posita tentatione, non potest, quantum est ex se, non consentire: Siquidem, quantum est ex se, non potest illam superare, nisi adiutum ab Auxilio Gratiæ: ergo, quantum est de se, necessario peccat, & incidit in laqueos Diaboli.

CAPVT VI.

Verior sententia statuitur, & probatur, & satisfit rationibus pro alijs sententijs adductis.

§. I.

1 CAeterum benè pōderatis his, quæ docuimus in præcedenti Disputatione, de quocūq. opere bono morali, quantumcunque leui; facilè erit huic Respondere quæstioni: Dicimus ergò (superioribus non obstantibus) nullam, omninò, tentationem, quantumuis minimam, posse vinci ab homine existente in natura corrupta, absque aliquo Auxilio Gratiæ per Christum. Pro cuius probatione, efficaces sunt omnes authoritates, & rationes, quas in præcedenti Disputatione adduximus, ad probandam nostram, quam ibi substinuimus, sententiam; Nàm superare tentationes contra præcepta Dei, & Ecclesiæ, bonum opus est morale: ergò, si non possumus bonum opus morale, absque aliquo Auxilio operari, quantumuis minimum sit; neque poterimus solis viribus nostris, non suffultis aliquo alio Auxilio, tentationem aliquam superare. Adde peculiares orationes, quæ fiunt ab Ecclesia, & generaliter, & particulariter ab vnoquoque ad implorandū Auxilium ad tentationes vitandas, vt prę sertim patet in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem*. Conclusio.

2 Verum sunt aliqua loca præclara, ad hanc nostram sententiam comprobandam, & Scripturæ sacræ, & Conciliorum; & Patrum; quæ tamen possunt videri apud Vasquez, qui nouissimè præ cæteris egregie hoc idem defendit 1. 2. disput. 189. per tot. Aliqua nihilominus Vasquez.

pauca

pauca, quæ clarius hoc dicere videntur, adducam, breuitatis causa.

Prob. 1. ex Innocentio.

3 Innocent. I. epist. 91. apud Augustinum, post mulra verba, id ipsum clamantia, sic ait: *Necesse est; vt quo adiuuãte vincimus, eo non adiuuante, vincamur:* Ciril. lib. 9. in Ioan. c. 45. clarius dicit: *Impossibile est, quicquam boni à nobis peragi, neq perturbationes animi superari, neque aeres Diaboli laqueos euitari; nisi Gratia spiritus muniti, ipsum hac de causa in nobis habeamus.* Clarius Augustinus innumeris in locis, sed præsertim, illud ex epist. 106. longè post medium, deduco: vbi inter ea, quæ proponit asserenda à Pelagio pro vera retractatione suorum errorum, inquit: *fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasq. illicitas dimicamus; quamuis, & illic habeamus voluntatem; non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei, nostram prouenire victoriam.*

4 Et si dicatur, hæc loca esse intelligenda de victoria tentationis difficilis, & arduæ; non de victoria tentationum leuium: habebimus ad minus intẽtum probatum contra primam sententiam, quæ docebat, posse nos vincere omnes tentationes, quantumuis arduas, & graues.

§. II.

Probatur 2. ex Concil. Arausic.

5 SEd addo ad cõfirmationem etiam secundæ sententiæ alia loca vrgẽtiora, & clariora; Arausi. 2. can. 14. inquit: *Nullus miser, de quantacunq. miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia excitatur;* vbi notanda est illa particula, (*quantacunq. miseria,*) per *miseriam* intelligo tentationem; quod probo ex Paulo Rom. 7. vbi, cum sentiret carnis tentationes, inquit. *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* vbi infelicitati tribuebat, esse tentatum; & ex consequenti, tentatio dicitur infelicitas, & miseria, à qua indigemus liberari; per ly autem (*quantacunq.*) intelligo, Concilium voluisse includere, omnem omninò tentationem, siuè maximam, siuè minimam; ratio est; quia ly (*quantacunq.*) denotat quantitatem, sicuti *qualecunquè* denotat qualitatem, ergò dum dicit *quantacunq*, idem apud Concilium est, ac cuiuscunq. quantitatis sit; hoc est, siuè maxima, siuè minima: maius .n., & minimum species quantitatis sunt.

Probatur 2. ex Aug.

6 Adde tandem Augustinum lib. 2. confess. cap. 7. vbi ait. *Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, & quæcunq. non feci mala; quid .n. facere non potui, qui etiam facinus gratuitum amauit? & omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te Duce non feci:* in quibus verbis, euidenter patet, omnium tẽtationum victoriam, Augustinum tribuere Gratiæ Dei per Christum: hæc breuiter sufficiant loca pro confirmatione nostræ sententiæ; quam amplectuntur Greg. in 2. dist. 28. q. 2. ar. 1. Capreol. q. 1. ar. 3. ad 3. Greg. con. 4. concl. Marsil. in 1. q. 20. ar. 3. concl. 4. & 5. Abulens. in cap. 19. Matth. q. 178. Petr. de Soto lib. de institut. Sacerdotum. lect. 16. de pęnitẽtia; idquè secundum veram fidem dicendum putat Cassar. de iustiria tripartita p. 1. lib. 1. cap. 25. Bellarm. to. 3. suorum operum controu. 3. lib. 5. cap. 7. & Vasq. lo. cit.

Greg. Capr. Marsil. Abul. Pet. de Soto. Castar. Belar. Vasq.

7 Superfluum etiam esset adducere rationes pro hac sententia; nam oporteret repetere omnia ea, quæ in superiori diximus disputatione. Quare tantum sigillatim, & clarè eam explicemus secundum diuersos modos, quibus diximus, posse superari tentationes; & quod nam genus Auxilij requiratur ad singulos modos, quibus superari tẽtationes possunt?

§. III.

8 DIcimus ergo primò, quod ad habendam tentationum victoriã, quæ vitæ æternæ meritoria est apud Deum; in primis, necessaria est, ex parte principij; nempè, animæ, & voluntatis, Gratia habitualis, qua subiectum redditur gratum Deo; & obiectum congruum Diuinæ dilectionis; & operationes ab ipso procedentes redduntur meritoriæ; siquidem ipsa Gratia est principium meriti apud Deum (de quo latius infra.) Præter habitualem Gratiam; si victoria fiat actu positiuo bono, requiritur etiam Auxilium ordinis supernaturalis ex parte ipsiusmet voluntatis, quo eleuetur voluntas, & constituatur in ratione principij operatiui actus supernaturalis, tendẽtis ad finem supernaturalem; nempè, ad præmium supernaturale, cuius dicitur esse meritorius, quem non posset operari volũtas sola Gratia habituali; nam Gratia habitualis non dat voluntati, simpliciter posse operari: sed benè, meritoriè operari id, quod ipsa voluntas per Auxilium operatur (vt infra iterum dicam:) cum Gratia dignificet subiectum, faciens hominem diuinæ naturæ consortem; & sic, actiones elicitæ ab homine grato, & 1. propositio.

iusto

iusto, dicatur meritoriæ apud Deum, tanquam opera filij adoptiui, & amici.

2.propositio. 9 Item: si tentationis victoria fiat, nedum non consentiendo tentationi; sed etiam eligẽdo actum bonum, oppositum illi; vt in exemplo adducto vlt. not. supra c.4.n.1. v.g. si terario sit, desumẽda vindicta, & non solum non malefacimus inimico; sed potius illum diligimus propter Deum, & benefacimus ei; non est, ad hãc victoriam, necessaria Gratia habitualis; potest .n. id fieri ab homine existente in peccato; benè verum; est necessarium Auxilium ex parte voluntatis, & ordinis supernaturalis; cũ tale opus sit opus ægregium virtutis, quo satisfit præcepto diuino: Matt.5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos*; quod vtiq. est supernaturale; nam, licet naturale illud sit; *quod tibi non vis, alteri ne feceris*; & ex consequenti, naturale, non malè alteri facere; non autem naturale est, benè facere his, qui me persequuntur, & odio habent; quare requiritur Auxilium ordinis supernaturalis, cõcomitans, ad illum actum, voluntatem; & præter hoc Auxilium, requiritur etiam aliud eiusdem ordinis ex parte intellectus, quod excitet ad illud opus voluntatem, proponendo illi honestatem, & bonitatem actionis, & operis; sine qua propositione non operaretur voluntas (vt dixi disputatione præcedenti) & tandem, præter hoc, etiam requiritur aliud Auxilium, externæ, nimirum, protectionis, quod consistit in hoc, quod est, non permittere tentationem adeo vehementem, quod de facto moueat voluntatem, vt ei succubat.

D.Matt.

3.propositio. 10 Adde; quod si tentationis victoria fiat sine affectu contrario bono, directè pugnante cum tentatione: sed solum, nõ consentiendo tẽtationi, saltem indirectè, (vt in exemplo adducto illo not. vlt. c.4.) v.g. si alicui proponatur pergere ad domum meretricis; & tentatus; absquè eo, quod directè proponat, non velle pergere, pergat ad visitandum amicum, ad agrum, &c. tunc, si talis visitatio amici, erit ex bono fine, moraliter loquendo, debitisq. circumstantijs: (actus namq. ipse, ex genere, indifferens est) (iuxta ea, quæ diximus disputatione præcedenti) ad hunc actum eliciẽdum, cum sit bonus moraliter, requiruntur duo Auxilia; alterum, internæ inspirationis, .i. excitans, ex parte intellectus: nempè, bona illa cogitatio; & alterum ex parte voluntatis operantis; sed, præter hæc Auxilia, requiritur etiam Auxilium protectionis externæ; nimirum, quod non sinat illam tentationem esse adeo vehementem, vt, de facto, me moueat ad succumbendum illi.

11 Adde; quod si sit sermo, de victoria tentationum, quando resistitur maiori succumbendo minori; vt, si quis tentetur de occidendo inimicum; & ille non occidat, sed eligat solum dare alapam, vel vulnus in facie; tunc, ex parte tantum, qua vitatur maior tentatio; fateor, quod requiritur Gratia externæ protectionis; modo explicato; quicquid dicat Bellar. nullam, in hac victoria, agnoscens Gratiam; eam tamen videtur concedere Vasq. p.1. disp.91. cap.18. & p.2. disp.53. nu.28. & disp.189. c.15. nu.124. Gratia .n. peculiaris est, non permittere, nos succũbere maiori malo; nempè, tentationi de nece proximi; non autem cognoscimus, in hoc casu, aliquam Gratiã inspirationis internæ; quia Deus non vult peccatũ, neque causat illud, neque excitat nos ad peccandum; neq. censeri debet vlla Gratia, hoc modo sũpta, in hoc, ꝙ ille percutiat inimicum, & peccet; etiam si relatè consideretur ad vitandum maius peccatum. 4.propositio.

Bellar.

Vasq.

12 Sed dices; licitum est vni homini, consulere alteri minus malum ad vitandum maius; ergo vitatio maioris, & electio minoris est obiectum bonum; & ita, sicut potest esse obiectum Consilij, poterit esse Diuinæ inspirationis, Respondeo (quicquid sit de antecedẽti, quod solum posset esse verum in casu, quo homo non posset aliter retrahere animum à peccato, ad quod videt iam illum determinatum; quod, etiam cum hac limitatione adhuc sub Iudice est; de quo videatur Aragon. noster 2.to. fol.201. ad 2. & fol. 508. in concl.) consequentia tamen negari debet: quia, cum Deus possit multis modis retrahere hominem à peccato, nequit, sua inspiratione, illum ad malum inducere; & oppositum periculosum est, & de Deo minimè sentiendum. Obiectio.

Solutio.

Aragon.

§. IV.

13 EX quibus, concludimus vniuersaliter, quod quãdo vincimus tentationem actu positiuo, requiritur Gratia externæ protectionis, qua Deus taliter temperet tentationem, vt non sinat eã esse vehementiorem; ita, vt liberum arbitrium succumbat ei; requiritur etiam Gratia internæ inspirationis, siue Auxilium Conclusio vniuersalis.

lium excitans, quo proponatur bonum amplectendum à voluntate; & tandem, Auxilium cooperans, siue concomitans ipsam volūtatem; quando verò vincimus, negatiuè nos habendo; ita vt, per possibile, vel impossibile, nullum alium actum positiuum eligamus (quod diximus nunquam contingere, nec esse possibile in actibus exterioribus, etiam de potentia Dei absoluta; in actibus verò interioribus, saltem de potentia ordinata, & naturali.) In eo casu, tantummodo, necessariā esse, dicendum est, Gratiam externę protectionis: cui generi Gratię adscribit Augustinus omnia, quæ non commisit scelera, & peccata (*Gratia tua deputo quęcunq. non feci mala*) inquit; & postea subdit (*Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te Duce non feci*.) Immò idem Augustinus eidem Gratiæ tribuit hoc, quod est, non habere occasionem peccādi; vnde lib. 50. homiliarum, hom. 25. inquit; *Si deficit occasio, aut suasio, Deus fecit, vt deesset; poterat. n. causas ita disponere, & ordinare, quod potuissent in me operari mille occasiones peccādi*; ex quibus patet, non benè dixisse Angestum, qui in moralibus cap. vlt. dixit; *neminem posse, sine Auxilio Dei, resistere tentationi, quæ sit contra præceptum affirmatiuum; posse verò resistere sine eo, si sit contra præceptum negatiuum*; qua etiam distinctione vtuntur aliqui recentiores.

Aug.

Angest.

§. V.

14 Restat modo solum satisfacere argumentis pro contrarijs sententijs adductis; & primò, ad primum primæ sententiæ, Respondeo conc. antec. neg. conseq. nam licet (vt in superiori disputatione dicebam) quodlibet opus naturale sit proportionatum naturæ rationali, consideratæ secundum omnem eius integritatem, non tamen dicitur esse perfectè proportionatum, post peccatum; ratione cuius remanserunt naturæ vires extenuatæ, & infirmæ; & sic, quamuis ad entitatem, & substantiam actus naturalis non indigeant Auxilio; indigent tamen illo ad attingendum perfectè actum, vt sit bonus ex omni circumstantia. Hoc autem Auxilium, quod diximus requiri ad huiusmodi opera naturalia, non est ordinis supernaturalis, sed naturalis; & sic, verum est, quod dicit argumentum; nempè, Auxilium supernaturale ad sola opera supernaturalia requiri.

Ad 1. arg. 1. sententiæ respondetur.

15 Ad secundum Respondeo conc. antec. (loquendo de necessitate antecedenti, quæ se tenet ex parte causæ (iuxta notata in principio primę disputationis) distinguendum est autem consequens; (*ergo occurrente quacunq. tentatione, voluntas potest consentire, & dissentire*) potestate antecedenti, & absoluta, cōcedo: potestate consequenti, & facta suppositione; nego; i. quantum est ex se, liberum arbitrium; quia liberum est, potest superare quamcunq. tentationem, & non cōsentire illi: at verò, supposita infirmitate naturæ, & virium debilitate, nisi Deus taliter temperet tentationem, vt videat, eā, vt sic, non esse superaturam voluntatem; sed potius vincendam ab illa; proculdubio, necessitate consequenti, succumbet ei, & superabitur voluntas: hęc autem necessitas non tollit libertatem; siquidem non se tenet ex parte causæ, præcisè; sed ex parte coniunctionis, & copulationis; siuè, comparationis ipsius liberi arbitrij, iam debilitati per peccatum, cum tentatione non accommodata suis viribus debilibus: sed viribus ipsius, ac si esset sanū: nam si tentatio esset accommodata sibi, vt infirmo, proculdubio resisteret illi, & reportaret de ea victoriam. Ad 2.

16 Dices: ergo saltem, proprijs viribus, poterit, & sine Auxilio, superare leuem, & facilem tentationem sibi accommodatam; Respondeo neg. consequentiam, nam, quod illa tentatio sit leuis, & facilis, vt possit superari à libero nostro arbitrio, Deus fecit, vt ita esset: & sic Deo tribuenda victoria est, eiusquè Auxilio protectionis externæ, saltem, quo ipsam tentationem temperauit (iuxta dicta in explicatione nostræ sententiæ, paulò supra.) Obiectio. Solutio.

17 Ad tertium Respondeo; falsum omninò assumere: dum ait, hominem iustificatum posse superare quamlibet tentationem, sola vi naturali voluntatis; sanata simul natura per Gratiam habitualem: nam (vt supra tetigimus n. 8. §. *Dicimus ergo primò*, & infra etiam dicam;) adhuc hominem iustificatum indigere Auxilio per Christum ad superādas tentationes. Ad 3. § 3. n. 8.

18 Ad quartum transeat antecedens; de quo satis diximus supra; nego autem minorem; nam, vt docuimus, etiam ad illam resistentiam negatiuam requiritur auxilium Gratiæ, non cooperantis cum nostra voluntate, quæ supponitur nil tūc operari; & de hoc conuincit argumentū; Ad 4.

sed externæ protectionis,

Ad 1. arg. 2. sententiæ. 19 Ad primum secundæ sententiæ, desumptũm ex D.Paulo Corint.10.variè solent respondere Doctores; sed,cęteris solutionibus,licet optimis,omissis;notãda est summopetè versio illius literæ ex Græco vetustissimo Archetypo,per Ioãnem Lonicerũ; quæ versio habetur apud Theophilactum; legit ergo Lonicerus: (*Tentatio vos non cœpit, nisi humana: Fidelis autem Deus,qui non sinet vos tentari supra quam potestis, sed cum tẽtatione faciet simul prouentum, vt possitis sufferre*) super quem locũ, inquit Theophilactus. (*Quia perterrefecit eos dicens. Qui consistit videat,ne cadat: essent verò non pauci, qui iam tentationes substinuissent, ne dicerent:quid nos perterrefacis? multas .n. perpessi tentationes, non tamen succubuimus: ast, non cœpit vos tentatio, nisi modica,& moderata: humanum .n. vbiq. modicum vocat:deinde rursus consolatur, persuadens eis, vt in Deum intueantur, qui Fidelis est;hoc est;verus,nec mentitur vnquam:promisit .n.nobis:venite,inquiẽs, qui laboratis; & ego reficiam vos; non sinet igitur vos tentari vltra vires vestras; sed tẽtationem viribus vestris tolerabilem asortiri nos faciet; immò quauis tentatio vires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis,& filicem euentum præbeat;hoc est, liberationem à tentationibus;idest,vt celeriter nobis tum succurrat cum tẽtatio nos inuadit,vt celeri eius abitu nobis tolerabilis essi tatur. Faciet .n. exitum,inquit,vt vos sufferre queatis; hoc est,vt facilis vobis videatur tentatio,adeoquè huiusmodi, quam sustinere valeatis*, Quibus verbis, quid clarius ad nostram, potius, sententiam roborandam? illis.n.manifestè docet Theophilactus; quod,quando aliquã superamus tentationem, non est, cur de illa victoria gloriemur;siquidem ideo superamus;quia leui tentatione tentamur. Hoc autem,quod est,nos leui tentatione tentari,à Deo prouenit; qui nõ finit nos grauiter tentari: sed tolerabilem nostris debilibus viribus reddit tentationem.

Glos. Lyrano 20 Cui expositioni consentit Glosa Lyrani, super illa verba: vnde dicit; *qui dat tentanti licentiam,dat tentato misericordiã,ne deficiatis in lucta, sed vincatis.*

D Anselm. 21 Immò Ansel.ibidem, ad nostrum propositum;postquam narrasset nonnullas tẽtationes humanas,& Demoniacas: vltimo loco dicit: *Dæmonis est .n. scienter,& voluntariè peccare; cum nulla ad hoc fragilitate trahatur: hominis autem est, per ignorantiam,vel per infirmitatem peccare; & quia necesse est,vos tentationibus probari,non dico, vel oro,vt non tentemini; sed,vt tentatio nulla vos apprehẽdat,nisi humana;vt, sicut homines,non sicut Dæmones tentemini; s. vt per tẽtationem proficiatis,nõ succumbatis. Ego quidem hoc dico: sed Deus adimplebit quod dico;quia ipse est fideliter adimplens, quod promisit,cum diceret: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq. ad consummationem sæculi.* Matt.28 *Fidelis est Deus, .i. verax in hac promissione, vt sit semper vobiscum in omni tentatione,& non finat vos vltra vires tentari; sed tentationem leuiget,vt vincatis;*& post pauca, subdit. *non permittet, vltra mẽsuram vestrarum virium, excrescere pondus alicuius tentationis; nisi .n. misericos Deus cum viribus tentamenta modificet; nullus profectò est, qui malignorum spirituum tentationes, non corruens,portet.Quia,si mensuram Iudex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem deijcit,quo, vltra vires, onera imponit; & ideirco,pia dispensatione, hostem nostrum permittit, & retinet; relaxat, & refrenat, ut & tentemur ad profectum nostrum, & non superemur ad hostis desiderium; Fidelis .n. est;& ideo facit; ut,aut esset tentatio; aut, si prolixa fuerit, det ipse tolerandi virtutem. Subuenit.n. ,ut adimpleat,quod promisit: quia Fidelis est; & illud facit prouenire, quod potest humana fragilitas substinere. Nouit.n.quando procellam tentationis exurgere sinat, quando exurgentem reprimat, &c.* Hæc sunt verba Ansel. satis clarè,& manifestè veritatem nostræ sententiæ demonstrantia; nec alia indigent declaratione. Quare patet,locum adductum ex D.Paulo non militare cõtra nos; sed potius contra ipsosmet contrariæ sententiæ Authores; siquidem illa verba (*tentatio uos non apprehendat*) non sunt intelligenda; ita,vt illis, præcipiat,vel cõsulat Apostolus Corinthios: sed vel, (vt habet Lonicerus)(*tentatio vos non cœpit*)ita vt sensus sit; ò Corinthi, videte,ne tantum de vestris viribus, & scientia tumefacti præsumentes, cadatis: nam, si aliquando victoriam de tẽtationibus reportastis, hoc ne vobis tribuatis,sed ei, qui non permisit vos tentari tentatione aliqua graui, & vehementi; sed facili,& leui: quod si vos permitteret graui tẽtatione tentari; proculdubio caderetis: Ast ipse fidelis est,& pius, & disponit omnia suauiter; & sic commẽsurat vires, & iuxta debilitatem,

& in-

& infirmitatem ipsarum permittit tentationes immitti.

22 Vel cum Ansel. dicendum est; illa esse verba deprecatoria; ita, vt sensus eorum sit; deprecor Summum Deum, vt nō sinat vos tentati supra id, quod potestis; sed temperet tentationis vehementiam; vt tentati, non succumbatis, sed cum prouentu, & vtilitate asportetis de illa victoriam. Quocunq. autem horum modorum exponantur illa verba, magis faciunt pro nostra sententia.

§. VI.

Ad 2. Vasq.

23 AD secundum desumptum ex Augustino, respondet Vasq. loc. cit. c. 21. n. 179. Augustinū pet, (*Parum valere ad non peccandum liberum arbitriū*) intellexisse (*nihil*) iuxta communem modum loquendi, quo, cum volumus significare, *nihil alicui profuisse suam astutiā*; dicimus, quod parum illi profuit, &c. incredibile. n. est, Augustinum aliud sentijsse, qui contra Pelagium epist. 106. inquit. *Si uerum est, uolūtatem aliquantum ualere ad non peccādum, nullus locus adiutorio Gratiæ reseruatur, sine quo nos dicimus, ad non peccandum nihil uoluntatis arbitrium ualere*.

Ad vlt.

24 Ad vltimum tandem, ex ratione desumptum, Respōdeo neg. seq. ad cuius probationem, Respondeo dist. anteo. (*posita tentatione, uoluntas non potest, quantum est de se, non consentire.*) potestate antecedenti, & absolute loquendo, negatur, nam, simpliciter loquendi, quantum est de se, potest non consentire, cum sit libera, & indifferens ad operandum, & non operandum.

25 Sed facta suppositione, quod vires, per peccatum, sint extenuatæ, & debilitatæ; & tentatio sit adeo vehemens, quod excedat vires illius; proculdubio, non adiuuante Deo, non poterit illam superare; *necesse. n. est* (aiebat Innoc. loc. supra cit.) *ut quo adiuuante uincimus, eo non adiuuante uincamur*; vbi sermo est de necessitate consequenti, & Anselm. vbi supra (*nisi. n. misericors Deus cum uiribus tentamenta modificet, nullus profectò est, qui malignorum spirituum tentationes, non corruens, portet; quia si mensuram Iudex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo, ultra uires, onera imponit,*) & ea, quæ sequuntur. & Theophilactus loc. cit. (*Quæ uis tentatio uires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis, & felicem euentum præbeat; &c.* ita D. P. Augustinus epist. 89. Chrisost. homil. 24. in priorem ad Corinth. Greg. lib. 29. moral. cap. 14. & innumeri alij Patres.

Innocent. Ansel.

Aug. Chrisos. Greg.

CAPVT VII.

Quid de victoria tētationum in reliquis Statibus?

§. I.

1 SOlet hic peculiariter disputari; quid sentiendum de homine existente in natura integra, puta, & in statu Gratię habitualis? Ast, quia harum difficultatum resolutionem, ex dictis in præcedentibus; quibus ferè totum id, quod de necessitate Gratiæ dici posset, dependet, petendam esse censeo; ideo, de his, nolui singulares instituere quæstiones, sed ad calcem huius, quid sentiendū sit, consequenter ad præcedentem doctrinam, breuiter aperiam.

2 Et primò, de homine existente in natura integra, & sana; dico; quod, ad operandum quodcunquè opus bonum morale naturale, quantumcunquè maximum; intra limites tamen operis naturalis; & ad superandam quamcunq. tentationem contra præcepta naturalia, non indigeret homo, in eo statu, Auxilio aliquo, distincto a dono creationis, coadiuuante illius voluntatem ad operandū, vel ad vincendum tentationem, etiam per actum oppositum virtutis, naturalis tamen; benè verum indigeret Auxilio mouente, ex parte intellectus, quo excitaretur volūtas bona cogitatione ad benè operādum. Hoc dictum mihi videtur certissimum, & deberet esse commune; & ratio est; nam omnes rationes, quibus probabamus, non posse hominem in statu naturæ corruptæ aliquod bonū opus morale operari absq. Auxilio Gratię, nec aliquam vitare tentationem; cessant omninò in natura integra, & instituta; nam in primis, vt diximus in principio huius quodlib. exponendo naturam huius status: non aduuisset pugna inter appetitum sensitiuum, & rationalem; quæ in natura puta, & lapsa reddit difficilē victoriam; & difficile reddit benè moraliter operari; item nō adfuisset infirmitas, sicut adest incorrupta; ex quo ergo potetat necessi-

Quid de Homine in natura integra?

Vu tas

tas Auxilij cooperantis colligi?

3 Dicimus tamen, quod etiam in eo statu fuisset necessaria bona cogitatio, ex parte intellectus, qua excitaretur voluntas ad opus; quod non argueret defectum, seu impotentiam, & infirmitatem, nam hoc potius pertinet ad conditionem naturalem potentiæ naturalis, vt supra dictum est, quod probatione non indiget.

§. II.

4 BEnè verum est, quod sentio, tale Auxilium, ex parte intellectus; in quocunq; statu consideretur Natura, non semper dici ex Gratia peculiari; sed, vt plurimum, debitum naturę: paret hoc; seu potius explicatur; & in primis, certū est, nobis esse debitam aliqualem cogitationem bonam, quando tentamur, qua sufficienter excitemur ad non peccandū: sic etiam, ex vi præcepti, debetur nobis quædam cogitatio, quæ sit sufficiens, solum, ad hoc, vt voluntas non habeat excusationem de peccato suo; alias si non obseruaret præcepta, & assentiret tentationibus, hoc non posset sibi imputari ad culpam, ratione carentiæ cogitationis; vnde nos supra diximus, necessariò requiri, ad hoc, vt voluntas operetur, vel nolit operari, aliqualem scientiam, ex parte intellectus: at verò, quando talis cogitatio, seu propositio obiecti est vehementior, quam debetur liberæ voluntati; & frequentior, qua Deus vehementius, frequentiusq; animum pulsat ad benè operandum; arbitror, tunc debere dici Gratiam peculiarem; siquidem, licet sit aliqualis cogitatio debita; ea, nempè, solum, quę sufficit ad hoc, vt intellectus cogitet de proposita re; non tamen est debita, in illo gradu, & frequentia; eodem etiam modo philosophandum autumo in natura integra. Cęterum in natura integra non esset Gratia per Christum Redemptorem; cum non fuisset indigentia, (quæ fuit post peccatum Adæ) Redemptionis; & Deus factus est homo, ex solo motiuo redimendi nos à captiuitate, quam, principaliter, per peccatum originis contraximus (vt dicitur cum D.Tho. 3.p.q.1.art.2.) verum diceretur Gratia Dei Creatoris, naturæq. seruatoris.

5 Adde, quod in eo statu, ad tentationes superādas etiam indigeret homo Gratia externæ protectionis; nam, licet fuisset natura sana, & quælibet tentatio fuisset proportionata viribus naturalibus, tamen potuisset etiam homo tunc peccare: habuisset.n. liberum arbitrium; & sic, posita tentatione, potuisset etiam succumbere; non ob defectum virium, sed ob conditionem naturæ liberæ, & indifferentis; quare, Gratia Dei etiam indiguisset externæ protectionis, qua temperasset ipsas tentationes, quando, scientia conditionalium, & futurorum, cognouisset, quod proposita alicui in tali tempore, & occasione, tentatione, in gradu, vt quatuor, volūtas allecta, & tracta à proposita pulchritudine, & delectatione obiecti peccaminosi, proculdubio præstasset assensum; quod si ei solum fuisset proposita tentatio in gradu, vt duo, nequaquam consentijsset; & sic permisisset tentari hac remissa tentatioue, & non illa intensa: quis dicat, in hoc, non esse Gratiam peculiarem agnoscendam? hæc nostra sentētia, sic explicata, nescio quomodo possit inficiari. Illud verum est; quod, ad opera supernaturalia, proculdubio indiguisset eisdem Auxilijs, quibus indigemus modo in natura corrupta; ordinis, nempè, supernaturalis; & sic, si quæ sunt argumenta, loca Patrum, & Conciliorum, quæ possunt adduci; vel concludunt, de Auxilio supernaturali, in ordine ad operationes supernaturales; vel, de Auxilio ex parte intellectus; vel demum, de Auxilio externæ protectionis; vt facilè legēti ea, quæ adducit Vasq. patebit: superfluum namq. esset illa hic referre: esset.n. nunquam huic disputationi imponere finem.

§. III.

6 DE statu naturæ puræ, dicendum sentio, in primis; indiguisse bona cogitatione, de qua nulli dubium (iuxta dicta.) Item, licet aliquādo potuisset superare aliquales tētationes faciles, & operari aliqua bona opera moralia facilia, sine Auxilio Gratiæ cooperante, siue concurrente particulariter cum voluntate in puris: tamen, ad vincendas graues tentationes, & ad operandum opera difficilia virtutum, proculdubio indiguisset tali concursu, & cooperatione; tandem in omni victoria tētationum, quantumuis minima, & in omni opere bono patrato, quantumuis facili, necessariò debuisset agnoscere Gratiam externæ protectionis; explico sic hoc dictum. Diximus, in hoc statu, naturam non habitu- Quid in natura pura?

bituram vulnus, & infirmitatem contractam per peccatum; sed benè pugnam inter appetitum sensitiuum, & rationalē; tunc dico, quod stante tali pugna, non semper se tenuisset victoria ex parte appetitus sensitiui; sed aliquando, etiam, ex parte appetitus, rationalis; cęterum, quia potuisset in tanta vehementia esse talis pugna, vt facilè succubuisset semper ratio sensui, Deus aliquando frenasset impetum appetitus sensitiui, & non permisisset tam arduum bellum fieri diù contra rationem; quo modetamine, ipse cognouisset, voluntatem non consensuram tūc in opere peccati; in quo sita est Gratia externæ protectionis. Aliquando .n. dum duo aduersarij sęuissimè pugnant, alter illorum vilescit timore, & facilè succumbit, ceditq; contrario; & sic Arist. 3. de Anima cap. 11. de hoc statu loquens, cum alium nō cognosceret; inquit; *interdum voluntatem, ratione ductam, vincere appetitum; interdum verò, appetitum vincere volūtatem*; & 1. Polit. 3. ait; quod, *in prauis, appetitus vincit rationem; in bonis, verò, ratio vincit appetitum*; vnde sequitur, quod ad operanda opera bona difficilia, & ad superandas arduas tentationes, indiguisset, ratione maioris contrarietatis, quam habuisset, Auxilio peculiari, roborante, & facilitante potentiā ad operandum; non quod fuisset voluntas extenuata, aliqua infirmitate, sed, aliquo modo, debilitata, ratione continuæ pugnę & certaminis ardui, quo, dicimus, etiam aliquando, potentissimos Reges viribus destitui, ratione diuturni certaminis cum potenti aduersario.

Arist.

7 Illud etiam verum est, quod potuisset tunc taliter homo habituari ad peccandum, vt difficile sibi fuisset, exire in actus virtutis, oppositis actibus peccaminosis, ad quos esset habituatus; vt adnotabamus in expositione huius status; vbi dicebamus, quod, *ex assidua peccandi consuetudine, potuisset contrahi maxima imbecillitas; atq. ita, fortiori Auxilio indigere hominem in puris, homine lapso; nam, licet verum sit, quod, per actualia peccata, nil Physicum detrahitur potentijs naturalibus; tamen habitus vitiosi inclinantes ad oppositum virtutis, faciūt, vt minus facilè possint naturales potentiæ exire in actum virtutis, quam si sola esset, & non habituata ad vitia: sicut pondus alligatum alicui non tollit potentiam motiuam eius, tamen impedit celeritatem, & facilitatem motus; & is, qui absq. tali pōdere velociter, & expeditè moueretur; cum pondere, satis difficile, & laboriosè id faceret*. Hæc ibi, quæ verba consulto volui, hoc loco, repetere, tanquam doctrinam valde necessariam, ad soluenda omnia argumenta, quę fieri possent contra hanc nostrā sententiam, quæ non adducuntur; nam nullum inueni, quod aliquam peculiarem contineat difficultatem, non solutam in superioribus; vel facilè soluēdam ex dictis.

8 Et not. quod quando dicunt Doctores, hominem constitutum in statu naturæ puræ forè omnino à Deo, eiusq. Auxilijs derelictum, & soli suæ naturæ illiusq. viribus consignatum; nescio, qua pia ratione, ad hoc dicendum, moueantur; non .n. id congruum Diuina esset bonitate, hominem condere, nullamq; postea ipsius gerere curam, qui, sua sapientia, omnia condidit, ac gubernat prouidentia, vel ipsa filia agri, cęlicas aues, pisces maris, nemorumq; belluas; quanto magis rationalem creaturam, etiam si, in statu illo puro eam creasset, quæ omniū præstantior est, ad ipsius imaginem, ac similitudinem, libera voluntate, ac tot, tātisq. munitam perfectionibus gubernasset, rexisset, ac conseruasset? Fateor ergò statum illum, si vnquam extitisset, omni supernaturali dono fuisse destitutum; cū homo, in eo statu, non fuisset ordinatus ad finem supernaturalem: sed tantum naturalem; non tamen omnino negatum aliquibus Auxilijs ordinis naturalis; præsertim, aliquando, vehementiori cogitatione boni, indebita naturæ; aliquando, ad opera grauiora, etiam, concomitanti auxilio; & tandem, in qualibet victoria tentationum, Gratia externæ protectionis (iuxta superius dicta.)

§. IV.

9 Sed maior posset esse difficultas, de homine iustificato: an .s. præter Gratiam habitualem, ad opera bona moralia, & ad vincendas tentationes contra præcepta naturalia, indigeat aliquo alio Auxilio Gratiæ? vbi esset disputandum: An Gratia habitualis ordinetur ad operandum; an verò ad essendum? i. an de ratione Gratiæ habit. sit, roborare voluntatem, ad hoc, vt benè operetur; an verò, reddere animam gratam Deo, & consortem Diuinæ naturæ, qua dignificetur ipsa anima, ad hoc, vt opera, quæ eliciet homo, in tali Gratia existens, sint Quid de Homine iustificato.

meri-

meritoria apud Deum, vt opera filij adoptiui,& amici ipsius Dei?cęterum, quia non est hæc quæstio huius loci, ideo illā suo loco discutiendam relinquo; id tantum, quod ad præsens nobis deseruit institutum, breuiter,& facilè aperiens.

10 Dicendum ergo existimo; prępsupposita sancta cogitatione; Hominem, etiam iustum, ad benè moraliter operādum, indigere adhuc Auxilio Gratiæ per Christum, ex parte voluntatis. Hoc dictū probatur primò ex Trident. sess.6. c.17. vbi, de virtute, quam Christus influit in iustos, velut caput in membra, & vitis in palmites; inquit (*Quæ quidem virtus bona ipsorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur*; ibi autem loquitur Concilium, de operibus etiam moralibus, & non de Gratia habituali: sed de Auxilio Gratiæ; & cum ait; (*semper*) denotat apertè, omnia opera ex illa virtute prouenire; alioquin, non semper illa antecedit; quod ibi sit etiam sermo, de moralibus; patet; quia agit de illis operibus, quibus legi Dei satisfacimus; item; quia initio capitis dixerat; *proponenda esse iustis verba Pauli, dicentis; Abundante in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*; quod vero virtus illa, quā Christus semper influit, non sit habitus Gratiæ,& virtutum; manifestum est; quia Gratiam habitualem non influit Christus semper. Secundo, quia hæc Gratia non antecedit, committatur,& subsequitur bona opera iustorū; id.n. proprium est Gratiæ Auxilij: tertiò, quia Cōcilium ait; illam virtutem influi in iam iustificatos: Gratia verò habitualis iam supponitur in iustificatis, nam ea iustificantur.

Trident.

11 Secundò probatur ex definitione Innocentij I. epist.90. apud Augustinum, vbi ait; *Omnes Sancti, sine adiutorio Dei, nihil se agere protestantur*; & paulò post dicit; *Nisi quotidianis, quæ Christus contulit remedijs, fratri, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores*.

Innocent.

12 Tertiò probatur ex Augustino lib. de natura, & gratia c.26. vbi, multis, eandem docet veritatem; nimirum; ad piè, iustè, sanctèq. viuendum etiam indigere nos Auxilio Diuino per Christum.

August.

13 Nec nouas opus est rationes excogitare, siquidem, adhuc in homine iustificato per Gratiam, non cessat ratio infirmitatis,& debilitatis virium: Gratia namq. habitualis non restituit nobis rectitudinem naturalem, quam per peccatum amisimus; nec sufficiens est, reddere nos ad pristinum integritatis statum: sed solum facit hominem participem Diuinæ naturæ; obiectum cōgruum dilectionis Diuinæ: dignificat animam, dans illi quoddam esse supernaturale,& Diuinū; participatum tamen, & accidentale; vndè, opera bona, quæ in tali statu elicit Homo, ratione dignitatis subiecti, redduntur meritoria, de condigno, apud Deum; qui non posset illa, sine iniustitia, respuere: nam sunt opera filij,& amici, vt autem huiusmodi opera eliciat, necessaria est alia Gratia per Christum; non per modum habitus, sed per modum Auxilij actualis.

14 Idem dicendum existimo, de operibus supernaturalibus; licet .n. per Gratiam habitualem habeat voluntas, quod connaturaliter operetur opera supernaturalis ordinis; cum iam ipsa particeps sit, modo dicto, esse supernaturalis: attamen, non omninò, per habitualem gratiā ablata est difficultas ad operandum; immò, experientia, quæ rerum est magistra, experimur; tunc, cum aliquis est in Gratia Dei; vehementiora, sæuioraque pati certamina; maioribusque, ac atrocioribus tentationum, tribulationumque fluctibus agitari; eos.n. durius tribulari, tentari, ac prosequi permittit omnipotens Pater, vt illos se dignos inueniat; vt discurrenti, per omnes Sanctos, & amicos Dei, facilè patebit; non.n. res obscura est, & dubia; & sic, non est necesse; immò superfluum esset, id ostendere exemplis; dat tamen, cum tentatione maiori, maiorem etiam, ad vincendum, virtutem.

15 Immò addo; aliquādo facilius superari à tentatione iustum ipsomet peccatore; nisi gratia Dei fulciatur; cum .n. tot illi, peccatidi; statim, atque iustificatus est, se offerant occasiones; vel sola Diuina Gratia est, (saltem protectionis externæ) quæ ipsum omninò liberum à tot tentationibus potest seruare.

§. V.

16 ET licet (vt occurramus nonnullis obiectionibus, quæ fieri possent) vna cum Gratia, infundantur à Deo in iustificato, habitus morales infusi, qui habent, natura sua, reddere potentiam faciliorem,& promptiorem ad actus virtutum moralium; vnde posset aliquis inferre, non indigere voluntatem alio Auxilio,

xilio, coadiuuante ipsam ad operandum bene moraliter; siquidem ipsi habitus cooperantur simul cum illa, adiuuando eam, ad hoc, vt facilius, promptius, ac delectabilius operetur, opera bona moralia. Not. quod habitus supernaturales, cũ non acquirantur, sed infundantur à Deo; non conueniunt cum naturalibus, in eo, quod propensiorem reddant potentiam ad opus; cum etiam possint esse cum habitibus acquisitis vitiorum; sed ordinant ad finem supernaturalem opus ipsum. Tamen, dicendum existimo; quod licet illi habitus non parum voluntati conferant; nam sine illis, difficillimè, & indelectabiliter, ratione difficultatis operis virtuosi, quæ se offerebat ei, exibat in actus suos; cum illis, verò, delectabiliter incipit operari; nihilominus, tamen, non sufficiũt habitus illi virtutum moralium infusarum, ad hoc, quod omninò perfectè operetur voluntas; nam illi habitus nòn sanant infirmitatem naturæ, nec impedire possunt, quin appetitus, acutiori stimulo, insurgat contra rationem, cum non contineant vim reprimendi ipsius motus, ac passiones: sicuti aderat vis hæc in natura integra; & quemadmodum, infirmus, qui, de se, non valet, ratione imbecillitatis virium, ambulare; si baculum assumat, ambulabit aliquantulum, sed cum difficultate; licet non tanta, quãtam sentiret, si vellet, sine baculo, incedere; ille tamen baculus, & si adiuuet infirmum, non est sufficiens, ad sanandam ipsius infirmitatem; sic, licet habitus illi virtutum moralium, siuè acquisiti, siuè infusi, reddant promptiorem, & faciliorem ipsam voluntatem ad opera bona moralia; cęterum, quia non tollunt naturæ infirmitatem; nec reprimere possunt appetitum naturalem, quando contra rationem insurgat; non poterit perfectè exire voluntas in actum bonum moraliter, nisi adiuuetur peculiari Auxilio per Christum; quod Auxilium, pro illo tunc, reddit voluntatem roboratam, vigoratamquè, ac sanam, ad operandum actum virtutis, sibi conuenientem.

17 Concludimus ergò, Hominem iustificatum indigere, primò, bona cogitatione, & non illa solum, quæ debetur naturæ, quæ dicitur sufficiens; ea .n., licet posset operari, potestate antecedẽti; non tamen, de facto, operabitur; & sic nulla Gratia est; sed indigere bona cogitatione congrua, & efficaci, qua nouit Deus, voluntatem operaturam; item, indigere cooperante Auxilio, ex parte voluntatis, quod illam adiuuet ad opus; &, in vincẽda tandem tentatione, si fiet actu negatiuo, requiri, saltem, Auxilium protectionis externæ; modo pluries explicato.

§. VI.

18 Sed dices, ex Paulo 1. ad Corint. 12. quando sentijt se illa tentatione vehementi tentari, vnde clamabat; *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quare Deum deprecabatur, vt auferret à se stimulum carnis suæ: Responsum fuit illi à Domino: *Sufficit tibi Paule Gratia mea.* ergo ad superandas quascunquè, etiam vehementes tentationes, sufficit, in iustificatis, Gratia habitualis. Et confirmatur ex Concilio Mileuit. can. 3. vbi dicitur, *Item placuit, vt quicunq. dixerit, Gratia Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum, ad solã remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit*; qui Canon habetur in Cõcilio Africano sub Bonifacio I. c. 78. Obiectio ex D. Paul. Confirmatur ex Mileuit. African.

19 Respondeo tamen ad Paulum, ibi, nomine, *Gratia*, non intelligi, habitualem, sed actualem; immò, rarò apud Paulum nomen, *Gratia* significat habitũ, sed, Auxilium: alias Patres, contendentes cum Pelagio, vt admitteret Gratiam, quę in sacra Scriptura, hoc nomine, vocatur; illudquè meretur, decepti fuissent contendentes de Gratia Auxilij, quam negabat Pelagius ad opera bona: si in Scriptura sacra, nomine *Gratia*, intelligeretur, Habitualis, quam non negabat Pelagius, in nostra iustificatione; & quod, de Auxilio, fiat sermo in loco cit. non autè de habituali Gratia, facilè colligi potest ex verbis, quæ statim subdit Paulus: postquam .n. audiuit à Domino; nolle eum à tentationibus, & tribulationibus liberare, immunemquè omninò facere; nam si tentationes, permissiuè, in eum inuehi sinebat, dabat etiam vincendi virtutem, .i. Gratiam: subdit Paulus: *Libenter, ergo gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*; quæ verba, meo iudicio, debent sic ponderari; ita vt, sensus Pauli sit. Tot preces corãm Deo effudi, vt dignaretur me de manu Angeli Sathanæ eripere, ne amplius me colafizaret. (Per quæ verba, Doctores intelligunt varia tentationum genera, sed præsertim tentationem vehementissimam Solutio.

car-

catnis. Vnde dixerat; *Datus est mihi stimulus carnis meæ*:sed de hoc,nil ad nos.) Sed postquam audiui à Domino, quod si me sic tentari sinit, non est, quia me perdere velit: sed potius id permittit,ad maiorem perfectionem meam;& sic,dat etiam cum tẽtatione virtutẽ,& Gratiam, vt possim vincere tẽtationes;non est,cur deinceps mærore conficiar; immò,hilari animo semper tentari desidero; tunc.n. certus ero,certitudine fidelitatis promissionis Diuinæ,quod in me erit virtus; siuè adiutorium, siuè Auxilium Domini, quo,victoriam de quacunq. tentatione reportabo,&c.tunc sic. Hæc verba non possunt intelligi de Gratia habituali; nã nõ dabat gratiam habitualem illi Deus, tunc solum, quando occurrebat tẽtatio; sed iam habuerat, ex quo in vas electionis fuerat electus;ergo non poterat dicere Paulus; *libenter gloriabor in tentationibus,& tribulationibus,vt sit in me Gratia habitualis*; nam etiam si non fuisset tentatus, talem gratiam iam habebat; nec illa,cessante tentatione, cessabat esse in Paulo; nec,aduentante,aduentabat: ly autem (*vt inhabitet in me*) idem est,ac si diceret; vt sit in me,id,quod alias non esset;nequè.n.congruus loquendi modus est dicere; *volo ratiocinari, vt inhabitet in me humanitas*; quæ, etiam si non actu exerceam me in ratiocinando,adest; ergò cũ dicit (*gloriabor in infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus Christi*;) loquitur Paulus,de dono peculiari,& Auxilio coadiuuãte Gratiæ per Christum; quam

Ansel. interpretationem fundo in Anselmo in expositione illius loci,vbi ait. *Summam gloriam deputabo, quod in me sum infirmus, vt fortem me faciat Christi virtus; tunc gloriatur Apostolus, quando iniurijs humiliatur, à Christo autem virtus tolerandi præbetur; vt,quia prius aspera fastidienda iniuriæ videbantur, postea libẽter susciperentur,vt Christi Auxilio lenirentur.* En quomodo, non de habituali Gratia,sed de Auxilio,Anselmus optimè verba Pauli exponit.

Lonicer. 20 Cui accedit lectio Loniceri apud Theophilactum, quæ sic se habet (*libentissimè igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt tentoria figat super me potentia*

Theophilact. *Christi*:) quæ verba exponens Theophilact.inquit. (*quia hæc audiui, quod potentia Dei in infirmitate perficitur,deinceps gloriabor in infirmitatibus meis Hæ.n., quo principales fuerint,hoc vberiorẽ Dei potentiam mihi largiuntur, ne igitur arbitremini, quod, veluti contristatus, de palo verba fecerim, sed lætitiæ potius, ac gloriationis causa, tanquam Dei potẽtiam maiorem attrahens,ad meipsum per afflictionum intentionem,ac vehementiam, &c.*)

Ad conf. Vasq. 21 Tandem ad confirmationem desumptam ex Mileuitano respõdet Vasq. loc.cit.c.2.nu.18. quod *Gratia,in qua iustificamur*; seù *Gratia iustificationis* apud Augustinum, & Concilia Africana, quæ Augustinum consequuta sunt;non vsurpatur,pro Gratia habituali,seu pro Gratia iustificante nos à peccatis:hæc.n. solet appellari ab Augustino (vt legere ipsum est præcisè,epist.105.)

Aug. *Gratia remissionis peccatorum*; de qua ipse,& Concilia non contendebant cum Pelagio; sed vsurpatur, pro tota serie Auxiliorũ Gratiæ per Christum;quibus & paulatim ad iustificationem mouemur;&,semel iustificati, non nisi, mediantibus ipsis,sustentamur;quæ,si procul sint à nobis,proculdubio labimur denuo in peccata:ly autẽ (*in qua iustificamur*)non denotat causalitatem formalem; sicuti,si diceret (*per quam iustificamur, & emundamur à peccatis*)sed idem ferè est,ac(*cum qua, siuè; cuius virtute,&c.*) quod propriè,ad ipsa pertinet Auxilia; & non ad habitum. Et hæc circa hunc statum.

§. VII.

Quid de Homine in statu innocentiæ orig. 22 Tandem posset esse difficultas de statu iustitiæ originalis: sed, ex dictis,facilè colligi potest,quid potuisset homo in eo statu? Dicimus.n., eodem modo,philosophandum esse, de homine in natura integra, & in statu originalis iustitiæ; quantum ad operandum; nam, eodem modo, natura intelligitur, in tali statu, instituta, & naturalibus viribus, eisquè perfectis, & integris, munita; adfuisset etiam vis frenandi, & comprimẽdi motus sensitiuæ potentiæ. Et tandem, ea solum, quæ requirerentur in statu naturæ integræ,quoad Auxilia excitantia; & externæ protectionis; requirerentur etiam in statu iustitiæ originalis, si perseuerasset.Illud tamẽ verum est;quod cum potuisset homo in quocũquè ex illis statibus peccare, ratione libertatis arbitrij; & sic,ex consuetudine, cõtrahere potuisset difficultatem ad exercenda opera virtutum:(modo,quo diximus,de homine impuris,)& etiam aliquam virium imbecillitatem (vt sanior est Patrum, Do-

cto-

ctorumquè sententia) in eò casu, ad operandum aliquod opus ægregiæ virtutis, indiguisset etiam auxilio cooperante, ex parte voluntatis; & sanante, seu roborante contractam potentiæ imbecillitatem; & hæc de statibus, circa opera bona, & victoriam tentationum.

DISPVTATIO QVINTA.

Vtrum ad adimplenda præcepta naturalia indigeat homo, in quocunquè statu consideretur, aliquo auxilio peculiari?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur D. Thomæ sententia.

§. I.

Primū D. Th. dictum. 1 DIuus Tho. versans hanc quæstionem ar. 4. illius quæstionis 109. quatuor dicit. Primū est; in statu naturæ integræ posse hominem adimplere omnia mandata legis, quoad substantiam actus, absq. Gratia habituali; non autem absq. Gratia excitante. Secundum est; in statu naturæ corruptæ, nō posse hominem implere omnia pręcepta legis, secūdum substantiam operis, absq; Gratia sanante. Tertium est; in nullo statu, posse hominem, fine Gratia habituali, seruare mādata legis, quoad modum, .i. , vt, ex charitate fiant. Quartum est, in quocunq. statu, indigere hominem Auxilio Dei mouentis ad implenda præcepta.

2. dictum. 3. dictum. 4. dictum.

Pręcepta naturalia, & supernaturalia. 2 Vt autem intelligamus hæc dicta D. Th. & dubij titulum; notandum est; ea præcepta dici naturalia, quæ, natura dictante, fieri iubentur, vel prohibentur; qualia sunt, præcepta Decalogi; & hæc dicuntur præcepta moralia: Respectu quorum, tarò est ignorantia inuincibilis; cum homo habeat lumen rationis, quo ipsa cognoscat. Præcepta supernaturalia, quædam sunt necessaria homini, supposita eleuatione ad finem supernatura ē; vt Fidei, Spei, &c. Alia verò sunt, quæ, absolutè, non sunt homini necessaria, etiam eleuato ad talem finem: sed supposita macula peccati; vt, præceptum Pœnitentiæ. Et alia sunt, de Sacramentis, quæ sunt media ordinata ad Beatitudinem consequendam, ex libera Christi Domini institutione. Diximus iam, præsens dubium esse, de præceptis primi ordinis; nempè, naturalibus.

Præcepta necessaria simpliciter; ex suppositione, & media.

3 Secundò notandum est; aliquod præceptum impleri posse, dupliciter. Primò, quantum ad substantiam actus; seù, operis, quod tūc fit, quando aliquis opere exequitur id, quod expresſè in præceptis continetur; secundo quantum ad intentionem, aut finem, quem habuit Legislator in præcipiendo, quod alij vocare solēt, *quantum ad modum*; & hoc contingit, quando quis, non solum præstat id, quod sibi præceptum est; sed, illo actu, etiam pertingit ad finem, quem intendebat præcipiens: v.g. iubet Deus, *Honorare parentes*; ea intentione, & fine; vt, hoc opere, in charitate præstito, mereamur vitam æternam; si quis honoret parentes, quamuis hoc non faciat in Gratia, & in charitate; ac proindè, nec meritoriè; implet præceptum, quantum ad substātiam actus; si verò id faciat in charitate; ita vt, illo opere, gloriam mereatur; implet pręceptum, etiam, quantum admodum, & intentionem præcipientis.

Præcepta satisfacere possumus quantum ad substantiam, & quantum ad modum.

§. II.

4 NEc benè dicit Dionys. Cartus. in 3. dist. 33. q. 3. vbi habet; *Impossibile esse, vt aliquod præceptū impleatur, quantum ad substantiam operis, nisi etiam* Reprobatur sententia Cartusiani.

impleatur, quantum admodum; hęc.n.sententia non solum falsa est, sed & temeraria, & absurditate plena; quam optimè impugnauit Scot. in 2.dist.28. q.vnica; quia sequitur ex illa, quod, cũ quis adimplet præceptum sibi impositũ; siuè illud affirmatiuum sit, siuè negatiuum; dummodo id ex charitate nõ faciat; illo actu peccet mortaliter; vndè, toto tempore, quo quis, existens in peccato, non furatur, de nouo mortaliter peccat; quia violat præceptum, quod sibi impositum est; vt, existens in charitate, non furetur; & idem dicendum est, in affirmatiuis præceptis; vt, cum Honorat parentes, aut custodit Sabbathum: hoc autem est contra communem omnium sensum; retrahitq. homines existẽtes in peccato, ne opera, ad quæ præceptis obligantur, exerceant, his temporibus, quibus præcepta currũt. Impugnat etiam Vega, q.15. de iustificat. concl.2. quia sequitur ex hac sententia, quod quotiescunq. currit tempus implẽdi aliquod præceptũ, tenetur homo examinare suam conscientiam, ad videndũ; an sit in charitate, & Gratia; sicut, cum accedit ad Sacramentum; quod planè falsum est, & contra cõsensum omnium Fidelium.

Scot.

Vega.

5 Hanc sententiam adducunt Luterani nostri temporis, ad confirmandum suum illum errorem; s. quod omnia bona opera, quæ fiũt à peccatore, sunt peccata, (vt refert Soto 1. de natura, & grat. c.22. versus initium.) Argumenta, quibus hac sententiam suadet Dion. adeò leuia sunt, vt non oporteat illa adducere.

Luterani.

Soto.

6 Tertiò nota; quod, licet dixerimus, modum substantiæ præcepti esse, fieri, seu obseruari ex charitate, & meritoriè; præter hunc tamẽ modum, possunt assignari, & alij modi pertinentes ad eãdem operis substantiam; quorum, quidã cõmunes sunt omnibus actibus; vt, quod scienter, & liberè fiant; cum sint actus humani, qui, essentialiter, hos modos includũt; alij verò sunt particulares, & proprij quorundam actuum; vt, *Attentio*, in præcepto orationis, &c. qui modi ponũtur à D.Th.p.2.q.100.ar.9. inter hos modos, hæc est differentia, quod meritoriè fieri; dicitur modus extrinsecus operis; & sic, benè potest obseruari præceptum, quoad substantiam operis, sine eo, quod meritoriè obseruetur; reliqui verò modi enumerati dicuntur modi intrinseci, & intrinsecè pertinentes ad operis substantiam; vnde non dicitur seruare præceptũ, etiam quoad substantiam, qui non facit actum virtutis; & non censetur facere actum virtutis, qui non apponit modum intrinsecum; sicut non adimplet præceptum orandi, qui nõ habet attentionem, vnde cum D.Tho. loc. cit. in princip. dub. distinguit adimpletionem præcepti, quoad substantiam; ab adimpletione, quoad modum; loquitur, de modo extrinseco: non, de intrinseco, vt ipse explicat illis verbis, *(vt ex charitate fiat.)*

Modi pertinẽtes ad substantiam boni operis.

D.Th.

§. III.

7 Docet ergo D.Th. in suo 1.dicto, & cum eo omnes Theologi (vt censeo: non .n. in isto dicto discrepare possunt;) nimirum, Hominem, in statu naturæ integræ, posse omnia mandata legis naturalis obseruare, quoad substantiam operis, absq. aliqua peculiari Gratia, concomitante ipsam voluntatem ad dictam præceptorum obseruantiam: hoc dictum satis constat ex superioribus: homo .n., in tali statu, nullam haberet deprauationem in voluntate; nec aliquam rebellionem in carne, aut sensibus, respectu rationis, & partis spiritualis, & rationalis; posset ergo præstare omnia opera, naturæ suæ proportionata; qualia sunt ea, quibus vniuersa præcepta naturalia adimplentur. Et hoc non obscurè significant Concilia, & Patres, qui non in alia ratione fundant, non posse hominem in natura lapsa hoc præstare, nisi quia eius arbitrium, post peccatum, remansit infirmum, deprauatum, & attenuatum; quæ ratio cessat in statu integro, omninò.

8 Sed obijciet aliquis: si primus parens non incidisset in primum peccatum (quod, secundum communiorem sententiam Theologorum, fuit, *superbia*.) non violasset præceptum, quod sibi impositũ erat, ne commendaret de ligno; vnde fieret, vt deinceps perseueraret, & confirmaretur in gratia: sed (vt habet verior sẽtẽtia Theologorum) ille non potuit perseuerare, absquè supernaturalia Gratia, specialis Auxilij; ergò, in eo statu, per proprias vires, non potuit vitare peccatũ superbiæ; quod, cum sit contra legem naturalem; sequitur illum in eo statu non potuisse seruare vniuersam legem naturalem. Respondeo, quod cum Theologi dicunt, primum hominem non potuisse perseuerare in bono, absquè Auxilio supernaturali, loquuntur, de perseuerantia in bono supernaturali; qualis erat obseruatio

Obiectio.

Solutio.

1. præceptũ de nõ comedendo de ligno fuit supernaturale.

uatio illius præcepti, de non comedendo de ligno vetito; quod præceptum fuit supernaturale, & fide supernaturali propositum; si autem præceptum tantum esset naturale, posset in impletione illius, solis naturæ viribus, perseuerare; vel dic, quod perseuerantia est peculiare beneficium; & sic, in quolibet statu, eo ad perseuerandum indiguisset homo, &c.

CAPVT II.

An homo lapsus possit implere omnia præcepta naturalia absque Gratia habituali?

§. I.

D. Th. 1 DOcet D. Th. in 2. dicto: in statu naturæ corruptæ nō posse hominē implere omnia præcepta legis, secundum substantiam operis, absq. Gratia sanante: in quo est grauis difficultas inter Doctores: quid intelligat D. Th. per Gratiam sanantem? nonnulli recentiores Thomistæ super illum art. cit. docent; Hominem lapsum non posse adimplere omnia legis præcepta naturalia, absque Gratia habituali; quam, hi Doctores vocāt, Gratiam sanantem infirmitatem naturæ; vnde discipuli Diui Th. de hac etiam Gratia, eo loco, ipsum interpretantur, & sic, fatentur, eum huius esse sententiæ.

Quid ſaliqui intelligant per gratiam sanantem?

2 Cæterum; ex Doctoribus citatis, aliqui docent, Gratiam habitualem requiri ad obseruantiam præceptorum, quoad substantiam; non quia sit necessaria ex parte principij: i. antecedenter ad ipsam præceptorum obseruationem: sed immediatè consequenter: hoc est; si quis legem obseruet, adiutus tamen Auxilijs Diuinis, eo ipso fiet, vt spiritum pęnitentiæ, & compunctionis à Deo consequatur, & iustificetur, vel cum Sacramento, vel sine illo. Quia obseruantia ipsa legis facta ex Auxilio Gratiæ per Christum, certissimè impetrat à Deo beneficium recōciliationis; & sic, Deus non patietur, vt is, quem viderit mandata legis seruantem, in peccato permaneat: qui. n. fecerit in his voluntatem Dei, misericordiam remissionis peccatorum ab eo cōsequetur; quam Gratiam habebit cū legis obseruatione, concomitanter; ita tamen, vt saltem, prius natura, intelligatur illa legis adimpletio. Ita Henric. & Scot. & videtur etiam Riccard. in eandem sententiam inclinare; immò & Abul. & alij quamplurimi; & secundum hanc sententiam, aliqui ex discipulis D. Th. sic eum interpretantur, vt dixerit, Hominem in natura lapsa, indigere, ad obseruanda omnia præcepta legis, Gratia habituali, concomitanter; vel statim subsequenter; non autem antecedenter.

Sententia asserentium Gratiam habit. requiri ad obseruantiam præceptorū quoad substantiam concomitanter.

Henric. Scot. Riccar. Abulens.

3 Alij vero è contra docent, requiri talem Gratiam habituale ex parte principij, & antecedēter, ad lanandam ipsam naturam, ad hoc, vt obseruet præcepta. Ita Caiet. Conrad. & Sot.

Alij sentiunt requiri, antecedenter.

Caiet. Conrad. Soto.

4 Tandem alij docent, nullo modo esse necessariam Gratiam habitualem, neque antecedenter, neque consequēter, ad obseruanda legis præcepta, quantum ad substantiam; sed solum Auxilium Diuinum per Christum, concomitās ipsam voluntatem ad operandum, iuxta sæpius in superioribus repetita; & sic esse intelligendum D. Tho. de Gratia sanante loquentem; vt per, *Gratiam sanantē*, ibi intelligat, Auxilium cooperās: non autem, Gratiam habitualem.

Alij intelligūt pro gratia sanante, auxilium per Christum.

§. II.

5 COeterum, si mentem D. Th. rectè, & fideliter interpretari velimus; primo mihi videtur dicendum; ipsum, nullo modo, eo loco, per *Gratiam sanātem* intelligere, Gratiam habitualem: & nota; quod non est sermo de obseruantia vnius, aut alterius præcepti; nam, vt sic, certum est, non requiri habitualem Gratiam; immò nonnulli censent, neque requiri Auxilium aliquod per Christum; quod tamen nos diximus, falsum esse; cū obseruatio præceptorum sit opus bonū morale. Est ergo sermo, de obseruantia omnium præceptorum; & dicimus, ad illam, D. Th. non docere, esse necessariam Gratiam habitualem. Hoc dictum patet 1. ex argumento, *sed contra, &c.* vbi adducit authoritatem Augustini in lib. de hæresib. vbi dicit; *hoc pertinere ad hæresim Pelagianorum, vt credant, sine Gratia hominem posse facere omnia Diuina mandata*; ergo, eam Gratiam, intelligit D. Tho. esse necessariam, ad adimplenda omnia præcepta, quam negabat Pelag. ita vt, contrarium sentire, sit hæresis Pelagiana: sed in primis nemo vnquam au-

1. propositio D. Th.

Nota.

ſus eſt dicere, Hæreticum eſſe aſſerere, Hominem, in ſtatu naturæ corruptæ ad adimplenda omnia præcepta, non indigere Gratia habituali; ergo D.Th. non intelligit per *Gratiam ſanãtem*, Gratiam habitualem: & ſic non eſt mẽs ipſius, docere, requiri Gratiam habitualem ad obſeruanda præcepta.

6 Item Pelag. non damnatur ex eo, quod negauerit neceſſitatem Gratiæ habitualis ad obſeruanda naturalia præcepta, quantum ad ſubſtantiam; ſed quia docebat, primò, poſſe hominem ſeruare omnia præcepta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, viribus naturæ; & ſolum requiri fidem, vt, per eam, innoteſcerent nobis præcepta ſupernaturalia; & ſic, ſine alia Gratia, poſſe hominem totam legẽ implere, & veram iuſtitiam conſequi; & ex conſequenti, vitam æternam promereri; & ait Auguſtinus, quod Pelagiani Deo dicebant. *Tu nos creaſti homines: iuſtos autem nos facimus*. Contra hunc errorem ſcripſit Auguſtinus lib. de hæreſib. cap. 88. & epiſt. 90. Driedo lib. 1. de grat. & liber. arbitr. c. 2. & ſequentib. Caſtro verbo *libertas*. hæreſi 2. Sotus 1. de natura, & grat. cap. 11. 19. 22. Zumel p. 2. q. 109. ar. 4. diſp. 2. concl. 1. vbi dicit; *De fide eſſe, contra Pelagium, non poſſe hominem, viribus naturæ, omnia Diuinæ legis mandata implere*; *quod* eſt diffinitum in multis Concilijs; & præcipuè, in Mileuitano c. 4. & 5. & in Trident. ſeſſ. 6. can. 2. & 3. Arauſic. c. 7. & 25. videantur Authores citati; & Vega 2. lib. in Trident. c. 11. & opuſc. de iuſtificat. q. 8. Proſp. lib. de grat. & liber. arb. & 3. de vita contemplat. c. 2. Ambroſ. ad Rom. 7. ſuper illa verba: *velle adiacet mihi*. Hieronym. lib. con. Pelag. & alij multi. Secundò dicebat Pelag. vt docet Med. ſuper illum ar. concl. 3. quod *homo poterat, ex viribus naturæ, vniuerſam legem implere, ſine aliqua Gratia, ſiuè habituali, ſiuè auxiliorum*; de quo fuit etiam damnatus; non quod negauerit Gratiam habitualem, præcisè: ſed quia negabat omnem Gratiam, tribuens arbitrio omne bonum; ergò oppoſitum huius hæreſis docet D.Th. in d. art. nempè; ad obſeruanda omnia præcepta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, meritoriè; eſſe neceſſariam Gratiam habitualem; vel, ad obſeruanda præcepta, vt ſic, eſſe aliquam Gratiam neceſſariam, ſiuè habitualem, ſiuè auxiliorum.

1. dictum Pelagij.

Aug. Driedo. Caſtro. Sotus Zum.

Conc. Mileuit. Trident. Arauſic. Vega. Proſper. Ambroſ. Hieron.

2. dictum Pelagij. Med.

7 Item in reſponſione ad ſecundum deſumptum ex D. Hieron. in expoſitione Catholicæ Fidei; vbi ait: *Illos eſſe maledicendos, qui Deum præcepiſſe homini aliquid impoſſibile, dicunt; ſed impoſſibile eſt homini, quod per ſe ipſum implere non poteſt, ergo, &c.* Reſpondet D.Th. quod *illud, quod poſſumus cum auxilio Diuino, non eſt nobis omninò impoſſibile; ſecũdum illud Philoſophi in 3. Ethic. c. 3. quod per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus; vnde Hieron. loc. cit. confitetur, ſic noſtrum liberum eſſe arbitrium, vt dicamus, nos ſemper indigere Dei Auxilio*; ita reſpondet D.Th. vbi, expreſsè, ſe ipſum explicat; loqui, nimirũ, de Auxilio Gratiæ; non de Gratia habituali; & dum adducit dictum Hieronymi; *ſemper indigere nos Auxilio Dei*; malè illud adduxiſſet de Gratia habituali: nam non ſemper indigemus Gratia habituali ad benè operandum.

Hieron.

Ariſt.

8 Adde: nam art. 3. in fine corporis, poſtquam dixiſſet; hominem in ſtatu naturæ integræ potuiſſe diligere Deum ſuper omnia, ſubdit; *ſed, in ſtatu naturæ corruptæ, homo ad hoc deficit: ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ, propter corruptionem naturæ, ſequitur bonũ priuatum, niſi ſanetur per Gratiam Dei: & ideo dictum eſt, quod homo, in ſtatu naturæ integræ, non indigebat dono Gratiæ, ſuperadditæ naturalibus bonis, ad diligẽdum Deum naturaliter ſuper omnia; licet indigeret Auxilio Dei, ad hoc eum mouẽtis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc, Auxilio Gratiæ naturam ſanantis*; vbi, *Gratiam ſanantem*, expreſsè appellat *Auxilium*, & non *Habitum*.

9 Id, quod habetur clarius ex art. 2. vbi diſputans; *An poſſit homo & velle, & facere bonum, abſque Gratia?* idem determinat; nẽpè; *in ſtatu naturæ integræ procul dubio poſſe: non autem in ſtatu naturæ corruptæ, ratione infirmitatis contractæ per peccatum*. Vnde concludit in corpore. *Sic igitur, virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad vnum*; ideſt; *ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale; ſed in ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad duo, ſ. vt ſanetur, & vlterius, vt bonum ſupernaturalis virtutis operetur, &c.* Hoc poſito, dico ſic: eo loco, diſputat D.Tho. *An poſſit operari homo, abſq. Gratia, bonum opus morale?* ſed nemo vnquam dixit, ad operandum bonum opus morale, vt ſic, requiri Gratiã habitualem; ſed, ad ſummum, Auxilium ordi-

ordinis naturalis, (vt supra vidimus;) ergo D.Th.per *Gratiam sanantem infirmitatem natura*, intelligit Auxilium Gratiæ: non autem, Gratiam habitualem; patet consequentia, quia de ea Gratia loquitur, quæ requiritur ad operandum bonũ opus morale; vt in illo loco docent eius expositores.

10 Præterquam quod, confirmatur; contra authores oppositæ sententiæ; siquidem sequeretur, eadem Gratia indigere hominem in natura corrupta, ad obseruãdum omnia præcepta naturalia, quoad substantiam, ac ad obseruandum illa, meritoriè: hoc est falsum: ergo,&c. probatur sequela ex ipsomet D.Tho.in corpore dicti art.4. vbi dicit,quod *ad obseruandum præcepta, meritoriè, & quantum ad modum agendi; vt. s. ex charitate fiant, requiritur Gratia, quæ est principiũ meriti; nempè, habitualis*, ergo si, ad obseruandum eadem præcepta, quoad substãtiam, requiritur eadem Gratia habitualis; eadem Gratia requireretur ad obseruandum illa, solum quoad substantiam, & ad obseruandum, quoad vtrumq. Falsitas consequentis patet; quia meritum operis est modus extrinsecus, & accidentalis ipsi operi; potest.n.adesse, & abesse, absq. corruptione substantię ipsius; & sic, necessariò assignare debemus distinctum principium, vnde dimanet.

11 Adde tandem, quod habitus operatiuus ordinatur ad actus sibi consimiles producendos: sed sic est, quod Gratia est habitus supernaturalis ordinis; ergò, etiam, si concederemus, esse habitum operatiuum, non posset ordinari, nisi ad actus supernaturales: sed obseruantia præceptorum naturalium, quoad substãtiam, est naturalis; ergo non requiritur aliquis habitus supernaturalis, ad talem obseruantiam.

§. III.

Nec consequenter, nec concomitanter esse necessariã gratiã habit. ad obseruantiam præceptorũ naturalium quoad substantiam. Arist.

12 QVod autem merè fictitium sit, & voluntariè dictum, hanc habitualem Gratiam esse necessariam, consequenter; vel, concomitanter, etiam patet: supponendo, formam nunquam introduci in subiectum indispositum: debitis dispositionibus; iuxta illud axioma Arist.2.de anima tt.24. *Actus actiuorum fiunt in patiẽte bene disposito*. ex dispositionibus, autem, vltima debet esse eiusdem ferè ordinis, cum forma introducenda; in hoc solum differt vltima dispositio à forma: quia vltima dispositio potest dici forma, in esse imperfecto: ipsa verò forma, dicitur esse talis, in esse perfecto: quæ doctrina præcipuè verissima est, in productione formarum accidentalium; & etiam, illarum formarum substantialium, quæ educuntur de potẽtia materiæ. Tunc sic: ad hoc, vt introducatur habitualis Gratia in animam, requiritur debita dispositio, ex parte ipsius animæ recipientis; sed obseruatio præceptorum, quoad substantiam, non potest esse debita dispositio respectu Gratiæ habitualis; ergo, &c. probatur minor, quia Gratia habitualis est qualitas supernaturalis ordinis; & sic, requirit dispositionem vltimam, saltem, ordinis supernaturalis, qualis est vera, & perfecta contritio, sed obseruantia præceptorum naturalium, quoad substantiam, est ordinis naturalis; ergo non potest esse sufficiens dispositio ad obtinendam, de facto, Gratiam; ita vt, necessariò requirant Gratiã, statim, consequenter, vel concomitãter; & ex consequẽti, voluntariè dicitur, Gratiam habitualem esse necessariam concomitanter, vel consequenter ad ipsam obseruãtiam præceptorum naturalium, quoad substantiam.

§. IV.

13 REmanet ergò, ex mente D.Tho. quod in statu naturæ corruptæ indiget homo, non Gratia habituali: sed Auxilio Gratiæ per Christum, ad obseruandum omnia legis naturalis pręcepta, quantum ad substantiam: & sic, per *Gratiam sanantem naturam*, intelligere Sanctum Doctorem, Auxilium ipsum, non Gratiam habitualem; superuacaneum autem esset, probare, hominem, in tali statu, ad seruandum omnia præcepta naturalia indigere Auxilio; nam, supra docuimus, requiri Auxilium ad quodcunq. leuissimum opus morale, bonum ex omni circumstantia.

4 Tertium dictum D.Th.est; in nullo statu posse hominem, sine Gratia habituali, seruare mandata legis, quoad modum; s. vt ex charitante fiant; hoc dictum certissimum est, & facile: nam ipsa Gratia est principium meriti: cum sit Gratia filij adoptiui, quæ reddit nos gratos Deo, & obiectum congruum Diuinæ dilectionis, (vt supra diximus, & infra latius.) 3.D.Tho. dictum.

5 Quartum etiam dictum, satis patet, 4.dictum.

tet,ex his,quæ nos sæpius supra repetiuimus; nempè,in quocunq; statu,indigere hominem Auxilio Dei mouentis adimplenda præcepta.

6 Quod autem docuimus de homine in statu naturæ corruptæ, dicendum est etiam, de homine in puris; ratione pugnæ,& certaminis;vt supradictum est; immò, id idem dicendum est, de homine iustificato, de quo habentur in Concilio Tridentino sess.6.cap.11.hæc verba: *Qui .n. sunt Filij Dei,Christum diligunt; qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur,seruant sermones eius, quod vtiq. cum Diuino Auxilio præstare possunt*; ergo absq. tali Auxilio, adhuc existentes in habituali Gratia,id præstare nō possunt. & c.13.dicitur,*Formidare,n.debent,scientes,quod in spem gloriæ, & nōdum in gloriam renati sunt,de pugna, quæ superest cum Carne,cum Mundo,cum Diabolo; in qua victores esse non possunt,nisi cum Dei Gratia Apostoli obtemperent,dicenti:debitores sumus,non carni, vt secundum carnem viuamus;si.n. secundum carnem vixeritis,moriemini;si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis*; ita etiam, de Homine iusto, & in puris, sentit Medina concl. illa 3. cit.

Concil.Trid.

Med.

CAPVT III.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

§. I.

1 SEd sunt aliqua argumenta, contra hanc nostram sententiam, non lenia,quibus insurgunt Recentiores quidam Thomistæ, qui docēt, requiri necessariò habitualem Gratiam, ad obseruandum omnia legis præcepta. Primum est:non potest homo implere totam legem naturalem, nisi liberetur à peccato; sed non potest liberari à peccato, nisi per Gratiam habitualem;ergo nequit implere legem sine Gratia habituali: minor est certa;& vt talem præsuppono,ex his,quæ dicam suis locis. Consequentia sequitur euidenter ex præmissis. Maior,in qua potest esse difficultas; probatur; quia,hominem implere legem naturalem, nihil aliud est,qu am rectificari naturaliter; sed non potest naturaliter rectificari,nisi à peccato liberetur; ergo non potest implere totam legē, nisi liberetur à peccato: maior patet: nā nihil aliud est, esse naturaliter rectum, secundum rationem naturalem;quam, operari omnia ea, quæ sunt conformia ipsi rationi naturali: ergo,hominem implere legem naturalem,nil aliud est, quā rectificari naturaliter. Minor illa probatur; nam peccatum,cum sit contra naturam, nil aliud est, quam quædā obliquitas naturalis(vt docet D.Tho.p.2.q.71. art.2.)ergò,toto tempore,quo homo est in peccato, dicitur deordinatus, & obliquus,naturaliter; ergo si non liberetur à peccato, nunquam dicetur naturaliter rectificatus.

1.obiectio.

D.Th.

2 Hoc argumentum certè difficile est:ad quod respondent aliqui,ex hac ratione non rectè colligi.*Ex eo,quod quis sit omninò rectus naturaliter, quod maneat sine peccato*;quia potest esse in peccato commisso contra supernaturalem legem:vt patet,si peccauerit contra præcepta supernaturalia, Fidei, Spei,&c. vel Sacramentorum:Quę solutio procedit in doctrina Caiet.p.2.q.113.ar.2.asserentis, posse hominem esse rectum; ac proindè, sine peccato,contra legem naturalem;& esse in peccato commisso contra legem supernaturalem; & sic,posse hominem esse auersum à Deo sine supernaturali,& habere rectitudinem erga Deum finem naturalem.

Aliquorum solutio.

3 Cęterum, contra hāc solutionem insurgunt fortius authores oppositæ sententiæ: omnis actus voluntatis, qui fit, resistente ratione nostra, formaliter, aut virtualiter, est contra naturam nostram; ac proindè,contra legem naturalem;hæc.n.est ratio,propter quam D.Th. loco paulò supra cit. dixit,actum aliquē, qui est peccatum, esse contra naturam hominis; quia est contra bonum, quod est potissimum,& maximè proprium hominis; quale est,bonum rationis;sed omne peccatum, siuè illud sit contra legem naturalem, siuè contra supernaturalem, est voluntarium; ratione,formaliter, aut virtualiter resistente; ergo omne illud est contra naturam hominis;ac proindè,cōtra legem naturalem: probatur minor; quia omnia peccata, contra quamcunq. legem sint,conueniunt in hoc,quod sunt voluntaria,& contra rationem (aliter nō essent peccata.) omnia ergo fiunt,ratione resistente:solum consistit in hoc differentia, inter ea,quæ fiunt contra legem naturalem, & quæ contra supernaturalē; quod

Inuehitur contra solutionem. D.Th.

quod priora, fiunt resistente ratione, vt est instructa lege naturali: posteriora verò, resistente eadem ratione, quatenus est illustrata per legem supernaturalem. Adde; quia est tanta connexio inter rationẽ naturalem, & Deum; vt nil sit consonum rationi naturali, quin sit consonum rationi Diuinæ; & è contra; & nil sit dissonum rationi naturali, quin sit dissonum Diuinæ, & è contra; quicquid repugnat rationi Diuinæ, repugnat naturali; & ex consequenti, non potest esse rectitudo naturalis, cum obliguitate in ordine ad legẽ Diuinam, &c.

§. II.

4 QVarè, omissa superiori solutione, quæ non paruas continet difficultates, & optimè impugnata manet; vt soluamus argumentum principale, est summoperè animaduertendum; præsentem quæstionem procedere, ex suppositione facta; i. si per possibile, vel per impossibile instaret vno die, & si nõ eadem hora, sed successiuè, obligatio omnium præceptorum naturaliũ, absolutè; an possit homo illa adimplere sine Gratia habituali? præcepta namquè naturalia diuiduntur, in affirmatiua, & negatiua. Negatiua obligant semper, & pro semper, omni tempore, omni loco (loquor modo de præceptis Decalogi, quæ dicuntur præcepta legis naturæ.) *Non occides*, præceptum negatiuum est: in omni loco, & tempore vrget eius obligatio; at verò, præcepta affirmatiua non obligant omni tempore, & loco: *Sabbatha sanctifices*, est affirmatiuum præceptum; non obligat ad eius obseruantiam, die Mercurij, vel Iouis: sed tantum Sabbatho, sic etiam, *Diliges Dominum Deũ tuum, &c.* non teneor, ex vi præcepti, sẽper elicere actum dilectionis Dei super omnia; sed solum (vt maior pars Doctorũ sentit) quando imminet euidens mortis periculum; licet alij dicant, obligare semel in anno, quando teneor communicare: alij, toties, quoties accedo ad Sacramentum, sed de hoc nil ad præsens institutum; sufficit, quod non obliget omni tempore.

Nota 1. pro solutione argumenti.

5 Item secundò not. quod, de facto, non est possibile, quod instet, vno die, obligatio omnium præceptorum naturalium; neque vnquam euenisse fatentur Doctores; quin, instante præcepto, de dilectione Dei naturali, homini ordinato ad finem supernaturalem, non instet etiã obligatio, de diligendo Deum, supernaturali dilectione: hoc mihi videtur plusquam certum: ratio est; nam, siuè tale præceptum obliget, imminente periculo mortis, siuè cum accedo ad Sacramentũ; semper vrget etiam obligatio (si sim in peccato: de homine namq. in tali statu est præsens dubitatio, & principalis difficultas) contritionis, quæ est actus supernaturalis feruẽtissimæ charitatis; nec potest homo ordinatus ad finem supernaturalem (instante præcepto) diligere absolutè Deum, dilectione naturali; quin diligat illum, dilectione supernaturali: non quod non possit optimè saluari dilectio Dei naturalis, sine dilectione supernaturali, cum illa non dependeat ab ista, nec istam essentialiter includat; vndè, in statu naturæ integræ, & puræ, poterat homo diligere Deum, dilectione naturali, solum: sed quia, in statu naturæ lapsæ, intelligitur homo ordinatus ad finẽ supernaturalem, non naturalem; hinc fit, quod nũquam instet obligatio dilectionis Dei, quin eius obseruatio pertineat ad ordinem supernaturalem.

2. not.

6 Tertio not. est, quod cõtrariæ formæ illæ dicuntur, quæ mutuò se expellũt ab eodem subiecto; vt, calor expellit frigus; & è contra; albedo nigredinem, &c. ita euenit in habitibus, tàm intellectualibus, quàm moralibus. Habitus. n. scientiæ expellit ab intellectu ignorãtiam, respectu illarum conclusionum, ad quas illa scientia se extendit; ita, habitus liberalitatis expellit auaritiam, & prodigalitatem, &c. actus, autem, non sufficiunt expellere à potentia habitum oppositum; nisi quando, ex ipsis reiteratis, & multiplicatis, generetur habitus alius similis illis: (*ex frequentatis namq. actibus*, inquit Arist. *fit habitus*) qui proculdubio expellet contrarium. Ratio autem, quare actus nõ sufficit destruere, ex se, habitum oppositum, est, quia actus se habet per modum transeuntis, & facilè mobilis; habitus, autem, per modum perseuerantis, & difficilè mobilis; vndè, non incõuenit, quod, permanente habitu liberalitatis in anima Francisci, eliciat ille actum aliquẽ auaritię; vel prodigalitatis; non. n. dicetur tunc absolutè auarus, vel prodigus; cum denominatio fiat à forma permanente, non è transeunte; sed benè posset dici auarus in actu, in habitu, verò, liberalis.

3. not.

Cur actus nõ potest destruere habitum oppositũ Arist.

7 His

§. III.

Soluitur arg. 7 HIs autem suppositis, facilis erit solutio, nedum propositi argumenti; sed etiam alterius infra proponêdi. Respondeo ergo ad illud, primo, neg. ma. ad cuius probationem respondeo, non esse inconueniens, eundem hominé, simul, & semel, posse dici obliquum, naturaliter, & deordinatum, in habitu: rectum, verò, naturaliter in actu, iuxta dicta tertiò nor. licet ergò, obseruando totam legem, diceretur rectus actualiter; tamen, quousquè perseuerat in peccato, dicitur deordinatus habitualiter; cęterũ, quia nunquam talis obseruatio omnium præceptorum occurrit, quin etiam instet præceptum de dilectione supernaturali; hinc fit, quod obseruando, cum reliquis, tale præceptum, mediãte Auxilio supernaturali, disponitur homo vltimatè ad Gratiam habitualem recipiendam; & sic, fit etiam habitualiter rectus, nedum naturaliter, sed etiam supernaturaliter.

§. IV.

2. obiectio. 8 SEcundò potest argui, contra nostram sententiam, non minus difficile argumentum, sic. Non potest homo existens in peccato adimplere potissimum, & primum præceptum dilectionis Dei super omnia, etiã cum Auxilio Dei. (& loquor de dilectione naturali) ergò non potest, nisi sanetur per Gratiam habitualem, & emundetur à peccato, adimplere omnia præcepta naturalia, etiam quoad substantiam; consequentia est euidens: tum quia nõ dicitur omnia implere, qui nõ valet primum, & potissimum obseruare; tum etiam, quia, nisi primum impleatur, cętera impleri non possunt; eo quod non potest quis efficaciter velle media ordinata ad aliquem finem, nisi velit prius efficaciter finem. Opera auté, quibus implentur alia præcepta naturalia, præter primum, sunt media in ordine ad finem legis naturalis; ergo non potest ea aliquis præstare; nisi, per dilectionem Dei super omnia, efficaciter diligat ipsũ finem naturalem. antec. autem huius rationis. s. quod *non possit diligere Deum finẽ naturalem, etiam si adiuuetur à speciali Auxilio; si maneat in peccato*: probatur apertè: nam vera & efficax dilectio Dei est illa, qua diligens, ita ordinat se, & omnia in Deum vltimum finem, vt illum rebus omnibus anteponat, & nihil admittat, quod pugnet cũ amicitia Dei; sed homo, quandiu est in peccato, habet in se ipsum peccatum, quod, ex natura rei, pugnat cum Dei Gratia, & amicitia: igitur, nisi per Gratiam habitualem iustificetur à peccato, non poterit Diligere Deum super omnia, dilectione naturali efficaci, quãuis adiuuetur Auxilio Dei.

9 Respondeo tamen, neg. anteced. Ad cuius probationem concedo maiorem; & etiam minorem; & neg. cõsequentiam. Ratio est, nam non est idem dicere, diligentem Deum habere in se peccatũ iam commissum olim, ac dicere, diligentem Deum admittere peccatum; primũ verum est, in peccatore, qui elicit actum dilectionis Dei super omnia, ordinis naturalis: secundum verò falsum: nam potius, eo actu dilectionis, detestatur actualiter ipsum peccatum; & dolet de illo efficaciter, propter Deum summè dilectũ; & vellet potius quæcũq. subijsse tormenta, quam contra Deum peccasse; hic. n. dolor essentialiter includitur in illa dilectione efficaci: immò efficaciter proponit, in futurum nunquam Deum suum offendere, sed semper fideliter illi seruire, toto corde, totisq. viribus: datur etiã huius rei manifestissima instantia, in dilectione Dei supernaturali, quam elicit peccator, per actum contritionis, qua disponitur ad iustificantem Gratiam: certum. n. est (vt dicam suo loco) contritionem esse priorem, saltem prioritate naturę, ipsa Gratia habituali; cum omnis dispositio præcedere debeat formam ipsã, respectu cuius dicitur esse dispositio; & tamen altioris generis est, & perfectioris, contritio, ipsa dilectione naturali; & peccator vtiq. potest elicere actum contritionis supernaturalis, cũ solo Auxilio supernaturali: ergò, à maiori ad minus, non est inconueniens asserere, peccatorem posse elicere actum dilectionis efficacis naturalis Dei, cum solo Auxilio Gratiæ per Christum, modo dicto. Solutio.

10 Nonnulla solent adduci loca, tùm Scripturę sacræ, tùm Conciliorum, & Pattum, à Doctoribus oppositæ sententiæ; verum illa loca nullo pacto militant cõtra nos: nam semper Scriptura sacra, Cõcilia, & Patres loquuntur, de obseruantia præceptorum, quæ fit meritoriè; ita vt, per illam mereamur vitam æternam; & sic, proculdubio necessaria est Gratia habitualis, quæ principium est merendi; vt optimè docuit ipse D. Th. in corpore ar. cit. & nos etiam supra. D. Th.

DI-

DISPVTATIO SEXTA.

Vtrum præcepta supernaturalia possint seruari sine gratia habituali?

CAPVT PRIMVM.


Quædam prænotantur pro explicatione tituli disputationis.

§. I.

Not. 1. 1 PRo huius tituli intelligentia, supponendum est, tanquam certum; præcepta Fidei, & Spei posse adimpleri à quocũq. homine existente in mortali, & perseuerante in statu peccati, quantum ad substantiam actuum, cum solo auxilio supernaturali; sine eo, quod, credẽs, vel sperans, nouum committat peccatum. Præceptum verò charitatis supernaturalis, licet etiam possit ab homine peccatore adimpleri, cum auxilio supernaturali; tamen habet hoc peculiare actus feruentissimæ charitatis, qualis est actus contritionis, quod, in eodem instanti, quo est verum dicere; nunc Frãciscus est perfectè contritus: fit etiam verum dicere; nunc, ex vi talis contritionis, habet Gratiam iustificantem, non, quod de condigno illa contritio sit meritoria illius habitus; sed benè, de congruo, & ex fidelitate Dei; qui promisit contrito Gratiam iustificantem & remissionem peccatorum; & sic, contritio se habet, vt vltima dispositio, moralis tamẽ, ad ipsum habitum charitatis, & Gratiæ: quarè, præsens difficultas tantum erit de præceptis Sacramẽtorum nouæ legis, circa collationem, & susceptionem ipsorum; nec de homine in alio statu, præterquam in statu naturæ corruptæ, considerato, erit in præsenti sermo noster; illi namq. solum tradita sunt de Sacramẽtis præcepta.

§. II.

Duplex præceptum Sacramentorũ, affirmans, & negans. 2 SEcundò loco notandum est; in Sacramentorum administratione, vel receptione duplex concurrere præceptum: alterum affirmans, alterum negãs; primum est, de recipiendo, vel administrando; quod obligat pro suo tempore certo, & determinato; neq. .n. omni tempore tenemur recipere, vel administrare sacramenta, & contra hoc præceptum affirmatiuum, peccatur omissione, non recipiendo, vel non administrando, quãdo tenemur. Secundum verò; nempe; negatiuum, est de non indignè tractando illa, quæ sanctè tractanda sunt, & cum reuerẽtia: & contra hoc, peccatur commissione, indignè accedendo ad Sacramẽtum, siuè conferendum alteri, siuè suscipiendum; & potest hoc violari, licet alterum non violetur: quando .n. à peccatore, & in peccato perseuerante actu suscipitur Sacramentum; tempore, quo obligat eius susceptio, obseruatur præceptũ affirmatiuum de susceptione eo tempore: violatur autem negatiuum, non accedendo dignè, & cum debita dispositione. Primò ergo videndum erit de collatione, siuè administratione Sacramentorum; & postea, de eorum susceptione; & quia conferre sacramenta, pertinet ad Ministros Sacramentorum; ideo, de Ministro, videndum est primò, vtrum, ad hoc, vt Sacramentum collatum validum sit, requiratur ex parte Ministri Gratia habitualis? secundo, an mali Ministrantes sacramenta peccent? & licet D. Tho. disputet de hac re 3. p. disp. 64. art. 5. & ibi omnes eius discipuli: tamen, occasione sumpta indigentiæ Gratiæ ad obseruanda præcepta, breuiter, quid dicendum sit, aperiam. D. Th.



CAPVT II.

An Sacramentorum Ministri, in ministrando sacramenta, indigeant Gratia habituali?

§. I.

Errores Agrippini; & aliorum. 1 QVantum ad primum fuit antiquus error, cuius primus Author fuit Agrippinus Episcopus Carthaginensis, qui asserebat, Baptismum datum ab Hæreticis, etiam sub forma Ecclesiæ Catholicæ, non esse Sacramentum, in quam sententiam postea adductus est Cyprianus Martyr successor eius; quamuis sine pertinacia (vt constat ex Epistolis Cypriani, & ex libris Augustini de Baptismo contra Donatistas.) Deinde alius error affirmauit, sacramenta ministrata à publicis peccatoribus, irrita esse. Deinceps alius error fuit, irrita esse sacramenta administrata à quocũq; peccatore, etiam occultè; quinimo Vbicleph dixit; Ministrum non prædestinatum, etiam si sit in statu Gratiæ, non cõficere Sacramentum: Authores horum errorum numerant eruditè Suar. loc. cit. ex D.Th. disp. 13. sect. 4. Val. disp. 3. de Sacram. q. 5. punct. 3.

Cyprian.

Vbicleph.

Suar. D.Tho. Val.

Fidei dogma 2 Contra hos omnes errores, Fides Catholica docet, Ministrum peccatorem Hæreticum, aut Schismaticum validum efficere Sacramentum, si adsit legitima intentio, & cętera requisita. Ita definitum est à Stefano Papa, tempore Cypriani. Ab Innocentio I. epist. 22. à Leone Magno epist. 77. à Concilio Niceno can. 19. à multis alijs Concilijs, & Summis Pontificibus; & nouissimè in Trid. sess. 7. can. 12. id ipsum docuerunt omnes Sancti Patres, quos diligenter inuestigauit Suar. vbi supra, & Scholastici in vniuersum cũ D.Th. loc. cit.

Stephan. PP. Innocent. Leo. Concil. Nicen. Trid.

Suar. D.Th.

§. II.

Petitio. 3 SEd petes: vnde potuit Ecclesia colligere hanc veritatem? quia in Scriptura sacra nullus videtur esse locus, ex quo aperte deduci possit. Respondeo deduxisse ex antiqua traditione à tempore Apostolorum: ita docet expresse Augustinus lib. 5. de Baptismo cap. 13. & Vincentius Lirinẽs. contra hæreses c. 9. & colligitur ex diffinitione Stephani in hęc verba: *Nihil innouetur: sed quod traditũ est, custodiatur*; quam in hũc sensum subtiliter interpretatur Baron. to. 2. Annal. anno Christi 258. in fine. Vtuntur autem Patres, & Scholastici hac ratione; quia Minister Sacramenti non est causa principalis, sed instrumentum; Deus autem, qui est Author principalis Gratiæ, idem omninò est per Ministrum Hæreticum, & Fidelem; bonum, & malum. *Quæ* ratio eadem est cum ea, qua probari solet 3. p. q. 62. ar. 1. sacramenta conferre Gratiam ex opere operato; quia, ex institutione Christi, non est facta promissio iustificationis, Fidei, aut probitati ministrantis Sacramentum; sed ipsi operi externo, taliter facto, s. cum intentione Christi, & Ecclesiæ, de qua institutionis forma constitit Ecclesiæ per traditionem, ab Apostolis acceptam.

Responsio.

Aug. Vincen. Lirinen.

Baron.

§. III.

4 SEd oportet soluere argumenta Cypriani: primum erat; quia nemo dat, quod non habet: Hæreticus autem non habet Gratiam iustificationis; ergo neque eam conferre pro Sacramentum; Respondeo; propositionem illam, & si vera esset, non esse intelligendam, de instrumento: sed de causa principali. Deindè, etiam si de instrumẽto intelligeretur. Respondet eleganter Augustinus lib. 6. de Baptismo c. 1. ad summum colligere; Baptismum datum ab Hæretico non cõferre Gratiam; nihilominus, validũ esse; quia aliud est, Sacramentum ipsum, & fructus Sacramenti; quod nõ distinguens Cyprianus, in errorem adductus est.

1. arg. Cypriani.

Solutio.

Aug.

5 Secundum argumentum, quo vtebantur Donatistę, erat huiusmodi: Io. 20. dicitur, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* ergo remissio peccatorum supponit Spiritum sãctum in Ministro; & ex consequenti, Gratiam habitualem; quæ dicitur sanctitas animæ: Respondent aliqui; per Spiritum sanctum ibi tãtum intelligi, potestatem remittendi peccata; & ita videtur docuisse Chrisostomus hom. 85. in Ioan. sed Cyrill. lib. 12. in Io. c. 56. & Ambros. super Psal. 118. per Spiritum sanctum intelligunt statum Gratiæ; & verius: quia in Trid. sess. 23. & can. 4. diffinitur, *In sacra ordinatione, nõ solum conferri characterem, sed & Spiri-*

2. arg. Donatistarum.

Solutio aliquorum.

Chrisost. Cyril. Ambr.

Trident.

tum Sanctum dari. ergo donatio Spiritus sancti distincta est à potestate absoluendi; quæ sequitur characterem ordinis.

Verior solutio.

6 Resp. ergo, per Spiritum sanctum intelligi donationem Gratiæ, quæ confertur in sacra ordinatione, tanquam conditio necessaria, non quidem, vt administretur validè Sacramentum: sed vt administretur dignè, & cum fructu ministrantis.

Tertium Argumentum eorundem.

7 Tandem ità obijciebant Donatistæ: extra Ecclesiam non sunt Sacramenta: quia solius Ecclesiæ est, vera Sacramenta habere; ergò baptismus datus ab Infideli non est Sacramentum. Respondet August. lib. 5. de Baptis. c. 23. & lib. 6. c. 9. 10. 21. & 28. solam Ecclesiam vera Sacramenta habere: sed non tantum, intra Ecclesiam vera Sacramēta reperiri; quia Baptismus datus ab Hæretico, extra Ecclesiā est, & tamen solius Ecclesiæ, quia est Sacramentum Christi, qui est sponsus Ecclesiæ: & ità administrari debuit cum intentione Ecclesiæ, & Christi: Sicut aqua fluminis Eufrate, qui egreditur ex Paradiso, ad irrigandam terram, solius Paradisi est; quia soli Paradiso datum est flumen illud; tamen extrà Paradisum etiam reperiri potest.

Solutio Aug.

8 Sunt etiam quædam testimonia Patrum, quibus docetur, Aquam Hæreticorum esse profanam, & inutilem; & falsa signa esse apud Hæreticos. Quorum solutio est: Patres loqui de Baptismo Adultorum, qui, quoniā in eadem hæresi sunt, licet verum Baptismū recipiant, nō recipiunt fructum Sacramenti; de quibus vide Suar. vbi supra. Remanet ergo, Ministrum Sacramēti non indigere Gratia habituali ad conficiendum Sacramentum, quoad substātiam, idest verum Sacramentum: & sic, quilibet Sacerdos, quantumuis peccator, proferens verba consecrationis super panem, & vinum, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Quod q; fecit in vltima Cœna Christus; proculdubio conficiet verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini.



CAPVT III.

An Minister, Sacramenta ministrans in mortali, peccet?

§. I.

1 Quantum ad secundum. An scilicet, mali ministrantes Sacramenta, peccent? est notā, quod duplex potest esse Minister Sacramenti. Alter consecratus, vt est minister Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis. Alter non consecratus, vt Minister Matrimonij, qui est quilibet ex contrahentibus; & laicus baptizans, in casu necessitatis. De Ministris consecratis, certum omninò est, teneri sub mortali, ad administrandum in statu Gratiæ: Ità omnes Doctores.

Dupliciter Sacramenti Minister, Cōsecratus & non Consecratus.

Quod patet insigni testimonio Augustini lib. 2. cont. epist. Parminiani c. 10. & lib. 4. de Trinit. c. 14. quamuis ibi tantum loquatur de Ministro offerente sacrificium. Diffinitur etiam in cap. fin. de temporib. ordin. & in cap. fin. de cohabit. cleric. & inter decreta Nicol. III. in 3. tom. Conciliorum tex. 11. c. 5. Vndè sequitur, quod si Minister tenetur sub mortali, administrare dignè Sacramentum, indiget Gratia habituali, sine qua, non pôt Sacramētum dignè, sine mortali peccato, ministrari.

August.

Cap. final.

Nicol. III.

2 Huius autem rationem assignat Caietan. super illum articulum citatum Diui Thomæ in 3. par. scilicet, quia Minister consecratus accipit Gratiam in sacra ordinatione, ad administrandum Sacramentum, cui Gratiæ deesse, peccatum est. Sed hæc ratio non videtur sufficiens; nam ex ea sequeretur, Confirmatum, qui profitetur fidem corām Tyranno in peccato mortali, peccare mortaliter, quia ad prædictam confessionem faciendam, accepit Gratiam in Sacramento Confirmationis; & coniuges qui in peccato mortali commiscentur mutuò, peccare mortaliter, quia in Sacramento matrimonij acceperunt Gratiam ad honestum vsum coniugij.

Caietan.

3 Vera igitur ratio est, quam reddit Diuus Thom. loc. cit. quia, qui admini-

Cur Minister Sacramẽtum ministrans, tenetur in gratia ministrare.

Si Deus non esset sanctus per essẽtiam non esset Author Sacramentorum.

strat Sacramentum, tenetur Conformari cum Authore ipsius Sacramenti, cuius se ministrũ exhibet: Deus autem Author est Sacramẽti, quia est fons sanctitatis, & Gratiæ; nam, etiã si supponeretur Deus cum reliquis attributis, & non intelligeretur Sanctus per Essentiam, per locum intrinsecum, non maneret Author Sacramenti; quia Sacramentum est instrumentum iustificationis: ergò Author Sacramenti deber esse sanctitas ipsa. Et huic rationi concordat Scriptura sacra in vulgatis locis: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum*: &, *Mundamini, qui fertis vasa Domini*: nam ex eodem principio sequitur, Ministrum cõformari debere cum sanctitate Sacramenti: sancta enim sanctè tractari oportet.

§. II.

Obiectio.

4 Caeterum, ex hac ratione (dices) sequi videtur, laicum in peccato baptizantem in extrema necessitate, & similiter, quemlibet alium Sacerdotem, peccare mortaliter; nam ratio quam adduximus, militat in omni euentu. Cõsequens autem est falsum, & contra D. Thom. artic. cit. ad tertium, vbi dicit: *In articulo necessitatis, quemlibet Sacerdotem in peccato existentem non peccare, baptizando, in casu, quo etiam posset laicus baptizare*, ergò non valet illa ratio.

D.Thom.

Solutio

5. Respondeo negando sequelam, cuius ratio non est, quam aliqui adducunt, scilicet, quia laicus non est Minister consecratus; & sacerdos baptizans in extrema necessitate, non abutitur gratia consecrationis, eo quod baptizet, tanquam laicus, & tanquam minister per accidens, non per se; quia, primo, ratio illa de Gratia Consecrationis, non est satis firma (vt dixi supra.) Secundò, sacerdos baptizans in extrema necessitate, non potest dici Minister per accidens, sed per se, quia potestas baptizandi, primario conuenit Sacerdoti; neque Sacerdos subrogatur, in aliquo euentu, in locum laici; sed semper baptizat ex proprio munere. Quare vera ratio discriminis est, quam reddunt Duran. in 4. dist. 5. q. 6. num. 6. Palud. q. 2. art. 2. Hadrian. in 4. q. 3. de Baptismo, & alij; quia qui baptizat in extrema necessitate, propter instans periculum mortis, caret oportunitate temporis, vt prius iustificetur; & eo propter indigentiam proximi, excu-

Cur sacerdos baptizãs, vel absoluens in in mortali in extrema necessitate, non peccat.

Durand. Paludan. Hadrian.

satur ab irreuerentia, Ministrans baptismum in mortali, quia, cum Sacramenta instituta sint propter salutem proximi, occurrente præcepto, de succurrendo proximo laboranti in extremis, cessat circumstantia requisita ad præceptum Religionis, quod non obligat, nisi habita commoditate temporis: iuxta illud Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*. Ex quo sequitur, quod si mors baptizãdi non nimium vrgeret; & laicus baptizaturus haberet temporis oportunitatem, teneretur conari ad statum Gratiæ: quia vrgeret præceptum, de conformando se cum Authore Sacramenti, & ipsius Sacramenti sanctitate.

Oseas.

§. III.

De conficientibus Sacramentalia, & Ministris Altaris.

6 Sed occurrit dubium de Episcopo, & Sacerdote conficiente Sacramẽtalia; & de Diacono, & Subdiacono, ministrantibus in mortali, vtrum peccent mortaliter? Ioa. de Medin. Cod. de pœn. tract. 1. c. 6. & Angel. in sum. verb. *Clerici*, 8. num. 1. Siluest. verb. *Clericus*, ante primam quæstionem, existimãt, Episcopum benedicentem Oleum, Altare, vel Ecclesiam; & Diaconum, & Subdiaconum, ministrantes in mortali, peccare mortaliter, cum quibus sentire videtur Caiet. 2. 2. q. 60. art. 2.

Ioa. de Medi. Angel. Siluest.

Caietan.

7 Fundamentum huius sententiæ est cap. fin. de tempor. ordin. vbi respondet Pontifex, *Sacerdotes, & cæteros Clericos existentes in mortali, occultè monendos esse, sub interminatione iudicij Diuini, neque ascendere ad superiores ordines, neque in susceptis ministrare*.

Cap. final.

8 Deinde, quia omnis actus annexus sacræ ordinationi, factus in peccato mortali, est abusus Gratiæ consecrantis, quæ datur in sacra ordinatione, ad exercendum benè illum actum.

§. IV.

8 Tamen probabilior sententia est Dominici de Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 2. q. 1. art. 4. Suar. disp. 16. sect. 3. in locum Diui Thomæ cit. Nihil horum esse peccatum mortale; cuius rationem adducit Suar. dicens: *quia materia leuis est*. Sed non placet: nam ministrare in sacro ordine Diaconatus, & Subdiaconatus, non est materia leuis; aliàs Diaconus suspensus, qui cantaret solemniter Euangelium, non peccaret

Dominic. de Soto. Suar.

mor-

mortaliter, quod est absurdum, cum incurrat irregularitatem, quæ est grauis pœna.

9 Responsio ergo legitima est: quia de hac re nullum extat præceptum positiuum, nec naturale; nam ratio superius adducta probat optimè de Sacramentis, quæ sunt instrumenta iustificationis; de cęteris actionibus quãtumuis annexis sacræ ordinationi, nihil colligit.

10 Ad capitulum autem finale de tempor. ordin. Resp. si ita vniuersaliter intelligatur, sequi clericos constitutos in minoribus ordinibus peccare mortaliter administrantes in mortali; quod nemo concedit: Mens igitur Pontificis est, attribuere singula singulis, proportione quadam; & prohibere Sacerdotibus ministrare in susceptis ordinibus: Diaconis, & Subdiaconis, ascendere ad superiores ordines, quod iustissimè prohibetur ex ipso iure naturali; quia accedere ad sacram ordinationem in mortali, est suscipere Sacramentum irreuerenter; & ità, contra Religionem peccat, qui ascẽdit immundus ad alium ordinem.

§. V.

Petitio de Concionare. Sum. Caiet.

11 PEtes, an Concionator teneatur esse in Gratia, cum accedit ad concionandum? Caiet. super illum art. 6. cit. §. *hanc doctrinam, &c.* tenet partem affirmatiuam: Cuius fundamenta sunt. Primum, quia existimat, officium prædicandi Euangelium, ex primaria institutione, ad Episcopum pertinere, ratione consecrationis; & ità, sicut abutitur consecratione qui ministrat Sacramentum in mortali, ità similiter, qui in mortali concionatur.

12 Neque obstat (inquit Caietan.) quod hoc officium Ecclesia tradiderit sacerdotibus, quia diuersæ institutiones, scilicèt Christi, & Ecclesiæ, differunt tantum, ex parte efficientis: formaliter tamen non differunt: cuius rei assignat duplex exemplum; nam extrahere hominem ab Ecclesia, formaliter est sacrilegium, quãuis, ex præcepto positiuo proueniat, vt sit sacrilegiũ; & comedere semel in die, formaliter est abstinentia; quamuis ex præcepto Ecclesiæ abstinẽtia sit: ergò non minus erit actio Consecrationis, prædicatio Euangelij, ex eo, quod ab Ecclesia annexa sit sacro ordini, quam si à Christo annexa esset.

13 Secundò probat Caiet. in sum. verb. *Prædicatorum peccata*: quia scilicet, qui in mortali concionatur, facto suo denotat, prædicatores, solo verbo, non opere prædicare debere.

14 Tertiò probari potest ex vulgari testimonio Ps. 49. ver. 18. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Ad quem versum, cum ex cõcione, accessisset Origen. recordatus, quod Alexandriæ Idolis immolauerat, complicuit librum, & præ lachrimis, cõcionem finire non potuit, vt docet Epis. hæres. 4. Origen. Epiphan.

§. VI.

15 VEra tamen sententia est; hoc nõ esse peccatum mortale, nisi ex publico peccato Concionatoris, scandalum oriatur; ità docet Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. Medin. Cod. de pœnit. tract. 1. q. 6. Suar. disp. illa 16. sect. 3. in fi. Valent. disp. 3. q. 6. pun. 3. §. *Cæterum propter, &c.* Fundamentum vnicum est: quia de hac re nullum extat præceptum positiuum, nec naturale; nam ratio, quam supra fecimus, non se extẽdit ad omnem actionem honestã, qualis est prædicatio Euãgelij; sed solum colligit de vsu, & administratione Sacramenti; quia est instrumentum iustificationis. Et ità fundamẽta Caiet. non solum sunt infirma, sed aliquid absurdum continẽt, quale est illud, quod assumit in primo fundamento, scilicet, *Actionem prædicandi, ex statuto Ecclesiæ, factam esse ordinis Sacerdotalis*: Hoc, inquam, absurdum est; quia Ecclesia non potest mutare materiam, & formam Sacramenti; & ità, neque aliquid variare, quod sit de Sacramenti substantia. Quare, si aliqua actio, ex institutione Christi, non pertineat ad sacrum Ordinem, neque Ecclesia facere poterit, vt ad sacrum ordinem incipiat pertinere: Sed accidentariè tantum, poterit illam coniungere cum sacro Ordine: vndè Sacerdos suspensus ab Ordine, etiam si cõcionetur, non manet irregularis; quia actio prædicandi non est actus Ordinis, sicut Consecrare, & Absoluere à peccatis. Verior sententia. Soto. Medina. Suar. Valent. Satisfit rationibus Caiet.

16 Exempla verò Caiet. parum probant; quia legislator malus potest, lege sua, constituere actum, quem præcipit in materia virtutis necessaria; & ità si præcipiat immunitatem templorum,

inci-

incipit iam esse sacrilegium, violare prædictam immunitatem, extrahendo delinquentem à loco sacto. Et idem iudiciũ, est de abstinentia, & ieiunio: nullus autem Legislator efficere potest, vt sacra ordinatio sit principium necessarium alicuius actionis, cuius nõ etat principium, ex institutione Christi: & ita prædicatio Euangelij non potest fieri actus ordinis sacri, ex institutione Ecclesiæ: cæterum, etiam si esset actus ordinis, non inde sequeretur, debere fieri sine conscientia peccati mortalis; vt supra diximus in simili de Diacono, & Subdiacono, ministrantibus in mortali.

17 Ad secundum fundamentũ Caiet. Respondetur, eum, qui concionatur in mortali; si id faciat sine contemptu; & alias, rectè, & iuxta fidei regulas concionetur, non denotare, opere ipso; prædicatores solo verbo prædicare debere; alias, qui in mortali ieiunat, denotaret, opere suo, à corporalibus tantum escis, non à vitijs esse ieiunandum, quod est absurdũ.

18 Illud verò, quod tertio loco adduximus ex Psal. 49. non intelligitur de prædicatore, qui concionatur ad Populum: sed de quouis hypocrita, qui iactat Magnifica de lege Dei, & de pacto inito cũ hominibus, obseruantibus legem; quasi ipse illam custodiat; cum, alias, præceps fetatur in omne genus peccatorum, &c. Ex dictis patet, *Qui* ministri teneãtur habere Gratiam habitualem, & ministrare in illa; qui verò non. Illud insuper, tandẽ, in omni superius dicta administratione, supponendum est; quod, vt dignè fiat, & metiroriè, necessariò requiritur, in omnibus supra nominatis Ministris, habitualis Gratia; vel saltem, ad non indignè tractãda, existimata contritio. Et hæc de collatione, siue administratione Sacramentorum.

CAPVT IV.

Quid de susceptione Sacramentorum?

§. I.

Aliquorum sen tentia. Dur. Vega, Med.

1 IN hac re, Duran. in 2. dist. 28. q. 4. n. 6. dicit; impleri non posse præcepta, de susceptione Sacramentorum, sine Gratia habituali; ea ratione ductus; quia in præceptis Sacramentorum inuoluitur præceptum consequendi Gratiam: idem tenet Vega q. 1 31 de iustificat. Medina vero p. 2. q. 109. at. 4. concl. 3. dicit; hoc esse peculiare in Sacramento Eucharistiæ; vt, qui communicat in mortali, non impleat præceptum Diuinum; quod est, de fructuosa receptione; quamuis impleat Ecclesiasticum, de semel communicando in anno idem habet Zumel. ibidem disp. 3. concl. 5. Zum. Verior.

2 Cæterum, breuiter dicendum est; (supposita distinctione præcepti, in affirmatiuum, & negatiuum,) primo; ad adimplenda præcepta Sacramentorum, de ipsis recipiendis, nullo modo requiritur Gratia habitualis, antecedenter, concomitanter, aut consequenter; nisi tantũ, ad receptionem Sacramenti Pœnitentiæ: & hoc, secũdum opinionem aliquorum, secundum quam, impleri non potest sine Gratia, subsequenter; 1. p. quæ agit de præceptis aliorum Sacramentorum, est certa; nam qui suscipit, obice, Sacramentum Baptismi; verum, & validum Sacramentum suscipit; & non tenetur iterum illud suscipere; vt patet, in Hæretico, quãdo ad veram fidem conuertitur, non baptizatur denuò: quia iam præsupponit Ecclesia, verum recepisse Baptismum; etiam si, ex Iudaismo, adultus fecisset transitum ad aliquam Sectam Hæreticorum; & a Ministro Hæretico recepisset Baptismum; & postea, ex illa hæresi venisset ad cognitionem veræ fidei; in quo casu, certum est, nullam fuisse ei collatã habitualem Gratiam; idem dicendum, de confirmatione; vt, si quis in adulta ætate, cum mortali, confirmetur, non tenetur iterum in Gratia cõfirmari. Idem, de Extrema vnctione. De Sacramentis autem Ordinis, & Matrimonij, nullum est præceptum affirmatiuum. De Eucharistiæ verò, iam supra tetigimus; quod etiam si indignè suscipiatur; satisfit præcepto suscipiendi illud; non tantum Ecclesiastico: sed Diuino; & qui sic suscipit, non peccat contra illa præcepta affirmatiua; neq. tenetur iterum, post Pascha, in Gratia cõmunicari; vt adimpleat vtrũq. præceptum. Patet; nam præceptum Ecclesiasticum continet Diuinum; cum sit restrictio tantum illius ad tale tempus; & tam, contra Diuinum affirmãs; quàm, cõtra Ecclesiasticum, peccatur, solo peccato omissionis; & sic, neutrum violatur in hoc casu: quod si non impleretur præceptum affirmans, iterum teneretur, sub illomet præcepto, recipere Eucharistiã, 1. dictum.

post

post Pascha; si in peccato mortali in Pascate illam recepisset. Obseruare autem præceptum affirmatiuum, in eo positum est, quod est, recipere verum, & integrum Sacramentum; quod.n. aliqui dicunt, præceptum Eucharistiæ esse, vt non tantum verum, & integrum recipiatur, sed etiam, vt dignè: sine fundamento dicitur, nam hoc, quod est, Sacramentum dignè recipi, ad negatiuum spectat (vt diximus) de quo videatur Suar. 3. tom. 3. p. disp. 70. sect. 3.

§. II.

Quid de Sacraméto Pœnitentiæ.

3 PRo intelligentia secundæ partis conclusionis, not. est, quod quidã dixerunt, Sacramentum Pœnitentiæ posse dari verum, & integrum, informe tamen; hoc est, sine eo, quod conferat suscipienti Gratiam; vt, quando quis cum mortali; vel, sine debito dolore requisito, accedat; ita sentiunt Alensis 4. p. q. 77. membr. 5. art. 7. Gabr. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. vlt. Palud. q. 7. & alij cit. à Suar. 4. to. disp. 36. sect. 7.

Alens. Gabr. Palud.

4 Alij verò dicunt; nunquam esse integram substantiam huius Sacramenti, quin conferat Gratiam habitualem; hi sunt D. Th. in 4. dist. 23. q. 1. ar. 4. Vega lib. 13. in Trident. c. 26. 34. & 36. Hadrian. & Io. de Medin. qui omnes citantur à Suar. 4. to. disp. 20. sect. 5. n. 2.

D. Th. Vega. Hadrian. Io. de Med.

5 His positis; loquendum nobis est, secundum veritatem harum opinionum, quæ non sunt hoc loco discutiendæ; & primò dicimus, quod si vera est prima sententia, nempè, quod recipi posset hoc Sacramentum verum, & integrum, in forme tamen; poterit etiam impleri præceptum affirmatiuum illius, sine Gratia habituali; .i. absque eo, quod sic accedens, recipiat Gratiam habitualem; quia præceptum affirmatiuum Sacramẽti ad hoc tantum obligat, vt verum, & integrum recipiatur; si verò hoc Sacramentum informe esse non potest, cum secunda sententia; non poterit impleri præceptum affirmatiuum, sine Gratia habituali; .i. absq. eo, quod accedẽs recipiat, virtute Sacramenti, Gratiam habitualem; quia, iuxta hanc opinionem, hoc ipso, quod integrũ recipitur Sacramentum, ad quod, ex præcepto affirmatiuo, obligamur, per illud Gratia habitualis confertur.

§. III.

6 SI autem sermo sit de præceptis negatiuis Sacramentorum, .i. non indignè recipiendi sacramenta. Dico secũdo ad non indignè recipienda sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; quæ dicuntur sacramenta mortuorũ; non est necessaria Gratia habitualis, antecedenter; sed sufficit, consequenter; idest, quod accedant dispositi; cum qua dispositione, si accedant; idest, cum attritione; dabitur eis statim Gratia; & adimplebũt præceptum negatiuum, de non indignè suscipiendo sacramenta; &, quãtum attinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, intelligitur, secundũ dicta dicto 1.

De præceptis negatiuis Sacramentorũ. 2. dictum.


7 Dico tertiò, in Sacramentis viuorum, vt dignè suscipiantur. (Viuorum sacramenta dicuntur, reliqua, præter Baptismum, & Pœnitentiam; & dicuntur viuorum, quia non cõferunt primam Gratiam; hoc est, primam vitam animæ: sed illam supponunt, & per se conferunt augumẽtum Gratiæ; vt, ex primarijs eorum effectibus, colligi solet, in proprijs materijs:) in his ergo, dico; quod, vt dignè recipiantur, requiritur Gratia habitualis in eorum receptione, antecedenter. Quod est intelligendum, per se loquendo: nam, per accidens, poterũt primam Gratiam dare; si, propter ignorãtiam, ea recipientes, excusentur à peccato; & hoc, de Sacraméto Eucharistiæ, ait. Suar. 3. to. disp. 63. sect. 2. & à fortiori, de alijs debet intelligi; cum hoc sit viuorum, & inter omnia, præcipuum.

3. dictum.

Suar.

8 Ex his sequitur; malè, & scrupulosè nimis loquutum fuisse Durand. qui in 2. dist. 28. q. 3. n. 12. ait, necessariam esse Gratiam habitualem in re, tãquam principium, vt dignè quis recipiat sacramenta quæcunque: falsum .n. est; cum ad Pœnitentiæ, & Baptismi sacramenta hoc necessarium non sit; sed sufficiat, cum attritione, & sine Gratia habituali, accedere; & fructuosè, hoc modo, accedet; si autẽ, examine recto præmisso, quis non sit cõscius peccati mortalis; etiam ad alia sacramenta dignè accedet; quia ignorãtia peccati ipsum excusabit: quod, tamen, per accidens est.

Reprehenditur Duran.



CAPVT V.

Breuiter percurritur id reliquum, ad quod necessaria est Gratia.

§. I.

An possit homo se ad Gratiam præparare?

1 PEtes primò: potest ne homo, sine Gratia, ad Gratiã se præparare? Huic quęsito, cum distinctione, satisfaciendum est; vel enim est sermo, de Gratia habituali; & quia præparatio ad recipiendam hanc Gratiam fit, per bona opera; nedum naturalia; verum & supernaturalia; qualis est, saltem, vltima dispositio, nempè contritio; certissimum est, absq. Auxilio particulari, modo exposito, non posse nos huiusmodi opera elicere; & ex consequẽti, neq. ad Gratiam habitualem præparari.

2 Vel etiam sermo est, de ipso Auxilio particulari; & quia Concilia, & Patres diffiniunt; illud Deum operari in nobis, sine nobis; facilè colligitur, nullam posse esse, ex parte nostra, proprijs viribus, elicitam præparationem ad tale primum auxilium: benè verum est; quod, concesso nobis à Deo priori auxilio; mediante illo, possumus, per bona opera, & orationes ad vlteriora auxilia recipienda nos præparare: qui.n. benè vtitur auxilio priori, meretur, saltem de congruo, quod Deus illi noua cõferat; & ita, intelligendam esse illam propositionem Apostolicam: *facienti, quod in se est. Deus non denegat Gratiam*: fatentur Alex. 3. p. q. 69. membr. 5. ad 3. Altisiod. 3. lib. summæ tract. 2. c. 1. q. 5. D. Th. p. 2. q. 109. ar. 6. ad 2. & q. 112. ar. 2. ad 3. (quicquid, malè, Sancti Doctoris mentem perpendens, dicat Caiet. ar. illo 6. cit.) nimirum; *facienti quod in se est*, cum Auxilio Dei; *Deus non denegat* maiora Auxilia; ita quoq. intelligunt illa verba Sot. Medina super eũdem locũ cit. D. Th. licet etiam dicat Medina, probabile esse, posse intelligi, de faciẽte, quod in se est, ex viribus naturæ; sed fallitur; nam hic modus dicendi valdè consonat hæresi Pelagianæ. Item Zumel eodẽ loco disp. vnica. solutione ad primam confirmationem primi argumenti, tandem Vasq. ibidem c. 2. n. 7. & p. 1. disp. 91. idem sentiunt. Quæ autem, hic essent disputanda; quomodo, hoc priori Auxilio, moueat Deus nostram voluntatem? & cur non in omnibus, sed in paucis sit efficax? dicam suo loco, (si dicere fas erit.)

D. Paul. Alex. Altisiod. D. Th.

Caiet.

Sot. Med.

Zum.

Vasq.

§. II.

An possit à peccato resurgere?

3 SEcundò peto; potest ne Homo resurgere a peccato, absq. Auxilio Gratiæ? Dicimus, quod ad remissionem peccatorũ necessariò requiritur Gratia habitualis, (vt dicam, cum de iustificatione impij, disputabimus.) Ad Gratiam autem habitualem recipiendam, necessariò, præter alia opera, requiritur, tãquam vltima dispositio, contritio; vt ibidem latius demonstrabo; quæ, sine Auxilio peculiari haberi non potest.

An possit nõ peccare?

4 Tertio peres: potest ne homo, sine Gratia, non peccare? Iam diximus, quod in statu naturæ integræ, poterat homo non peccare, nec mortaliter, nec venialiter, eo quod habebat vires, ad vincẽdam, superandamq. quamcumq. tentationem; licet etiam hoc Gratiæ Dei tribuendum esset; siquidem, quamuis vulnus, & infirmitas, ex peccato orta, in eo statu non essent; potuisset tamen esse rebellio, dissentio, & repugnantia inter appetitum sensitiuum, & rationalem; diximus.n. hoc prouenire ex intrinsecis principijs ipsius naturæ; & quia illa vis, quam habebat homo, in eo statu, erat ex Gratia Dei Authoris naturæ, qui, peculiari prouidẽtia, ac manutenentia, hominem protegebat; ideo, si quamcunq; poterat superare tentationem, & vitare peccatum, illi peculiari protectioni tribuendum erat.

§. III.

Non potest vitari in tota vita omne veniale sine priuilegio speciali.

Conc. Trid.

5 DE homine verò in reliquis statibus philosophandum est, iuxta dicta. Sed notandum est, quod Cõcilium Trident. sess. 6. can. 23. diffiniuit; hominẽ nõ posse vitare omnia peccata venialia, in tota vita sua, sine speciali priuilegio; quod donum distinctum est à quacunq. ex Gratijs, & Auxilijs, de quibus, vsquè modo, loquuti sumus; & adeo rarissimè conceditur a Deo; vt, vel vni soli Beatæ Virgini fuisse concessum, doceant communiter Patres, & Scholastici; licet aliqui etiam velint, id idem priuilegium habuisse Ioannem Baptistam: ita sentit Catharinus lib. 2. de eximia Christi prædestinatione. Alij etiam docent, idem habuisse Hieremiã. Cęterum, illud omni veritate cer-

Catarin.

certius est; Beatæ Virgini tale priuilegium fuisse concessum. Ita diffinitur in Concilio Trident. loc. cit. & in quodam alio Concilio Claromont. cuius meminit Vega lib. 14. super Concilium cap. 18. hoc idem docuit Sofronius Patriarca in epist. Synodica, quæ est in 6. Syn. generali, actione 11. & approbata fuit in eadē Syn. act. 13. præterquam quod, extitit celebris sententia D. P. Augustini lib. de nat. & gratia c. 36. vbi vult; illud priuileg. soli B. V. fuisse concessum; idem sentit Hieron. lib. 1. & 3. contra Pelag. Bernard. epist. 147. & alij innumeri Patres.

Conc. Claromont. Vega. Sofron. Aug. Hieron. Bernar.

Cur non requiratur priuilegium ad vitanda omnia mortalia?

6 Dices; cur ad vitanda omnia peccata mortalia non requiritur hoc idem priuilegium? Respondeo breuiter, ac facile: quia peccata mortalia facilius cognoscuntur, & sic sufficit Auxilium Gratiæ: venialia verò sunt difficiliora cognitu: præterquam quod, innumeræ sunt occasiones quotidiè, quæ se se offerunt peccandi; saltem, venialiter; & innumeri motus inordinati, qui omnes reprimi minimè possunt; immò, dum vnus reprimitur, multi alij consurgunt. Hinc dixit Apostolus; *Septies in die cadit iustus*; & idem est ly (*septies*;) ac, multoties, iuxta expositionem nonnullorum Sanctorum. Sit quātum vis iustus homo, venialiter peccet, necesse est; nisi protegatur priuilegio dicto; & alibi, *Si dixerimus; quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*.

§. IV.

An possit perseuerare?

7 QVod tandem, circa eandem indigentiam Gratiæ, solet disputari à D. Th. eiusq. Schola. ar. 10. cit. q. An, s. homo, in Gratia constitutus, possit, sine Auxilio, perseuerare in accepta iustitia, vsq. ad finem vitæ? hoc est; vel continuando opera virtutum; vel, saltem, nō peccando mortaliter? Vbi id posset aliquam difficultatem facere; nimirum; in casu, quo homo breui tempore, post susceptum, cum omni dispositione requisita, Sacramentum, moriatur improuisa, ac subitanea morte: vel reuertatur domum, & dormiens pereat, sine vlla occasione, sibi oblata, peccandi; tunc ille diceretur perseuerasse in accepta Gratia, absq. nouo auxilio.

Conclusio Catholica.

8 Cęterum; de fide est, hominem, neq. per breuissimum tempus, posse in Gratia perseuerare, sine peculiari Auxilio; vel interno, si se illi offerat peccandi occasio, quo illi resistat, tentationemquē superet; vel saltem externæ protectionis, quo nō sinatur tentari pro illo tempore: (*si. n. deficit occasio, Deus fecit, vt deesset*,) vt citauimus ex Augustino; estquē contra Pelag. asserentem, hominem posse perseuerare in Gratia, vsq. ad finem vitæ, per vires naturales; & continuare iustificationem; quam, ipse dicebat, proprijs viribus inchoari; contra ipsum ergo diffinita est veritas hæc in Milleuit. can. 3. 4. & 5. & in Africano sub Bonifacio I. can. 78. 79. 80. & in Arausi. 2. can. 10. vbi dicitur, *Adiutorium Dei, etiam renatis, ac Sanctis, semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, & in bono possint opere perdurare*. Idem diffiniunt Cęlestin. I. in epist. 1. c. 2. & Innocent. I. epist. 25. quę est ad Concilium Carthagin. & apud Augustinum est 91. & Trident. sess. 6. can. 29. his verbis. *Si quis dixerit, iustificatum, sine speciali Auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse; vel, cum eo, non posse, anathema sit*; *qua* veritas est vnanimis Ecclesiæ cōsensus, & Sanctorum Patrum; de qua videantur Vega lib. 12. in Triden. cap. 10. & Vasq. supra illum art. 10. disp. 197. cap. 1.

Aug. Cōc. Milleu. African. Arausic. Cęlestin. I. Innocent. I. Trident. Vega. Vasq.

§. V.

Nota aliam rationem, nō posse hominem superare minimam tentationem nec seruare præceptum aliq. absquē auxilio.

9 VNde colligo rationem non parui momenti, in cōfirmationem doctrinæ, à nobis traditæ supra; s. non posse superari aliquam, etiam minimam tentationem; nec seruari præceptum aliquod, sine speciali Auxilio: estquē huiusmodi: *Quia si* vera esset opposita sententia, sequeretur, posse hominem perseuerare, sine speciali Auxilio; quod est contra fidem; probatur sequela, nam posset Deus præfigere terminum vitæ, eo tempore, quo occurret tentatio, quæ vinci potest per proprias vires; vel pręceptum, quod, per easdem, obseruari potest, in sententia contraria; sed si vinceretur tentatio, & peccatum vitaretur, perseuerаret homo in Gratia (supponendo, ipsum iam esse in Gratia constitutum) ergo si, per proprias vires, posset superare tentationem, & vitare peccatum, posset etiā, per easdem vires, perseuerare; nil. n. aliud est, perseuerare in Gratia, quām, illam conseruare, vitando peccatum, quod solum potest illam destruere.

Euasio.

10 Dices: circa finem vitæ occurrere obligationem alicuius pręcepti supernaturalis, ratione cuius non poterit homo perseuerare, sine speciali Auxilio.

Confutatur. 11 Sed contra manam, non est necessarium, quod occurrat tale præceptum, per se fed potest absque eo, quod occurrat talis obligatio, ab inimico proditoriè occidi; vel subita morte è viuis tolli eo tempore, quo tantum superauit tentationem contra præceptum naturale.

Effugium. 12 Dices: peccatum illud, quod poterat vitare per proprias vires, in discursu vitæ, non posse vitari per proprias vires, in vltimo instanti vitæ, quia vitatio illius peccati est perseuerantia.

Refugium. 13 Sed inane quidem subterfugium istud est: & videtur soluere obiectionẽ per idem inconueniens, quod argumentum infert: Et hoc in solutionibus, valdè vitiosum est; & quidem, si tentatio, quæ occurrit in fine vitæ, est eiusdem rationis, vtpotè, contra idem præceptum, & æqualis intensionis, & efficaciæ, cum illa, quæ paulò antè vrgebat; cur ergò poterat vinci per proprias vires, in principio horæ, & post breue tempus, instante iam violenta, & improuisa morte, non potest vinci per proprias vires? nunquid amisit homo, pro illo instanti, proprias vires, quas paulò antè habebat? & in tam breui tempore, facta est natura impotens, imbecillis, & inutilis, vt exigat Auxilium, quod antea non exigebat? ridicula quidem sunt ista omnia, & sic contemdenda.

§. VI.

Ad rationem dubitandi. 14 Remanet ergo certum; ad perseuerandum in accepta iustitia, necessariò requiri, præter habitum, etiã peculiare Auxilium Gratiæ per Christum, siuè internum, siuè protectionis externæ; modo pluries repetito in superioribus. Vndè, ad rationem dubitandi facilè respondetur; quod licèt homo, post quantumuis breuissimum tempus à suscepta Gratia habituali, etiam improuisa, ac subitanea morte, moriatur, adhuc illa perseuerantia tribuenda est Gratiæ externæ protectionis: Ideò enim permisit Deus, iustum, illa morte præueniri intempestiua, ne lungo viuens tempore, repleretur miserijs, & peccatis: iuxtà illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam ipsius*: rapti sunt ergo aliquãdo iusti immatura morte; si enim diutius vixissent, forsan Gratiam perdidissent.

§. VII.

Quid in statu naturæ integræ? 15 De homine autem in statu naturæ integræ, sentiunt Durand. in 2. dist. 29. q. 1. Gabr. quæst. vnica concl. 5. art. 1. Sot. lib. 1. de nat & grat. c. 6. Vega lib. 12. super Concil. c. 21. & Caiet. art. 2. & 4. illius quæst. 109. cit. potuisse in eo statu perseuerare in acceptis donis, & Gratia. Cœterum, verior opinio est, & certior; neque in eo statu id potuisse præstare, sine peculiari Auxilio, saltem, externæ protectionis. Ità optimè docet Gregor. in 2. dist. 29. q. 1. art. 1. conclus. 2. Azor. in Institutionibus, agens de iustit. origin. & Vasq. p. 2. disp. 197. c. 2. vbi existimat, veritatem hanc fuisse definitam ab Ecclesia, sicut & præcedentem: Quod probat ex Conc. Arausic. can. 19. vbi verbis desumptis ex Aug. ep. 106. ità habetur: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo, se ipsam, Creatore suo non adiuuãte, seruaret: vndè cum sine Gratia Dei nõ possit custodire quod accepit, quomodo sine Gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ità etiam ait Aug. in Enchir. c. 106. lib. 14. de Ciuit. c. 17. lib. de correct. & grat. c. 11. vbi postquam dixisset. *Hominem accepisse, quo perseuerare posset*; subiungit tamen: *non quo perseueraret; nam si id habuisset, perseuerasset*: quibus verbis insinuat, primum hominem per Gratiam habitualem, & dona virtutum, habuisse Auxilium sufficiens ad perseuerandum; caruisse Auxilio efficaci, sine quo non est perseuerantia: Idem dicit Fulg. lib. de Incarn. & grat. Christi c. 16. immò hoc idem certè sentit D. Th. artic. cit. qui omissa distinctione status, quàm in præcedentibus sæpè præmittebat, absolutè Respondet, negatiuè: & ad secundum dicit cum August. *Adam non accepisse, quo perseueraret, atque ità potentiorem datam esse Gratiam per Christum, quàm quæ data fuit Adæ; eò quod per Christum accipiunt multi id, quo de facto perseuerent*: In reliquis videatur Vasq. loc. cit. & hæc de necessitate Gratiæ.

Durand. Gabriel. Vega. Caietan. Greg. Azor. Vasq. Arausic. August. Fulg. D. Thom.

Finis Quodlibeti Octaui.

QVODLI-

QVODLIBETVM NONVM.

De Quidditate Gratiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

An Gratia ponat aliquid creatum in Anima?

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur aliqua, scitu necessaria, pro Intelligentia tituli disputationis.



§. I.

1 
Isputant de natura, & Essentia Gratiæ recentiores cum D.Th. p.2.q.110. Antiquiores verò cum Magistro in 2.dist.26. vbi etiam Aegid.noster ægregiè, vt solet, q.1. per tres articulos, hanc materiam exactè pertractat. In qua & nos, nedum cum Catholicis erit concertandum, sed etiam cũ Hæreticis, præsertim nostri temporis. Verum, pro explicatione tituli, noto primò ex D.Th.loc.cit.& Aegid.vbi supra, quos omnes postea recentiores sequuti sunt; quod Gratia, secundum communem vsũ loquendi, tripliciter vsurpari solet. Primò pro dilectione, qua quis ab alio diligitur; sicuti (inquit D.Th.) dicere solemus, Militem habere Gratiã Regis; .i. quod Rex habet eum gratum. Secundò, pro dono gratis dato, proueniente ex hac dilectione, sicuti (inquit D.Th.) dicere solemus; hanc Gratiam facio tibi. Tertiò sumitur pro recompensatione, & gratitudine beneficij accepti; vnde dicere solemus; Ago tibi Gratias. Harum (docet D.Th.) secundam dependere ex prima; nam, ex eo, quod aliquis diligat alium, & habeat illũ gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat; tertium autem Gratiæ genus ex secundò deriuatur; quia gratiarum actio consurgit ex beneficijs gratis exhibitis.

Magist.

Aegid.

Triplex Gratiæ vsurpatio

2 Secundò notandum est, ex eisdem Doctoribus, quod inter alias differẽtias; quæ reperiuntur inter voluntatem Diuinam, & humanam, ea pulcherrima est; quod voluntas humana mouetur à bono præexistenti in ea re, quam diligit: volũtas verò Diuina non mouetur à bono præexistenti in re dilecta; sed potius diligendo illam, causat in ea bonum. Huius ratio assignari solet p.1. q.19. art.5. vbi D.Th. docet; nullam dari causam Diuinę volũtatis; vndè, manifestè sequitur, quod, vt voluntas Diuina diligat aliquam rem, non præsupponat in illa bonum, à quo moueatur, & determinetur; alioquin iam haberet causam finalem; & quantum ad esse supernaturale, manifestè constat; quod, vt voluntas diuina diligat hominem speciali dilectione, à qua prouenit tale esse (vt dicam infra) non mouetur ab aliquo bono præexistenti in ipso; alioquin daretur causa prædestinationis ex parte hominis; nam illud bonum, quod vo-

Voluntas humana mouetur à bono præexistenti: Diuina causat bonum.

voluntatem Diuinam moueret, ad causandum in homine esse supernaturale, diceretur causa illius esse.

§. II.

Nota ex Aegid.

3 HOc amplius explicat Aegid. qui, postquam præmisisset § *sufficiat autē, & c. ex 2. Rethor.* quod *diligere*, idem est, ac *velle bonum* & §. *prima via, & c.* q̄ non potest cadere sub appetitu, *non Bonum*, cum *Malum*, sit præter volūtatem, & præter intentionem; vndè dicitur; (*Nemo respiciens ad malum operatur*) & cum diffiniatur Bonum; quod sit, *Id quod omnia appetunt*: vndè cōcludit, quod cum aliquis diligit alium, & vult illi bonum, quem prius non diligebat; oportet, vel, quod sit in re dilecta illud bonum, quod prius non erat; vel, quod hoc sit, ex defectu diligentis, quia indicat in re dilecta esse Bonum, vbi non est bonum; vel vbi est apparens bonum; siuè iste defectus iudicij sit in vniuersali, siuè in particulari; Vel hoc est, ex mutabilitate diligentis, quia quis mutatus, incipit diligere, quod prius non diligebat. Quod ibidem Deo applicat, dicens: *Si ergò Deus diligit creaturam rationalem, quam prius non diligebat, siue illud diligere sit, quantum ad bonum naturæ: vndè dicitur Sap. 11. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, siuè illud diligere sit, quantum ad bonum Gratiæ, quia Creatura rationalis incipit esse grata, quæ prius non erat grata. Cum Deus non possit habere iudicium defectiuum, nec possit in eo cadere mutatio, iuxtà illud Mal. b. 3. Ego Deus, & non mutor: Oportet, quod illud bonum sit aliqua res in creatura, siuè sit bonum naturæ, siuè sit bonum gratiæ.* Nam etiam D. Thom. docet, quod dilectio Dei potest esse, vel communis, vel specialis; Si communis, tendit ad bonum naturale Creaturarum: si specialis, tendit ad bonum supernaturale, & Gratiæ. His præsuppositis.

4 §. *Secunda Via, & c.* docet Ægid. ad propositum nostrum, quod Deus habet se ad omnia creata, s. Artifex ad Artificialia, quia ipse est omnium Artifex (vt dicitur Sap. 7.) Quilibet autem Artifex, per Intellectum, & Voluntatem producit artificialia; Per intellectum quidē, quia vt dicitur 7. met. t. c. 23-30. *A domo, quæ est in Anima, est domus in materia:*

Aristot.

per voluntatem verò, quia vt dicitur 6. met. t. c. 1. *principium artis est Voluntas*; & ibidem scribitur, *quod artificiatum, & volitum sunt idem*; dicitur autem principium artis esse Voluntas; quia in causando artificialia, principaliter videtur ibi esse voluntas, quàm intellectus, vel quàm ars, quæ est in intellectu; Ideo dicitur tertio de Anima t. c. 50. quod *Intellectus nō mouet sine appetitu*. Assignatque huius rei exemplum Ægid. dicens; quod videntur se habere hæc duo, volūtas, & intellectus ad producendum artificialia, sicut se habent manus, & sigillum ad producendum figuram in cera, nam in hac productione, manus est ibi principalior, quam sigillum, quia manus mouet sigillum ad hoc agendum: Ipsa tamen figura ceræ assimilatur sigillo, & non manui; sic in artificialibus, inquit, Voluntas mouet intellectum vt fiant; artificialia verò assimilantur his, quæ sunt in intellectu, & non propriè his, quæ sunt in voluntate; in talibus enim voluntas videtur habere, vt quid principalius; Intellectus, vt quid immediatius; & ideo artificialia magis assimilantur intellectui, vel his, quæ sunt in intellectu, à quo est actio immediatius, quàm his, quæ sunt in voluntate.

5 Applicat hanc doctrinam postea §. *sed si volumus, & c.* (quantum ad propositum spectat) ad Diuina, cum omnia comparentur ad Deum (vt ipse ait) tanquam artificialia ad Artificem; vndè omnia oportet esse ab intellectu Diuino, & à voluntate Diuina, propter quod omnia oportet esse à scientia Dei, & à volūtate Dei. Quod autem (inquit) omnia sint à scientia Dei, ostendit August. 11. de Trinit. c. 13. tom. 3. dicens: *Vniuersas autem creaturas spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit Deus; sed ideo sunt, quia nouit*; Cui alludit Verbum Comment. dicens, differentiam inter scientiam Dei, & nostram; quia illa sciētia causat res; nostra causatur à rebus. Quod etiam omnia causentur à voluntate Dei, ostendit idem Augustin. 3. de Trin. c. 4. tom. 3. vbi ait, quod *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium.* vndè concludit, quod cum *Amare*, (vt supra præmiserat) sit idem, quod *Velle bonum*; cum Deus nos diligit, non causatur dilectio eius à bono, quod est in nobis; sed potius illud bonum in nobis causat; nam sicut dicimus de cognitione, quod *Deus, non quia sunt res, ideo nouit,*

August.

sunt; sed ideo sunt, quia nouit; cognitio n. nostra est, quæ causatur à rebus; ita, de dilectione dicere possumus; non quia res sunt bonæ; ideo Deus eas diligit; (quo modo, & ordine procedit dilectio nostra, quæ causatur à bono præexistenti;) sed ideo res sunt bonæ; quia diligit eas Deus.

Obiectio. 6 Sed obijcier aliquis contra hoc; quia obiectum voluntatis, siuè Diuinæ, siuè humanæ, maximè quoad actum amoris, est *Bonum*; sed obiectum debet semper præsupponi ad actū, tendentem in ipsum; ergo si voluntas Diuina tendit ad creaturas, amādo illas; sequitur, quod præsupponat in illis aliquod bonum; sicut, & voluntas hominis. Et confirmatur, quia voluntas Diuina est indifferens, & indeterminata, ex se, ad amandum creaturas; ergo debet determinari ab aliquo bono reperto in ipsis; & ex consequenti, præsupponit bonum.

Solutio obiectionis, & conf. 7 Respondeo tamen ad argumentū pariter, & ad confirmationem, breuiter, quod voluntas Diuina determinatur, & quodammodo, mouetur ad diligendum creaturas, à Bono præexistenti, f. à bonitate Diuina; tanquam à ratione à priori; vt solet explicari p. 2. q. 1. art. 2. vnde non est necessarium, in ipsis creaturis præsupponi aliquam bonitatem ad Diuinam dilectionem; quia à tali bonitate non mouetur, sed ad voluntatem humanam, quæ mouetur ad dilectionem ab aliquo bono præexistenti in re dilecta, necesse est, vt, ex parte obiecti, præsupponatur aliqua bonitas, vel totalis, vel partialis.

§. III.

Nota ex D.Th. 8. Tertiò notandum est, ex eodem D.Tho. ibidem in solutione ad secundum, dupliciter posse intelligi, Gratiam Dei ponere aliquid in Anima; vno modo, in genere causæ efficientis; & alio modo, in genere causæ formalis; est autem differentia inter hos duos modos; nam causa formalis ponit aliquid in subiecto, non media aliqua actione: sed, se ipsa, immediatè; vt, Albedo, se ipsa, dat esse album parieti; &, Anima, vitam homini; at causa efficiens nō ponit aliquid, se ipsa, & immediatè; sed, media forma, quam producit in subiecto; vt, Deus, effectiuè dicitur ponere vitam in homine, producendo Animam, quę ipsum formaliter viuificat.

9 Quartò notandum est; quod consultò diximus in titulo; *An gratia ponat aliquid creatum?* nam datur & Gratia, quæ aliquid increatum ponit, qualis est Gratia vnionis, facta naturæ humanæ; quæ posuit in ipsa personalitatem Diuinam; quarè, meritò quærimus, *An gratia ponat aliquid creatum, realiter existens, in animo?* vbi aduertite, quod non quærimus modo, An Gratia subiectetur in ipsa Anima? de hac n. re, infra erit concertandum. Quarè, pro *Anima* hic sumimus subiectum ipsius Gratiæ; siuè illud sit ipsa essentia Animæ, siuè aliqua ex eius potentijs.

§. IV.

10 ET vt certa ab incertis separemus; certum apud omnes est, quod ex tribus acceptionibus Gratiæ, adnotatis nor. primò, Gratia secundò, & tertiò modo accepta; nimirum, donum gratis datū, proueniens ex dilectione Dei; & gratitudo beneficij accepti, dicunt aliquid reale; patet: nam *donum* aliquid reale est, superadditum ei, cui donatur, & *Gratitudo* ponit in eo, qui sic est gratus, effectum formalem ipsius actionis, per quā dicitur esse gratus; si autem sumatur, primò modo; nimirum, pro *dilectione*, qua quis ab alio diligitur; quomodo dicimus, aliquem esse gratum alteri præcisè; certum etiam est, quod nil formaliter intrinsecum ponit in re grata, sed tantum denominationem extrinsecam; sicut *visio* ponit in pariete, *esse visum* extrinsecè; cæterum, An Gratia, hoc primò modo, accepta efficienter ponat aliquid in subiecto grato; posset controuerti.

11 Quod si dicas, nullam in hoc esse dubitationem: nam D.Th. ar. cit. asserit, quod ex prima acceptione Gratiæ prouenit secunda; hoc est; ex eo, quod quis alium diligat; sequitur, quod ei aliquod donum gratis impendat; & ex alia parte, certum est, quod *Gratia*, sumpta pro *Dono*, est aliquid formaliter in re grata; ergo absquè vlla dubitatione, Gratia primò modo accepta ponit efficienter aliquid in subiecto. Obiectio D.Th. Respondeo tamen, nos hic nō dubitare; vtrū ex dilectione proueniat aliquod bonum gratuitum; quodcunquè illud sit; præsertim, ex dilectione Dei, quæ (vt diximus) semper est causatiua alicuius boni in re dilecta, cum non moueatur à bono creato præexistenti: sed difficultas est; vtrùm ex dilectione, qua Deus diligit hominem, causetur in ipso Solutio.

aliqua

aliqua res intrinsecè inhęrens, quæ sit, quasi obiectum dilectionis Diuinæ; & à quia intrinsecè denominetur homo gratus, & acceptus Deo?

Obiectio.

12 Sed argues ad hùc, nullo pacto fieri posse, vt aliqua forma intrinseca tribuat homini talem denominationē; atq; adeò, quęstionē esse de re manifeste impossibili: Quod probo, nam, cum denominatio grati, & accepti sit formalis extrinseca, proueniens ab actione dilectionis, existente in Deo, sicut impossibile est, quod aliqua forma intrinseca det parieti, esse visum; quia hæc denominatio prouenit à visione, existente in vidente; ità est impossibile, quod ab aliqua forma intrinseca dicatur homo gratus.

Solutio.

13 Respondeo tamen, quod illa forma non tribuit esse gratum, vel acceptum, *passiuè*, sed *obiectiuè*: quod est dicere, talem formā tribuere subiecto, quod possit terminare Diuinam dilectionem, & esse obiectum congruum illius: Neq; hic modus loquendi est inusitatus: Cum enim dicimus (Petrus multis titulis est mihi gratus:) non est sensus, quod illi tituli tribuant Petro denominationem grati, aut dilecti, *passiuè*, sed *obiectiuè*, idest, multis rationibus est dignus meo amore.

Sensus disputationis.

14 Quod autem in hac parte generat aliquam æquiuocationem, illud est; quia in alijs rebus hæc denominatio formalis obiectiua solet explicari per modum aptitudinis; vt cum dicimus, *visibile*, *gustabile*, *&c.* at in nostro proposito, eadem voce significatur denominatio passiua, proueniens ab actione; & denominatio intrinseca formalis, prouenieus à ratione, existente in subiecto: Igitur, quod quærimus est, vtrum, per dilectionem Diuinam ponatur aliquid in homine, per quod dicatur formaliter gratus, obiectiuè: & vtrum, hoc sit intrinsecè inhærens; & hæc potest esse alia acceptio Gratiæ, præter superius adnotatas not. 1. scilicet quod sumatur, pro quodam dono, tribuente homini, esse gratum formaliter obiectiuè; & hæc dicitur Gratia iustificans; & in hoc sensu accipitur *Gratia* in tota ista disputatione.

CAPVT II.

Errores Hæreticorum.

§. I.

1 CIrca quæstionem hanc, sic intellectam, est nobis concertatio cum Hæreticis, qui, in hac materia, multipliciter errarunt; nā, vt antiquos omittamus, quorum quidam, scilicet Pelagiani dicebant, Gratiam non esse aliquid naturæ nostræ superadditum, sed esse ipsam naturam, quam appellabant Gratiam, vt dictum est supra in principio Quodlib. 8. Alij, vt Priscillianistæ, dicebant, non esse aliquid creatum; sed esse ipsam Dei substātiam, intimè, & essentialiter nobis vnitam, in ratione formæ. Nam tenebant, Animam rationalem esse ipsam Dei substantiam; atque adeò, eandem esse nostram Sapiētiam, Iustitiam, & consequēter Gratiam, & Sanctitatem. Cuius erroris fit mentio in Concil. Tolet. 1. in assertione fidei: Et de illo scribit Leo Papa epist. 91. quæ est ad Toribium Astoricensem Episcopum. Inter hæreticos nostri temporis est magna opinionum diuersitas (vt refert Stapleton. lib. 7. de iustific. cap. 1.) Immo testatur Osius tom. 2. suorum operum lib. 1. de hæresibus nostri temporis §. *habemus ergo*, propè finem libri, quod Osiāder hęreticus, notans Luteranorum inconstantiam, quatuordecim ipsorum opiniones, de iustificationis forma colligit in libr. quem inscripsit, *Contra Nebulonem*: In confutatione autem libri, quem contra ipsum scripsit Melanton, testatur apud Confessionistas solos, eade re, viginti sententias fuisse: Cęterum omnes ad duo capita possunt adduci.

Pelagiani.

Priscillianistæ.

Conc. Tolet.

Leo Papa.

Omnes Hæreticorum errores ad duo capita reducuntur.

Stapleton.

Osius.

Osiander.

2 Primum est eorum, qui dicunt, iustificationem nostram nil aliud esse, quam remissionem peccatorum, absque renouatione intrinseca interioris hominis; & ex consequenti, homines esse iustos, non per aliquid formaliter ipsis inhærens. Qui error etiam fuit Pelagianorum (vt constat ex August. ep. 94. ad Hilar. tom. 2. & colligitur ex Milleuit. can. 3. & 4. & ex Cœlest. ep. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 10. Cui errori (vt refert Bonauent. in 2. dist. 26. q. 2.) adhæserunt

Primum caput.

Augustin.

Milleuit.

Cœlestin.

Bonauent.

non-

nonnulli ex antiquis Theologis, qui asseruerunt, Gratiam nil aliud esse, quā dilectionem existentem in ipso Deo.

§. II.

2. caput. 3 SEcundum caput est eorū, qui huic errori addunt; hominem esse gratum, & iustum formaliter, nō per aliquid sibi inhærens, sed per iustitiam, qua Christus dicitur esse iustus formaliter; quatenus illa eadem iustitia applicatur nobis per fidem; & fit nostra, nobisquè imputatur. *Quod*, quo pacto intelligatur ab Hæreticis, explicat Vega lib. 7. in Concilium cap. 21. hoc exemplo. Si filius Regis aliquod peculiare obsequium patri exhiberet, vt reconciliaretur cum Petro sibi inimico; tunc Petrus diceretur acceptus Regi, ob meritum, & iustitiam Principis; non, quatenus illud meritum esset actio, aut passio Principis; sed, quatenus, per eius voluntatem, applicatur Petro, & fit suum: ita etiam, in proposito huius Hæresis: *Quantum* ad hanc partem, de imputatione iustitiæ Christi, primus Author fuit Luterus in cap. 2. Epistolæ ad Galatas; cuius verba refert Vega vbi supra. Sequuntur Protestantes confessionis Augustanæ; & Canonici Colonienses, alias Pij; & Catholici, in libello, cuius titulus est, *Antididalma*, siuè *Antidiragma*; licet hi sequuti sint Buzelum, qui aliquā inhærentem nobis iustitiam concedebat, minus tamen perfectam; aiebat .n., nos, nō ea sola iustitia, quæ nobis inhærebat, iustos esse, nec vitæ æternæ hæredes constitui, nisi accedat iustitia Christi; quæ, veluti perfecta forma, iustificatio nostra completur. Hoc constat ex libello ablato Ratisbonæ Carolo Quinto Imperatori à Lutheranis, cuius præcipuus author fuit Buzelus c. 5. hanc .n. iustitiam, quam ipse admittebat, dicebat quidem, esse Fidem, Spem, & Charitatem; vocabat tamen eam, inchoatam, & imperfectam iustitiam, quæ non posset efficere hominem verè iustum; eo quod nec legi Dei satisfaceret, sed immunda, & peccatum esset. Kemnicius etiam in eundem errorem lapsus est; *Quæ* sententia valdè est notanda, pro his, quæ infra dicentur, contra aliquos Catholicos, qui, admissa iustitia inhærente; remissionem peccati, in fauorem ipsius Dei extrinsecum, tanquam in proximam causam formalem, reuocant: ostendemus .n. hanc sententiā ab hæresi Buzeli parum differre. Lutheri citatus error tribuitur etiam Alberto Pigio; viro, alioqui Catholico, in secunda controuersia de fide, & operibus (vt ex illius verbis latè deducit Vega.) Ex hoc errore, alios plures inferunt Luterani; .s. nulla esse sacramenta, quæ verè, & efficaciter Gratiam causent, sed tantum imputatiuè. Item, omnes iustos esse equales in Gratia, & Gloria; quia iustitia Christi, per quam fiunt iusti, æqualis est ad omnes. Tertiò nulla opus esse satisfactione, ex parte nostra; siquidem vnicuiquè imputatur satisfactio Christi, ac si esset propria; immò dicunt, quod quicunquè facit opera satisfactoria pro peccatis, magnam irrogat iniuriam Passioni Christi; & tandem, vnumquemq; iustum esse certum, certitudine fidei, de sua iustitia; atq; alia multa inferunt, quæ videri possunt apud Vegam lib. 15. in Concilium c. 2. & Sotum de nat. & grat. lib. 2. cap. 19. & Medinam p. 2. q. 113. ar. 2. Argumenta autē, quibus hos errores probant, ad duo etiā capita reducuntur; quædam .n. solum probant, nullo modo dari iustitiam, aut Gratiam inhærentem: Alia verò specialiter probant, iustitiam Christi nobis imputari.

Vega. — Luterus. — Protestantes. — C. mon. Colon. — Buzel. — Kemnicius. — Alber. Pigius — Vega. Sot. Med.

CAPVT III.

Argumenta Hæreticorum primi erroris.

1 PRo prima parte, arguitur primo argumento, quod primo loco ponunt D. Th. & Aegid. quod sic efformatur. Licitum est ab humanis ad Diuina argumentari, vbi nulla interuenit imperfectio, aut absurditas; sed in humanis, homo dicitur acceptus, & gratus, per extrinsecam acceptationem, absquè positione alicuius entitatis in subiecto grato; ergo idem dicēdum est in Diuinis, quia nulla, in hoc, reperitur absurditas. 1. arg. pro 1. errore. D. Th. Aegid.

2 Confirm. Prædestinati, etiam dum sunt in peccato mortali, dicuntur esse grati Deo, & ad vitam æternam accepti; sed tunc nulla est in illius entitas inhærens, proueniens à tali acceptatione, ergo benè intelligitur, quod homo diligat Deum, dilectione supernaturali, absq; positione alicuius entitatis intrinsecæ. Conf.

3 Secundo arguitur ex differentia inter Voluntatem Diuinam, & humanā 2. arg.

supra-

tiam Christi; à qua formaliter tales denominemur.

Conf. 1. Iob. 5 Confirmatur primò ex Iob. 9. *Scio, quod non iustificabitur homo compositus Deo.* Et iterum: *si habuero quippiam iusti, non respondebo ei, sed meum Iudicem deprecabor;* & Dan. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciē tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Dan.

Conf. 2. D. Pau. 6 Confirmatur secundò, quia ipse dicitur, *deleuisse Chirographum, quod aduersus nos erat, affigens illud Cruci;* ergò, in nostra iustificatione, ad Christi iustitiam recurrendum est: hoc etiam videtur voluisse David, cum diceret, *In tua iustitia libera me Domine;* & alibi; *In tua iustitia exaudi me Domine.*

Dauid.

Conf. 3. D. Paul. 7 Adde tertiò in confirmationem; quod D. Paulus cōdemnat eos, *qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti.* Rom. 10. & alibi, multo clarius; *vt non inueniar in Christo habens meam iustitiā, sed iustitiam, quæ ex Christi fide est.*

Conf. 4. 8 Adde quartò; quia iustitia Christi infinita est, & sufficiens pro vniuersis delictis; & ex alia parte, dicitur, esse nostra; vt probatum est, ex locis sacræ Scripturæ; non ergo indigemus alia iustitia.

5. arg. 9 Quintò argumentis Theologicis, hūc errorem possumus confirmare, cum

Med. Medina p. 2. q. 113. art. 2. vbi sic arguit: probabilissima est sententia, & ab omni ferè Theologorum Schola confirmata; quod sola attritio, cum Sacramento, satis est ad iustificandum impium; sed attritio sola non renouat interiorem animam coràm Deo, neq. facit animum rectum, & iustificatum coràm ipso; ergo potest fieri hominis iustificatio, sine interna animi rectitudine; & ex cōsequenti, sine aliqua entitate reali, intrinsece inhærente.

6. arg. 10 Sextò arguitur. Certum est, certitudine fidei; quod, per baptismum iustificantur, & emūdantur ab originali peccato paruuli: sed non iustificantur, per aliquem actum, ab ipsis elicitum; cum nullum talem actum valeant elicere; nec iustificari videtur, per aliquem habitum infusum, intrinsecè ipsorum animabus inhærentem; nam, non est de fide, quod sint habitus infusi; ergo iustificantur per iustitiam Christi extrinsecam, sibi imputatam.

CAPVT V.

Veritas Catholica ponitur, & probatur.

§. I.

1 HAec sunt argumenta, quibus hic error posset niti; nihilominus tamen, illis non obstātibus; dicendum primò nobis est. Gratiam, qua homines formaliter, & obiectiuè dicūtur esse grati Deo, esse aliquid creatum, intrinsecè ipsorum animis inhærens. Hoc dictum de fide est. Vbi nota, quod hic non asserimus, Gratiam esse aliquam qualitatem, vel habitum, in iustificatis permanentem; nam, de hoc, infra erit sermo; sed solum dicimus, quod sit aliquid formaliter receptū in Anima: de hac ergo conclusione antiquiores Theologi disputant etiam in 1. dist. 17. cōtra Magistrum, qui videtur negare, Charitatem esse aliquid creatum in Anima; licet aliqui ipsum benignè interpretentur, de quo etiam iuniores 2. 2. q. 23. art. 2. solent agere; immo & alij, ex veteribus Scholasticis, hanc eandem veritatem pertractant in 3. dist. 23. 1. conclusio Catholica. Magist.

2 Probatur autem primo nostra cōclusio ex sacra Scriptura: Rom. n. 5. dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* quæ verba, licet aliqui interpretentur, de extrinseca dilectione Dei, quæ dicitur diffusa, propter illius magnam abundantiam; tamen negari non potest, intelligenda esse, de intrinseca, & inhærente iustitia; quia sic exposita sunt in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi sic dicitur; *Quamquam.n. nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamē in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima Passionis merito, per Spiritum sanctum, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret;* & Can. 11. idem locus Pauli resumitur, cum dicitur, *Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa Gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum, per Spiritum sanctum, diffundatur, atque illis inhæreat, &c.* D. Pau. Tridens.

3 Item eundem explicat locum D. P. Augustinus lib. de spiritu, & litera c. 23. August.

c.13. de charitate, non qua Deus diligit nos: sed qua nos Deum diligimus; & quidem, ea charitas, qua nos diligit Deus, non rectè diceretur diffusa in cordibus nostris. De eadem .n. dicitur Rom.8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Spiritus autē adoptionis, ipsa Gratia habitualis est, qua homo efficitur filius Dei adoptiuus. Et sic, inter tot expositores, qui hoc idē

Nicol. de Lyra. eo loco docent; Nicol. de Lyra sic ait, exponens illa verba Pauli loc. cit. *Quicumquè .n. spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei, &c. id est* (inquit Lyr.) *habitum Gratiæ consequuntur, per quem sunt Filij Dei adoptiui: & benè dicitur: (quicunquè .n. spiritu Dei aguntur, &c.) quia Diuinus instinctus nulli deficit in vita præsenti; & ideo qui habitum Gratiæ non consequitur, sibi meritò imputatur: quia consensus dicto instinctui est vltima dispositio ad Gratiam habitualem, quæ facit Dei filiationem, ideo subditur. Non .n. accep. spiritum, &c. Sicut in veteri lege, quæ fuit lex timoris: sed accepis. spir. adopt. fil. &c. per habitum Gratiæ*: hæc Lyr. ex quibus verbis, manifestè sequitur, dictum Paulū loquutum fuisse, de charitate nobis intrinsecè inhærente.

D.Io. 4 Id idem colligitur ex 2. Corint. 1. vbi dicitur, *Signauit nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris*; & 1.Io.3. *Omnis, qui natus est ex Deo non peccat, quia semen Dei manet in ipso*; vbi per, (*semen*,) omnes intelligunt Gratiam, & charitatem; & item, apud Paulum sępè habetur; homines viuificari, renouari, ablui; quæ omnia intelligi non possunt, absquè aliqua re, intrinsecè ipsis inhærente.

Trident. 5 Secundò probatur ex Concilio Tridentino sess.6. cit. & c.7. vbi, præter superius relata verba, dicitur: *Vnica, & formalis causa nostræ iustificationis, est iustitia Dei, non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur; sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisquè suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult; & secundum propriam cuiusuniq. dispositionem, & cooperationem*; ex quibus verbis manifestè colligitur, aliquid nos recipere, per quod intrinsecè iustificamur, & dicimur grati, & iusti.

Effugium. Confutatio. 6 Nequè valet dicere, Concilium solum loqui de charitate, & iustitia; non de Gratia; nam (vt infra videbimus) iustitia, de qua Concilium loquitur eadem est cum ea, quæ à Theologis vocatur, *Gratia gratum faciens*; & hæc, aut secundum rem, eadem est cum charitate; aut illam essentialiter includit; aut est inseparabilis ab illa, saltem, de lege ordinaria, de quo suo loco.

7 Solet etiam probari hæc Catholica veritas nonnullis euidentibus Sanctorum Patrum testimonijs; præsertim Augustini, Hieronymi, Cirilli, Cypriani, & aliorum; qui tamen videri possunt apud Vegam lib.7. super Conc. c.12. & 24. Sot. de nat. & grat. c.19. Canisium de Beata Virgine lib.3. c.5. Bellarm. lib.2. de iustificat. c.8. Zumel. p.2. q.113. art.2. disp.1. & Vasq. disp.202. c.2. Veg. Sot. Canis. Bellarm. Zum. Vasq.

§. II.

8 POrest tandem rationibus etiam probari; & primò sic; sacramenta nouæ legis continent, & causant Gratiā; ergo Gratia est aliquid creatū; alioquin nullo modo possent intelligi, quo pacto illam causent: nam sacramenta neq. continent, neq. efficiunt amorem, quo Deus nos amat; aut imputationem iustitiæ Christi.

9 Secundò, sicut peccatum est macula, & turpitudo animæ; ita Gratia est pulchritudo, & ornamentum ipsius; sed peccatum, & macula est aliquid in ipsa anima; ergo & Gratia.

10 Tandem probatur ratione D.Th. cuius summa hæc est; *Quia* nullo modo posset in Deo distingui amor supernaturalis à naturali, nisi in homine daretur bonitas supernaturalis, distincta à naturali, quæ esset terminus illius amoris. Voluntas .n. Diuina non mutatur; sicuti humana, (vt diximus supra) Humana .n. voluntas est, quæ aliquando, modo diligit, modo non, aliquam rem, sola mutatione facta in diligēte, nulla verò in re dilecta; at verò Deus, vt dicatur amare, vel non amare, non debemus hoc tribuere mutationi ipsius, sed mutationi ipsius creaturæ dilectæ, vel non dilectæ. Alias rationes videre in recentioribus, præsertim supra citatis.

11 Ex his sequitur, conclusionem positam esse de fide, quæ non determinat, esse de fide, hominem iustificari coram Deo, per habitus infusos; nam licet hoc certissimum sit (vt videbimus infra)

infra) nõ tamen est de fide. Statuitur, ergò, solum, tãquam de fide certum, quod in his, qui iustificantur, necessaria est renouatio interior, & quædam rectitudo mentis, & animæ; siue hoc fiat per habitum, siue per actum contritionis, siue per aliquid simile, de quo infra. Ita etiã adnotat Medin. loc. cit. quæst. 113. art. 2. concl. 4. — *Medin.*

2. Concl. 12 Dico secundò, hoc bonum supernaturale, quod ponimus in anima iusti, causatur effectiuè à Gratia Dei, primo modo accepta in 1. not. idest, à Dilectione qua homines diligit. Probatur ex superioribus notabilibus; nam *Diligere*, nil aliud est; quàm velle bonum rei amatæ (vt etiam docet D. Thom. 1. part. q. 20. art. 2.) ergò diligere supernaturaliter, est velle bonum supernaturale: sed Deus omnia agit per suam voluntatem: (omnia enim quæcunq. voluit fecit.) ergo si alicui vult bonum supernaturale; eodem actu voluntatis, causat efficienter illud bonum in ipso; ergo Gratia Dei primo modo accepta est causa effectiua illius boni, quo homo dicitur formaliter iustus. — *D. Thom.*

3. Concl. 13 Dico tertio, homines non fiunt formaliter iusti, & grati Deo per Iustitiam, & Gratiam existentem in Christo; hoc patet ex superioribus, nam si homo est formaliter gratus, propter aliquid intrinsecum ipsi; ergo non est talis, per iustitiam, quæ est in Christo; nam hæc esse non potest homini intrinseca.

§. III.

Effugium Hæreticorũ. 14 AD hoc Respondent Albert. Pig. & Canonici Colonien. negando consequentiam; quoniam, dicunt, ab vtraq. iustitia denominari homines formaliter iustos, nam licet in vnoquoque homine sit iustitia creata, à qua denominatur iustus; tamen quia illa iustitia non est tàm perfecta, quantum requiritur ad Beatitudinem consequendam; necessarium est, vt iustitia Christi suppleat in nobis id, quod propria iustitia non potest, atque adeo, vt ab vtraque formaliter denominemur Iusti; Vndè ortum habuit alia opinio, cuius mentionem facit Vega lib. 15. c. 21. quod scilicet ad euadendum rigorem diuini iudicij, necessarium est, vt antè adeptionem Beatitudinis, iustitia Christi denuò nobis imputetur. — *Vega.*

Impugnatur. 15 Sed contra hoc replicatur: Respectu vnius, & eiusdem effectus, non possunt dari duæ causæ formales eiusdem ordinis; sed, hominem esse iustum, est vnicus effectus formalis; ergò, vel prouenit à iustitia sibi formaliter inhærente; vel à sola iustitia Christi; ergò non ab vtraque.

16 Dices: illas duas causas esse particulares, respectu illius effectus. Contra, nam vbi vna causa est sufficiens ad operandum perfectè illum effectum, quantum ad indiuiduum, & substantiam; alia est omninò superflua; sed, si iustitia Christi posset esse causa formalis illius effectus, ab illa homines perfectissimè dicerentur iusti: ergò non esset necessarium ponere aliam Gratiam inhærentem: Et idem dici potest de hac Gratia inhærente: Nam Deus ad consequutionem Beatitudinis, nil aliud exigit ab hominibus, quàm, quod sint iusti: Et præterea, quod si quid remaneat expiandum pro peccatis venialibus, vel pęna debita mortalibus, id omne, igne Purgatorij expietur; ergò impertinens omninò est illa imputatio iustitiæ Christi ad hunc effectum formale. — *Solutio Hæreticorum. Impugnatur.*

§. IV.

17 SEcundò probatur: Impossibile est, subiectũ denominari formaliter, denominatione absoluta, ab aliqua forma sibi extrinseca; sed denominatio hominis iusti est omnino absoluta, vt patet de se; ergò impossibile est, hominem sic denominari à iustitia existente in Christo. Maior est manifesta, & ponitur in illa, ꝙ denominatio sit absoluta, ad differentiã extrinsecarũ denominationũ; quæ fiunt per modum passionis; cum respectu ad actionem immanentem in alio subiecto: & debet etiam intelligi de denominatione reali; nàm entia rationis extrinsecè denominant, sic autem intellecta hæc ratio, est manifesta, inductiuè.

18 Tertiò, forma, & efficiens non coincidunt ex 2. phys.; sed iustitia Christi est causa efficiens nostræ iustificationis; ergò eadem iustitia Christi non potest esse causa formalis illius. — *Aristot.*

19 Quartò, nam quod est tale per extrinsecam imputationem, non est verè, & simpliciter tale; sed homo est verè, & realiter iustus, & filius Dei post remissionem peccatorum, per Gratiam hab. ergò nõ per extrinsecam imputationem;

ſed per aliquid reale intrinſecum, Sanctus,Iuſtus,& Dei filius dicitur, & eſt.

20 Quintò probatur efficaciori ratione, quam adducit Pater Vaſq. diſput. 202.c.4.quæ principaliter procedit, de iuſtitia Dei, quam placet in longum fideliter protrahere,quia optima ea eſt,& ſic efformatur. Vt aliquid denominetur ab aliqua forma extrinſeca, oportet, vt inter denominantem formam, & inter denominatum,ſit aliquod affinitatis, & connexionis genus; ſed inter iuſtitiam Dei,& hominem,nulla eſt cõnexio, quæ ſit ſufficiens fundamẽtum; vt homo denominetur iuſtus ab illa; ergò nullo modo poteſt homo denominari iuſtus, iuſtitia extrinſeca Dei. Maior probatur, & explicatur,quia vrina,ideò dicitur ſana à ſanitate animalis, quia eam indicat; & ſimiliter,Medicina,quia eius eſt cauſa: homo autem non dicitur lapideus à lapide; nec lapis dicitur humanus ab homine; nam inter hominem,& lapidem nulla eſt connexio; ſicut inter medicinam, & ſanum; ergò, vt aliquid denominetur ab aliqua forma extrinſeca,eſt neceſsè, quod inter formam denominantem,&c.Minor autem primi ſyllogiſmi probatur inductione: præmittendo prius contra aliquos; nos ingenuè fateri; denominationem iuſti fieri poſſe, non tantum à iuſtitia intrinſeca, ſed extrinſeca ipſius Dei; quamuis denominatio omnipotentis nequeat fieri niſi ab intrinſeca, quæ eſt potentia ipſius,qui omnipotens dicitur,hoc.n.quod eſt,*eſſe omnipotentem*.conſtituit ſubiectum, in ratione principij operatiui omnium non implicantium; *eſſe*,autem *Gratum*, conſtituit ſubiectum in tali eſſe; non autem in ratione principij operatiui; & ſic humana natura in Chriſto non dicitur omnipotens,omnipotentia Deitatis; cum tamen Sancta,& Iuſta denominetur; & eſſe dicatur ſanctitate Deitatis,tanquam forma;Ità vt ſi nullam aliam sãctitatem habitualem,vel actualem haberet præter Vnionem,diceretur, & eſſet infinitè ſancta(vt demonſtrari ſolet 3.par.q.7.ar.1.) Cum verò dicimus, naturam humanam non denominari omnipotentem in Chriſto,ab omnipotentia Deitatis;eſt ſermo de ipſa abſtractè ſignificata: nam concretum illius, nempè *Homo* dicitur omnipotens, per communicationem idiomatum; ſicut eſſe dicitur Immenſus, & Increatus.At verò,non tantũ concretum humanitatis, nempè *Homo*, dicitur ſanctus,ſanctitate increata; ſed etiam humanitas ipſa, abſtractè ſumpta, & ſignificata,dicitur sãctificari,ipſa Deitate, vt forma, ratione coniunctionis perſonalis, quæ arctiſſima eſt;ſicq.eſt ſufficiẽs fundamentum connexionis, & affinitatis, inter humanitatem Chriſti,& iuſtitiam, & ſanctitatem Deitatis, ratione cuius, humanitas Chriſti, etiam abſtractè ſignificata,ſancta denominetur, Sanctitate increata Deitatis; non intrinſecè, ſed extrinſecè;at verò in reliquis hominibus nullum eſt ſufficiens fundamentum, vt eos Iuſtos appellemus,à iuſtitia Dei: & hæc erat minor illius primi ſyllogiſmi, quæ ſic probatur inductione: Et primò, quia, aut fundamentum eſt ſola habitatio Dei per eſſentiam in illis;ſicut in omnibus rebus,& hoc non ſatis eſt;ſic enim omnes homines à tempore conceptionis ſuæ eſſent iuſti, & æquè Iuſti inter ſe. Item,in ipſis Dæmonibus, & damnatis Deus eſt per eſſentiam;& tamen iuſti nõ ſunt; ergò ſola habitatio Dei per eſſentiã in hominibus non eſt ſufficiens fundamentum connexionis, vt Iuſti dicantur, iuſtitia Dei.

21 Deindè,fundamentum huius denominationis non põt eſſe aliquis actus Diuinæ voluntatis, quo Deus velit, aliquibus ſuam Iuſtitiam imputari, & prodeſſe, vt Iuſti denominentur;quia,niſi ex parte noſtra, aliquid ſupponamus peculiare, ratione cuius in Deo cõſtituamus voluntatem erga Deum,potius, quàm erga alium, vt ſua iuſtitia illi imputetur, & proſit; non videtur maior ratio, ob quam dicamus,hunc potius,quàm illum eſſe iuſtum,iuſtitia Dei; quia Deus in ſe eodem modo ſemper eſt,& fuit ab æterno, & fuiſſet, quacumque alia poſitione facta.

22 Præterea,vel neceſſariò Deus imputat hominibus ſuam iuſtitiam, vt iuſti ſint, vel liberè; ſed nemo dicet,neceſſariò eam Deum nobis imputare. Item nec liberè dici poteſt, Deum illam nobis imputare: nam,vt Deus dicatur, nũc imputare nobis ſuam iuſtitiam, quam, aliàs poſſet non imputare; neceſſe eſt, excogitare mutationem aliquam ex parte noſtra; ob quam,nunc, voluntas Dei compararetur nobiſcum, vt imputans nobis ſuam iuſtitiam, qua poſſet, alias cõparari,vt non imputans; nam,niſi ex parte rerum non ſit aliqua variatio, non poteſt voluntas Dei diuerſo modo nobiſcum comparari;nempè, vt volens, &

non

non volens; vt imputans, & non imputans; sola .n. temporis variatio, nulla in nobis ipsis facta variatione, non est sufficiens, vt hæc denominatio iustitiæ nobis tribuatur (quod manifestè parebit ex his, quæ infra dicemus quodl. de iustificatione) ergo actus voluntatis Diuinæ, tantum, non est sufficiens fundamentum, vt iusti denominemur, iustitia Dei, nisi aliquid à parte nostra signetur peculiare.

23 Vltimò: fundamentum huius denominationis, qua dicimur iusti, iustitia Dei, non potest esse quæuis operatio, & dispositio nostra, quia, vel illa potest esse iustitia, & sanctitas; & tunc, talis operatio potius denominabit, & constituet nos iustos, quàm efficiet, vt, à iustitia Dei imputata, iusti dicamur; sicq. hanc dispositionem Hæretici non concedunt; vel illa dispositio nondum attingit, ex se, rationē veræ iustitiæ, & sanctitatis; & ita, sicut ipsa, ex se, non constituit iustum eum, qui illam habet, nō potest esse sufficiens fundamentum, vt Deus imputet homini iustitiam suam; quia quamuis, propter dispositionem requisitam, ex Dei voluntate, possit Deus tribuere homini iustitiā, & Gratiam habitualem, quam promisit, vt per eam hominem possit iustificare; tamen non potest efficere, vt ob solam dispositionem, liberè ab homine requisitam, qualem fatētur Hæretici, præcipuè, si ipsa defectum habeat peccati (vt ipsi doceēr) iustitia aliena, nempè, ipsius Dei, homini imputetur.

24 Addè deniquè. Inter fidem quandam particularem, quam concedunt Hæretici, tanquam dispositionem; & inter iustitiam Dei, non potest aliqua affinitas excogitari, quæ sit sufficiens ad hoc, vt denominemur iusti, à iustitia Dei: illa .n. fides, est, qua credimus imputari nobis iustitiam, & peccata nobis remitti; hæc, autem, fundamentum inane est, vt dicamus, per iustitiam, sic apprehensam, nos denominari iustos; alioquin, si fide apprehēderemus diuitias, denominaremur diuites; &, si Nobilitatem, Nobiles diceremur. ergo, nulla ex parte, est sufficiens fundamentum affinitatis, & cōnexionis, inter nos, & Dei iustitiam; vt verè denominemur iusti ab eius iustitia. Ita egregiè hanc veritatem probat Vasq.

25 Et eadem ratio procedit de iustitia Christi; licet possimus de ipsa addere nouam rationem, breuiter, in hunc modum. Si per solam imputationem iustitię Christi nos essemus, & verè denominaremur iusti; sequeretur, ipsum Christum esse, & verè dici peccatorem, & filiū Diaboli, per nostra peccata; patet sequela: quia, quemadmodum dicitur imputari nobis iustitiam Christi, ne puniamur; ita etiam fuerunt imputata Christo peccata nostra, vt pro eius satisfaceret; & ita dicitur Psal. 21. *Verba delictorum meorum*; ergo si, iustitia Christi, nos diceremur iusti, & Sancti formaliter; etiam ipse Christus verè, & propriè diceretur peccator. David.

26 Matthias Illiricus in confessione Antuerpiensi concedit consequentiam, .s. ratione potentis imputationis peccatorum factæ Christo ab æterno Patre, qua illi imputauit nostra peccata, ipsum Christum verissimè dici peccatorem. Hęc tamen est aperta blasphemia; quia, quāuis semel Christus fuerit in Scriptura sacra dictus, *peccatum*; vt in vno ex argumentis Hæreticorum secundi capitis dicitur, ille locus est intelligendus, de hostia, & sacrificio pro peccatis; vt in respōsione ad illud argumentum dicam; & si alibi dicitur *Maledictum*, id est, quia sustinuit pęnas, & maledicta, peccatis nostris debita. Nusquam tamen in Scriptura sacra dicitur, *peccator*, sed vbiquè *sanctus, innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c.* Blasphemia Matthiæ Illirici.

§. V.

27 TAndem optima sūt illa exempla, quæ adducit Medina loc. cit. concl. 2. ad explicandam hāc veritatem; nimirum, nos non dici iustos à iustitia Dei, vel Christi; .i. ab ea iustitia, qua Deus dicitur iustus, vel Christus; nam, licet, simpliciter loquendo, verè iusti dicamur iustitia Christi; non tamen, ideo, sic iusti dicimur, quia Christi iustitia sit forma nostræ iustificationis; sed potius, causa efficiens; sicut etiam, *Aer.* (inquit Medina) dicitur esse clarus, claritate Solis: non tamen, ea claritate, quæ est in ipso Sole; sed claritate, quam accipit à Sole, & quæ dicitur forma ipsius: & aqua dicitur calida calore ignis, non eo calore, qui permanet in igne, & est forma ipsius: sed, calore causato ab igne, efficienter. Item, omnes homines mouemur, sumus, & viuimus in Deo; non vita, quæ permanet in Deo; sed, quam accepimus à Deo. Item, dicitur, *Fides Dei*, non qua Deus credit, sed quam infundit in nobis; atquè Med.

adeo,

adeo,sapientia nostra,dicitur sapientia Christi;non,qua Christus sapiens est;sed, qua Deus nos imbuit,& instruxit; ita,ad propositum,dicimur iusti,iustitia Chisti; non tamen, qua Christus iustus est: sed quam nobis Christus donat, & impartitur,secundum mensuram; non æqualiter omnibus;quia non æquali dispositione nos dispositos nouit.

Nota exempla optima Medinæ. D.Paul.

28 Ad cuius explicationem adducit idem Medina comparationem illam elegātissimam D.Pauli 1.Cor.15. de Stellis, *quarum vna differt ab altera in claritate. Stella namq.* (inquit Medina) *omnes ab vno Sole splendorem induunt; sed vnaquequè, secundum propriam qualitatem; prout magis,aut minus Diaffana est; maiorem, vel minorem recipit claritatem*; non minus elegans comparatio ea est, quam idem Paul.adducit Rom.12. de corpore,& membris. *Omnes dicimur esse vnum corpus in Christo Iesu*:in corpore, omnia membra participant eandem vitam, ab eodem vitæ principio; diuerso tamen ordine,ac gradu diuerso;aliter .n. oculus,aliter manus, aliter caput: non aliter in corpore mistico: aliud membrū est, Beata Virgo,aliud, B.Paulus,&c. illa etiam comparatio optima est de vite, & palmitibus in ea existētibus; omnes palmites, certè, à vite virtutem recipiunt, sed non eūdem fructum habent; alij proferunt vuas,alij labruscas.

Falsitas erroris Lutheranorum.

29 Ex quibus cōparationibus, optimè à Medina ponderatis, patet, quam falsus sit error Lutheranorum, asserentiū; omnes iustos esse æquali iustitia iustos; siquidem, ab eadem Christi iustitia iusti dicuntur;dicimus .n. (vt benè vidit idem Medina concl.3.) iustitiam, qua iusti sumus corām Deo,esse vtiq. iustitiam Dei, & Christi,& nostram: Dei,quia efficit eā in nobis;iuxta illud Isai.43. *Ego sum,qui deleo iniquitates vestras*; & Rom.8. *Deus, qui iustificat.* Christi verò,nō solum;quia eius merito,efficimur iusti; verum etiā, quia nemo efficitur iustus, nisi de plenitudine eius accipiat: nostram tandem esse;nam cum donatur nobis,renouamur spiritu mentis nostræ; & induimus nouū hominem; efficitur in nobis nouus spiritus,nouum cor,noua creatura: efficimur Diuinæ consortes naturæ;Filij Dei,verè, adoptiui;hęredes Regni;cohęredes Christi; & obiectum congruum Diuinæ dilectionis, &c.&, iuxta mensuram dispositionis nostræ, donatur nobis talis iustitia,& Gratia:vndè,quia nō omnes æqualiter,accidit,disponi;hinc fit,quod non omnes æqualiter iusti simus.

Isai. D.Paul.

§. VI.

30 PAtet etiam,ex dictis; nos formaliter,& intrinsecè iustos esse,ea iustitia, quæ nobis intrinsecè inhæret; non autem, vllo pacto,iustitia, qua Deus iustus est,vel Christus:dicitur .n. in Concilio Tridentino loc.cit. *quod vnica formalis causa nostra iustificationis est iustitia Dei,non qua ipse iustus est,sed qua nos iustos facit*; in quibus verbis præsertim notanda est illa particula *(vnica)* per quam, non solum excluditur error Lutheranorum,dicentium; causam formalem esse iustitiam Christi: sed etiam modus dicēdi Alberti Pigij,& Canonicorum;cum.n. dicat Concilium, *vnicam esse causam formalem nostra iustificationis*, omninò excluditur causa formalis extrinseca; siuè partialiter; siuè totaliter concurrens ad nostram iustificationem; pro qua relegendus est Augustinus multis in locis; præcipuè lib. de spiritu; & litera c.9. vbi explicans illud Rom.3. (*Nunc autem, sine lege,iustitia Dei manifestata est*)dicit; *iustitia Dei, non qua Deus iustus est: sed, qua induit hominem, cum iustificat impium*; & idem dicit in expositione Ps.30. co.8. Hieron.in epistola 147. quæ est ad amantium. Bernard.epist.190.&,pro eadem re, citantur à Recentioribus Doctores Greci in illud Rom.1. *Iustitia Dei reuelatur in eo.* Chrisostomus.Theophilat. Origen.& alij, legite Recentiores,locis citatis.

Trident. Aug. D.Paul. Hieron. Bernar. Chrisost. Theof. Orige.

§. VII.

31 PAtet etiam, quām falsus sit alius error aliquorum,ex eiusdem Hæreticis,asserentium; quod,licet per iustitiam Dei, & Christi nobis imputatam, Deus erga nos placetur; vt non puniat nos, sed potius in suam gloriam admittat; tamen, reuera, adhuc post iustificationem, hoc modo, factam, in nobis remanent peccata; & sic, eisdem peccatis, sicut antea, fatebantur, nos perseuerare maculatos,iniustos,& peccatores; nam Caluinus,& Buzelus, præsertim,probare nituntur, verbum *(iustificare)* in sacra Scriptura,secundum proprietatem vocis hębrææ,& frasim eiusdem Scripturæ, idē significare, ac, pronunciare aliquem iustum; non autem,efficere:& sic,dicebant hi

Reijcitur alius error.

hi Hæretici) cum Scriptura sacra, proprietatem hæbream seruans, dicit; homines à Deo iustificari; denotat tantum, homines pronunciari à Deo iustos; non autem, per hoc, dici, verè, & in rei proprietate, iustos.

Trident.

32 Hæreticus, inquam, omninò hic est dicendi modus; vt constat ex Sacro Concilio Tridentino locis supra citatis; nam cap. 7. illius 6 sess. dicitur: *Demum unica formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit; qua, videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ; & non modo, reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, &c.* quod, si in nobis remanerent peccata, quomodo iusti esse diceremur? præterquam quod, dicam infra; implicare contradictionem, simul, & semel, esse in nobis veram iustitiam, & sanctitatem, intrinsecè inhærentem, cum aliqua peccati sorde, & macula.

§. VIII.

Ad fundamentum huius erroris.

33 AD id autem, quod dicunt supradicti Hæretici, circa intelligentiam illius verbi (*iustificare*) Respondeo, quod licet verum sit, prædictum verbũ, aliquando etiam, in sacra Scriptura, denotare, *iustum pronunciare*; sicut in illo Psal. 50. *vt iustificeris in sermonibus tuis*; tamen multoties etiam significat, *iustum facere*. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos*; qui autem alium erudit, non dicitur pronunciare; sed potius illum iustum facere; & in quadam collecta dicitur: *Deus, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum, &c.*

Dan.

Nota differẽtiam inter Deum, & Hominem in iudicando.

34 Deindè, quamuis Hæreticis concederemus, illud verbum semper esse forense, & idem denotare, quod, *iustum pronunciare*: non tantum, contra Catholicam veritatem non desumitur argumẽtum: sed potius, contra ipsos poterat desumi ratio efficacissima: nam, quando Iudex aliquem iustum pronunciat, vel nocentem; ex eo est; quia credit, ipsum esse iustum, vel nocentem, secundum iuris seueritatem; si autem ipsum innocẽtem, ac iustum, ex misericordia; cum reuera non sit, pronunciet; eum, cum mendacio, iustum dicitur declarare; ita Deus, vt cũ veritate, hominem pronunciet iustum, debet supponere ipsum, vt iustum; vel talem efficere; siquidem potest; ipse .n. est, *qui de iniustis iustos facit, & de peccatoribus mundos*; & in hoc differt sententia hominis à sententia Dei; quod homo, vt aliquem, tanquam iustum, declaret, debet ipsum, vt talem, præsupponere; Deus autem, vt aliquem iustum pronunciet, non necessariò præsupponit ipsum iustũ; quia ipse potest, hominem, quantumuis iniquum, sanctum efficere. Item, homo, in pronunciando aliquem iustum, potest in rei veritate decipi; multoties .n. aliquis verè reus est; tamen, quia non constat ex actis, declaratur, vt iustus; nõ, item Deus, qui scrutator est cordium, & iudicat de intrinsecis etiam; quo pacto, non potest homo, &c. si autem Deus, ex misericordia sua, sententiam proferret, condonãs, tantum, alicui peccatorum pęnam, sine eo, quod deleret malitiam peccati; si tamen id fieri potest (de quo infra,) tunc, tantum, illi non imputaret peccata ad pęnam: non tamen posset ipsum, vt iustũ, declarare: siquidem, (vt infra dicam) non potest nos, sine nobis, ad nostram iustificationem concurrentibus, ex sola sua libera voluntate, à maculis peccatorum mundare, quod latè videbimus quodl. de iustificatione.

CAPVT VI.

Satisfit rationibus primi erroris?

§. I.

1 RESTAT modo solum satisfacere argumentis, adductis ab Hæreticis, in corroborationem suptadictorum errorum; & primò ad primum Respondetur, ex dictis; nam inter voluntatem Diuinã, & humanam est differentia supra explicata; nimirum, quod humana voluntas præsupponit bonitatem in re dilecta: Diuina verò illam causat; siquidem actus liberi Diuinæ voluntatis (docent suo loco Saeri Theologi communiter) semper ponunt aliquid in obiecto: esset autem nonnullum inconueniens, si, ex dilectione Dei, non prouenitet aliquod bonum rei dilectæ; siquidem supponeret aliquã impotentiam in Deo: quid est .n., velle alicui bonum, in quo, diximus, consistere rationem amoris? nisi desiderare illud bonum rei, quam diligimus; desiderium autem imperfectionem impotentiæ importat in desiderante; nemo .n. desiderat id, Ad 1. arg.

id, quod in sua est potestate; sed potius desideramus id, quod non possumus; &, si homines, cum aliquem diligunt, & illi bonum appetunt, non conferunt rei dilectæ optatum bonum, hoc ideo est, quia non est in ipsorum potestate, tribuere alteri, quod efficaciter illi desiderant, & exoptant: si .n. id possent, & efficaciter vellent, quis dubitat, quod reuera conferrent? Deus autem (vt diximus) omnia, quæcunq. vult, operatur; & sic, cum aliquem diligit; & illi bonum vult, illud, in re dilecta, proculdubio operatur.

Obiectio. 2 Sed dices: ex hoc tantum sequi, dilectionem Diuinam causare aliquod bonum in homine; quod autem illud bonum sit Gratia gratum faciens, non sequitur ex dilectione Diuina; nam multa alia bona, etiam supernaturalia, potest Deus causare in homine, quem diligit; vt fidem, donum profetiæ, &c. ergo ratio illa non concludit, ponendam esse Gratiam in homine, quæ illum faciat simpliciter iustum.

Responsio. Respondeo, rationem illam concludere, ex dilectione Dei, causari aliquam entitatem in anima: quod autẽ hæc entitas sit Gratia, vlterius colligitur, ex eo, quod dilectio supernaturalis Diuina est duplex (vt infra latius, & commodius dicam) alia est dilectio, simpliciter, quæ solet dici, Amor amicitiæ. Alia, secundum quid; .s. quantum ad aliquod bonum particulare, quæ solet dici, Amor complacentiæ (vt loc. cit. explicabo) qualis est, dilectio, qua Deus infundit fidem; & per hanc, non est necessarium, infundi in subiecto aliquod bonum, per quod dicatur, simpliciter, iustum; siquidem, nõ est dilectio veræ amicitiæ: quando verò Deus diligit hominem, simpliciter, & efficaciter, verò amore amicitiæ, & secundum præsentem statum; ex hac dilectione sequitur in subiecto Gratia gratum faciens.

§. II.

A 1 conf. 3 AD confirmationem Respondeo, quod Deus non diligit prædestinatos, pro tempore, quo sunt in peccato mortali; sed pro tempore, & statu futuro; immò, secundum præsentem iustitiam, ipsos odio habet. Quod si dicas, actum dilectionis, quo Deus diligit prædestinatos esse æternum, & cõsequenti, semper esse; Respondeo, ex eo tantum colligi, illum actum semper esse, ex parte Dei; sed non pro semper: sed pro statu, in quo prædestinatus est in Gratia; sicut solet dici, de voluntate creandi mundum, quæ semper fuit in Deo; sed non pro semper; sed pro illo tempore tantum, in quo creatus est mundus.

4 Ad secundum Respondeo, quod, respectu volũtatis humanæ, bonum præexistens in re amata habet se, non solum vt terminatiuum, sed etiam vt motiuum; & ideo necessarium est, vt prius, in omni genere causæ, sit illud bonum, quã actus dilectionis; at verò, respectu voluntatis Diuinæ, bonum creatum non se habet, vt motiuum; sed, vt terminatiuum; nam voluntas diuina non mouetur ab aliquo bono creato; & ita, non est necessarium, vt præcedat actum voluntatis; ex hoc tamen non sequitur, posse actum voluntatis Diuinæ terminari ad creaturam, sine illo bono, &c. Ad 2.

5 Ad confirmationem, in qua tangitur specialis, & optima difficultas; vtrũ .s. homo possit, de potentia absoluta; esse gratus Deo, absq. infusione alicuius boni supernaturalis? (sed de ea erit nobis disputandum infra quodl. de iustificatione impij;) & sic pro nunc possumus Respondere, vel dicendo, transeat; vel, concedendo sequelam; & negando, quod inde aliquod sequatur absurdum, vt eo loco videbitur. Ad conf. 1.

6 Ad secundum confirmationem Respondetur, quod licet dilectio præcedat, in genere causæ efficientis, illam entitatem: tamen, in genere causæ formalis, intelligitur esse posterior: quia specificatur ab illa; &, cum res non possit intelligi, sine sua specificatione, non intelligitur perfecta illa dilectio, nisi etiam intelligatur bonum, à quo specificatur: sicut calefactio, in genere causæ efficientis, prior est calore producto; & tamen, nõ potest intelligi calefactio in actu, sine calore, vel in fieri, vel in facto esse. Ad 2. conf.

7 Quod si arguas: illa dilectio est prior, in genere causæ efficientis, ergo, in illo priori, antequã intelligatur effectus, ipsa intelligitur iam habere suum esse specificum; quia causa efficiens præsupponitur, in suo esse specifico, antequam agat; prius enim est esse rei, quã operari. Obiectio.

Respondeo neg. consequentiam, & probatio debet intelligi de causa, quæ verè efficiens est, actio verò, proprie loquendo, non est causa efficiens, sed tenet se ex parte rei efficientis: siquidem est via agẽtis ad passum, & est id, quo producitur effectus, & huiusmodi actio semper speci- Solutio.

eificatur à suo termino producto, quarè intelligi non potest in sua specie constituta, antè quam intelligatur productus terminus.

Ad tertium. 8 Ad tertium Respondeo, ex solutione ad primum, quod dilectio Diuina, nec præcisè, in quantum dilectio, nec in quãtum Diuina, nec in quantũ supernaturalis, præcisè, & absolutè, est productiua illius boni, de quo in præsenti sermo est; licet omnis Diuina dilectio, in quantum Diuina dilectio est, alicuius boni productiua sit; sed dicimus, esse productiuam Iustitiæ, & Gratiæ habitualis, in quantum est dilectio supernaturalis, simpliciter, & amor efficacis amicitiæ. Ad id verò, quod additur, de odio Dei: Respond. non esse simile; quoniam dilectio terminatur ad bonum, cuius Deus potest esse causa. Odium verò terminatur ad malum culpæ, cuius non potest esse causa Deus; & ideo per odium, nil mali culpæ producit, sed illud supponit productum. Vel posset dici, quod per talem actum odij producit reatum æternæ pœnæ, & debitum habendi Gratiam, qua peccatum ipsum priuat; quod debitum dependet etiam à voluntate libera Dei, vt dicam suo loco.

§. III.

Ad quartum. 9 AD quartum, variæ solent assignari solutiones 1.2. loc. cit. vt autem quid nobis respondendum sit ad prædictum argumentum, intelligamus; breuiter præmittendæ sunt aliquæ veritates, desumptæ ex D. Thom. illo art. 6. citato, vbi quærit: *Vtrum quolibet actu Charitatis augeatur Charitas?* Cui quæstioni satisfacit pluribus conclusionibus quas colligit eo loco Bannes. Prima D. Thomæ conclusio, & principalis est: *Non quolibet actu Charitatis actu augeri Charitatem.* Secunda, *Quemlibet actũ charitatis disponere ad augumentum charitatis, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior ad iterum agendum, secundum charitatem.* Tertia, *Quod habilitate crescente, homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quousque conetur ad charitatis profectũ: & tunc charitas augetur in actu.* Quarta conclusio desumpta ex solutione ad primum, quod *quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam: sed suo tempore.* Quinta conclusio, *Quod quilibet actus charitatis meretur augumentum charitatis, non tamen statim augetur, sed quando homo conatur ad huiusmodi augumentum.* Sexta conclusio desumpta ex solutione secundi argumenti, quod *in genere virtutis acquisitæ non quilibet actus complet generationem, sed quilibet operatur ad eam disponens, & vltimus, qui est perfectior, agens in virtute præcedentium, reducit eam in actum.*

Vtrum quolibet actu charitatis augeatur charitas. Nota. D. Thom. do ctrinam. Bannes.

10 Pro quibus conclusionibus est animaduertendum, quod id, quod dicitur de augumento Charitatis, dicitur ẽt de augumento Gratiæ; ad gradus enim Charitatis, crescit ipsa Gratia; & è contra; Cum, vel sint vnus, & idem habitus, vel duo habitus: ad inuicem tamen, taliter ordinati, vt vnus, saltẽ naturaliter, nequeat, sine alio reperiri, vt dicemus inf.

11 Iterum, cum Caiet. eo loco, & Bannes nõt. Charitatem non posse effectiuè augeri per suos actus; cum enim huiusmodi habitus dicantur infusi, ex eo, quod à solo Deo infundantur, nequeunt à nostris actibus efficienter augeri; dicuntur ergo augeri per actus, meritoriè: siue efficaciter; id est cum augumento de præsenti, vt contingit, cum Iustus elicit actus feruentissimos charitatis, siuè dispositiuè, & absque præsenti augmento, vt contingit, quando iustus elicit actus remissos charitatis, quibus disponitur ad intensiores actus, qui sunt vltimæ dispositiones, quæ merentur de præsenti, ipsum augmentum. Vndè in sententia D. Thomæ, nunquam admittitur charitatis augumentum actualiter, nisi cum elicitur vltima ista dispositio adæquata; nempè, actus feruentior Charitatis, & perfectus: Hæc, & alia, multis quæstionibus dignissimis, solent discuti à recentioribus loc. cit. Videantur præsertim noster Aragon, & Bannes, & forsan nos aliqua etiam disputabimus infrà, agentes de causa Gratiæ.

Nota ex Caietan. & Bannes.

Aragon.

12 Tandem, notandum est, & supponẽdum, pro modo, id, quod solet alibi latius probari, nẽpè, quod licet nõ quolibet actu charitatis augeatur de facto gratia: tñ quolibet actu, quãtumuis remisso, acquiritur ius ad gloriam, si eliciatur ex ipsa Gratia. Patet, nã actus ille est actus amici, & filij adoptiui; & alias bonus, profluens ab habitu supernaturali; ergò de se, meritorius de condigno hæreditatis, ad quam præparat status adoptionis: Cum enim actus, in indiuiduo, nequeant esse indifferentes: sed, vel boni morali-

Quolibet actu charitatis quantumuis remisso acquiritur nouum ius ad gloriam, licet illo actu nõ augeatur charitas.

ter, vel mali, & sic, vel meritorij, vel demeritorij, necessario fatendum est, illos actus esse meritorios; & cum sint ordinati ad premium supernaturale, necessario erunt meritorij ralis premij. Verum non magis diligitur homo iustus, ratione actus charitatis remissi; quia cum ratio, quare Deus amet amore amicitiæ iustum, ex parte nostri, sit inhærens nobis illa sanctitas, & iustitia, ab eo nobis infusa, iuxta mensuram, & gradus huius sanctitatis nobis inhærentis, erit & Dei dilectio amicitiæ erga nos. Cumq. per illum actum remissum, non augeatur habitus Gratiæ, & Charitatis; neque augebitur, seu fiet intẽlior Dei erga nos dilectio amicitiæ.

§. IV.

Resp. modo ad quartum argumẽtum.

13 His suppositis, ad illud quartum argumentum, quod erat vltimũ primi capitis, facilis est solutio, si dicamus; Acceptationem ad gloriam esse duplicem; Alteram, in ratione amicitiæ. Alterã, in ratione iustitiæ. Ille est magis acceptus ad gloriã, in ratione amicitiæ, qui est magis gratus, & dilectus Deo, dilectione, & amore amicitiæ, & ad hoc necessaria est, intrinsece, maior Gratia habitualis in subiecto, qa illa denominatio prouenit ab hac forma, in genere causæ formalis; & in quantũ ad hoc, debet verificari illa regula topica: *Sicut simpliciter ad simpliciter*, &c. Ille verò est magis acceptus in ratione iustitiæ, qui plura opera fecit, propter quæ debetur sibi gloria ex iustitia; & hæ duæ acceptiones, inhumanis, sunt separabiles; nam Iudex põt alicui velle bonum ex iustitia, & non ex amicitia; & è contra, amicus potest amico suo velle bonum, ex amicitia, & non ex iustitia.

14 At in ordine ad finem supernaturalem, non est separabilis, Acceptatio Iustitiæ, ab Acceptatione Amicitiæ: quia nullum opus hominis põt esse vitæ æternæ meritorium, nisi quatenus procedit à subiecto grato, & amico: Supposita tamen amicitia in quocunque gradu, põt crescere acceptatio ad gloriam ex iustitia; & si non crescat Gratia, quia illa Acceptatio non est Gratia, in genere causæ formalis: quando ergò multiplicantur merita per actus remissos, crescit acceptatio ad gloriam in ratione iustitiæ, eo quod meritis ex iustitia debetur gloria: & tamen gratia nõ crescit, nec acceptatio amicitiæ, nisi per actus intensiores.

15 Vndè sequitur, quod in via, vnus potest esse magis acceptus ad gloriam, & minus gratus, vel è contra: Nec valet dicere, quod habenti plura merita, Deus vult magis bonum, scilicet maiorem gloriam: ergò illum plus diligit, quia diligere est velle bonum. Vndè vlterius sequitur, quod sit magis gratus, & amicus. Negatur enim consequentia: nam, ex eo, quod Deus velit alicui magis bonum, in ratione Iudicis, non sequitur, quod plus ipsum diligat: Nam diligere est velle bonum, non quomodocumque, sed ex amicitia, siquidem de dilectione, & amore amicitiæ sermo est.

In via vnus põt esse magis acceptus ad gloriam & minus gratus.

CAPVT VII.

Satisfit argumentis secundi erroris.

§. I.

1 AD primum secundi Capitis desumptum ex locis sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, *Christus factus nostra iustitia, &c.* Respondeo cum D. Thoma ad secundum. Huiusmodi loquutiones non esse accipiendas in sensu formali, vel identico; sed in sẽsu causali; Ità vt, idem sit dicere: *Christus est nostra iustitia*, ac dicere: Christus est causa efficiens nostræ iustitiæ; quæ loquutio familiaris est scripturæ Sacræ: sic enim Deuter. 3. de Deo dicitur: *Ipse est vita tua*: & de Christo ad Ephes. 2. dicitur: *Quod est pax nostra* & apud Ioan. ipsemet loquens de se, sæpè dicit: *Ego sum resurrectio, & vita*. Quomodo etiam intelligendum est id, quod canitur ab Ecclesia in quadam collecta de Spiritu Sancto: *Quia ipse est remissio omnium delictorum*. & eodem modo interpetrandi sunt Sancti Patres, qui etiam aliquando vti solent hac frasi: quamuis de Augustino aliam rationem reddit Soto lib. 2. c. 17. nempè, eum loqui secundum sententiam Platonis, qui ponebat Ideas separatas, quæ de indiuiduis formaliter prædicarentur; quas ideas August. intelligit, esse ipsam Essentiam Diuinam; vt re vera sunt: atque adeò interdum dicit, Deum, vel Essentiam Diuinam esse nostram dilectionem, nostram cha-

Ad primum argumentum secundi capitis errorum. D. Thom. Deuter. D. Paul. D. Ioan. August. Soto.

Charitatem;& nos esse bonos,bonitate Dei; quibus locis deceptus fuit Magister sententiarum;vnde docuit vbi supra,charitatem non esse aliquid creatum. *Magist.*

Ad 2. 2 Ad secundum respondeo vtramq. præmissam esse falsam; & de maiori,probatur;quia falsissimum est,eodem modo nos dici iustos; quo Christus dicitur esse peccatum; alioquin,omnino impropriè, & methaphoricè,homines iusti essent; sicut Christus, metaphoricè, dicitur esse peccatum; de minori vero etiam patet; quia Christus non dicitur factus peccatum,eo,quod peccata hominum sibi fuerint formaliter imputata: sed,quia pœnas debitas peccatis nostris pertulit in corpore suo: solet.n.in sacra pagina,ipsa pœna,*peccatum*,appellari; vt notat Oleaster Gen.4.& Leuit.2. ille,qui puniebatur pro aliquo delicto,dicebatur portare iniquitatem suam: vel dicitur Christus *factus peccatum*; quia fuit hostia, oblatio,& sacrificium pro peccato;sacrificium,.n.hostia, vel oblatio, in sacra Scriptura, solet *peccatum* appellari; vt apud Oseam 1. *Peccata populi mei comedent Sacerdotes*; .i. sacrificia; seu hostias,& oblationes, quas pro peccatis offerebant populi. *Oleast.* *Olea.*

Ad conf. 3 Ad confirmationem Respondeo primò cum aliquibus recentioribus;locũ illum desumptum à d.Paulo. ex Gen.15. sic esse intelligendum: non, quod Abraham, per illam fidem, formaliter, iustus constitutus sit; cum antea iustus fuisset; neque,propter solam fidem,dicitur iustificatus; sed, propter fidem viuam,charitate formatam, iustificatus, in priori iustitia amplificatus est. Vel secundo, & melius, siquidem cõformius menti Apostoli, Respondeo,quod ibi Paulus intendit probare, quod opera legis homines non iustificabant; sed quod fides,quam habuit Abraham de Christo vẽturo profuit illi ad suam iustitiam, & iustificationem; siquidem fides est initium nostræ salutis, & fundamentum totius vita Catholicæ,& Christianæ. Vnde Sacrum Cõcilium Trident.sess.6.c.8. sic habet. *Cum verò Apostolus dicit Iustificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligẽda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit; vt s. per fidem ideo iustificari dicamur; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua, impossibile est placere Deo, &c.* & cap.6. loquens de modo præparationis, dicit: *disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuina Gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, &c. Vnde Hebr.11. dicitur; accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*; itaquè semper ponitur fides in nostra iustificatione, tãquam initium ipsius. Volens ergo Galatis Paulus innuere, homines non iustificari ex operibus legis; sed quia iustificatio nostra dependebat ex meritis Christi Redemptoris; non nisi,fide præuia, aliquem posse iustũ esse; de Abraham exemplificauit; & sic Lyran.expendens illum locum, vnit eum cum antecedentibus verbis, quibus asserit Paul. *Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis .i. (miracula,)* inquit Lyran.*videntibus vobis, de quo certum est, quod ipse est Deus, quia talia fieri non possunt, nisi virtute Diuina. Facit ne hoc,* (quibus subdit verba Pauli) *ex opere legis, an ex auditu fidei? .i. ex receptione fidei Christi. quasi dicat; manifestè patet per effectũ, quod hoc non est ex meritò legis; sed ex meritò fidei, quia talia non fiunt seruantibus legem, sed recipientibus fidem*;& cõfirmat per sacram Scripturam dicens. *Credidit Abraham Deo, & rep. est ei ad iust. & sic, ex fide Christi venturi iustificatus fuit, & non ex operibus legis. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, credentes per fidem Christi iustificari; hi sunt filij Abrahæ; .i. imitatores fidei sua, & per eam iustificati, sicut & ipse.* hæc sunt verba Pauli, optimè ad nostrum propositũ à Lyrano ponderata. *Lyran.* *Trident.*

§. II.

4 AD tertium Respondeo, controuersum esse; an causa exemplaris sit reducenda ad formalem, an verò ad efficientem? tenendo tamen cum cõmuni, reducendam esse ad formalem(vt vidimus lib.2.phis.disp.de causis) concedo, iustitiam Christi esse causam formalem nostræ iustitiæ, ad hunc sensum;.s. quia hæc ad illius imitationem facta est; ex hoc tamen non sequitur,homines denominari iustos formaliter à iustitia Christi; sicut neq. ex eo;quod entitas nostra naturalis facta sit ad imitationem idearum, existentium in mente Diuina, potest dici, nostram substantiam,formaliter, esse ipsam substantiam Dei; & præterea,quia adhuc non sequeretur ex hoc id,quod intendunt Hæretici.s.nullam iustitiam esse nobis inhærentem. *Ad 3.*

5 Ad quartum dico, supponete falsum; *Ad 4.*

sum; .i. quod Deus à nobis exigat tam perfectam iustitiam, vt excludat omnia peccata, & omnes defectus, etiam minimos. Immo hoc est vnum ex fundamentis Lutheranorum, ad probandum, iustú in omni suo opere peccare, quia, s.nul. a opera potest facere cum tâta perfectione, quantam exigit Deus; ad cuius probationem, quę desumitur, ex timore Sanctorum; Respondet Vega lib. 15. in Concilium c. 13. illius timoris præcipuam causam esse, incertitudinem Gratiæ, & remissionis peccatorum; & sciẽtiam propriæ fragilitatis, atq. fidem Diuinæ libertatis, & potentiæ, secundum quas, potest Deus homines, pro suo libito, punire, & à Beatitudine excludere.

Ad 1. conf. 6 Et quando subditur, in corroborationem argumenti, ex Iob. *non iustificabitur homo compositus Deo*; debet intelligi, *in comparatione Dei*; sit enim homo, quantumuis iustus, si comparetur Deo, procul dubio iudicabitur immundus, repletus multis imperfectionibus, & miserijs; vnde etiam dicitur, quod *Stellæ in conspectu eius non sunt mundæ*; & alibi *in Angelis suis reperit prauitatem*; quem locum, eodem modo, explicant multi Doctores; & eodem etiam modo, explicãdus est ille alius locus, quo comparantur iustitiæ nostræ panno mestruatæ: ni velis illum intelligere, de operibus elicitis ex nostris viribus, quibus nonnulli, falso seducti, & Hæretico spiritu, videbantur nimium fidere, atq. credere, ita, vt arbitrarentur, illis, optimè, absquè alio Christi Auxilio, posse iustificari, vt vidimus quodl. præcedenti.

Ad 2. 7 Ad alium locum Iob. *Si habuero quispiam iustum, non respondebo ei: sed meum Iudicem deprecabor*; & Dan. 9. *non in iustificationibus nostris prosternimus preces, &c.* Respondet Medina loc. cit.

Med. *§. Ad omnia argumenta Lutheranorum, &c.* quod nos, ante Tribunal Christi, non producemus in nostrum patrocinium, nisi iustitiam Christi, cuius merito, & titulo, sumus Filij Dei; & hæredes vitæ æternæ. Vbi obseruat, & doctè, quod ille genitiuus (*Christi*) non designat subiectum; vt sit sensus, quod sumus iusti iustitia, quæ est in Christo; sed designat causam efficientem, ex qua omnis nostra iustitia deriuatur, propter quod optimè dicebat ille; *in tua iustitia libera me Domine*; & iterum; *in tua iustitia exaudi me Domine*. Ita Medina loc. cit. per quod soluitur etiam alia confirmatio, in qua adducebatur, quod Christus dicitur *delens Chirographum, quod aduersus nos erat*; & sic, in nostra iustificatione, ad Christi iustitiam recurrendum esse: diximus .n. quod ad iustitiam Christi nobis confugiendum est.

8 Ad tertiam confirmationem Respondeo, D. Paulum damnare eos, qui propria iustitia, & ex viribus naturæ habita, fatebantur iustos esse, & non iustitia Dei, modo exposito; & hoc euidenter colligitur, ex secundo loco adducto, vbi dicitur; *Vt non inueniar habens meam iustitiam*; .i. (ita vt meis viribus tribuam hoc, quod est, iustum esse coram Deo) *sed iustitiam, quæ ex Christi fide est*: .i. hanc iustitiam soli Deo tribuendam, &c. Ad 3.

9 Ad quartam confirmationem Respondeo; quod, licet iustitia, quæ est in Christo, sit infinita, tamen iustitia, quæ est in nobis per Christũ, finita est; & hæc est illa, quæ dicitur, formaliter, nostra; tùm, quia nobis à Deo donatur; licet nullis præcedentibus meritis de coodigno; tùm etiam, quia educitur de potentia obedientiali animæ nostræ (vt dicam infra) iustitia autẽ Christi, qua Christus iustus est, non dicitur nostra, nisi, in quãtum causa est iustitiæ nostræ. Ad 4.

10 Reliqua duo argumenta Theologica etiam facilia sunt; & sic ad prius eorum, quod erat quintum in ordine, Respondeo, quod Sacramentum facit de attrito contritum, & producit Gratiam in homine attrito; & ita, attritio, simul cũ Sacramento, renouat animam interius; sed hoc fit per Gratiam iustificantem, quæ nobis, virtute Sacramenti, infunditur. Ad 5. arg.

11 Ad vltimum tandem, de paruulo baptizato: Respondeo breuiter, conc. maiorem; & ad min. dico, eos iustificari per Gratiam collatam virtute Sacramẽti, & licet ipsi paruuli nullum eliciant actum, quem non possunt; sufficit tamen baptizentur in fide Ecclesiæ, vt decretũ fuit in Tridentino Concilio sess. 7. can. 13. quod autem omnia sacramenta Gratiam conferant, diffinitur ead. sess. can. 7. & suo loco (Deo dante) probabitur. Ad 6.

§. III.

12 Solent tandem Hæretici adducere locum illum Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*; quibus verbis, videtur Aliud Hæreticorum arg. ex Ps. 31.

Resp. detur apertè significare Propheta, peccata nostra tegi,tantum,& non imputari nobis; non, verò,tolli omninò; cęterum, (vt optimè gloſ. ordinaria Rom.4. (ibi adducuntur à Paulo hæc eadem verba,) vidit,) quod *r. mittere,tegere,non imputare*: eiuſdem ra ionis,& ſenſus ſunt verba; cuius ratio eſſe poteſt;nam,cum (*tecta eſſe peccata*,))intelligatur,reſpectu oculorum Dei; & nihil eis tegi, & occultari poſſit,niſi,reuera,deleatur;*omnia .n. nuda,& aperta ſunt oculis eius*; hinc fit; vt, *tegi Deo peccata noſtra*, idem ſit, quod *deleri,& omninò tolli*; quod,per ſolam internam renouationem fit.Sic etiam dico circa ly(*non imputauit*;) cum .n., exiſtente peccato in anima, nō poſſit Deus illud homini non imputare ¦peccato,ex ſola ſua voluntate (vt dicam infra) fit, quoad hoc, vt dicatur,non imputare alicui ad culpam aliquod peccatum; reuera,mediante interna ſanctitate, illud tollat à nobis;benè verum eſt,quod pro ſua voluntate, poſſet illud non imputare ad pęnam; nam Deus,nulla neceſſitate, cōpellitur ſumere vindictam de peccatoribus;ſed de hoc infra latius.

DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum Gratia hæc iuſtificans ſit accidens, & cuius ſpeciei accidentis?

CAPVT PRIMVM.

Statuitur, Gratiam accidens eſſe.

§. I.

Explicatur titulus. 1 Ro explicatione, & ſimul reſolutione huius diſputationis, quæ facilis eſt,ſuppono; hic, modo, nos non loqui, de potentia Dei abſoluta,an .i. de potētia Dei abſoluta poſſit homo iuſtificari per aliquid intrinſecum, quod non ſit permanens qualitas, nec habitus;ſed actus elicitus feruentiſſimi amoris; vel quid aliud, per modum tranſeuntis,ſe habens? ventilabimus.n.ex profeſſo in quodl.*de iuſtificatione* hanc per difficilem quæſtionem; nequè; an, per omnipotentiam Dei,poſſit iuſtificari homo ſine aliquo intrinſeco dono, ſed ſolum per extrinſecam Dei acceptationem,vel fauorē? licet.n.in ſuperiori diſp. determinauerimus, eſſe de fide, nos de facto, & potentia ordinata, per intrinſecum quid creatum renouari: non tamen hoc ita certum eſt, ſi loquamur de potētia abſoluta; hanc etiam difficultatem examinandam relinquimus,alibi. tātum ergo procedit q̄ſtio de facto,& potentia ordinaria,& naturali; & quærimus,an id, per quod, de facto, iuſtificamur, (quod diximus eſſe quid creatum intrinſecè nobis inhærens) pertineat ad prædicamentum accidentis,vel ſubſtantiæ?

2 Secūdò ſupponendum eſt; certum eſſe apud Catholicos, nos non iuſtificari per aliquid in nobis creatū à Deo, quod ſit ſubſtantia:hoc probat D.Thom.q.cit. ar.2.ad 2.*Quia* ſubſtantia,vel eſt ipſa natura rei,vel pars naturæ: quæ diſiunctiua deſumpta eſt ex Ariſtot.2.de Anima c.1. vbi diuidit ſubſtātiam,in Materiam, Formam, & Compoſitum; ex quibus, Materia, & Forma, ſunt partes naturæ: Compoſitum,verò,eſt ipſa completa natura;ſed Gratia,reſpectu hominis,nequè eſt natura illius,neq. pars naturæ,vt conſtat,ergo non eſt ſubſtantia. Nos non iuſtificari per quid ſubſtātiale. D.Th. Ariſt.

3 Dicet tamen aliquis, quod licet Gratia,neq. ſit natura hominis,neq. pars eius; tamen poterit eſſe entitas ſubſtantialis, quæ,quoniā aduenit Enti in actu, accidentaliter, poterit dici ſe habere, reſpectu illius; ergo ex hac ratione non colligitur ſufficienter, Gratiam eſſe formam accidentalem. Obiectio.

4 Reſpondeo, quod illa ratio vniuerſaliter probat, Gratiam non eſſe ſubſtan- Solutio.

ſtantiam; nam licet aliqua ſubſtantia poſſit alreri accidenraliter conuenire; tamen de illa debet verificari, quod, vel ſit Materia, vel Forma, vel Compoſitum: ſed Gratia nihil horum eſt; ergo, &c. probatur mi. Et primò, quod nō ſit Materia, omnes concedunt; cum potius actuet, & informet ſubiectum; nempè, Animam, dās illi formalem denominationem grati, & iuſtificati, iuſti, amici, &c. quod autem non ſit ſubſtantialis Forma; probatur eadem ratione; nam Forma ſubſtantialis neceſſariò debet eſſe pars alicuius ſubſtantiæ; ſed nulla poſſet aſſignari ſubſtātia, cuius Graria poſſit eſſe pars; nam, ſi eſſet, nullo modo poſſet informare Animam; cum Forma ſubſtantialis alteri ineſſe non poſſit, niſi ei, cuius eſt forma; ergo Graria non eſt ſubſtantialis forma: quod autem neq. ſit Compoſitum; probarur, etiam 1 quia, vel eſſet increatū, vel creatum; primum non, vt patet ex dictis ſupra; præterquam quod, ſolus Deus eſt increatus; neq. poreſt dici, quod ſit Compoſitum ſubſtantiale creatum; quia nullum eſt tale compoſitum ſubſtantiale, quod ſolum ordinetur ad perficiendū intrinſecè alienum ſubiectum; & non, ad per ſe exiſtendum: ſed Gratia ordinatur, ſolum, ad perficiendam creaturā rationalem, ergo non poteſt eſſe compoſitum ſubſtantiale.

5 Confirmatur, quia ſi eſſet ſubſtantia, vel eſſet materialis, vel immaterialis; non primum, nam non poſſet ineſſe animæ: ſi ſecundum dicas: ergo Gratia eſt ſubſtantia intellectualis; quod eſt in intelligibile; nulla.n. alia ſubſtantia intellectualis poteſt aſſignari (exceptis Deo, Angelis, & Anima rationali;) Gratia autem, neq. Deus ipſe eſt, nequè Angelus, neq. rationalis Anima: non Deus; cum ſit creata ſubſtantia. non Angelus, cum omni careat ratione viuendi, intelligendi, &c. neq. Anima rationalis, cum potius ad illam perficiendam ordinetur, ergò, &c.

6 Sequitur igitur, ex dictis, cum ens immediatè, in ſubſtantiam, & accidens diuidatur, & Gratia non ſit ſubſtantia; quod ſit accidens; & hoc voluit ſignificare gloſ. ſuper illud Pſ. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo*; vbi habet, quod *Gratia eſt quidam nitor animæ*; ſed nitor, & decor rei ſunt accidens rei: ergo, &c. ita habent D.Thom. in argumento, *ſed con.* art. cit. & Aegid. q. cit. art. 2. 4. *in contrarium eſt*; cui rationi addit etiam Aegid. & aliam, mirum; quia vnus homo eſt magis gratus Deo, quām alius (vt videbimus infra,) ergo Gratia ſuſcipit magis, & minus; ergo eſt accidens: patet conſequentia; quia ſubſtantia ex art. c. de ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus; *Quod* idem poteſt confirmari, ex alia proprietate ſubſtantiæ, quod illi nil ſit contrarium: contrarieras .n. reperitur inter formas accidentales: cumq. Gratia contrarium habeat; nempè, peccatum, cum quo, ſimul in eodem ſubiecto reperiri non poteſt, etiam de potentia Dei abſoluta (vt infra dicā) ſequitur eſſe accidens. Ariſt.

§. II.

7 HOc idem, quatruplici alia via, nititur probare Aegid. oſtendens, vnde ratio accidentis ſumatur; & quia fundamentaliter, & doctiſſimè procedit, placuit hic fideliter reſumere eius doctrinam: docet ergo in corpore ar. cit. rationem accidentis deſumi poſſe ex quatruplici principio: primò ex defectu ſubſtantię. Secundo ex poſterioritate ſui. Tertiò ex mutabilitate ſecundum intellectum. Quartò ex mutabilitate ſecundū rem. Nota ex Aegid. vnde ſumatur ratio accidentis.

8 Vt autem explicet, quid intelligat, per *ſubſtantiam defectiuam*; not. ex Auguſtino 5. de Trinit. c. 2 tom. 3. vbi ait; Aug. *Dic aliquid accidere non poſſe*; cuius cauſam ſubdens, inquit; *quia incommunicabilis illa ſubſtantia, eſt, idem, quod Eſſentia, cui perfectio eſt ipſum eſſe*. Vnde colligit, ſolum Deum, eiuſq. Eſſentiam eſſe perfectiſſimam, indefectibilemq. ſubſtāntiam: ſumpta tamen ſubſtantia, non eo modo, quo Logici eam ſumunt; quatenus ſ. deriuatur à verbo *ſubſto, ſubſtas*; vt ſic .n. non eſt in Deo ſubſtantia; cum nullo pacto illi competat ſubſtandi ratio; ſed quatenus idem eſt, ac *Eſſentia; cumq. Eſſentia* (inquit) *in rigore idem ſit, ac Eſſe, ſequitur in Deo, Eſſentiam eſſe ſuum eſſe; & vt ſic dicitur indefectibilis ſubſtantia: ea autem ſubſtantia, quæ ſua perfectio, ſiue ſuum eſſe non eſt, dicitur defectiua ſubſtātia, quia non eſt ſua perfectio, quæ aliquid aliud eſt ab ea; quo pacto non eſt in Deo; omnis .n. perfectio Dei, eſt ipſemet Deus; ipſamet Eſſentia Dei; & ſic, eſt ſine quantitate, Magnus; ſine qualitate Bonus, &c.*

9 Inquit ergò, quod ex defectu ſubſtantiæ ſumitur prima ratio accidentis; cum accidens non poſſit eſſe, niſi in ſubſtantia defectiua; nam quicquit aduenit 1. ratio accidentis deſumitur ex defectu ſubſtātiæ.

rei

rei completæ in suo actu, vel est accidés, vel est ad modum accidentis: esse autem creaturæ, licet (inquit) accidens non sit, tamen se habet ad modum accidentis; cum adueniat rei post primum suum actum, i. post formam; siuè sit forma materialis; siuè immaterialis; *Esse* ergo, actus etiam est, & primus & secundus; primus, respectu operari; secundus vero, respectu formæ; en quomodo ratio accidentis sumitur primo, ex ipso defectu substantiæ.

2. ratio accidentis ex eo, quod posterius est substantia.

10 Sumitur secundò accidentis ratio, ex eo, quod posterius est ipsa substantia; docetq. (ex Arist. 7. met. t. c. 4.) accidens posterius esse substantia, *cognitione, diffinitione, & tempore*; vbi notat, quod, licet cognitione à posteriori, & ab effectu, accidens possit dici prius substantia ipsa, quam, medijs accidentibus, hac cognitione, cognoscimus; tamen, loquédo de cognitione perfecta, & à priori: accidens aptum natum est cognosci per substantiam, in qua est, & per suum subiectum, quod eius dicitur esse causa. Est etiam accidens posterius substantia, *diffinitione*; siquidem semper in diffinitione accidentis ponitur substantia, tanquam eius subiectum, ad quod dicit intrinsecum, & essentialem ordinem inhærentiæ; siuè actualis, siuè aptitudinalis; ita vt, nō possit accidens concipi, absq. tali ordine ad subiectū; cumq. diffinitionis partes priores sint ipso diffinito, (saltem, prioritate, à quo non valet subsistendi cōsequentia, vt alibi dicitur) fit, quod substantia sit prior accidente, *diffinitione*; quod si aliquando, in diffinitione substantiæ ponatur aliquod accidens, siuè proprium, siuè commune; dicendum est, quod illa diffinitio non est doctrinalis, & scientifica; .i. essentialis, & à priori; sed descriptiua, accidentalis; & à posteriori, vt, si diffiniatur *Homo*, per *Animal risibile*; vbi ly *Risibile* accidens proprium est, respectu hominis; illa diffinitio descriptiua est, & à posteriori; dicit tandem, accidens posterius esse *tempore* ipsa substantia; siquidem ipse ibi docet, accidentia subiectari in toto composito, siuè illud sit, ex Materia, & Forma; vt sunt composita materialia; siuè, ex Esse, & Essentia; vt sunt substantiæ spirituales completæ; cęterum, quia aliter docui tùm 1. phis. tùm etiam in 1. de generat. & corrupt. & hæc prioritas, siuè posterioritas temporis non semper est necessaria ad propositum; ideo de hac vltima posterioritate non est in præsentiarum sermo; sufficit tamen posterioritas, saltem, naturæ.

11 Tertiò, & quartò modo sumitur ratio accidentis, ex separabilitate, vel re, vel saltem ratione; salua, & integra manente Essentia, & totali integritate entitatis substantiæ. 4. & 5. ratio ex separabilitate.

§. III.

12 Applicat deindè hæc omnia ad quatuor, quæ vergunt ad accidens; videlicet, ad Esse, ad propriam passionem, ad accidens inseparabile, & tandem ad accidens separabile; docetquè, quod *Esse*, licet propriè accidens non sit; se habet tamen ad modum accidentis; si quidem aduenit rei iam constitutę in suo actu: & hāc esse, dicit, rationem accidentis, quæ sumitur ex defectu substantiæ, quæ non est suum Esse: propria autem passio & sumitur ex defectu substantiæ; (defectus namq. substantiæ est; quod nō sit sua perfectio, sed quod talis sua perfectio, propriæquè passiones sint aliquid superadditum ipsi;) & etiam propria passio sumitur ex eo, quod posterior est eo, cuius dicitur esse propria passio; & hoc, quia dimanat à principijs essentialibus ipsius; siuè in genere causæ efficientis; siuè in genere causæ formalis; hoc .n. parū refert: sufficit, quod essentia eius, cuius aliquid dicitur esse propria passio, habeat rationem causæ, respectu illius; causa autem semper est prior suo effectu; saltem, prioritate naturæ.

13 Obijcit autem sibi Aegid. dicens; quod etiam *Esse* est posterius eo, cuius est *Esse*: ergo ratio modi accidentalis *Esse*, non solum desumitur ex defectu substantiæ; sed etiam ex posterioritate ad illam: ad quod Respondet, quod licet substantia, secundum se, possit intelligi, non intellecto Esse: quia potest intelligi, quod pluuia (inquit) sit aqua, guttatim cadens, absq; eo, quod actu pluat; tamen nō potest intelligi pluuia in actu, & in rerum natura, nisi actu pluet; non autem sic est de propria passione; potest .n. optimè intelligi substātia esse in actu, & in rerum natura, non intellecta eius propria passione; vnde docet, quod aliter propria passio posterior est ipsa substantia, quam *Esse*. Obiectio. Solutio.

§. IV.

14 Deindè, de accidenti inseparabili, dicit; quod vltra prædictas rationes desumitur etiam, ex mutabilitate, sal- Ratio accidentis inseparabilis.

saltem, per intellectum; neq. est idem de propria passione; siquidem, quamuis & propria passio possit sic separari ab eo, cuius est propria passio; ita, vt optimè possit intelligi substantia, nedum non intellecta ipsa propria passione: verum etiã sine tali propria passione; salua manente eius essentia; immò, & de potentia absoluta posset impediri eius emanatio ab Essentia, & iam emanata destrui, (vt docui in prædicabilibus.) Cęterum hæc est differentia inter propriam passionem, & accidens inseparabile, quantum ad hoc; quia propria passio dimanat à principijs specificis, & essentialibus Metaphisicis substantiæ, & sic, licet possit substantia, sine propria intelligi passione: nõ tamen poterit, cum eius opposito, aliquo modo concipi: v.g. poterit proculdubio intelligi Homo, sine Risibilitate; salua omninò, & integra manente eius Essentia; non autem poterit homo intelligi cum rugibilitate, hinnibilitate, &c. At accidens inseparabile oritur ex principijs indiuidui; & sic, non solum possumus intelligere coruum, sine nigredine, & cygnum, sine albedine; verum, & coruum, cum albedine; & cum nigredine cygnum; absquè eo, quod aliquid detrahatur essentiæ, & integritati substantiali corui, & cygni.

Differentia inter accidens inseparabile, & propriam passionem.

15 Tandem accidens separabile sumitur, ex mutatione, & separabilitate reali; vt est calor in manu, vel frigus, albedo in muro, &c.

§. V.

16 EX his omnibus principijs potest colligi, Gratiam accidens esse; & primò, nam Gratia potissimè habet esse in natura defectiua; quia si natura, per se, potest exire in opera naturalia; non potest tamen, per se, exire in opera supernaturalia, sine Gratia illi superaddita. Item, est posterior omninò ipsa Anima, quæ ipsius subiectũ est (vt dicam infra:) nã si de Angelis dicitur; quod ***Deus erat simul in eis condens naturam, & largiens Gratiam***; & de Beata Virgine, quod, ***Natura Gratiam anteuertere ausa non est***, & de humanitate sãctissima Domini Christi, quod ***ab instanti suæ conceptionis fuit omni Gratia repleta Cœlesti***; tamen hoc non est ex ratione Gratiæ, quæ haber, de se, posteriorem esse ipsa natura, quæ dicitur Gratiæ fundamentum; & licet id ita dicatur, & sit, de Angelis, de Beata Virgine, & de humanitate Christi Domini, adhuc in illis, prius intelligitur Esse naturæ, quàm Esse Gratiæ: prius.n. est, saltem, prioritate naturæ, aliquid constitui in suo esse naturali; quàm in esse supernaturali; quod habet, per Gratiam, cumq. Gratia non possit esse propria passio, respectu alicuius, vel erit accidens separabile, vel inseparabile, separabile, in viatoribus non confirmatis in Gratia, qui quotidiè possunt illam amittere per peccatum, quod est eius oppositum: accidens autem inseparabile, respectu cõprehensorum, Angelorum, & eorum, qui fuerunt in Gratia confirmati, adhuc in via, vt Apostoli, accepto Spiritu sancto, Beata Virgo, &c. & ab his etiam potest abesse, saltem, per intellectum, absq. ipsorum corruptione, quia possunt intelligi sine illa; immò, & cũ opposito ipsius; nimirum, cum peccato; non.n. Gratia habet dimanare à principijs essentialibus, & specificis alicuius substantiæ. Quarè concluditur, Gratiam verè, & propriè esse accidens, & non substantiam.

Probatur modo ex hac Aegidij doctrina, Gratiam accidens esse.

§. VI.

17 POtest tamen obijci primò sic: nullum accidens transit de subiecto in subiectum; sed Gratia potest de vno in aliud subiectum transire; ergo non est accidens: probatur mi. ex eo, quod Num. 2. dicitur à Domino Moysi: ***Auferam de spiritu tuo, tradamq. senioribus, vt sustineant tecum onus populi***. Respondet Aegid. neg. mi. & ad locum adductum, dicit; illum intelligendum esse similitudinariè; ita vt, sensus illorum verborum sit: accipiam de spiritu tuo; non à te, Gratiã, quam habes, auferendo, vt alijs dem: sed dabo senioribus Gratiam similem ei, quam tu habes, vt valeant sustinere tecum onus populi. 1. obiectio. Num. Solutio.

18 Secundò obijcitur, & est quartum in ordine Aegid. & primum D.Th. 1. de Gen. 55. vbi habet; ***Habitibus præsentibus in materia, cessat motus***: ergo nullum accidens agit in suum subiectum; quia tunc cessaret motus, præsente habitu; vel præsente perfectione, & forma; sed Gratia dicitur agere in ipsam Animam, iustificando ipsam, & emundando à peccatis; ergo Gratia non est accidens; Respondetur tamen ab eisdem Doctoribus, disting. cons. ***ergo nullum accidens agit in suum subiectum***; efficienter; conc. cum nõ possit accidens agere, absquè actione subiecti, à quo dependet in fieri, conserua- 2. obiectio. D.Th. Solutio.

ri,

ri, operati; intellige, *efficienter*; alias diceretur subiectum agere in se ipsum; si accidens aliquam actionem posset erga sui subiectum operari; *ergo nullum accidens agit in suum subiectum*; formaliter, nego omnis.n.forma accidentalis dat formaliter aliquod esse subiecto; & sic, albedo dat esse album parieti; calor, esse calidũ manui, &c. & sic Gratia dicitur iustificare Animam, & mundare à peccatis, formaliter, non efficienter.

19 Concluditur igitur, Gratiam esse accidens: sed cum accidens in plura inferiora diuidatur; primo .n. & immediatè diuiditur in Absolutum, & Respectiuum: (secundum sententiam, quam in Logica tueor) quorum, Respectiuum, constituit Relatiuum genus: absolutum autem, adhuc subdiuiditur, in *quantitatem*, qualitatem, & reliqua: videndum est; ad quod, ex his generibus, seu speciebus accidentis pertineat Gratia, quæ accidens est, vt latè vidimus?

CAPVT II.

Gratiam esse Qualitatem.

§. I.

Gratiam nõ pertinere ad relationem.

1 ET breuiter dicendum est; primò, non collocari sub genere accidentis Respectiui, seu Relatiui: patet .n. Gratiam, nullam aliam relationem includere; præterquam, ordinem intrinsecum, & essentialem, quem quodlibet aliud accidens absolutum dicit ad subiectum: id, quod solet appellari *Esse in*: nam Gratia solũ ordinatur ad reddendum subiectum gratum; sicuti albedo, ad reddendum subiectum album; præterquam quod relatio non consurgit, nisi posito fundamento; ergo si de relatione amicitiæ Dei sermo est, potius ipsa Gratia dicitur esse fundamentum ipsius amicitiæ; ea .n. posita, resultat relatio amicitiæ ad Deum; & ea ablata, aufertur; sicuti, posita albedine in alio pariete, resultat statim relatio similitudinis ad aliam albedinem existẽtem in altero pariete; &, ipsa ablata, aufertur; cum tamen certum sit, non esse albedinẽ ipsammet relationem similitudinis, sed fundamentum eius.

2 Restat ergo, Gratiã collocari sub accidenti absoluto; sed non poterit assignari sub *Quantitate*; cum *quantitas* sit accidens materiale, & corporeum: Gratia autem accidens spirituale, & immateriale; sic etiam non potest pertinere ad *Situ, Vbi, Quando, & Habitu*: *Situs* enim est modus, quasi, quantitatis; cum sit coordinatio partium corporis in ordine ad locum; habere autem partes, ad *quantitatem* spectat; *Vbi*, vero, est affectio substantiæ; cum, esse in loco, ad substantiam propriè pertineat; *Quando* videtur esse affectio temporis, cum contineat præteritum, præsens, & futurum. *Habitus* etiã est affectio spectans ad corpus; cum sit adiacentia corporis, & eorum, quæ circa corpus sunt.

3 Neq. dici poterit *actio*, vel *passio*; tùm quia, *actio*, ex natura sua, nõ est permanens; nec *passio*, cum consistãt in motu. Gratia verò permanet, vt patet 2. Corint. 1. & 1. Io. 3. *Gratia eius semper in me manet*; inquit Paulus; *Signauit nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris. Omnis, qui natus est ex Deo non peccat, quia semen Dei manet in ipso, &c.* ergo nec *actio* est, nec *passio*; item quia quęlibet *actio* potest desinere esse, solum per cessationem ab opere; at Gratia non desinit, nisi ponatur peccatum; ergo non est *actio*. D.Pau. D.Io.

4 Solum igitur superest, quod Gratia sit *Qualitas*, à sufficienti partium enumeratione; & hoc probat sic in corpore articuli. D.Th. ex proportione ad naturalia, nam Deus sic prouidet rebus naturalibus, in ordine ad suos fines, vt, non solũ moueat ipsas actualiter; sed etiã tribuat qualitates, quæ sint principia actuum, quibus tendant in fines; ergo id similiter fit, in ordine ad finem supernaturalem; nam Deus, non solum mouet actualiter, sed etiam infundit qualitates supernaturales, per quas suauiter, & promptè moueantur ad bonum æternum consequendum, ex his autem est Gratia, ergo Gratia est *Qualitas*.

A sufficienti enumeratione infertur Gratiam ad *Qualitatem* pertinere. D.Th.

§. II.

5 COeterum, hæc ratio supponit, vt veram, illam minorem, scilicet quod Gratia sit vna ex illis formis, quæ disponunt hominem ad operandum, in ordine ad finem supernaturalem: ex qua sequitur, Gratiam esse habitum operatiuũ; vel, non distingui à virtutibus infusis; cuius oppositum ipsemet D.Th. docet ar. 3. & nos disputatione sequenti demonstrabimus,

bimus; & sic, ex his, quæ in ea disputatione dicemus; clarius patebit veritas huius positionis. tota hęc doctrina communis est Scholasticorum in 1. dist. 17. & in 2. dist. 27. quam omnes, post Magistrum, communi consensu, firmarunt; quibus

Sot. Vega. Med. Zum. Vasq. Innocẽt. III. Cõc. Viẽnen. Lateranen.

connumerari debent Sotus 2. de natura, & gratia cap. 17. 18. 19. Vega lib. 7. super Concilium cap. 24. Medina, Zum. Vasq. & cęteri discipuli D. Tho. p. 2. q. 110. art. 2. & fuit, vt probabilior, declarata ab Innoc. III. in c. *Maioris, de Baptismo, & eius effectu*; & a Concilio Viennensi vt refertur in clement. vnica de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. immò in dicto Cõcilio, & etiam in Lateranensi dicitur, hanc sententiam esse magis consonam sacris Scripturis; & esse omnium Theologorum illius ætatis.

§. III.

An hoc sit de fide.

6 SEd petes: qua certitudine tota hæc doctrina tenenda sit? an sit de fide, Gratiam esse accidens; & pertinere ad speciem qualitatis, vel ne? nam quod Gratia sit accidens, videtur apertè esse de

1. ratio dubitandi. Trident.

fide; siquidem in Tridentino sess. 6. cap. 7. & can. 11. cit. expresse dicitur, *iustitiam inhærere animæ*; ac, *inhærere* est propriũ accidentis; ergo de fide est, Gratiam esse accidens; ex quo colligitur, quod si accidens est; & ex alia parte constat, non esse accidens aliorum prædicamentorum, à *Qualitate*; manifestè sequitur, Gratiam esse qualitatem; & ex consequenti, etiam si hoc non sit immediatè diffinitum; erit tamen de fide, mediatè; sicut, quod Christus est Risibilis; quia deducitur per euidentem consequentiam ex vna de fide, &c.

2. ratio.

7 Immò adde, quod videtur etiam expressè diffinitum in eodem Concilio, vt supra ad finem cap. 7. esse qualitatem permanentem; ibi .n. dicitur, *veram, & Christianam iustitiam accipientes, iubentur statim renati conseruare, vt eam proferant ante Tribunal Christi*; quæ verba nullum possent habere congruũ sensum, nisi Gratia esset aliquid permanens.

3. ratio.

8 Item: quia Concilium loquitur, non solum de Gratia adultorum, sed etiam paruulorum; & in paruulis non potest intelligi, quod sit qualitas aliqua transiens; quia, neque actio, neque motio Diuina ad operandum; nam paruuli horum sunt omninò incapaces; ergò Gratia in illis necessariò debet esse permanens; & cum sit eiusdem rationis in adultis; in omnibus erit permanens.

§. IV.

9 PRo responsione tamen ad quæsitum, breuiter notandum est; antiquam fuisse de hac re controuersiam, cuius mentionem facit Innocentius III. loc. supra cit. nempè in c. *Maiores, de Baptismo*, & clem. vnica de Summa Trinit. in quibus tamen locis, nil expressè diffinitur; quamuis in clement. opinio, quæ tenet, paruulis conferri in Baptismo informantem Gratiam, & virtutes; eligatur, non vt de fide; sed vt probabilior, & Sanctis, ac Doctoribus conformior; non autem, quod illa Gratia sit habitus, vel qualitas; nam controuersia, quam illa clementina dirimit, erat; an paruulis in Baptismo, præter remissionem peccati originalis, aliquid aliud conferatur? & huius partem affirmatiuam statuit, vt probabiliorem; sed quæ nam esset illa entitas, quæ in Baptismo dicebatur conferri? non vocabatur in controuersiam; & ideo, quantum ad hoc, nihil Cõcilium determinat: accommodat tamen suum Sermonem communi modo loquendi Theologorum; at in Concilio Tridentino hæc omnia multo clarius explicantur, adeò, vt Vega lib. 7. cap. 24. in principio asserat, esse simpliciter de fide, Gratiam esse qualitatem permanẽtem, propter argumenta supra posita. Medina verò p. 2. q. 110. art. 2. solum existimat, oppositum esse temerarium. Alij, ad minus, dicunt, esse erroneum. Ast Vasq. p. 2. disp. 203. c. 6. existimat, esse de fide, paruulos, & adultos, qui, virtute Sacramentorum, iustificantur, iustificari Gratia, quæ sit qualitas, & habitus, quia in illis non potest esse aliquid aliud inhærẽs, quod possit illos iustificare, nisi habitus. De adultis autem, qui iustificantur extra Sacramentum, tenet, probabilem esse, iustificari per actum cõtritionis, & dilectionis Dei, & quod hactenus diffinitum nõ est, adultum, extra Sacramentum, solo habitu iustificari, sed hoc posse fieri etiam his actibus, qui, sine noua Gratia, hominem sanctum constituunt, & ipsum faciunt à peccato recedere, & ab inordinatione ad ordinationem accedere, hoc ait cap. 3. quo non obstante dicit, quod, licet hoc sit probabile; probabilius, tamen, est, iustum, & sanctum hominem Gratia habituali, quæ sit qualitas, & habitus, iustificari.

Innocẽt. III.

Sententia affirmans esse de fide, Gratiam esse qualitatem permanentem. Trident. Vega.

Opinio Med. & aliorum.

Quid sentiat Vasq.

10 Qua-

§. V.

Quid sentiat author.

10 Quarè, pro modo, in hac re dicendum cēseo; qualitatem harum propositionum iudicandam esse ex intentione Concilij diffinientis; quę intentio cognoscēda est ex errore, quem in illa diffinitione confutare intendebat; nam Concilia nil, tanquam de fide, diffiniunt, nisi quod necessarium est ad confutandas hæreses, quæ tūc temporis grassantur; error autem, contra quem in illa sess. 6. cap. 7. disputabat Concilium, est ille, de quo supra fecimus mentionem, nempè; *homines iustificari per extrinsecā imputationem iustitiæ Christi, &c.* Et contra hunc, diffinierunt Patres; iustitiam, nostram esse inhærentem nobis; quibus verbis, tantum intendunt diffinire, esse aliquid intrinsecum. *Quid* autē illud sit? non expresè diffinitum est: atq. adeo nō est immediatè de fide: quicquid autem per euidentem cōsequentiam ex hac diffinitione colligitur, erit de fide mediatè; & oppositum erroneum in fide; nam illa propositio dicitur erronea in fide; cuius opposita, per euidentem consequentiam deducitur ex Scriptura sacra, vel ex diffinitione Ecclesiæ, &c. Vnde sequitur primò, quod hæc propositio: *Gratia est accidens*: est de fide mediatè: quia deducitur per necessariam consequentiam, ex eo, quod Gratia sit intrinseca homini, & quod illi intrinsecè inhæreat (vt visum est supra.)

Obiectio.

11 Quod si dicas; eadem ratione sequi, esse erroneum negare, peccatū orig. esse accidens; nam hoc etiam deducitur ex diffinitione Ecclesiæ; in Tridentino .n. sess. 5. in decreto de peccato orig. dicitur, *Peccatum originale inesse hominibus*; ex quo manifestè sequitur, ipsum esse accidens; & tamen consequentia non est de fide; ergo, &c. Respondetur, non esse simile; nam vis illius consequētiæ, quam nos facimus, non fundatur in rigorosa significatione illius verbi, *inhæret*, præcisè; sed in toto hoc .f., *quod Gratia est aliquid positiuum intrinsecè inhærens homini*; quæ propositio, quoad omnem sui partem est diffinita; & ex illa euidenter sequitur, Gratiam esse accidens; at de peccato originali tātum diffinitur, quod insit hominibus, eo .f. modo, quo potest in esse: si .n. sit priuatio, (vt pleriq. censent) modo, quo potest inesse priuatio. Vnde non sufficienter colligitur ex illa diffinitione, quod peccatum originale sit accidens.

Trident.

Solutio.

12 Secundò sequitur, quod hæc propositio, *Gratia est qualitas*, eādem habeat certitudinem; nam deducitur per necessariam cōsequentiam, ex eo, quod sit accidens; neq. obstat, quod immediatè non deducatur ex propositione de fide; satis .n. est, ipsam deduci mediate; nam de fide est, hoc modo, omnes proprias passiones naturæ humanæ in esse Christo: & tamen aliquæ illarum insunt, mediantibus alijs. De permanentia verò; licet aliquibus videatur apertè, esse de fide, esse qualitatem permanentem id, per quod iustificamur; tamen quia non est definitū, sub expressis verbis, sed ex diffinitionibus positis id posset deduci; quid de hoc sentiendum? aperiam, cum opportunius disputabimus illam quæstionem. An iustificemur per habitum, an verò per actum charitatis, & contritionis?



DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum Gratia ſit ſimplex qualitas à Virtutibus realiter diſtincta: An verò ſit Virtutum collectio, & idem,ac Virtus?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus Diſputationis, & opiniones referuntur?

§. I.

1 PRO tituli intelligentia notandũ eſt,quod ſub vnica petitione, duplex eſt examinanda difficultas; quarũ prima eſt; quomodo diſtinguatur Gratia ab omnibus virtutibus infuſis; An ſcilicet ſit quid diuerſũ ab illis; & ſic, quædam qualitas ſimplex per ſe, realiter à cęteris virtutibus ſeiuncta,& diſtincta? An vero nil aliud dicat præter collectionem ipſarum virtutum, ſimul ſumptarum. ſicuti diximus 1.phyſicorum diſput. 4. ſection. 1. Totum nil aliud eſſe, præter partes ſimul vnitas. Secunda vero difficultas eſt, particulariter, de virtute Charitatis. An ſcilicet Gratia idem omninò realiter ſit,ac Charitas? quam præcipue quæſtionem intẽdunt Scholaſtici,dum petunt: An Gratia ſit idem,ac virtus? cum Diuo Thoma, dicta quæſtione 110.art.3.& cum Magiſtro in 2.d.26.Cæterum, vtramque nos, præſenti Diſputatione dilucidabimus ſimul.

D. Thom.
Magiſt.

2 Secundo notandum eſt,quod hæc quæſtio non eſt ſimilis illi, quam ſolent Metaphyſici diſputare, de ſimplicitate, ſcientiæ,vel habitus; & nos latè,& diffusè examinauimus, de Vnitate Logicæ agentes,in quæſtionibus proœmialibus noſtræ Logicæ diſp.1.ſect.4. Nondum enim ſtatuimus, Gratiam eſſe habitum; &,etiam ſi, Diſputationis gratia, ſupponamus, quemlibet habitum eſſe vnam ſimplicem qualitatem (vt loc.cit probatum eſt) adhuc manet noſtra quæſtio. An gratia componatur ex pluribus habitibus. An vero ſit tantum vnica quædam, & ſimplex omnino qualitas,diſtincta realiter ab habitibus virtutum infuſarum;vel ſit idem habitus cum aliqua illarum? Tandem notandum eſt,hanc quæſtionem non pertinere ad fidem; & ſic eſſe tantum controuerſam inter Scholaſticos; & quia quælibet ſententia eſt probabilis, ideo adducam prius eas omnes, cum ſuis præcipuis fundamentis; Deindè, quæ ſit ex illis probabilior, nobisq. ſuſtinenda,dicam.

§. II.

3 PRima ergo ſententia docet, Gratiam eſſe vnicum habitũ,ac proindè vnam ſimplicem qualitatem, ad ſenſum expoſitum;& hunc habitum realiter identificari cum habitu Charitatis, quã ſententiam tenet Magiſt. in 2. ſent. diſt. 27.& ibi Scot. quæſt.vnic. Riccard. ibid. Gabr.quæſt.vnic.art.2.concl.4. Marſil.in 2.quæſt.17.art.1.concl.1.& 2.Vega lib.7. in Concil. c.2.Alexan. 3.part. quæſt.64. membr.2.art.4.Enriq.quodl.4.quæſt.10. Alber.in 2.diſt.26.art.3.Durand.quęſt.1. num.7.Bellar.lib.1.de gratia,& liber.arbitrio c.6.& 7.Rada 2.par. ſuarum controuerſ. controu.14.art.1. & alij quamplurimi Recentiores, eſtq; præſertim communis inter Scotiſt.

Prima ſent.
Magiſt.
Scot.
Riccard.
Gabr.
Marſil.
Vega.
Alexand.
Enriq.
Alber.
Durand.
Belarm.
Rada.

4 Secunda ſententia docet,Gratiam eſſe vtiq. vnicum habitum, & ſimplicem qualitatem; ſed realiter diſtinctam à charitate,&reliquis virtutibus.Ita Diuus Thomas art.cit.quem ſequuntur omnes Thomiſtæ ibid. Caiet .Medin. Zumel,& Capreol. in 2.diſt.26. quæſt. vnica art.1. Sot.lib.1.de natur.& grat.c.17.Bonauen. in 2.diſt.26.quæſt.5.Antonin. 4.p. tit. 9.

Secunda ſent.
D.Thom.
Caietan.
Medin.
Zumel.
Capreol.
Soto.
Aegid.
Argent.

c.2.

c.2. Aegid.Colum.& Argent.nostri in 2. loc.cit.& alij.

Tertia sent. 5 Tertia sententia docet, Gratiam esse vtiq; vnicum habitum,& simplicem qualitatem;sed consistere in collectione omnium virtutũ supernaturalium: verũ distingui realiter tàm à charitate, quàm à quauis alia virtute, per se infusa, seiunctim considerata: non autem esse aliquid realiter distinctum ab omnibus virtutibus infusis,collectiuè sumptis,& vnitis,sed tantum ratione. Ità videtur sentire Enriq.quodl.8. quæst.10. Immò ità docent famosissimi viri Salmanticenses, publici Lectores,Magistri mei, in Codicibus manuscriptis, quos Ego legi. Hæ sunt sententiæ,quæ in hac quæstione esse possunt,& omnes satis probabiles. Cæterum opus est, eas omnes explicare,vnãquamque secundum propria principia, & fundamenta ex proprijs Authoribus fidelissimè deprompta. Enriq.

CAPVT V.

Explicatur, & probatur Scoti sententia.

§. I.

Nor. Scoti doctrinam pro stabilien da sua sententia. 1 PRima ergo Scoti sententia, præsertim quoad id,quod spectat ad identitatem, seu indistinctionem Gratiæ, & Charitatis,quoddam principium supponit,(vt optimè Rada loc. cit.) Quod valdè necessarium est ad eius probabilitatem, quare placuit ea omnia hic adducere, quæ in confirmationem dicti principij docet cit.Author. Illud autem est:Quod quæcunque forma actiua, quæ alicuius operationis est principium: *Quo*, formale, prius dat esse Agenti principali, quam in operationem exeat:Dat exemplum, de calore, qui calefactionis est principium *Quo* prius constituit ignem in esse calidi, quàm ignis per eum agat, & operetur.Cuius rei rationem assignat; quia actus secundus necessariò præsupponit actum primum,seu (quod idẽ est) Agere necessariò supponit Esse: ergo Operatio ab Agente egrediens, necessariò supponit Agens constitutum in actu primo,per principium illius actionis formale. Ex quo infert,eandem formam, quæ actionis est principium, duo munera subire. Alterum,dare esse agenti:Alterum verò, actionis sibi congruentis esse principium.

2 Vndè sequitur, haud quaquam requiri,quod ab alia forma constituatur Agens in actu primo, & ab alia egrediatur actio; sed quod vtrumque;ab eodem principio esse potest, vt patet de calore, qui etiam constituit ignem in esse calidi,& calefactionis est principium ; eadẽ etiam virtus motalis dat esse, & operari. Cõstituit enim animum in esse quodam motali, & studioso; & insuper proprij actus est principium.

3 Nec obstat,inquit, quod ens naturale prius in suo esse substantiali constituatur; deindè verò superueniant qualitates formæ congruentes, per quas operetur; Tum quia,forma substantialis non solum dat esse, sed etiam alicuius actionis est immediatum principium, (vt docet Scot.in 4.d.12.quæst.3.) Tum etiam,quia illæmet qualitates, prius dãt esse Agẽti, quàm ab eis operatio aliqua egrediatur. Tandem,quia si huiusmodi qualitates requiruntur; est, quia forma substantialis non potest immediatè in propriam exire operationem, nisi prius subiectum in quo debet agere per actionem ipsarum qualitatum disponatur; quo disposito, agit forma substantialis, per se ipsam,immediatè producendo effectum. Exempli gratia: Ignis, per calorem disponit lignum, vsque ad instans productionis formæ Ignis, in quo Ignis nõ agit iam per calorem ad productionem Ignis:sed immediatè, per suam formam substantialem.

4 Ex his colligit,nequaquam requiri, quod homo, in supernaturali esse cõstituatur per formam aliam, ab ea, quæ operationis supernaturalis est immediatum principium, vt opera supernaturalia operetur,quandoquidem ea forma potest, & dare esse, & operationis esse principium immediatum.

§. II.

5 DIces: forsan, inquit, quod sicut substantia naturalis,alia forma constituitur in esse substantiali, & alia operatur: Ità homo, alia supernaturali forma constituitur in esse Diuino, & supernaturali,& alia operatur. Respond. primò ad hoc, quod eadem forma substan- Obiectio. Solutio prima.

ſtantiali,qua res naturalis in eſſe ſubſtãtiali conſtituitur,agit; non enim eſt credibile,formas imperfectioris generis eſſe actiuas, vt Accidentia; non verò eas, quæ ad altius genus, atque perfectius ſpectant, vt ſunt formæ ſubſtantiales.

2. ſolutio. Secundò dicit, quod forma ſubſtantialis indiget formis accidentalibus, per quarum actionem paſſum diſponatur; quia,ex ſui imperfectione, non poteſt ſuum effectum ſtatim producere, ſimul diſponendo, & introducendo formam: Ob id enim Ignis non poteſt ſtatim, per ſuam formam ſubſtantialem, Ignem producere, niſi prius, per calorem, Materia, ex qua Ignis producendus eſt, diſponatur. Ea tamen diſpoſita per calorem; Ignis immediatè per ſuam formam, ignem producit, formam ignis in ea introducendo. Cum igitur, vt homo immediatè per ſuam ſupernaturalem formam,quàm diuinitus accipit, operetur, non indigeat forma, per ſuam actionem paſſum diſponente: poterit immediatè per eam operari; non minus quam animus,per virtutem,opera virtutis,& ſtudioſa exercere, nulla alia virtute,nec forma ſuppoſita.

Replicatur. 6 Sed ſi contra obijcies: quia omnis virtus operatiua diſponit ſubiectum, prout congruit ſuæ naturæ; ergò omnis virtus præſupponit naturam aliquam, cui ſit congruens,& proportionata; ergò ſicut virtus naturaliter acquiſita præſupponit naturam,qua homo eſt homo; Ità virtus ſupernaturalis præſupponit naturam Diuinam participatam, & eſſe quoddam ſupernaturale; cui congruat, & conueniat virtus ſupernaturalis,Diuinitus infuſa. Reſpond. conced.anteced. & conſequentiam primam. Ad ſecundam, inquit, quod ſicut virtus acquiſita ſupponit naturam,qua homo eſt homo: Ità virtus Charitatis infuſa eandem ſupponit,& non naturam Diuinam per participationem; Immò ipſa conſtituit hominem in conſortio Diuinæ naturæ, & ſimul principium actionis ſupernaturalis; totum hoc fideliſſimè ſumpſimus ex Rada;quod quia facilè,& breuiter ipſe expoſuit, eiſdem etiam ferè verbis, ne aliquid videremur eius Claritati, ac breuitati detrahere, hic viſum eſt, adducere.

§. III.

7 Qua doctrina ſic poſita, videtur reddi probabilis opinio Scot. qui docet, cum alijs ſupra citatis: Gratiam non diſtingui à charitate realiter,ſed ſolummodo formaliter,& ratione. Probaturq. ab eius Schola: Primò, nam omnes effectus prouenientes à Gratia, ſiue in genere cauſæ formalis, ſiue in genere cauſæ efficientis, dicuntur etiam à Charitate prouenire; ergò Gratia, & Charitas ſunt vnus, & idem habitus. Conſequentia patet,quoniam impoſſibile eſt, quod idem omninò effectus procedat à formis diſtinctis ſpecie, & realiter, maximè ſi ſit effectus formalis; antecedens verò probatur,nam effectus Gratiæ ſunt: Dare homini eſſe iuſtum, gratum Deo; acceptum ad vitam æternam; efficere ipſum filium Dei adoptiuum. Renouare, & rectificare animam interius. Eſſe vitam animæ. Remittere peccata; atque eſſe formam aliarum virtutum; ſed omnes hi tribuuntur charitati,ergo,&c.Probatur min.Quantum ad primum,ex Tridentino ſeſſ.de iuſtificatione cap. 7. vbi, poſtquam dixiſſet, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis eſſe iuſtitiam, qua iuſti ſumus;ſtatim ſubdit,*hoc fieri in impij iuſtificatione; cum per Spiritum ſanctũ charitas Dei diffunditur in cordibus hominum, qui iuſtificantur, atq. ipſis inhæret*;vbi manifeſtum eſt,Concilium *intellexiſſe* homines fieri iuſtos,& denominari per charitatem inhærentem.&c.

Solutio. Primaratio pro Scoti ſententia.

Tridentin.

8 De ſecundò verò patet; quoniam per Charitatem diligimus Deum,& diligendo,efficimur digni,& proportionati, vt ab ipſo diligamur:iuxta illud Ioan.15. *Qui diligit me,diligetur à Patre meo.* Itẽ; quia charitas eſt amicitia hominis ad Deum;ergo charitas facit homines amicos Deo; & ex conſequẽti,gratos;nullus .n. poteſt eſſe Deo amicus, qui non ſit gratus. D. Ioan.

9 De tertiò probatur eodem modo: quia amicitia, in communi, includit acceptationem ad bona amici; nam amicorum omnia ſunt communia;ergo amicitia ſupernaturalis includit acceptationem ad bona ſupernaturalia,& ex conſequenti,ad Beatitudinem.

10 De quartò probatur 1. Io.4. vbi dicitur: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt*; ergo qui habet charitatem, eſt Filius Dei; D. Ioan.

Dei;non naturalis;ergo adoptiuus.

11 De quintò probatur, quia defe-ctus rectitudinis, est in auersione volun-tatis ab vltimo fine; per charitatem verò conuertitur voluntas ad Deum, & ipsi plenè subijcitur,& coniungitur,ergo cha-ritas rectificat animam, estquè vita eius, D.Io. iuxta illud Io.3.*nos scimus,quoniã trans-lati sumus de morte ad vitam,quoniam diligimus fratres*.

12 De sextò.s.de remissione peccato-D.Pet. rum,patet:1.Pet.4.*Charitas operit multi-*D.Luc. *tudinem peccatorum*;& Lucæ 7. *Remittũ-tur ei peccata multa, quoniã dilexit mul-tum*.

13 Et deniq; charitas est forma om-niũ virtutum,vt probatur 2.2.q.23.art.8. ergo omnes effectus Gratiæ tribuuntur charitati.

Conf. Aug. Greg. Bernar. 14 Et confirmatur ex Sanctis Patri-bus; nam Augustinus lib.de nat.& gratia c.24.to.7.dicit; *iustitiam,qua iusti sumus, esse ipsam charitatem*; & Greg.hom.38.in Euangelia,charitatem, dicit, esse vestem nuptialem, quæ nos speciosos Deo red-dit; & Bern.ser.83.in can.asserit; charita-te maritari animam verbo.

§.IV.

2.ratio. 15 SEcundò probatur hæc sententia; nam, præciso per intellectũ quo-libet habitu, sola manente charitate in subiecto, adhuc homo maneret gratus Deo; ergo non est necessarium,ponere distinctum habitum,qui nos Deo gratos faciat: consequentia patet. antecedens probatur, quoniam tũc homo esset ami-cus Deo; ergo esset ipsi gratus;nam plus est,esse amicum,quam esse gratum.

3.ratio. 16 Tertiò: quæcunq. sunt distincta realiter, & non habent essentialem de-pendentiam, possunt,saltem de potentia absoluta, separari; sed Gratia,& charitas non dependent ab inuicem essentialiter: & sunt realiter distincta (per oppositam sententiam:)ergo poterunt separari:con-sequens est falsum; ergo & antec.non. maior;quia illa est nota ex terminis;ergo minor.s.*quod distinguatur realiter*; nam, non habere essentialem dependentiam; authores oppositæ sententiæ concedunt, qui Gratiam comparant Essentiæ,& cha-ritatem,potentiæ. Falsitas consequentis probatur, quia si Gratia separaretur à charitate, sequeretur euidens contradi-ctio, .s. quod homo habens Gratiam sal-uaretur,quia esset gratus; & non saluare-tur, quia non haberet charitatem: nam, vt constat ex Paulo 1. Corint. 13. non D.Paul. habens charitatem,nihil est, .s. in ordine ad vitam æternam; & alibi: *qui non dili-* D.Io. *git,manet in morte, &c.*

17 Quartò: si Gratia distingueretur 4.ratio. realiter, & specificè à charitate; vel esset magis, vel minus perfecta: neutrum dici potest:ergo:&c. ma.probatur,quoniam impossibile est, duos habitus, specie di-stinctos, esse æquales in perfectione; *species .n. sunt sicut numeri*;docet multis in locis Philosophus; & sic, sub quolibet Arist. genere datur vna species alia perfectior, & nunquã reperiuntur duo species æqua-lis perfectionis; minor verò probatur, nam,non esset magis perfecta; quia (vt patet ex D.Paulo vbi supra, & ex Augu- D.Paul. stino 15.de Trinit.c.18.to.3.& ser.50.de Aug. Bernar. verbis Domini tõ.10. & ex D.Bernar.ser. 29.in Cant.) inter Dei dona, nullum est charitate maius;*Quod* autem non sit mi-nus perfecta charitate Gratia,omnes cõ-cedunt; inquiunt .n. Gratiam esse princi-pium, & fundamentum totius esse super-naturalis.

18 Quintò probatur: nam Gratia,est 5.ratio. habitus; non vitij;ergo virtutis; tunc sic, vel est distincta virtus ab alijs; vel eadem cum illis: primum non,quia nullus datur actus peculiaris conueniens Gratiæ, di-stinctus ab actibus aliarum virtutum;vbi autem non est distinctus actus, non po-test esse distinctus habitus; quia habitus per actus distinguũtur; ergo necessarium est, quod sit eadem cum alijs; non cum omnibus, alioquin Gratia non esset vnus habitus; & præterea,quia certum est,di-stingui à Fide,& Spe;restat ergo,quod sit eadem cum Charitate: distincta verò,so-la ratione;(quod est aliud membrum huius sententiæ;) quoniam idem habitus, quatenus facit nos gratos Deo, dicitur Gratia: & quatenus reddit potentes ad diligendum Deum, dicitur charitas, &c.

19 Sextò, nam ad hoc,vt entia multi- 6.ratio. plicemus, & ab inuicem distinguamus, ratio,& necessitas nos vrgere debet: hoc autem nulla subesse videtur, ergo absquè fundamento talis distinctio assignatur; mi.probatur, nam si aliqua necessitas, & ratio subesset; maximè,quia de Gratia dicuntur multa: illique multi effectus tribuuntur à Scriptura sacra; qui Chari-tati nequeant accomodari. Sed iam visũ est,nil esse in Scriptura sacra de Gratia dictum, quod etiam de Charitate non dicatur. ergò, nulla ratio, & necessitas

nos

nos vrget ad distinguendam Gratiam à Charitate. Hoc argumentum videtur magnam vim habere in sententia Scot. Vasquez. & sic fatetur Vasq. 1.2. q.110. disp. 193. c.3. nullam rationem efficacem adduci posse à Thomistis, ad asserendum hos habitus è p.r. distingui.

Septima ratio. 20 Septimò arguit Rada loc. cit. fundamentum præcipuum Thomist. propter quod contrariam defendant sententiam ex præiacto principio ruit euidenter; ergo si tam debili fundaméto adhærebat, non est cur veram esse existimemus. Antecedens patet; nam quod principium essendi differat realiter à principio operandi (cui fundamento nititur opposità sententia, vt videbimus infra) licet probabile videatur de primo principio, quod dat esse substantiale, (& si oppositum verius esse conitet, ex supposita doctrina Scot. desumpta ex eodem Rada sup.) de principio tamen secúdario, quod dat esse accidentale, non potest esse verum. Calor enim, qui dat esse accidentale igni, est ei immediatum principiũ agendi, & ita cum Gratia det esse accidentale, & non substãtiale; nihil prohibet eam esse immediatum principium operandi: Immò videtur, quod è contrario sic arguendum sicsicut se habent virtutes morales ad esse morale: ita se habent virtutes supernaturales ad esse supernaturale, & ad opera supernaturalia. Sed per virtutes morales constituitur quis in esse morali, & per easdem perficitur ad opera moralia, & non per aliud; ergo similiter per virtutes supernaturales constituitur quis in esse supernaturali, & per easdem perficitur ad opera supernaturalia; neque est aliud (vt videtur) per quod homo constituitur in esse supernaturali, & per quod operetur supernaturaliter.

§. V.

Obiectio. 21 Sed dicet aliquis (inquit Rada) quod per virtutes morales non constituitur homo in esse morali: Primò sed per principia naturalia, quę sunt Intellectus, & Voluntas, propter quod Aristot. dicit Philosophus 1. polit. quod *Homo est animal ciuile*: per virtutes autem cõstituitur in esse secundo morali, quod ordinatur immediatè ad operationem: & similiter dicendum de Gratia, & virtutibus, respectu esse supernaturalis.

Solutio. 22 Respondet tamen, hoc non valere, quia per principia naturalia non constituitur homo in aliquo esse morali, actu; sed aptitudine quadam, quod innuit Philos. 11. eth. loquens de Virtuti- Aristot. bus, dicit enim *Innatis quidem nobis suscipere eas, perfectis autem per assuetudinem*. Sed per virtutes cõstituitur in actu in primo esse morali, & per easdem perficitur ad opera moralia: & idem est de esse supernaturali, & operibus supernaturalibus.

23 Idq. confirmat ex sententia D. Thomæ, qui 1. 2. q.111. art.2. in fine corporis artic. ait: *Gratiam habitualem qua animam iustificat, & sanat, esse principium operis meritorij*: dicit enim, *Sic igitur habitualis Gratia in quantum animam sanat, vel iustificat, siue gratum Deo facit, dicitur Gratia operans: In quantum verò est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.* Ex quibus D. Thom. verbis colligit; ex eadem Thomistica doctrina, eandem formam posse esse principium essendi, & operandi; & per consequens rationem, cui sententia eius de distinctione reali, inter Gratiam, & Charitatem innititur, nullam esse: Siquidèm, ex eodem D. Thom. eadem for- D. Thom. ma est principium essendi, & operandi.

24 Quarè concludit hic Doctor, Gratiam esse formaliter Charitatem, eo modo, quo Homo, est formaliter Animal; nam sicut ratio formalis Animalis includitur formaliter in Homine: Ità ratio formalis Charitatis includitur in Gratia, ita vt se habeant, sicut superius, & inferius. Omnis enim Gratia est Charitas; & non è conuerso. Vndè constituit ex Scoto, rationem Gratiæ, & Charitatis, qui illa 27. distinct. citata, sic loquitur: *Charitas dicitur, qua habens eam, habet Deum carũ, ità quod respicit Deũ, non in ratione diligentis, sed in ratione diligibilis. Gratia est, qua Deus habet aliquem gratũ. Ita quod ipsa respicit Deũ acceptantem, siue diligentem: non ast dilectum. Nõ autem dicitur Gratia, quodcumque, propter quod Deus diligit, quia tunc Essentia Diuina in Filio posset dici Gratia, quia propter eam diligit Filium. Sed illud, propter quod Deus acceptat habentem, vt dignum Beatitudine, dignitate, quæ est in correspondentia meriti ad premium, dicitur Gratia, & ita aliquam imperfectionem includit illud, quod est Gratia; quia talis dignitas aliquam imperfectionem ponit in digno, scilicet, quod non sit, ex se, & per*

& per se, Beatus, sed in potentia ad Beatitudinem; eadem ergo forma absoluta in anima est, per quam anima diligit Deum, vt obiectum; & per quam acceptatur speciali acceptatione à Deo, & ordinatur ad Beatitudinem. Prout respicit subiectum, cui esse supernaturale tribuit, quo mediãte, est gratum Deo; est Gratia: quatenus verò reddit subiectum potens diligere Deũ, ac meritoriè operari, est charitas. in ordine ergo ad subiectum, dicitur Gratia: relatione verò ad actus, dicitur virtus, & charitas. Et hæc est Scoti sentẽtia, ob rationes positas, satis probabilis.

CAPVT III.

Explicatur, & probatur sententia Aegid. & D.Th.

§. I.

1 SEcunda verò sententia D.Th. & Aegid. videtur esse hodie in Scholis communior; & sic, vt eius pateat probabilitas; supponẽda sunt aliqua ex ipsorum Doctorum doctrina. Primum, & præcipuum est id, quod in corpore art. D.Tho. docet, ex Arist. 7. Phis. tex. 17. & 18. nimirum, quod *virtus sit quædam dispositio perfecti*; id est, eius, quod iam est constitutum in suo esse perfecto, secũdum naturam. Vnde colligit, quod virtus vniuscuiusq. rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem; quando .s. vnumquodque sic est dispositum, secundum quod congruit suæ naturæ; cũq. virtutes acquisitæ per actus humanos sint dispositiones, quibus homo conuenienter disponitur, in ordine ad naturam, qua homo est; & virtutes infusæ disponant hominem, altiori modo, & ad altiorem finem; oportet, quod supponant ipsum constitutum in altiori esse, & perfectiori natura; hoc est, Diuina participata, quæ dicitur, lumen gloriæ; iuxta illud 2. Pet. 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ consortes naturæ; secundum quam, dicimur regenerari in Filios Dei*; sicut igitur lumen naturale rationis aliquid est, præter virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; ita etiam ipsum lumen Gratiæ, quod est participatio Diuinæ naturæ, est aliquid, præter virtutes infusas, quæ à lumine illo deriuantur, & ad illud lumen ordinantur; & sicut virtutes acquisitæ perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini naturali rationis; ita virtutes infusæ perficiunt hominem, ad ambulandum secundum quod congruit lumini Gratiæ. Hoc est fundamentum D.Thom. sub eisdem ferè verbis ab ipso depromptum; omninò oppositum fundamento præiacto, pro sententia Scotistarum.

(1. suppositũ pro sententia D. Thom. & Aegid. Arist.)

§. II.

2 QVod, quia aliquantulum obscurè traditur, clariori indiget explicatione; & sic illud, hoc modo, explicat Medina. *Quemadmodum* aliud est esse rei, aliud operatio: ita euidens ratio expostulat, vt alia forma constituat esse rei, & aliæ formæ, & virtutes deseruiant ad operationes, rectè obeundas, & sicut ad esse rei sequitur operatio, & illud præsupponit; ita, & forma illa, quæ immediatè ordinatur ad operandũ, præsupponit formam, quæ esse cõstituit, & ab ea quodammodo proficiscitur; vt videre licet in rebus naturalibus; nam v.g. homo à forma substantiali habet esse; cęterum ab alijs formis accidentarijs, & superadditis, (quæ sunt potentiæ, atq. habitus,) habet, vt possit rectè operari: & illæ formæ, quæ sunt potentiæ, & habitus, præsupponunt formam substantialem, & ab illa, quadam ratione, manant, & proficiscuntur. Potentiæ quidem, & habitus naturales, proficiscuntur à forma substãtiali, naturali quadam sequela, per simplicem (vt aiunt) emanationem, veluti splendor oritur à Sole: habitus verò acquisiti, sunt etiam ex illa, tanquam ex radice, & semine. Homo ergo iustus, non solum habet facultatem operandi opera supernaturalia; sed etiam habet esse supernaturale, operibus supernaturalibus consentaneum; vnde, iusti dicuntur Filij Dei; quia sicut Filius participat naturam Patris; ita & iusti, vt sic, participãt quoddam esse supernaturale, & similitudinem naturæ Diuinæ, ex quo esse, & ex qua similitudine efficitur, quod homo iustus sit gratus, & amabilis Deo; nam per illud esse efficitur, quadam ratione, eiusdem naturæ cum Deo; & certum est, quod similitudo naturarum conciliat amorem, & amicitiam. Hæc omnia sũt ex Medina.

(Explicatur doctrina D.Th. à Med.)

§. III.

3 Caeterum, quia adhuc in suo robore videtur esse Scotisticum fundamentum, ex Rada allatum supra, quo contenditur, eandem formam accidentariam esse principium esse accidentalis (quodcunque illud sit, siue naturale, siue supernaturale,) & etiam operationis, vt exemplo caloris demonstratur; licet aliquo modo hæc D. Thomæ doctrina videatur veritatem habere, loquendo de esse substantiali; non enim hoc potest haberi per illam formam, quæ est operationis principium: Ideò maiorem desiderat hoc D. Thom. fundamentum dilucidationem, & corroborationem. Quare id egregiè (vt solet) præstat Aegid. noster, qui hoc pacto philosophatur, circa hanc rem, in corpore art. 1. citatæ quæstionis secundæ.

Nota ex Aegid. Deuter. 4 Docet ergò primo, sumpta authoritate ex Deuteronom. cap. 32. vbi dicitur (*Dei perfecta esse opera*,) quod sicut Deus opera naturali a fecit perfecta; siquidem præbuit rebus suas naturas, & consequentia ad naturam: fecit .n. terum naturas cum suis virtutibus, & potentijs naturalibus; ne otiosæ esent, & frustra productæ: ignem videlicèt cum calefaciendi potentia; lapidem, cum sua grauitate, & in particulari, Rationalem animam, de qua præsertim sermo est, nedū cum sua substantiali Esseētia, verum cum omnibus suis potentijs, suæ naturæ consentaneis; nimirum, cum intellectu, & voluntate; sic etiam, in recreatione ipsius animæ, perfectissimè procedit, perficiendo Esentiam, & perficiendo potentias, Esentiam, nempè, Gratia: potentias verò, virtutibus, & maximè, Diuinis, & supernaturalibus, Fide videlicèt, quæ est in intellectu, Spe, quæ est in irascibili: & charitate, quæ est in concupiscibili. Ad quod comprobandum, adducit verba

Dionis. Dionis. 2. c. de ecclesiastica Hierarc. vbi asserit, *quod anima, illa solum operatur, & patitur, in quibus Essentiata est.* Ex qua authoritate, colligit, quod non pateretur, recipiendo virtutes infusas, Fidem, Spem, & Charitatem, nisi esset Esentiata, .i. perfecta in Esentia, per Gratiam, nec etiam operaretur per illas virtutes, sic receptas, nisi esset sic perfecta essentialiter, per Gratiam, sicut ergo anima prius est Esentiata naturaliter & postea agit per suas potentias naturaliter, sic prius est perfectionata in esse supernaturali, per Gratiam, & postea per virtutes illas tres supernaturales, quæ perficiunt potentias, vel vires animæ, vnde colligi facilè potest, per diuersam omninò formam, realiterq. distinctam, perfici Essentiam, ab ea, qua eius potentia perficitur; nam, licet possint esse plures virtutes in eadem potentia: quia Spes, & Charitas sunt in vna voluntate, licet hanc potentiam diuidamus in irascibilem, & concupiscibilem; non quia sint distinctæ potentiæ; sed, vna, & eadem omninò realis potentia, duplex habens officium; videlicet tendendi in bonum, secundum se; vnde dicitur, concupiscibilis; & tendendi in bonum, sub ratione ardui; vnde dicitur, irascibilis; & sic, secundum eam partem, qua concupiscibilis dicitur, ponimus in illa charitatis habitum: secundum verò aliam, qua irascibilis nuncupatur, in ea ponimus spem; eo prorsus modo, quo intellectum diuidimus, in memoriam, & intelligentiam; cum sit omninò realiter vna potentia intellectiua; duo tamen habens officia; alterum est, recipere species, & esse locum specierum; ex quo dicitur memoria: alterum verò, per illas species intelligere, secundum quod dicitur intelligentia; licet ergò, inquam, plures virtutes esse possint in eadem potentia, non tamen vna virtus in pluribus, realiter distinctis; ex quo inferre licet manifestè, quod illa virtus, quæ ordinata est ad perficiendam Esentiam animæ non poterit esse, eadem realiter, cum ea, quæ ordinata est ad perficiendam aliquam ipsius potentiam.

5 Est notandum, quod hic modo non determinamus: An Gratia subiectetur immediatè in essentia animæ, vel in aliqua potentiarum; nā disputatione sequēti erit examinanda hæc quæstio. Sed supponimus, in doctrina Thomistica, & B. Th. Aegydiana, in 2. dist. 33. q. 1. art. 3. dub. 3. Aegid. & dist. 26. q. 2. art. 1. Gratiam in Essentia Animæ subiectari. Charitatem verò in voluntate. Cæterum, neq; ex hoc posset colligi realis distinctio virtutū, & qualitatū, in sententia Scoti, q̄ docet in 2. d. 16. Scot. quæst. vnica: potentias animæ distingui ab eius Essentia solum formaliter, non verò realiter; quam sequitur eius Schola, & præsertim Rada 2. part. controuersiarum Rada. controu. 13. art. 2. Cuius tamen oppositum sentit D. Thom. 1. par. q. 77. a. 1. D. Th. & cum eo omnes eius Discipuli afferentes, omninò realiter distingui potentias ab Animæ essentia, & inter se, ita etiam

eru-

Aegid. Tolet. eruditè satis habet Aegid.noster in 1.d.3. p.2.q.1.art.2. noster quoque Toletanus ead.distinct.art.3.& 4. & sic pro modo, etiam supponimus in hac sententia D. Tho.distingui realiter potētias ab essentia,de quo Disput.sequenti.

Alterum Aegid.suppositum. 6 Secundum quod supponendum est ex eodem Aegid. consequēter ad dicta,actum Gratiæ esse ipsum Esse spirituale;&sic Gratiam perficere Essentiam, à qua est Esse naturale. Vndè sicut Anima dicitur esse vita corporis, cum det ipsi esse naturale; ità Gratia dicitur vita ipsius Animæ; cū illi esse spirituale præbeat & supernaturale,formaliter: Actus autem virtutis est,operari; & ad hoc simpliciter ordinatur virtus; non verò ad præbendum aliquod esse absolutum.

§. IV.

Obiectio. 7 Obijcit tamen sibi Aegid. dicens, quod etiam à virtute est esse; siquide *virtus habentem perficit*, dando sibi aliquod esse, & opus suum bonum reddit, inclinādo ipsum ad bonam operationem.

Solutio. Respondet tamen,neg. de esse primo supernaturali, quod tantum habet Anima ab ipsa Gratia; nam sicut essentia Animæ dat corpori primum esse naturale; Ità Gratia,quæ perficit essentiam animæ,dat illi primum esse supernaturale;virtutes verò,quæ potentias perficiūt, dant etiam ipsis potentijs aliquod esse, non primum,& simpliciter, sed secūdum quid, & ordinatum immediatè ad operationem ipsam.

8 Quibus addere possumus, quod licet esse, quod Gratia tribuit subiecto, sit secundum rem,etiam accidentale; sicuti illud, quod virtus ipsa tribuit, accidentale est; tamen secundum modum est substantiale, qui modus consistit in hoc, quod sicut esse substantiale est proprium esse simpliciter, & ad quod cætera omnia illius generis ordinantur; ita esse supernaturale, quod tribuit Gratia, est primum esse simpliciter illius generis,& ad illud omnes virtutes supernaturales ordinantur; & ideo,sicut esse substantiale est semper à principio essēndi, distincto à principio operandi; ità esse supernaturale, quod prouenit à Gratia. Nec est ad propositum exēplum, quod adducitur à Rada, & reliquis Scotistis, de calore; siquidem calor iam præsupponit in subiecto esse simpliciter naturale primum huius generis:& sic non esse necessarium, quod esse calidum, quod est esse secundum quid, fiat à distincta forma,ab ipso calore: Non est autem sic,in virtute supernaturali; hæc enim nō præsupponit subiectum, in esse primo talis generis,nisi tale esse illi detur à Gratia.

9 Adde etiam, quod licet possimus aliquo modo Scoto, & sequacibus, in sententia D.Thomæ cōcedere,Gratiam etiam esse principium meritoriè operandi; tamen aliter,ac Charitas: hæc enim est principium referendi opus actualiter,vel virtualiter in finem vltimum, & hac ratione dicitur esse merendi principium; Gratia verò,solum dignificando subiectum;vndè, Charitas est quasi principium proximum, minus principale: Gratia verò quasi remotum, & magis principale. Id enim,quod principaliter confert ad meritu m est subiecti dignitas. Quomodo Gratia possit dici principium operandi. charitas principium proximum,Gratia remotum,& magis principale.

10 Tertium,quod supponendum est ex eodem Aegid.in responsione ad primū,est,Gratiam posse reduci ad primam speciem qualitatis,non quod ipsa sit habitus, quia habitus immediatè ordinatur ad actum, vel ad opus. Potest ergo dici Gratia habilitas quædam, seu qualitas quædam habilitans, & qualificans Animam, vt sit grata Deo. Dicitur autem, reduci ad primam qualitatis speciem, ex eo, quod sicut habitus dicitur habilitare,& qualificare potentiam; Ità Gratia habilitare dicitur, & qualificare essentiam.Sed inquit,(vt tacitę obiectioni occurrat) quod de tali qualificatione, & habilitate non potuit aliquid determinare Arist. cum non sit naturalis, sed supernaturalis,licet communiter Gratia dicatur habitus,sumpto tamen ly (*habitus*) largo modo, sicut explicatum est. Tertium suppositum ex eod. Aegid.

§. V.

11 His ergo suppositis ex D. Thoma, & Aegid.iam patet,quæ sit præcipua ratio sententiæ huius, quam etiam explicat Durand.num.4. nimirum,quod principiū essendi realiter differt à principio operandi; cumquè Gratia sit principiū essendi supernaturaliter: Charitas vero,sicuti & cętere virtutes infusæ, immediata principia operandi opera supernaturalia,sequitur manifestè, Gratiam realiter à Charitate, & reliquis virtutibus distingui: consequentia est euidens,& præmissæ patent ex dictis. Præcipua ratio sententiæ D.Thom. & Aegid. Durand.

Obiectio. 12 Quod si contra hanc rationem obijcias: sequi ex illa, in peccatore non manere Fidem, & Spem, virtutes Theologicas: Consequens est falsum, ergo, &c. patet sequela; nam principium operandi necessario supponit principium essendi illius generis, & illo destructo, destruitur, ergo si Gratia est principium essendi supernaturaliter, ea destructa, per peccatum, non manebunt Fides, & Spes, quæ sunt principia operandi illius generis.

Solutio Caietani. 13 Hoc argumento conuicti aliqui Recentiores, fatentur, rationem superius adductam, necessario inducere illud absurdum; & sic aliter probandam esse D.Thomæ sententiam. Cæterum, licet obiectio molesta videatur, & difficilis, non tamen solutione caret. Caiet. loc.cit ad primum Respondet, Fidem, & Spem, informes, non esse virtutes simpliciter, sed secundum quid, & sic concedit, quod destructa Gratia, non remanēt Spes, & Fides, in esse virtutum simpliciter. Solutio Med. Medina etiam videtur aliquid amplius addere, ad sextum, vbi dicit; quod secundum veram Theologiam, fatendū est, Fidem, & Spem, quæ permanent in homine peccatore non esse virtutes, sine gratia iustificante; licet sint habitus diuinitus infusi, quod aliquid plus est, quam id, quod asserit Caiet.

Ambo impugnantur. 14 Verum nondum videtur euacuata argumenti difficultas; nam licet verum sit id, quod Caiet. docet, fidem in peccatore non esse simpliciter virtutem, cum sua forma careat; nempe Gratia, & Charitate, qua sine, mortua fides dicitur: tamen negari non potest, quod, adhuc in eo statu, sit principium operandi supernaturaliter, actus .n. fidei supernaturales sunt, præcisè, quatenus actus fidei Diuinæ sunt; ergo si principium operandi supernaturaliter præsupponit necessariò principium essendi illius generis, fides, & spes nullo modo possunt in peccatore manere.

15 Præterquam quod, id, quod Medina asserit; nimirum, Fidem, & Spem, ablata Gratia, non esse virtutes, sed solum habitus infusos; si absolutè hoc intelligat; ita, vt velit, Fidem, & Spem, nullo modo, dici virtutes absq. Gratia; nescio, quo pacto id sustinere valeat; nam si habitus esse concedit: vel ergò virtutis, vel vitij; non dicet, esse tunc habitus vitiosos; ergò necessariò virtuosos. Adde, actus elicitos ex illis habitibus simpliciter infusis, certum est, esse bonos: nam illis satisfacit homo præceptis supernaturalibus credendi, & sperādi, ergo virtuosos; ergo procedunt ab habitibus virtuosis: Actus enim similis est habitui à quo elicitur, & eiusdem ordinis; sequitur ergò manifestè, quod adhuc destructa gratia maneant fides, & spes, non solum in ratione habituum infusorum diuinitus, sed etiam in ratione habituum virtutum supernaturalium.

16 Quare ad obiectionem Respondeo, distinguendo sequelam, non remanent fides, & spes, destructa Gratia, *in esse perfecto*, quale requiritur ad assequutionem finis; Conced. sequel. Non remanent *in esse imperfecto*, quod non sufficit ad assequutionem finis supernaturalis; Neg. sequel. & assignatur in naturalibus ipsis manifesta instātia, in quibus nunquam repetitur principium operandi perfectum, quale requiritur ad consequutionem finis, nisi præsupposito principio essendi: Nunquam enim reperitur calor, qualis requiritur ad productionem formæ ignis, nisi in subiecto, vbi præexistit talis forma; cū hoc tamen stat, quod idem calor aliquādo maneat, in esse tamen imperfecto, sine principio essendi, vt cum manet in aqua, in manu, ligno, &c. ità etiam in supernaturalibus dicendum est, nunquam reperiri principium operandi perfectum, quale est necessarium ad assequutionem finis supernaturalis, nisi vbi reperitur principium essendi illius generis; licet sine Gratia, possit reperiri, saltem in esse imperfecto, iuxtà dicta. Vera solutio.

17 Dices: ergò sequitur ex hac solutione, & exemplo adducto, quod sicut calor, qui remanet in aqua, in esse imperfecto, cum non præsupponat suum principium essendi, citò corrumpitur; Ita etiam principium operandi supernaturaliter, quod ablata Gratia, remanet in homine, in esse imperfecto, citò corrumpetur in absentia principij essendi; & sic peccator, licet per aliquod tempus habeat fidem, & spem; si tamen in peccato perseueret diù, illas amittet omninò. Obiectio.

Respondeo, negando consequētiam. Ratio est, quia calor, qui est in aqua, ligno, &c. non corrumpitur, ideo, quia non habet in eodem subiecto suum principium essendi præcisè; sed quia habet contrarium frigus, à quo superatur, & corrumpitur, quod, quia est in proprio principio, maioris actiuitatis est ipso calo- Solutio.

Calore imperfecto; At verò fides, & spes, dummodo, per contrarios actus infidelitatis, & desperationis non destruantur, semper permanet in homine, quantumuis in scelerato peccatore, in esse imperfecto tamen; quia in tali esse imperfecto non dependent, in conseruari, a principio essendi primo eiusdem generis; nempè, à Gratia; licet ab ea dependeant in conseruari in esse perfecto; sicut in esse perfecto, solum, etiam dependet calor in conseruari, ab igne, & nó in esse imperfecto.

§. VI.

Secundo probatur ex eadem sententia D. Thom. & Aegid. 18 Potest etiam alijs rationibus probari hæc sententia; quare secunda ratio sit. Distincti effectus formales distinctas causas requirunt formales; Ideo namque fidem, Spem, & Charitatem, tres Virtutes realiter distinctas asserimus, quia ab eis proficiscuntur tres effectus formales, realiter distincti; nempè *esse fideles, esse sperantes, & esse diligentes*: cum igitur, non minus inter se distinguantur, *esse dilectos à Deo, & esse diligentes Deum*; erunt inter se etiam distinctæ, Gratia, & Charitas, quæ eos in nobis efficiunt.

Tertio prob. 19 Tertia ratio sit desumpta ex Clem. Vnica de Summa Trinit. vbi dicitur; ***Paruulis infundi in Baptismo informantem Gratiam, & Virtutes***; ergo Gratia distinguitur à Virtutibus: patet consequentia, alioquin ille modus loquendi esset Improprius; nam particula, *&*, supponit distinctioné partium, quas coniungit.

quarto prob. 20 Quarta ratio sit desumpta ex superius adnotatis, & præsuppositis. Omnis Virtus operatiua disponit subiectum, prout congruit suæ naturæ; ergo omnis presupponit naturam aliquam, cui sit congruens, & proportionata; ergò sicut Virtus naturaliter acquisita præsupponit naturam, qua homo est homo; Ità Virtus supernaturalis præsupponit naturam Supernaturalem, & Diuinam participatam, cui congruat, & conueniat; ergò Charitas, quæ est Virtus supernaturalis, & infusa supponit Gratiam, quæ est natura Diuina participata, & per cósequens, re ipsa distinguitur à Gratia; Hæc omnia sunt satis nota, ex præsuppositis.

Confirm. 21 Confirmatur; nam sicut Virtus acquisita se habet ad lumen naturale rationis; Ità Virtus infusa ad lumen supernaturale: sed Virtus acquisita supponit lumen naturale, sicut quid, rè ipsa, ab ea indistinctum, ergò Virtus infusa supponit esse lumen supernaturale, realiter ab ea distinctum; sed tale lumen est Gratia, ergò Gratia, re ipsa à Virtutibus infusis distinguitur, & per consequens, etiam à Charitate.

22 Quinta ratio; etiam ex præsuppositis: Plura subiecta, realiter distincta, non possunt ab vna, & eadem realiter forma informari; sed Anima, & Voluntas sunt duo subiecta, realiter distincta: ergo forma, quæ informat animam, nequit esse eadem realiter, cum illa, quæ informat Voluntatem; sed Gratia informat animam; & illi immediatè inhæret, & Charitas subiectatur immediatè in Voluntate (vt supposuimus ex dicendis in Disputatione sequenti) ergò Gratia, & Charitas realiter distinguuntur; Hæ süt rationes, quibus nititur hæc D. Tho. & Aegid. sententia. quinto prob.

CAPVT IV.

Rationes pro tertia sententia.

§. I.

1 Tertia tandem sentētia suam etiam habet non minorem probabilitatem: asserit ergò hæc opinio, Gratiam esse collectionem omnium virtutum supernaturalium, eo prorsus modo, quo satis probabiliter dici solet à multis Doctoribus, Iustitiam originalem essentialiter consistere in collectione omnium virtutum moralium, & intellectualium. Conuenit tamen cum secunda sententia in hoc, quod asserit, Gratiam realiter distingui à Charitate, seorsim considerata, sicut etiam à quacunque alia virtute supernaturali, separatim sumpta.

2 Potest primò probari hæc sententia, quantum ad id, quod asserit; Gratiam consistere in collectione omnium virtutum supernaturalium; Quia Gratia tribuit homini esse simpliciter iustum, & bonum, bonitate supernaturali: sed hæc denominatio non potest prouenire ab vna, Prob. primo tertia sententia.

vna aliqua simplici qualitate;sed à collectione omnium virtutum infusarum; ergò, &c. mai. cum consequentia patent, minor probatur. In naturalibus, non dicitur aliquis simpliciter bonus, bonitate morali, ex eo, quod habeat aliquam peculiatem virtutem; nisi simul habeat omnes: quia bonum consurgit ex integra causa; malum verò ex singulari defectu: ergo similiter in supernaturalibus, non potest aliquis dici simpliciter bonus, nisi simul habeat collectionem omnium virtutum.

Effugium. 3 Dices, satis esse ad talem denominationem, quod Gratia sit radix, & origo

Impugnatur. omnium virtutum infusarum. Contra, quia eadem ratione, homo posset dici bonus moraliter, propter lumen naturale intellectus, & libertatem voluntatis, quæ sunt radices, vnde originãtur omnes virtutes morales; hoc autem est falsum; ergo & illud, &c.

2.probatur. 4 Secūdò probatur Gratia vocatur *nitor, & pulchritudo animæ* ex D.Augu-

Aug. stino super Psal.103.tom.8. & refertur à

D.Th. D.Tho.vbi supra, sed pulchritudo essentialiter consistit in collectione plurium rerum, & qualitatum; .s. integritate, figura proportionata, &c.vt docet D.Th.p.1. q.39.art.8.ergo Gratia essentialiter consistit in collectione principalium virtutū infusarum, quæ reddunt animam pulchrā supernatnraliter.

3.probatur. 5 Tertiò probatur, ex dilectione supernaturali secundum quid, prouenit aliquod speciale bonum supernaturale; .s. fides, & spes, (vt dictum est supra,) ergo ex dilectione simpliciter, causatur in homine collectio omnium virtutum; sed Gratia est id, quod causatur ex dilectione Diuina; ergo consistit in omnium virtutum collectione.

§. II.

Adducitur D.Th. in fauorem 3.sēt. 6 Fatentur aliqui recentiores Salmaticenses, hanc sententiam non esse alienam à sententia D.Th. (& si oppositum sit communiter receptum apud Thomistas) nam art.2.quæstionis cit.nēpè 110. indè probat, Gratiam esse qualitatē; quia Deus prouidet omnibus creaturis, deformis, per quas suos fines consequantur: vbi insinuauit, Gratiam esse formam, per quā homo disponitur ad operandum, in ordine ad finem supernaturalem. & in 2.dist.26.art.4.ad 1.dicit, Gratiam, propriè, non esse habitum; sed habitudinem quandam; sicut sanitas in corpore. & idem habet de veritate q.27.ar.2. ad 7.& q.110.1.2.ar.3.ad 2.si ergo Gratia, secundum opinionem D.Tho. habet se, sicut sanitas corporis, sequitur, non esse simplicem qualitatem.

7 Probant autem quartò dicti Doctores hanc sententiam, ex 2.Petri 1.vbi dicitur, *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ consortes naturæ.* Quod testimonium cōmuniter explicatur, de Gratia iustificante; & ex illo colligunt Theologi, effectum formalem Gratiæ esse, Deificare hominem, & facere illum participem Diuinæ naturæ (vt D.Th.art.3.cit.in corpore exponit) in illo autem testimonio, asserit d.Petr. nos fieri cōsortes Diuinæ naturæ, non per aliquam simplicem qualitatem, sed per plura dona supernaturalia, vbi dicit, *magna, & pretiosa.* 4. probatur. Exageratur locus D.Pet. D.Th.

8 Præterea difficultatem habet in eodem loco id, quod dicitur, *nos fieri, per Gratiam, participes Diuinæ naturæ*; id .n. non est proprium Gratiæ, sed cuiuscunq. perfectionis creatæ: nam quælibet talis perfectio est participatio quædam diuinæ perfectionis; ergo per quamlibet perfectionem fit homo particeps Diuinæ naturæ: non ergo hoc debuit tribui Gratiæ, tanquam proprium ipsius; ex hac tamē obiecta difficultate confirmant prædictā sententiam: dicitur .n. specialiter de Gratia; quod faciat homines consortes Diuinæ naturæ, quia per Gratiam participamus principales perfectiones, ex his, quæ in Deo formaliter existunt, & maximè congruunt eius naturæ; quod nō fit per aliquam aliam perfectionē creatam: participamus .n. per Gratiam omnia attributa, quæ in Deo se habent per modum virtutis, .s. Charitatem, Prudentiam, Iustitiam, Misericordiam, &c. nam hæc omnia comprehenduntur nomine Gratiæ: proprium ergo Gratiæ est, facere homines participes Diuinæ naturæ.

§. III.

9 Id autem, quod secundo loco dicit hæc sententia; nimirum, Gratiam realiter distingui à qualibet virtute supernaturali, per se sumpta, & separatim: Ex eo probatur, quoniam quodlibet totum compositum ex principalibus partibus, realiter inter se distinctis, distinguitur, etiam à qualibet illarum; sed Gratia, vt dictū est, est quoddam totum, con- Probatur 2.p.huius sētentię.s Gratiā distingui realiter à charitate, seorsim sūpta

constans ex collectione virtutum infusarum, quæ inter se realiter distinguuntur; ergo Gratia distinguitur à qualibet virtute per se sumpta, realiter. Totus hic syllogismus, supposita minori, euidens est; si supponatur etiam doctrina de toto, & partibus, cōmunissima inter Thomistas, quam nos 1. Phis. examinauimus, &c.

Probatur 3. quod dicitur Gratiā non esse quid realiter distinctum ab omnibus virtutibus simul sumptis.

10 Ex qua etiam doctrina sequitur tertium, quod dicit hæc sententia; nempè, Gratiam non esse aliquid realiter distinctum ab omnibus, virtutibus infusis, collectiuè sumptis; nam totum non distinguitur realiter ab omnibus partibus simul sumptis, & vnitis: siquidē, nil aliud realiter includit, præter illas, sic vnitas, medio modo vnionis; sed Gratia, respectu virtutum, se habet, vt quoddā totum integrale; ergo non differt realiter ab illis, &c.

Conf.

11 Confirmāt superiorem rationem: ex eo, quod dicitur Gratia rectificare animam, in ordine ad finem supernaturalem; ex quo, sic arguunt. Animæ deordinatio fit solum per deordinationem potentiarum; ita, vt, impossibile sit, intelligere animam deordinatam, & auersam à Deo, absq. deordinatione potētiarum; vel è contra, intelligere animam rectam, potentijs existentibus deordinatis; sicut non potest intelligi homo sanus, cum distemperantia humorum; vel è contra; ergo per hoc solum, quod virtutes infusæ ponantur in potentijs, ordinando, & rectificando eas, in ordine ad finem supernaturalem, intelligitur anima recta, & benè ordinata; ergo superfluum est, ponere in anima aliquam qualitatē distinctam, quæ ipsam rectificet.

§. IV.

Quod sola ratione Gratia distinguatur ab omnibus virtutibus collectiuè sumptis.

12 Dicunt tamen, Gratiam distingui, saltem ratione, ab omnibus virtutibus infusis, collectiuè sumptis; cum totum sic distinguatur à suis partibus (vt 1. Phis. dicitur.) Et præterea idem probāt; quia Gratia respicit Deum, in ratione diligentis, & acceptantis; & est, quasi forma absoluta; & propriè loquendo, non est habitus, sed habitudo quædam, & dispositio animæ: at virtutes essentialiter sunt habitus operatiui; & vt sic, disponūt subiectum ad operandum; ergo necesse est, esse aliquam distinctionē inter Gratiam; & omnes virtutes; quod maioris confirmationis causa, explicant hoc exēplo; sicut calor, & frigus, quatenus dant animali, esse frigidum, & calidum, sunt quędam eius dispositiones, quibus disponitur benè, vel malè, cum ordine ad propriam naturam: quatenus verò tribuunt potentiam ad calefaciendum, & frigefaciendum, pertinent ad aliam speciem qualitatis, & distinguuntur ratione à se ipsis, priori modo sumptis: sic etiam virtutes supernaturales, quatenus tribuunt subiecto esse Diuinum; & reddunt animā pulchram, & rectam, rectitudine supernaturali, habent se, tanquam dispositiones, & vt sic, dicuntur Gratia, quatenus verò tribuunt potentiam ad operandum supernaturaliter, dicuntur habitus, vel virtutes.

§. V.

13 Colligūt primò, verè dici Gratiam esse formam virtutum; quod dupliciter potest explicari: primò, quia Gratia dat virtutibus, operari meritoriè: nam actus virtutum sunt meritorij apud Deum, ex eo, quod procedunt à subiecto iusto, & grato. Secundò quia, cum Gratia se habeat, respectu virtutum, vt quoddā totum; communiter se habet, vt forma, nam totum, ex Arist. 7. met. tex. 35. comparatur ad partes, ex quibus cōparatur, tanquam forma ad suam materiam. *1. corollariū pro hac tertia sententia.* *Arist.*

14 Secundò tandem colligunt, optimè posse saluari, in hac sententia, Gratiā esse qualitatem, licet dicatur esse collectio omnium virtutum; nam, sicut sanitas corporalis nō est aliqua simplex qualitas, sed consistit in collectione humorum, habentium proportionem inter se, & tamen sanitas pertinet ad qualitatem, & ad primam eius speciem, (vt docet D. Th. p. 2. q. 49. ar. 2. in corpore, & ad 1.) & idem dicitur de pulchritudine; ita potest, à simili, dici de Gratia, in hac tertia sententia. *2. corollariū.*

CAPVT V.

Soluuntur aliqua obiectiones contra hanc sententiam.

§. I.

1 Extant tamen aliqua argumēta, quæ videntur hanc tertiā sententiam oppugnare. Primum est, quia ex ea sequeretur, Christum Dominum non habuisse *1. arg. contra hanc 3. sententiam.*

Gra-

Gratiam habitualem: Consequens est plusquam falsum; vt probari solet 3. par. q. 7. ergò, & antecedens. Probatur sequela, quoniam in Christo non fuit fides, neque spes, vt cit. loc. docent communiter Doctores; ergò in illo non fuit collectio omnium virtutum infusarum; sed Gratia est talis collectio, ex superiori sententia, ergò in Christo non fuit Gratia: & idem argumentum fit de omnibus Beatis in Patria.

Secundum argumentum. 2 Secundo sequeretur, quod non esset eiusdem speciei Gratia in hominibus, & Angelis; sed hoc dici non potest, ergo nec id, ex quo sequitur. Probatur sequela, nam in Angelis non est collectio tot virtutum, quot in hominibus; nam in illis non sunt virtutes pertinentes ad reprimendum passiones appetitus sensitiui: Essentiæ autem rerum consistunt in indiuisibili; ita vt, addita, vel detracta etiam minima re, pertinente ad ipsam essentiam, mutetur essentia; ergo non est eadem essentia Gratiæ in Angelis, & in hominibus, cùm non sit vtrobique eadem collectio tot virtutum. Minor autem probatur, nam Gloria est eiusdem speciei in omnibus, ergo & Gratia, nam gratia, est inchoatio gloriæ, & gloria dicitur gratia consumata, &c.

Tertium argumentum. 3 Tertio, quia iuxta hanc opinionem, non potest intelligi, quāta sit intēsio Gratiæ, & quomodo, aut quando augeatur; quod probo, nam fieri potest, quod ex virtutibus infusis, quædam sint magis intensæ, quædam minus. Si enim peccator, ante iustificationem habeat fidem, vt decem, & conuertatur per contritionem, vt quatuor, iuxta mensuram præsentis, reliquæ virtutes erunt intensæ, vt quatuor; Fides autem, vt decem. Præterea, iustus potest se exercere in actibus alicuius virtutis in particulari; & tunc augebitur illa virtus: aliæ verò non; In his ergò casibus, inquito: An intensio Gratiæ debeat correspondere virtutibus magis intensis, aut minus intensis? & cùm non sit maior ratio de his, quàm de alijs; sequitur, non posse cognosci intensionem Gratiæ, & ex consequēti, neq. intensionem gloriæ, quia gloria respondet gratiæ: hæc autem sunt absurda, ergo.

Quartum argumentum. 4 Quarto sequitur, quod pro aliquo instanti, homo intelligatur habere Charitatem, & non Gratiam. Consequens est falsum, ergo, &c. Probatur sequel. iuxtā hanc sententiam: homo non intelligitur habere gratiam, quousque habeat collectionem omnium virtutum. Sed charitas intelligitur esse in subiecto priusquam aliæ virtutes, ergo in illo priori intelligitur homo habens charitatem, & non gratiam. Probatur minor, tum quia Gratia est forma omniū virtutū, & ex consequenti, prius natura intelligitur esse, quàm aliæ virtutes; tum etiam, quia saltem charitas est prior virtute Pœnitētiæ. Siquidèm præsupponitur illi ex parte obiecti; nam Pœnitentia est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum.

5 Vltimò tandem: sequererur, Gratiam esse ens per accidēs, quia nil aliud esset, quàm aggregatio quædam partiū, nullum ordinem habentium inter se, sicut aceruus lapidum: hoc autem non est dicendum, ergo, &c. Quintum argumentum.

§. II.

6 AD primum tamen horum Respondetur, Gratiam esse collectionem omnium virtutum infusarum, quæ per se pertinent ad præstādum homini rectitudinem supernaturalem; abstrahendo ab hoc, vel isto statu; sed in quocunq. sint, illæ virtutes, quæ per se concurrunt ad hanc rectitudinem, præcisè, comprehenduntur in esse Gratiæ, quia ergo Christus habebat statum cōprehensoris, cum quo non se compatiuntur Fides, & Spes: immò neque in illo fuit virtus Pœnitentiæ, ad Gratiam illius status nullo modo pertinebant prę dictæ virtutes: & id. m dicitur de Beatis, & Angelis, in quibus nō possunt esse virtutes pertinentes ad appetitum sensitiuum; tamen sine illis, sunt verè, & simpliciter iusti. Ad primum Resp.

7 Ad secundum verò argumētum, quod est tāquam replica prædicti, quantum attinet ad Angelos, non esset inconueniens cōcedere, illorum Gratiam esse quidem eiusdem generis cum nostra, sed diuersæ speciei. De Christo verò, & Beatis, id nullo modo est dicendum; sed stando in sententia, quod sint eiusdem speciei; cum arguitur: *Gratiam hominis in hoc statu, aliquid in sua essentia includere, quod non includit Gratia Beatorum; igitur sunt diuersæ speciei.* Resp. negando consequentiam, transeat antecedēs; nam id, quod includitur in nostra gratia non diuersificat ipsam in ratione Ad secundum.

Gra-

Gratiæ formaliter, sed materialiter, ex parte subiecti, & status. Sit exemplum; pulchritudo viri, & mulieris, sũt eiusdem speciei; & ad pulchritudinem requiritur integritas partium: & tamen, plures partes sũt necessariæ ad pulchritudinem viri, quibus deficientibus, desineret esse pulcher; quæ non sunt necessariæ ad pulchritudinem mulieris; sed tamen, quia istæ partes tenent se ex parte subiecti, & sexus; ideo non diuersificant rationem formalem pulchritudinis: sic ergò in proposito. Et ferè idem potest dici ad obiectionem de Gratia Angelorum.

Ad 3. 8 Ad tertium Respondetur, quod omnes virtutes morales per se infusæ habent semper æqualitatem intensionis; siuè meritoriè augeantur, siuè dispositiuè; vndè, per quemcunque actum cuiuslibet illarum, omnes augentur propter earum indissolubilem connexionem; sicut .n., posito tantum actu charitatis, vel contritionis, omnes simul infunduntur; neq. est necessarium, ponere actum aliarum virtutum: ita omnes, per quemcunq. actum, augentur, vt latè dicitur 2.2.q.24.art.6. Quantum ergo ad hanc partem, non admittitur casus; .s. quod si quis exerceatur in actibus alicuius virtutis particularis, habeat illam magis intẽsam, quàm alias: de Fide autem, & Spe, negari non potest, vt benè probat argumentum. Dico ergo, quod intensio Gratiæ tanta erit, quanta fuerit intensio illarum virtutum moralium, non quanta fuerit intensio Fidei, & Spei: cuius ratio est: quoniam ab illis denominatur homo iustus simpliciter; & ab his, non: sed habent se, tanquam dispositiones prærequisitæ ad veram iustitiam; vnde fit, quod aliquando possunt manere sine illa, vt dictum est supra.

Ad 4. 9 Ad quartum respondetur; quod, prioritate rationis, prius intelligimus charitatem in subiecto, quàm Gratiam; sicut in alijs rebus, prius intelligimus partes, quàm totum; etiam vnitas: inde tamen nullum sequitur inconueniens; quia ista non est prioritas *in quo*: vndè, in nullo instanti, potest esse charitas in subiecto, sinè Gratia: immò neq. in illo instãti rationis intelligitur subiectum non habere Gratiam; sed abstrahitur abstractione precisiua, .i. neque intelligitur habere Gratiam; neq. non habere. Quod si quæras; an pro illo instanti intelligatur iam expulsum peccatum? Respõdetur eodem modo; .s. quod neq. intelligitur expulsũ; neque existens in subiecto; sed abstrahit ab vtroque. Nil.n. ,in eo instanti, cogitatur de hoc.

10 Ad quintum respondetur; illud argumẽtum esse commune, & fieri de multis alijs rebus, de quibus constat, esse entia per se: vt de iustitia originali, quæ, in satis probabili sententia, & magis communi, consistit in collectione omnium virtutum moralium, &c. vt dictum est supra; etiam fieri de pulchritudine, de numeris, &c. dicitur ergo, quod partes Gratiæ ordinantur inter se, ad tribuendum subiecto, *Esse*, simpliciter sumptum; vndè, ex illis, vt sic, resultat vnica tantum denominatio; & ex consequenti, vna forma, habens aliquam vnitatem sufficientem, vt ponatur in prædicamento. Ad 5.

CAPVT VI.

Approbatur secunda sententia D.Tho. & Aegidij, & soluuntur argumenta prima.

§. I.

1 EX dictis vsq. adeo, satis constat hãc sententiam esse valdè probabilem, & efficacibus niti fundamentis, & rationibus, sicut & reliquas; cęterum censeo, secundam sententiam D.Thom. & Aegid. esse reliquis probabiliorem, quæ optimè probata, & confirmata manet rationibus, & fundamentis, pro illa adductis. Quare solum restat, argumenta soluere, quæ contra eam militare videntur. Eligitur, vt probabilior 2. sententia D.Thom. & Aegid.

2 Et primò ad argumenta pro sententia Scoti adducta, Respõdendum est. notando prius, quod ea, quæ ex Rada supponuntur, ad probandam dictam sententiam, sunt omninò falsa, in sententia D.Th. & Aegid. duo, præsertim, ex Scoto supponebat Rada. Primum erat, *eandem formam, quæ actionis, & operationis est principium, duo munera subire; alterum, dare esse agenti; alterum verò, actionis sibi congruentis esse principium; & sic, non requiri, quod ab alia forma constituatur agens in esse, & ab alia habeat operari*; pro quo afferebatur exemplum illud de calore; qui & dicitur constituere ignem in esse calidi; & esse calefactionis principiũ. Destruuntur supposita Scoti ex Rada.

 Hoc,

Hoc, inquam, falsum esse, constat ex his, quæ adduximus ex Aegid. supra, vbi etiã respondebamus ad exemplum caloris, assignantes disparitatem.

3 Secundum, quod supponebat Rada ex Scoto, illud erat, *non solum formas accidentales esse simul, & semel principia essendi, & operandi; sed etiam ipsam substantialem formam, eodem modo, esse principium essẽdi, & immediatum principium operandi.* Assignabatquè exemplum, de igne, dicens; ignem, per calorem, disponente lignum vsq; ad instãs productionis formę ignis; in quo instanti, non amplius ignem agere per calorem, sed immediatè, per suam formam substantialem. Vbi tangitur per pulchra difficultas, quæ agitari solet 2. Phis. videlicèt; vtrum accidentia effectiuè attingãt productionem substantiæ; quam etiam quæstionem nos ibi disp. de causis sect. 6. disputauimus; Ast quia, ad ostendendam falsitatem huius secundi præsuppositi Scotistici, videtur maxime necessaria, placet breuiter, quid cum D. Th. sentiendum sit, contra Scotum, aperire, iuxta ea, quæ docui loc. cit. 2. Phis.

§. II.

Breuiter discutitur, An accidẽtia effectiuè attingant productionem substantiæ. Not. 1. duplex agens, quod, & quo.

4 ADnotabam ibi primo loco, duplex esse agens, *Quod*, & *Quo*: agens *Quod* illud est, quod, media sua virtute, exercet operationem; hoc autem tantum conuenit naturis completis; aliqui volunt, conuenire suppositis; vnde dicitur communiter, *actiones esse suppositorum*; sed quid sentiendum de hoc, dicam alibi: agens verò, *Quo* est ratio operandi; .i. principium, per quod operatur efficiẽs *Quod*. Sit exemplũ in igne: ignis est principium *Quod* calefactionis; virtus autem calefactiua est principium *Quo*; In præsenti tantum difficultas versatur, an formæ accidentales sint principia *Quibus* effectiua productionis formæ substantialis; ita vt, immediatè attingãt ipsam substantiam; nam certum est, non esse principia *Quo*: & sic, consequenter, substantiam, mediantibus ipsis accidentibus, attingere suum effectum.

Not 2.

5 Adde secundo, quod possumus, de duplici genere accidentium, in hac difficultate loqui; & de his, quæ sunt in agente, & de his, quæ sunt in passo. Ignis, producturus ignem in ligno, producit prius in eo calorem, mediante calore existente in ipsomet igne. Calor existens in igne, dicitur accidens, quod est in agente: calor productus in ligno, dicitur accidens, quod est in passo, de vtroque, ergo generè accidentium potest esse difficultas.

§. III.

Sententia Scoti. Rad. Dur. Valles.

6 IN qua Scot. in 4. dist. 12. q. 3. & cum eo omnes Scotistæ; & præsertim Rada, Durand. etiam in 1. dist. 2. q. 2. Valles. controu. 14. & alij quamplures affirmant, formam accidentalem, nullo pacto, effectiuè posse attingere productionem substantiæ; siuè, vt instrumentum; siuè, vt causam principalem; sed substantiam immediatè produci à substantia; & accidens ab accidenti.

Sententia D. Th. & Aegid. Caiet. Ferra. Capr. Henr. Suar. Conim. Tolet.

7 Cęterum melius D. Tho. 3. p. q. 77. ar. 3. Caiet. ibidem. Ferra. 4. con. gen. c. 66. Capreol. in 1. dist. 3. q. 3. ar. 2. Henr. quodl. 14. q. 1. Suar. Conimbr. Tolet. & alij, quibus adde Aegid. in 2. dist. 26. q. 1. art. 3. § *Quarta via*, &c. quos citauimus vbi supra, docent. Accidentia; tàm, quæ sunt in agente; quàm, quæ sunt in passo, efficienter attingere productionem substantię; non, vt causas principales, seù vt principia *quæ*; sed vt principia *quibus*, & causas instrumentales; ita vt, substantia, non immediatè, sed mediantibus ipsis accidentibus, & remotè, suum substantialem effectum, vt principium *quod* mediatum, & remotum, attingat. *Quod* sic explico: ignis introducturus formam ignis in lignum, producit prius dispositiones accidentales in ligno; quas dispositiones, diximus, vocari accidentia, quæ sunt in passo; & hæc immediatè attingunt productionem substantiæ ignis; ipse verò calor, seu vis calefactiua; quæ est in ipso igne, dicitur mediatè attingere productionem ipsius formæ substantialis: .i. medijs illis dispositionibus, quæ sunt in ipso ligno. Hæ dispositiones dicuntur instrumenta separata ab ipso principali agente; calor verò ignis dicitur instrumẽtum coniunctum cum principali agente: ipse tandem ignis dicitur, remotè; nempè, mediante calore existente in ipso, & mediatibus dispositionibus in ligno productis, attingere productionem formæ substantialis ignis in ligno.

§. IV.

Obiectio.

8 DIces: ex hoc sequi, Accidentia principaliter producere substantiam, hoc est absurdum; ergo illud, ex

quo

quo sequitur. Patet sequela: nam qui principaliter producit vltimam dispositionem ad formam, dicitur producere ipsam formam; sed accidens principaliter producit vltimam dispositionem ad formam substantialem: ergo principaliter dicitur producere ipsam formam substantialem. Probatur minor; nam calor, vt octauo, dicitur esse vltima dispositio ad formam substantialem Ignis; sed in esse caloris, vt octo, est accidens, & principaliter ab accidenti producitur, ergo, &c.

Solutio. Respondetur, instrumentum aliquod posse habere duplicem actionem: Alteram, Vniuocam: Alteram, Aequiuocam; licet actione Vniuoca, concedamus, posse producere effectum sibi simile, proportionatum, tanquam causam principalem; actione tamen æquiuoca attingit effectum, non proportionatum vniuocè sibi, sed alteri principio, cuius esse dicitur instrumentum; sit exemplum in Serra, licet concedamus, Serram tanquam causam principalem, & vniuoca actione, attingere effectum sibi proportionatum; scilicet, scissionem tabulæ, vt sic; tamen, artificiosam scissionem, quæ est effectus artis, non attingit, actione vniuoca, & principaliter; sed æquiuoca, & instrumentaliter; ita ad propositum; Calorem vt octo, qui est in Igne, licet dicamus, principaliter attingere alium calorem, etiam vt octo, qui est productus in passo, tanquam vltima dispositio ad formam substantialem Ignis, quia est sibi proportionatus effectus; tamen hæc eadem actio, qua principaliter producit calorem vt octo, & dicitur vniuoca, respectu istius; respectu formæ substantialis, est æquiuoca, & instrumentalis; quia hic calor non habet proportionem cum huiusmodi effectu, cum sit longè imperfectior illo.

§. V.

Prob. primo sententia D. Thom. & Aegid. Arist. 9 Potest ergo probari D.Thom. sententia, Primo, authoritate Aristot. 2. de Anima c. 4. vbi ait, *Calorem esse instrumentum Animæ, ad producendam carnem*. & ratio etiam videtur manifesta: Agens enim principale non operatur ad modum causæ formalis, & materialis, idest immediatè, & sine aliqua actione intermedia; sed mediante actione, & virtute effectiua, qua constituitur in actu primo ad operandum; sed tam Actio, quàm Virtus illa sunt Accidentia; ergo mediantibus accidentibus, tanquam instrumentis, attingit effectum. Adde secundo, nam calor Solis producit, in virtute ipsius Solis, ex putrefactione terræ, multa Animalia; & in visceribus terræ Metalla, &c. ergo &c. De Accidentibus existentibus in passo, facilius hoc idem patet; nam certum est, illas dispositiones aliquid operari ad introductionem formæ substantialis; siquidem absq. illis, naturaliter non introduceretur; saltem præparant Materiam, expellendo priorem formam. Secundo.

10 Adde, quod si Vino consecrato misceatur gutta aquæ, Accidentia ipsa Vini consecrati conuertent illam aquæ guttam in vinum, immediatè, (vt in proprio de hac re Quodlib. dicam.) ergo, &c. Tertio.

11. Sed petes: in tali casu, videri accidentia producere substantiam, vt agentia principalia, & propria virtute, cum nulla ibi appareat substantia, in cuius virtute operentur; sicut etiam, ferrum candens, non habens Ignem, cum illum producit in stuppa, quodnam est principale agens illius productionis ignis in stuppa? Petitio.

Responsio. Respondetur primò, de ferro cadenti, dupliciter. Primò, quod etiam si in partibus solidioribus ferri, sit tantum accidens caloris; tamen in partibus porosis est verus ignis, in cuius virtute comburitur stuppa. Secundo, quod ferrum cadens, licet in se non habeat actu ignem, habet tamen illum virtualiter, idest, remansit in eo ipsius ignis virtus, qui proximè, & paulo ante aderat ipsi; & sic, in illa virtute, ignem in stuppa producit. De gutta vero aquæ, Calici consecratò adiuncta. Respondeo cum Suar. disp. 18. sect. 2. concl. 4. conuerti in substantiam Vini à Deo principaliter: tamen mediantibus accidentibus illis: tunc enim supplet Deus vices causę principalis vniuocæ. sed de hoc alibi agendum est. Nota, quomodo ferrū candens stuppam comburat. Suar.

12 Nec obstat contra dicta, quod Agens, vel debet esse perfectius, vel saltem æquè perfectum, cum effectu productò; & quod effectus debet assimilari efficienti; nam hæc vera sunt, de causa principali, & vniuoca, non autem de instrumentali, & ęquiuoca. Obiectio.

13 Ex dictis sequitur, substantiam posse dici attingere suum effectum, per suam virtutem, & non aliter. Accidentia verò, saltem quæ sunt in passo, immediatè Solutio.

tè,& immediatione virtutis,& suppositi: De immediatione suppositi,patet:Ipsa namque passum contingunt. De immediatione autem virtutis,sic explico: Nã Accidentia eadem propria virtute, qua dicuntur accidentalem effectum vniuocè attingere, quo vltimatè disponitur subiectum ad formam substantialem; dicuntur etiam æquiuocè ipsam substantialem formam attingere (vt supra diximus.) Virtus tamen substantiæ dicitur vniuoca; & sic Accidentia possunt dici attingere effectum substantialem,& virtute propria, & virtute causæ principalis; licet diuerso modo,nimirũ; virtute propria, æquiuocè: Virtute autem principalis agentis,vniuocè. Bene verum est, quod virtus accidentis potest dici subordinata Agenti principali; non enim operatur accidẽs, nisi motum ab eo;& hoc est, operari accidens in virtute substantię;dependere,scilicet,à motione illius. Nec indè sequitur, se habere Accidens,vt causam principalem: cum eius virtus æquiuocè se habeat, respectu effectus substantialis: Nec est aliquod inconueniẽs,circa eundem effectum ordinari duplicem actionem, duplicemq; virtutem, cum non sint eisdem generis æquiuocè, vel vniuocè,sed diuersi;immò aliquo modo subordinata.vt dixi.

Hæc doctrina ruit supposi-tum secundũ Scotisticum.

14 His,tota Scotistici fundamenti vis ruit omninò, eius præsertim, quod secundo loco, tanquam certum, supponebat Rada ad probandum,idem omninò esse, adhuc in naturalibus, principiũ essendi, & principium immediatum operandi. Quare nos non negamus, principium substantiale, etiam concurrere ad operationem, saltem remotè, sed dicimus illud non esse,præcisè, & immediatè,operandi principium; sed vtique operari,mediãtibus tamen principijs immediatis, quibus agens constituitur in actu primo ad operãdum; præcipuam tamen principij substantialis rationem,& absolutam,sitam esse in hoc, quod est, dare esse substantiale subiecto; cum præcisa ratio principij operandi sita sit in constituendo substantiam in actu primo, in ordine ad operationem.

§. VI.

Ad 1. argum. sententię Scoti Resp.& demõstrantur, non cõuenire Gratiæ effectus formalis Charitatis.

15 Facilis est omnium huius sententiæ argumentorum solutio; & ad primum Respondeo, quod effectus Gratiæ tribuuntur Charitati,propter connexionem, saltem de lege,indissolubilem, quã habent inter se.In particulari vero Resp. negando,quod effectus formales Gratię iidem formaliter conueniant Charitati; nam Gratia delet maculam peccati,formaliter,quod nõ præstat Charitas; nam macula peccati,& priuatio pulchritudinis Animæ,vel est in essentia animæ,iuxtà D.Thomæ sententiam; vel est in omnibus potentijs: & sic nullo modo, formaliter, potest deleri per Charitatem existentem in voluntate solum.

16 Præterea, Charitas non reddit hominem formaliter iustũ. Et ad verba Concilij Respondeo, Intentum illorum esse, ostendere, à quo illa Gratia, & Iustitia, qua homo est formaliter iustus, infundatur, & quando id fiat? Infunditur.n.inquit, à Spiritu Sancto,tunc,cum Charitas diffunditur,&c. & quod non sit alia Concilij mens, colligitur ex eadem sess. can. 11. vbi Gratiam à Charitate distinguit.

17 Alij verò effectus qui sunt, *Esse gratum, & acceptum ad vitam æternam*; si tantum dicant denominationem extrinsecam,scilicet *Esse gratum obiectiuè*, per modum habitus, neg. quod etiam conueniant Charitati. Nam diligendo Deum, quod fit per charitatem, non efficimur formaliter digni, vt ab ipso diligamur. Sed vel dispositiuè,vel concomitanter:Id autem,quod dicitur de amicitia,nil obstat:nam Charitas non est amicitia Dei ad homines;sed amor hominis erga Deum, qua .s. homo Deum amat; nil aliud enim præcise præstat Charitas, quatenus à Gratia distinguitur. Amicitia autem consistit in mutuo affectu, vt dicam infra, quod prouenit à Gratia, vnà cum Charitate: Gratia enim est id, ratione cuius fit, vt homo à Deo ametur.

18 Ex quo etiam patet ad id, quod dicitur de acceptatione ad vitam æternam; nam amicus non acceptatur ad bona Amici, formaliter,quia diligit;sed quia simul diligitur, & est dignus amore eius,obiectũq; dilectionis illius. Cumq; hoc fiat,præcipuè,per gratiam,sequitur, quod non sit effectus formalis Charitatis. Et ne singula prosequamur, idem proportionaliter potest dici de alijs effectibus in argumentis adductis.

Eodem

§. VII.

Ad conf. 19 Eodem modo respondendum est ad confirmationem, ex patribus desumptam; nimirum, ideo eos tribuere Charitati effectus Gratiæ, quia sunt ita connexæ, vt saltem de lege, vna sine alia esse non possit.

Ad 2. 20 Ad secundum, quod in illo casu, quo solam Charitatem in subiecto aliquo conciperemus, omni alio habitu ablato (eo modo, quo id fieri posset) non maneret homo amicus Deo, formaliter; nam tunc diceretur solum amãs Deum: Charitas namq; nil aliud præcisè præstat, ex se, quàm reddere subiectum potens in actu primo, diligere Deum: Amicitia autem consistit in hoc, quod Franciscus amet Petrũ, & etiam, quod eodem modo ametur à Petro: Cumq. id non præstet Charitas .s. quod is, qui illam habet, ametur à Deo, (quod sola Gratia efficitur,) fit, quod in casu posito habens solam Charitatem, non dicatur formaliter amicus Deo, nec gratus formaliter illi.

Ad 3. 21 Ad tertium Respondeo, quod stando in sententia D. Thomæ, de potentia absoluta, & Charitas à Gratia, & Gratia à Charitate possunt separari; negatur autem inde aliquod absurdum oriri. Ad cuius probationem dico, quod in eo casu, quo separetur Charitas a Gratia, & homo cum sola habituali Gratia esset, vtique saluaretur absolutè: nam Gratia, se sola, ex natura rei, pugnat cũ omni peccati macula, illudq; perfectissimè expellit à subiecto.

Obiectio. 22 Et si dicas, Gratiam dicere affectũ amoris, ex parte Dei, non ex parte hominis; & sic, sicuti, habens charitatem, non dicitur formaliter amicus Dei, quia amicitia consistere debet in mutuo affectu; & charitas solum dicit affectũ hominis, habentis illam erga Deum, dilectum ab ipso, mediante ea; non autem amorem Dei erga habentem charitatem; ita à pari, habens solummodo Gratiam, sine charitate, nõ posset dici formaliter amicus Deo; cum non adsit mutuus affectus; sed tãtum, ex parte Dei, qui comparatur cum habente Gratiam, præcisè, per modum diligentis, non per modum dilecti.

Solutio. Ad hoc possumus Respondere, verum esse, in eo casu, habentem Gratiam non esse formaliter perfectè amicum Dei; sumpta amicitia in rigore; quatenus dicit mutuum affectum; vt probat argumentũ. Ceterum, obiectiuè, proculdubio amicus esset Dei, .i. dilectus, & amatus à Deo; & hoc sufficeret, vt esset acceptus ad bona supernaturalia amici; nam amans idem est, ac Bonum volens ei, quem amat; etiã si non sit redamatus. non est idem, de habente charitatem, præcisè, absq. Gratia; quia tunc, licet diceretur diligere Deum; nõ tamen esset dilectus, & amatus à Deo eo amore, qui requiritur ad amicitiam; & sic, non posset dici acceptus ad bona supernaturalia, & ad gloriam; cum non haberet Deum diligentem, sed solum dilectum.

23 Ad quartum Respondetur absolutè: Gratiam esse perfectiorem charitate; nam Gratia comparatur ad charitatem, & ad reliquas virtutes, sicut Essentia ad potentias: constat autem, Essentiam esse perfectiorem potentijs. Et ad testimonia D. Pauli, Augustini, & Bernar. Respõdeo, ibi non fieri comparationem inter charitatem, & Gratiam; sed inter charitatem, & alias virtutes Theologicas, quibus est multò perfectior charitas. Ad 4.

24 Ad quintũm Respondeo, iuxta dicta, Gratiam non esse propriè habitum, sed habilitatem quandam, quæ potest, aliquo modo, dici habitus, in lata quadam acceptione; & sic, reduci ad hanc qualitatis speciem; ex quo non est necesse asserere, esse virtutem; nam licet, secũdum rem, sit entitas quædam accidentaria: tamen, secundum modum, se habet, vt substãtia quædam, (vt diximus supra,) & sic, ordinatur solum ad dandum esse, præcisè, & absolutè loquendo: secundariò autem, & remotè, potest dici etiam, concurrere ad operationem ipsam, mediis virtutibus: de ratione verò virtutis est, immediatè operationem respicere; & sic, non potest propriè dici virtus, Gratia. Ad 5.

25 Ad sextum Respondeo, ideo necessario distinguendam esse realiter Gratiam à charitate, quia Gratia est principium immediatum essendi supernaturaliter; & charitas immediatum principiũ operandi; Gratia perficit Essentiam animæ; charitas vero perficit voluntatem, constituendo ipsam, in actu primo, in ordine ad operationem: præterquã quod, vt vidimus, multi sunt effectus formales, qui Gratiæ tribuuntur, & nequeunt charitati conuenire. Ad 6.

26 Ad septimum iam patet, quam efficax sit fundamentum, cui nostra adhæret sententia: probauimus .n. manifestè, Ad 7.

sem-

semper principium essendi differre realiter à principio operãdi;& ad exemplum de calore,iam responsum est supra.Quãdo autem dicitur, *sicuti se habent virtutes morales ad esse morale; ita virtutes supernaturales ad esse supernaturale*: transeat hæc maior. negatur verò minor,quæ asserit; *per virtutes morales constitui hominem in esse morali*:si intelligatur per ly *esse morale*, esse primum huius generis; nam in hoc esse constituitur sufficienter per rationem naturalem; idest, per *esse rationale*; ad quod esse,tamquam ad primum esse moris,ordinantur virtutes morales, quæ solum dicuntur esse principia immediata operandi,conformiter rationi rectæ: & sic, pari ratione, per virtutes supernaturales,cõstituitur homo in actu primo,in ordine ad operandum opera consona illi esse supernaturali, in quo constituitur per Gratiam.

Ad conf. 27 Ad cõfirmationem autem desumptam ex authoritate D.Tho.Respondeo D.Tho.in illis verbis satis clarè docere, quod nos supra docuimus. Hæc.n.sunt verba Angelici Doctoris d.art.2. q.111. *si verò accipiatur Gratia, pro habituali dono; sic est duplex Gratia effectus; sicut & cuiuslibet alterius formæ; quorum primus est,esse,secundus est,operatio; sicut caloris, operatio,est facere calidum, & exterior calefactio: sic igitur habitualis Gratia,in quantum animam sanat,vel iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur Gratia operans: in quantum verò est principium operis meritorij, dicitur cooperans*; hæc D.Tho.in fine corporis; vbi,licet asserat, cuiuslibet formæ duplicem esse effectũ; alterum,dare esse;alterum,esse operationis principium; sic etiã & Gratiæ; noluit comparationem omnimodè valere; sed tantum ad propositum,de quo ibi disputabat; *an .s. Gratia conuenienter diuidatur per operantem, & cooperantem*: vbi, *operantem*,vocat Gratiam, quatenus dat esse,&c.& sic,respectu suorum effectuum formalium,quos subiecto confert:*cooperantem*, verò,quatenus concurrit ad meritum,valorem,& dignitatem operis;iuxta ea, quæ supra, explicantes hanc sentẽtiam;tradidimus *§.4.num.9.* vbi dicebamus,Gratiam etiam posse dici principiũ meritoriè operandi; diuerso tamen modo,ac charitas: hæc.n.dicitur esse principium referendi opus actualiter, vel virtualiter in finem vltimum;& hac ratione, charitas est principium merendi: Gratia autem,solum dignificando subiectum;& sic,charitas est principium proximum,& minus principale: Gratia,quasi remotũ, & magis præcipuum; id namquè, quod principaliter confert ad meritum, est ipsa subiecti dignitas;& hoc tantum voluit D.Th.in illis verbis;quod habet peculiare ipsa Gratia, cũ tribuat subiecto quoddam esse; quod licet,re ipsa,(vt diximus) accidentale sit; habet se nihilominus ad modum esse substantialis; nec negamus, quamlibet accidentariam formam tribuere etiam suo subiecto aliquod esse formaliter; sed hoc esse non est esse simpliciter,sed secundum quid, Gratia autem dat esse simpliciter.

CAPVT VII.

Reijcitur tertia sententia eiusquè rationibus Respondetur.

§. I.

1 Circa tertiam, & vltimam sententiam, nonnulla essent examinanda, quibus facile postea confutari posset,ex ea parte, qua asserit,Gratiam non distingui realiter ab omnibus virtutibus infusis, simul sumptis in vnum; & sic,non esse vnã simplicem qualitatem,sed aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus; illud tamen sufficiat solum, quod colligimus ex his, quæ supra statuimus; & supposuimus pro nostra sentẽtia, nimirum,quod, saltem de potentia Dei absoluta, posset, sine omni alia virtute, animæ potentias perficiente, produci in ipsius animæ Essentia habitualis Gratia ipsam dignificans,sanctificans,& iustificans;ergo quid distinctũ realiter est ab ipsis: consequentia patet. antec. probatur, siquidem reliquæ virtutes omnes ordinatæ sũt ad perficiendas potentias animę;*Omnia* namq. *perfectè operatus est Deus*;& sic,sicuti in creatione, nedum produxit res ipsas, secundum earum essentias,& naturas;verũ etiam,cum suis virtutibus,& potẽtijs naturalibus; ita in recreatione ipsius animæ (de hac.n. sermo est) perfectissimè procedit, perficiendo Essentiam, & potentias (vt ęgregiè philosophatur Aegid. vbi supra)Essentiam,nimirum,mediante Gratia, & potentias, medijs virtutibus: Aegid.

qua

qua re ponimus in intellectu Fidem, Charitatem, & Spem in voluntate, ergo sicut potest Deus creare Essentiam sine virtutibus, & potentijs, cum realiter distinguātur ab illis, distinctione reali mutua; & non sint terminus relationis illius: ita poterit, proculdubio, producere in Essentia animæ Gratiam, nulla existente virtute in potentijs, ergo Gratia est quædam simplex qualitas, de se, absoluta, omninò distincta à cęteris virtutibus, quomodocunq. sumātur, siuè separatim, siuè coniunctim.

§. II.

Ad 1. argum. tertiæ sententiæ Respondetur.

2 QVarè ad argumenta, quatenus contra nostram sententiam, quā vt probabiliorem amplexi sumus, militant, Respondendum est, & ad primum Respondeo conced. maio. & neg. min. ad cuius probationem, Respondeo, Bonitatem, vel malitiam moralem tantum attendi in actibus ipsis humanis, consentaneis, vel dissonis rectæ rationi; non autem in habitibus, formaliter: Et licet dicantur habitus virtutum moralium; nō ideo virtutes morales dicuntur, quia aliquam in se habeant moralitatem formaliter; sed tantum quia sunt principia operandi actiones morales (vt alibi dicitur, & nos etiam aliqua supra tetigimus, agēres de opere bono morali) quarè huiusmodi habitus omnes subiectantur in ipsis Animæ potentijs, nullus eorū immediatè in ipsa essentia Animę: Vndè fit, nullam peculiarem virtutem posse dare alicui denominationem boni supernaturaliter; cum vna virtus non sit omnes virtutes, & solum det suo subiecto, posse tales actus bonos operari, non omnes. Nec dicitur aliqua virtus esse principium essendi, sed solum operandi, iuxta dicta. Et sic necesse est, ad hoc, vt simpliciter in tali genere, quis dicatur bonus, quod omnes virtutes morales habeat, quibus ad omnes actus bonos moraliter reddatur facilis, promptus, & expeditus; hoc autem esse, non est absolutum; sed omninò relatum, & ordinatum ad operandum: cum absolutum esse huius generis, quod præsupponitur, vt quid primum in tali genere, ad quod cætera ordinantur, sit ipsum esse rationale: Virtutes verò morales dicuntur conformes ipsi esse rationali. Non sic autem in supernaturalibus; nam Gratia non est virtus quædam particularis, sed est forma accidentalis, se habens, ad modum formæ substantialis; cum perficiat ipsam essentiam immediatè, dans illi esse supernaturale absolutum simpliciter, & ab illa dependent in earum esse perfecto, & simpliciter, omnes aliæ supernaturales virtutes perficientes animæ potentias, easq; ordinantes ad opus, quæ si abssint, adhuc simpliciter in esse supernaturali, Bonus, Iustus, & Deo gratus diceretur, cum sola Gratia homo, & licet ipsa non esset immediatum principium operandi; vndè, non ita promptè, & facilè benè operarentur potentiæ opera supernaturalia. Nihilominus tamen cum solo auxilio supernaturali, tunc illa eliceret homo, & sic elicita essent opera amici, grata Deo, meritoria vitæ æternæ, &c. siquidem elicerentur a subiecto grato, &c.

3 Ad secundum Respondeo. Ideò Gratiam dici pulchritudinem animæ, quia expellit ab ea maculam peccati, redditq; illam obiectum dignum, & cōgruum Diuini amoris, diuinæq; naturæ participem. Neque est eadem ratio de pulchritudine corporali, & spirituali: Nam pulchritudo corporalis sita esse debet in omnibus corporis partibus, & membris; nec qui sola facie pulcher est; simpliciter pulcher dicitur: si sit alias corporis statura difformis, &c. & sic requirit collectionem plurium qualitatum, vt dicitur in argumento: Ast pulchritudo spiritualis Animæ solum consistit in expellendo turpitudinem eius, quæ nil aliud est, quam peccati macula, qua Deo redditur odibilis, & abhominabilis, qua ablata per Gratiam, quæ sola, sine adiutorio alterius formæ hoc præstat, fit pulchra, & Deo grata, &c. Ad secundum.

4 Ad tertium, transeat antecee. concedendo etiam consequentiam, qua dicitur: *Ex dilectione Dei simpliciter causari in homine collectionem omnium virtutum*: non quod hæc collectio sit ipsa Gratia: sed quia per talem dilectionem causatur Gratia habitualis, quæ secum trahit omnes alias virtutes, necessariò vinculo, saltem de lege indissolubili, sibi annexas. Ad tertium.

5 Ad confirmationem autem, quæ intenditur ex D. Tho. hoc colligere; Respondeo D. Tho. illo art. 2. q. 110. docere, Gratiam esse formam, quæ dat animæ esse supernaturale, & reddit illam, taliter, Diuina dilectione dignam, vt opera elicita ab homine, talem formam habente, sint certè digna cōsequutione finis superatu- Ad confirm.

naturalis, ad quem, ratione dignitatis subiecti, ex ipsa Gratia acceptæ, directè, & per se ordinantur, iuxta ea, quæ nos supra docuimus. Sicut etiam iam diximus, quare Gratia non sit propriè habitus, sed habitudo quædam, & qua ratione sit animæ sanitas; nam idem de sanitate animæ dicẽdum est, ac diximus de eius pulchritudine, cum animæ infirmitas, & vulnus, nil aliud sit, quam ipsum peccatum, quo ablato per Gratiam, dicitur perfectè à tali vulnere, & infirmitate sanata. Et not. quod non est sermo hic, de infirmitate, & imbecillitate contracta per peccatum originale, de qua suo loco tractabitur, est ergo solum sermo de infirmitate actuali, quæ per actualem culpam contrahitur. Præter quã quod, dicitur Gratia sanitas, & pulchritudo animæ, non quia sit ipsa omnium virtutum collectio, sed quia illas secum affert, quæ sanant omnes potentias.

Ad quartum. 6 Ad quartum desumptum ex illo loco 2. Petr. 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, &c.* Respondeo, quod multa congeruntPatres, & Doctores positiui in expositione illorum verborum: Legite inter alios, præsertim Lorinum ibi, cuius in hoc, interpretationem sequi placuit, vt menti Apostoli verosimiliorem; concedendo, intelligendũ esse locum illum, de Gratiã iustificante: Nec ex eo, quod pluraliter, & non singulariter nuncupatur à Petro, dicente, *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, &c.* Colligere licet, eam non esse simplicem qualitatem, sed collectionem omnium virtutum, vt probare contendit illa sententia; nãm ideo, numero multitudinis, (*pulchra promissa, magna, & pretiosa*) dicitur Gratia, quia licet entitatiuè, & essentialiter vna sit simpliciter qualitas; est tamen virtute multiplex: Siquidem ex ea pullulant virtutes Theologicæ, Dona Spiritus Sancti, virtutes morales infusæ, si quæ sunt, &c. Denique præmium vitæ æternæ, cum qua omnia pariter bona proueniunt: Vnde, propter oppositam rationem dixit Dauid. Psalm. 50. *In peccatis concepit me mater mea.* Num in pluribus peccatis, se cõceptum putauit? nequaquam. Sed solum in originali, quod, quia radix, & fons est peccatorum omnium, meritò nomine omnium peccatorum nuncupatur à Profeta: ita citati Doctores, in expositione supradicti loci Apost.

Lorin.

7 Et ad id, quod additur, de reliquis omnibus virtutibus, quæ etiam dicuntur esse aliquo modo, participationes Diuinæ perfectionis: vnde desumunt Authores oppositæ sententiæ argumentum, quod ideo Gratia, præceteris dicitur participatio Diuinæ naturæ, quia per ipsam participamus plures perfectiones; & ex consequenti, hoc ideo, quia est collectio omnium perfectionum, idest omnium virtutum.

Respondeo, verum esse, quamlibet perfectionem creatam esse aliqualem participationem Diuinæ perfectionis: Illa tantum dicitur esse perfectio per essentiam; Reliquæ per participationem ab ipsa, sicuti Deus solus dicitur ens per essentiam; reliquæ creaturæ per participationem ab ipso, quod est per essentiã. Cum omne, quod tale est per participationem, reduci debeat ad id, quod tale est per essentiam, independens à quocunque alio, in esse tali. Et sic, cum quælibet creata perfectio sit per participationem, non essentialiter, perfectio, necessariò reducenda est ad Dei perfectionem, à qua dicitur ipsa participari. Cæterum, diuerso modo, peculiaris perfectio dicitur esse participatio Diuinæ perfectionis, ac ipsa Gratia: nam quælibet virtus, & particularis perfectio dicitur participare aliquam peculiarem perfectionem, quam in Deo concipimus per modũ virtutis, vt Iustitia, Iustitiam, Misericordia, Misericordiam; Scientia, Scientiam, &c. accomodando singula singulis; nimirùm, naturales, naturaliter illas Dei perfectiones participare: Supernaturales verò, supernaturaliter. Ast Gratia non dicitur esse quædam particularis participatio alicuius virtutis, & perfectionis particularis, quam in Deocõcipimus; sed ipsius esse supernaturalis Dei, quod est fons, & origo omnium perfectionum, & virtutum, & sic a simili, participatiuè, ipsa Gratia dicitur etiam fons, & origo in nobis omnium perfectionum supernaturalium, & virtutum infusarum. Quare reliquæ perfectiones dicuntur participare, secundum quid, Diuinam naturam: Gratia autem simpliciter.

Nota, quo pacto quælibet perfectio creato sit aliqualis participatio Diuinæ naturæ.

§. III.

8 EX his patet, Gratiam non esse quid totum, resultans ex collectione virtutum; sed simplicem omninò qualitatẽ, realiter distinctam a reliquis om-

omnibus; siuè disiunctim, siuè collectiuè sumptis; & ad proportionem, siuè exemplum, desumptum ex iustitia originali, quæ, in valdè probabili sententia, consistit in collectione virtutum moralium; in quo prædicta sententia videtur fundara: Respondendum est; quod, esto, ita concedamus de originali iustitia; adhuc non esset par ratio: quia natura humana, ex se, & ex vi suæ creationis, habet, quod sit recta, in ordine ad finem naturalem; sicut qualibet creatura, in ordine ad suum finem; vnde tantum indigebat homo habitibus virtutum, ad comprimendas passiones appetitus, & ad promptè, & facilius operandum, in ordine ad suũ finem; at verò, respectu finis supernaturalis, quia est alterius ordinis excellentioris, anima nostra, per se, non est proportionara, & ordinata, & ideo, præter virtutes supernaturales, indiget aliqua qualitate supernaturali, qua posset proportionari fini huius generis, & ordinis supernaturalis, illa autem est Gratia, quæ dat esse quoddã supernaturale, iuxta ea, quæ huc vsq. documus.

9 Ex dictis, facilè est colligere diffinitionem Gratiæ, quam sic possumus efformare. *Habitudo supernaturalis, per quam homo constituitur* in esse primò *supernaturali*: vel, *per quam efficimur consortes Diuinæ naturæ* cum D. Petr. loco cit. vt supra, vel; *à qua, tamquam à radice, omnis supernaturalis perfectio dimanat.* Vel tandem, *supernaturalis forma, qua fit homo obiectum congruum Diuinæ dilectionis, & amicitiæ.* Nota quomodo possit Gratia diffiniri.

DISPVTATIO QVARTA.

An Gratia immediatè subiectetur in Essentia Animæ, an verò in aliqua Potentiarum?

CAPVT PRIMVM.

Refertur sententia Scoti de identitate reali Essentiæ, & potentiarum.

§. I.

Exponitur titulus. 1 
PRo tituli intelligentia not. primo est; quod hic non quæritur de subiecto, *quo*, & principali; nam hoc, in omni opinione, est ipsa animæ Essentia, sed, solum de subiecto *quo*, & immediato: vt, albedo habet subiectum *quod*, *& quo*; subiectum *quod*, est ipsa substantia parietis v.g. subiectum verò *quo*, & immediatum, est quantitas; nam qualitas corporea, & sensibilis nequit immediatè subiectari in substantia; sed mediante quantitate. Quæritur ergo, An, sicuti Charitas, Fides, Spes, & reliquæ omnes virtutes, quæ dicuntur proculdubio esse in anima, tanquam in subiecto *quod*; nihilominus tamen, non immediatè, sed mediantibus ipsis animæ potētijs; tãquam subiectis *quibus*; ita etiam Gratia dicatur, mediante aliqua potentia, subiectari in Essentia animæ, an verò immediatè subiectetur in illa?

2 Pro qua re not. secundò est; Scoti sententiam de identitate reali, & formali solummodo, distinctione, inter Essentiã, & potentias, nunquam placuisse. Vt autem eius falsitas intelligatur, adducam fideliter fundamenta, quæ, ad illam probãdam, supponunt Scotistæ. Obseruat ergo primò Scot. in 2. dist. 16. q. vnica, quod (secundum D. Dionis. 5. cap. de Diuinis nominibus.) continentia vnitiua non est eorum, quæ omninò sunt vnum; quia ea, quæ sunt, omnibus modis, idem, non dicuntur vniri; idem .n. sibi ipsi non vnitur: nec est eorum, quæ manent distincta, eadem distinctione, qua prius distinguebãtur, antequam vnirẽtur; nam quæ sic manẽt distincta, non dicuntur in aliquo vno vni- Scoti sententia de identitate reali inter Essẽtiam, & potentias. 1. Scot. not. Dionis.

vnitiuè contineri;sed est huiusmodi continentia eorum,quæ fortè erant inter se distincta realiter; vnita, verò, sunt idem realiter, manent tamen distincta formaliter;sic dicuntur ea,quę in creaturis sunt dispersa,in Deo vniri;vt Sapientia,& Bonitas,quæ disperse sunt in creaturis,vniūtur tamen in Deo, vnitate reali; & manēt formaliter distinctæ.Sed huiusmodi contenta in aliquo,sunt in duplici differētia; quædam.n.sunt de natura, & Essentia ipsius continentis;cuiusmodi sunt,superiora ad cōtinens;exempli causa; ab eadem re accipitur ratio albedinis, coloris, *Qualitatis,&c.* quæ,cum in albedine cōtineantur, sunt de eius Essentia, & quidditate. Alia sunt contenta in aliquo,vnitiuè,quasi posteriora,quia sūt, quasi passiones ipsius continentis,non tamen sunt res aliæ ab ipso continente:hoc modo, inquit Scotus, Ens continet multas passiones, quæ non sunt res aliæ ab ipso Ente: distinguuntur tamen ab inuicem,formaliter,& quidditatiuè; & etiam ab Ente;formalitate tamē(inquit)reali,& quidditatiua: aliter,Metaphisica concludens tales passiones de Ente; & illas considerans, non esset realis. Sicut ergo Ens continet vnitiuè rationem, *Vnius, Veri, Boni*,& aliorum; sic anima continet suas potentias, vnitiuè; quamuis formaliter, sint distinctæ: quia non continentur aliqua in alio,vnitiuè,quæ sine omni distinctione continentur. Vnio.n.non est absq. omni distinctione; nec continentur vnitiuè; quæ simpliciter realiter distincta continentur. Illa n.multipliciter,seu dispersim continentur. Quarè concluditur, quod hoc vocabulum(*Vnitiuè*)includit aliqualem distinctionem contentorum, quæ sufficit ad vnionem, quæ repugnet omni compositioni, & aggregationi distinctorum; quod accidit,ponendo identitatem realem contentorum *Vnitiuè*,cū non identitate, seu cum distinctione formali eorum;qua ratione,attributa continentur *Vnitiuè* in Essentia Diuina : quia cum ea,& inter se sunt idem,summa idētitate reali: manent tamen,non eadem, formaliter; seu, distincta formaliter; vt idem Scot. docet in 4.dist.46. q.3.

§. II.

2. not. ex Scot.

3 SEcundò obseruāt;quod (vt ad præsens attinet,) potentia bifariam accipitur; primò, pro principio operandi;& sic,diuiditur,in potentiam actiuam, & passiuam; 5.& 9.met. in qua significatione,potentia est principium transmutandi aliud,in quantum aliud;vel ab alio, in quantum aliud. Secundò modo sumitur potentia, prout distinguitur,contra actum; & potentia sic accepta ,dicitur potentia obiectiua, in qua sunt res,quādo non existunt; sicut Antichristus,nunc est, potentia obiectiua, vel in potentia obiectiua;non.n.existit,sed est obiectum potentiæ productiuæ, quæ potest illum in *Esse* producere: in hac significatione (inquit Scotus,vt occurrat cuidam argumento D.Thom.infra ponendo)actus,& potentia sunt, non solum sub eodem genere, sed sub eadem specie,& sub eodem indiuiduo; ita quod,sunt idem numero, quia illudmet indiuiduum, quod nunc est in actu,fuit in potentia; si verò potētia sumatur, primò modo; vt transmutationis principium est;non potest dici(inquit Scotus)quod potentia,& actus sunt eiusdem generis, quia accidens immediatè recipitur in substantia; alioquin esset processus in infinitum; & tamen,non est eiusdem generis cum substantia. Præterea, secundum D.Th.anima est principium immediatum, & proximum receptiuum potentiarum; quæ tamen,secundū ipsum, sunt accidentia, & consequenter ,non sunt in eodem genere cum Essentia eiusdem animæ, ergo receptiuum non semper est eiusdem generis cum recepto , ob idq. potentia receptiua actus, cum ipso actu , non sunt sub eodem genere semper. Ex quo inferunt Scotistæ, illam propositionem , quæ contra ipsos solet à Thomistis adduci,nimirum,*actū, & potentiam esse eiusdem generis*;habere æquiuocationem,in nomine(*potentia*) iuxta distinctionem positam. Quod,si in secūdo sensu accipiatur, vera est, .s. quod potentia , & actus sunt sub eodem genere, immò sunt eiusdem numeri, (vt dictū est,)si autem in primo sensu sumatur potentia,falsa est propositio,iuxta dicta.

§. III.

4 ET si cum Caiet.pro D.Th.Scotistis respondeas , potentiam esse duplicem,similiter, & actum:aliam,quæ est essentialiter, in genere potentiæ,quæ dicitur, per se,potentia,in ordine ad per se actum, qualis est materia prima in ordine ad formam substantialem,& potentia generis ad differentiam specificam : aliā verò, per accidens, in ordine ad actum, Occurritur à Caiet. pro Thomistis.

per

per acciden ;qualis est, potentia substantię,in ordine ad accidens:in prima significatione, actus, & potentia sunt (inquit Caiet.) sub eo em genere; non tamen in secunda, quo circa, arguentes contra Sāctum Thoma n, quoniam non discernūt inter, *per se, &* *per accidens*, falluntur.

Impugnatio Scotistarum. 6 Insurgun ex hac Caiet. doctrina, manifeste sequi, rationem D.Th.nil concludere,& secundum æquiuocationem peccare:quia si actus per accidens,& potentia per accidens non sunt sub eodem genere, quomodo S.Thomas concludit, potentiam animæ esse accidens, quia operatio eius accidens est, & reddit rationem, quia actus,& potentia sunt sub eodem genere?Ignorabat forsitan D.Th. operationem animæ esse accidens?minime quidem,cum ipse in eodem art. asserat,solam Dei operationem esse substantialem; ergo assumpsit falsum: vel æquiuocationem commisit,de actu,& potentia.

6 Rursus, inquit Scotus, non est verum,etiam in doctrina D.Tho.quod substantia non sit immediatè causa actiua, sed quod agat per principium,à se,re ipsa, distinctum; vt latè probat Scot. in 4. dist.12.& breuiter ostenditur nunc, quia Arist. Arist.6.met.in fine,dicit,quod substantia non producitur in esse,nisi à substantia præexistente in actu. Item, secundum doctrinam D.Th.anima virtutem actiuā habet respectu suarum potentiarum; ait.n., quod ab eius Essentia fluunt, qui fluxus virtuti actiuæ animæ tribuitur. Prætereа(secundum D.Th.)propriæ passiones immediatè causantur à proprijs subiectis;& cum,secundum eum,ab ipsis realiter distinguantur, habent, respectu earum,actiuæ causæ, & efficientis, rationem.

§. IV.

§. nos. ex Scot. 7 Tertiò obseruant; inter omnes naturas entium, solam vnam esse, quæ necessario est sub propria operatione, taliter, quod ab ea non potest impediri,nec cessare; & hæc est sola Diuina natura, quæ semper necessariò est sub proprijs operationibus, & actibus intelligendi, & volendi, atq; amādi Diuinam Essentiam,quibus cum beatificatur;rùm etiam, quia cum sit actus purus, & summè necesse esse, quicquid potest habere, necessario habet;alias conciperetur cum potentia passiua ad aliquid,quod summæ eius actualitati omninò repugnat. De sola ergo Diuina natura verificari potest, eo ipso, quod est, simpliciter necessario esse sub operandi actu ad intra; nec esse ordinabilē ad vlteriorem actū, quo actuetur,& determinetur. Ex his sequitur, valere in diuinis hāc consequentiam. Diuina Essentia est actus vltimus, & purissimus: ergo habens eam, semper operatur: quia est principium operandi per Essentiam; sed non valet hæc: Anima est actus: ergo habens eam, semper operatur; licet bene sequatur; ergo habens ipsam,semper est in actu primo.

8 Sed si obijcies: habens animam, semper viuit,ergo semper operatur,quia viuere est operari:Respondet Scot.non esse simile de, *dare vitam*,& *operari*; quia anima est principiū formale, quo viuens est viuum,ob idquè, *dare vitam*, & *facere viuum* est effectus formalis animæ animātis;sicut,albedinis,facere album,dum est in subiecto; at verò, respectu operationis, se habet per modū causæ efficientis;sicut ars se habet ad effectum suum, in genere, & ratione principij effectiui; quo circa anima,eo ipso,quod est forma viuens,dat vitam; quia est principium formale essendi; cęterum,cum sit principium effectiuum operationis,nō est semper in actu secundo. Obiectio. Solutio.

9 Dices forsitan; animam, cum sit actus,non esse immediatum principium recipiendi actum; quia,ex quo est actus, non est ordinabilis ad alium actum; Respondent Scotistæ, quod,actum,qui non est in vltima actualitate, nō inconuenit, esse principium receptiuum actus, quia Essentia, & substantia animæ, quæ est actus, est receptiua actus accidentalis; siquidem recipit potentiam suam, quæ est forma quædam, & actus: intellectus .n., qui, tanquam in proprio subiecto, in anima recipitur,actus quidam est. Præterea, quia accidens, (secundum omnes) non recipitur,nisi in entitate actuali,quę est accidentis subiectum;actus ergo dum non est vltimus, potest ad vlteriorem actum ordinari, & esse actus principium receptiuum; cum ergo dicitur à D.Tho. animam,eo ipso,quod est actus,non esse actus receptiuā, de solo purissimo actu, in vltima actualitate existente,verum esse potest. Replica. Solutio.

CAPVT II.

Fundamenta huius sententiæ.

Prob. primo Scoti sentẽtia de identitate inter essentiã & potentias. August.

1 His ergo præiactis fundamentis, potest hæc sententia primò sic probari, ex Augustino sermon. de Imagine, vbi asserit: *Animam esse Intellectum, Animam voluntatem, Animam Memoriam.* sed hoc non esset, si esset à suis potentiis Anima realiter distincta, ergo,&c. Item 10. de Trinit, cap. penult. inquit: *Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem esse vnam Mentem, vnam Vitam, vnam Substantiam*; sed hoc non esset, nisi essent idem realiter cum Anima, ergo,&c.

Prob. 2. Comment.

2 Secundo probatur, secundum Comment. 3. de Anima comment. 18. sic se habet Intellectus ad formas intelligibiles, per quas perficitur in esse secundo, sicut se habet materia ad formas sensibiles, per quas perficitur in esse primò, ergò sic est in potentia intellectus, sicut & Materia; sed Materia est sua potentia, ergo & intellectus; sed intellectus videtur nominare Animam humanam, ergo,&c.

Prob. 3.

3 Tertiò probatur: forma substantialis est simplicior, quàm accidentalis: cuius signum est, quod forma substantialis nõ intenditur, vel remittitur, sed in indiuisibili consistit: forma autem accidentalis est ipsa sua virtus: ergo multò magis forma substantialis, quæ est Anima.

Prob. 4.

4 Quartò, potentia sensitiua est, qua sentimus; & intellectiua, qua intelligimus, sed id, quo primo sentimus, & intelligimus, est anima (ex Arist. 2. de anim. t. 24) ergo Anima est suæ potentiæ.

Aristot.

Prob. 5.

5 Quinto, quod non est de essentia rei, est accidens; si ergo potentia Animæ est præter Essentiam eius; sequitur, quod est contra Augustinum 9. de Trinit. dicentem: quod prædicta non sunt in Anima, sicut in subiecto, vt color, aut figura in corpore, aut vlla alia qualitas, aut quantitas; quicquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est: Mens autem potest etiam alia amare, & cognoscere.

Augustin.

6 Sextò, forma simplex subiectum esse non potest; Anima autem est forma simplex, cum non sit composita ex Materia & Forma: Non ergo potentia Animæ potest esse in ipsa, sicut in subiecto. Prob. 6.

7 Septimò, accidens non est principium substantialis differentiæ; sed sensibile, & rationale sunt substantiales differentiæ, & sumuntur à sensu, & ratione, quæ sunt potentiæ Animæ, ergo potentiæ Animæ non sunt accidentia, & ex cõsequenti, potentiæ Animæ non distinguntur realiter ab ipsa anima. Prob. 7.

8 Octauò, illud est ponendum in natura, quod melius est, si sit possibile (vt docet Arist. 2. de gener.) natura enim semper desiderat, quod melius est; sed paucitas sine multitudine, est melior in natura, si sit possibilis (vt patet ex 1. phy.) ergo si possunt esse actus diuersi in vna essentia simplici Animæ, sine distinctione reali potentiarum, hoc est ponendũ; sed huiusmodi paucitas est possibilis: quia non est necesse, quod istæ potentiæ sint accidentia absoluta, vel relatiua, nec partes Animæ essentiales, siue integrales, ergo,&c. Prob. 8. Aristot.

9 Nonò, si intellectus, & voluntas distinguuntur realiter ab Anima, & inter se, sequitur, quod anima non esset beata, nisi per accidens; patet sequela. quia illa non est perfectio propria alicuius, quæ non recipitur in illo, nisi recipiatur prius in alio, realiter differente ab illo, in quo etiam reciperetur, si esset separatum ab illo: V. G. color non est propriè perfectio substantiæ corporeæ, quia nõ recipitur in illa, nisi mediante superficie, quæ realiter distinguitur ab ea, & reciperetur in ipsa, si esset separata ab ipsa substantia, & maneret: ideo substantia est colorata per accidens; sed visio, vel intellectio Dei non recipitur in anima, nisi quia recipitur in intellectu, qui est, (ex supposito) potentia realiter distincta ab Anima; & reciperetur in ipso, etiam si esset separatus: Igitur Anima non esset Beata, nisi per accidens, & intellectus per se. Prob. 9.

10 Decimo probatur ab Adam, relato à nostro Toletano in 1. distinct. 3. quæst. 1. art. 3. & 4. arguit ergò Adam in 1. dist. 1. quæst. vltima art. 2. primo sic; omni alio circumscripto à naturâ intellectuali, ipsa nata est intelligere, & ipsa eadem nata est velle: ergò hoc *natum velle*, est natum intelligere, & è contra ergo Prob 10. Adam. Toletan.

ergo intellectus est voluntas, & è contra: Et hoc enim quod talis natura est nata, vel potens intelligere, ipsa dicitur intellectus, & ex hoc, quod ex volens, vel nata ad volendum, dicitur voluntas.

Prob. 11. 11 Vndecimò, (& est secundum argumentum Adami,) quia vel illa diuersitas est ponenda propter diuersitatem modorum principiandi, vel propter diuersitatem actuum; non propter secundum: quia tunc to essent potentiæ intellectiuæ, quot essent actus intelligendi, secundum speciem distincti; quod falsum est: nec propter primum: quia principiare liberè, & necessario, respectu diuersorum, opponuntur, vt patet de voluntate Diuina, quæ necessario vult se, & alia contingenter, seu liberè.

Prob. vltim. 12 Vltimò probat idem Doctor, essentia Animæ non potest esse sine potentia intellectiua, ergò non distinguitur realiter ab ipsa. antecedens patet, quia aliàs sequeretur, quod Anima non esset intellectiua, nec per consequens, rationalis, quæ est eius essentialis differentia. Consequentia probatur, quia omne prius absolutum, distinctum realiter ab alio, Deus potest facere sine illo. Hæc sunt omnia argumenta, quæ possunt adduci à defensoribus huius sententiæ, quę videntur aliquo modo eam probabilem reddere.

CAPVT III.

Verior sententia explicatur.

§. I.

D. Thom. Aegid. Toletan. Argent. Iauel. Tolet. Murc. Rub. Sot. Statuitur distinctio realis inter essentiam, & potētias. Primum suppositum pro hac veriori sententia D. Thomæ, & Aegidij.

1 Caeterum numquam illa mihi placuit, & semper probabilior visa est sententia D. Thomæ 1. par. quæst. 77. a. 1. & q. 54. ar. 3. Aegid. in 1. d. 3. par. 2, princ. 3. q. 1. ar. 1. & 3. Toleta. loc. sup. cit. Argen. in 1. d. 3. art. 2. & est communis tum inter recentiores, apud D. Th. loc. cit. & etiam 2. de anima, vbi Iauel. q. 9. & Tolet. Murc. disp. 2. q. 1. Rubius c. 3. tract. de potentijs animæ q. 1. Sot. cap. de proprio: & alij multi, qui omnes docent potentias animæ realiter distingui ab ipsa anima; sed vt clarè pateat veritas huius sententiæ, oportet eius fundamenta, quibus à D. Tho. Aegid. & alijs stabilitur, adducere: Primò ergò tanquam certissimum supponendum est; Animam suas habere potentias vitales, quibus operatur: Animam nempè rationalem, Intellectum, & Voluntatem: Animam sensitiuam, suos sensus: Ac tandem animam vegetatiuam, potentiam nutritiuam, & generatiuam. Solum ergò difficultas præsens est circa naturam talium potentiarum. An scilicet sint entitates aliquę superadditæ ipsi Animæ ab illa realiter distinctæ? Et sermo est de potentijs actiuis: Nam certum est, non omnem potentiam passiuam, quam habet anima, distingui realiter ab illa, nam saltem potentiæ actiuæ animæ rationalis recipiuntur immediatè in illa; & ita ipsa ex sua intrinseca entitate, habet potentiam passiuam ad recipiendas potentias suas actiuas. Dixi tamen, (non omnem potentiam passiuam distingui realiter ab anima) ad significandum, difficultatem solum esse de aliquibus potentijs passiuis; An scilicet realiter distinguantur ab illa? Illæ, videlicet, quæ sunt idem realiter cum actiuis; qua ratione, idem intellectus possibilis, qui, respectu Verbi mentis, est actius, respectu speciei intelligibilis, est potentia passiua, dum illam recipit. Vndè, si probauerimus, potentias actiuas distingui realiter ab anima; Certum etiam erit, quod potentiæ illius, quæ realiter identificantur cum actiuis, etiam distinguantur ab illa realiter.

2 Secundo notand. est, ex his, quæ dici solent 3. par. q. 2. ar. 4. ex Duran. in 3. dist. 6. vbi agit de compositione suppositi Verbi, ex duabus naturis; duplicem esse compositionem: Altera dicitur, *Huius ad hoc*, Altera verò dicitur, *Huius ex his*. Cōpositionem *Huius ad hoc* vocat Duran. (vt optimè notat P. Vasq. 3. par. disp. 16. c. 3.) eam, in qua vnum non componitur ex duobus, sicut homo ex anima, & corpore: sed vnum componitur, seu adiungitur alteri, sicut accidēs coniungitur subiecto. Ex illo tamen, & subiecto non fit, neq; componitur aliud; compositionem verò *Huius ex his* vocat illam, in qua vnum totum resultat ex vnione partium, vt homo ex anima, & corpore. Secundum suppositum. Durand. Vasquez.

3 Tertiò notandum, quod accidens, propriè, & in rigore, non potest dici ens, quia sola substantia dicitur verè, & propriè ens, quod satis consonat verbis Philosophi Tertium suppositum. Aristot.

losophi in prin. 7. met. t. c. 1. vbi ait; *Quod* accidentia non sunt Entia, nisi quia sunt entis; & sic dicuntur accidentia, *Entis entia*; tota. n. causa, quare accidentia dicuntur Entia, est, p optet entitatem, quæ est in alio; non propter aliquam absolutam, & propriam entitatem, quæ sit in ipsis; cũ igitur potentiæ animæ dicantur esse in anima, tanquam in subiecto; tota causa, quare dicuntur esse Entia, est, propter entitatem, quæ est in anima; non propter entitatem, quæ sit in eis vera & absoluta entitas: sunt autem potentiæ istæ in anima, non eodem prorsus modo quo sunt accidentia (vt optimè docuit Aegid. vbi supra) nam istæ potentiæ sunt in anima, naturaliter; accidentia autem communia, accidentaliter.

Aegid.

§. II.

4. suppositũ Arist.

4 QVartò not. est, ex Arist. 2. de anima cap. 4. animam esse causam suarum potentiarum (sic etiã, Essentiam, suarum passionum. est. n. eadẽ ratio) in triplici genere, nimirum, in genere causæ efficientis, materialis, & finalis. Finalis quidem, quia potentia est propter operationem; & operationes animæ sunt propter ipsam animam; .s. vt ipsa anima propter suas operationes perficiatur; ergo de primo ad vltimum, potẽtia est propter animam; atq. adeo, anima est causa finalis suarum potentiarum: vnde quod Arist. dixit 2. de Cęlo c. 3. *Vnũquodq. esse propter suam operationem*. Intelligẽdum est, de fine, *quo*, qui est finis minus principalis; est. n. operatio finis, *quo*, respectu ipsius rei; tamen, res ipsa, est finis *cui*, respectu illius; quia est id, cui datæ sunt potentiæ, & operationes, vt magis in suo esse per illas perficiatur. Est etiam anima causa materialis suarum potẽtiarum; nimirum, spiritualium, quales sunt, intellectus, & voluntas: (de his n. modo sermo est:) hæ ergo immediatè subiectantur in Essentia animæ: spirituale namq. non potest recipi, nisi in subiecto spirituali; non est eadem ratio de reliquis potentijs materialibus animæ: eas .n. (dixi 1. Phis. & 1. de gen. & corrupt.) subiectari immediatè in materia prima. Tandem anima dicitur etiam esse causa efficiens suarum potentiarum, (& idem, vt dixi, iudicium faciendum est de Essentia respectu suarum passionum; & est sermo de his passionibus, quæ realiter distinguuntur ab Essentia; nam quando nõ

Arist.

distinguũtur, vt passiones entis, quæ cum ipso ente sunt idem omninò realiter, non possunt procedere efficienter ab Essentia: debet .n. inter causam efficientem, & effectum intercedere distinctio realis.) Hoc dictum satis probatum est 2. Phis. disp. de natura, agentes de grauibus, & leuibus; & facili ratione probatur: nam formæ nõ viuentium sunt causæ efficientes suarum potentiarum; qualiter experimur, aquam actiuè se reducere ad suam connaturalem frigiditatem, & ignem ad suum intensum calorem, si suæ naturæ relinquantur; ergo multò melius anima, quæ perfectior forma est, erit causa efficiens suarum potentiarum vitalium. An autem anima sit causa principalis, vel solum instrumentalis suarum potentiarum? non est concors sententia: cęterum hoc parum nostra interest; qui tantum, hoc notabili, stabilire volumus, animã esse causam suarum potentiarum, in triplici enarrato genere. Dicimus tamen, non esse causam formalem, respectu illarum; sed solum finalem, materialem, & efficientem: quia potius potentiæ ipsæ dicuntur informare animam: illam .n. formaliter denominant intellectiuam, rationalem, discursiuam, &c.

5 Quintò nota cũ Aegid. vbi supra, & Argent. nostro lib. 1. dist. 3. q. 2. ar. 2. cit. *§. Ad dictum Augustini, &c.* quod quodlibet subiectum prædicari potest de sua propria passione; quo pacto Arist. lib. de sensu, & sensato cap. 2. inquit; quod *odor est fumalis euaporatio*; & sic anima optimè prædicari potest, in recto, de suis potentijs; prædicatione, nimirum, causali, &, quodammodo, formali etiam (inquit Aegid.) nam multoties illud, quod est causa alterius, potest prædicari de illo, cuius est causa, prædicatione causali: cũ igitur anima sit causa omnium potentiarum eius, omnes potentiæ animæ, (secũdum istam viam,) possunt dici anima, hac prædicatione; sed addit Aegid. memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt potentiæ spirituales ipsius animæ, magis debere dici animam, quam cęteras potentias; magis quam quælibet accidentia, suum subiectum; magis quam proprietates corporum, corpora. Primũ probat: nam vltra hoc, quod animã est causa istarum potentiarum; sicut & cęterarum; est etiam ipsarum subiectum; & ideo non solum, prædicatione causali, istæ potentiæ debent dici anima; sed etiam, quodammodo, prædicatione formali;

5. suppositũ Aegid. Argent. Arist.

mali; cum non propter aliam entitatem sint entia; quam propter entitatem animæ: cæteræ autem potentiæ, licet prædicatione causali, sint anima, nullo tamen modo possunt dici anima, prædicatione formali; quia sunt Entia propter entitatē subiecti, in quo existunt. Item; anima magis potest prædicari de istis; quam quodlibet subiectum de accidētibus suis communibus: nam prędicatio in tantum est verior, quanto prædicatum magis est idem subiecto; vnde, ideo Boet. docuit, *nullam esse veriorem prædicationem illa, in qua idem de se ipso prædicatur*, & quia magis est idem aliquid ei, cui naturaliter inest; quam alij; ideo potentię magis possunt dici anima, cui naturaliter insunt; quam accidentia communia, subiecta sua, quibus accidentaliter insunt. Item; huiusmodi potentiæ magis possunt dici anima, quam proprietates corporum, corpora: quia, cum corpora sint composita, proprietates non eis inerunt, secundum se tota: sed aliqua magis se tenebūt ex parte materiæ; aliqua ex parte formæ; sed potentiæ istæ insunt animæ, tāquam subiecto simplici; & ideo magis sūt idem ei. Hæc omnia confirmat ex Augustino Aegid. 9. de Trinit. nam c. 3. ait, *quod anima per sensum cognoscit corporea, & per se, incorporea*. Sed, cum incorporea cognoscat per intellectum, vult, animam esse intellectum, & non sensum: non igitur est intellectus in anima, sicut sensus. Rursus c. 4. eiusdem lib. ait, quod ista insunt substantialiter menti; non sicut color colorato; & quod substantia ex his tribus non est confecta, sed ista sunt eiusdem Essentiæ. Propter primum, remouetur modus inhærentiæ accidentium in subiecto. Propter secundum, remouetur modus, quo proprietates sūt in corporibus. Patet igitur, quod istæ potentiæ possunt dici anima, prædicatione causali; & quodammodo, prædicatione formali, cum, propter entitatem animæ, entia existant; in quo excellunt potentias, quæ sunt in anima, vt in radice tantum; item non solum prædicatione causali, & aliquo modo formali, dicuntur anima; sed etiam, quodammodo, per identitatem: & hoc dupliciter: tùm quia naturaliter insunt, in quo excellunt modum accidentium in subiecto; tum quia insunt subiecto simplici, in quo excellunt modum proprietatum in corporibus, & sic patet, ex Aegid. quomodo anima potest prædicari de suis potentijs: quia, post prędicationem simpliciter essentialem, ista videtur verior prædicatio.

Boet.

August.

§. III.

6 Quibus adde, ad hoc idem roborandum, id, quod ait Argentinas loc. cit. quod etiam tangit Aegid. in responsione ad 1. & D. Tho. p. 1. q. 77. art. 1. cit. etiā ad 1. quod triplex (quantum ad hoc) est totum: vniuersale, integrale, & virtuale. Totum vniuersale reseruatur in qualibet sua parte, secundū se sumpta, & secundum Essentiam, & secundum virtutem. Secundum, nec secundum Essentiam, nec secundum virtutem. Tertium, quamuis non secundum Essentiam: tamen secundum virtutem; & ideo, primum prædicatur de qualibet sua parte essentialiter, & virtualiter, siue causaliter. Secundum, nec essentialiter, nec causaliter. Tertium, quamuis non essentialiter, tamen virtualiter, siuè causaliter, de qualibet sui parte potest prædicari: quo pacto anima prædicatur de suis potentijs. Et sic, cum Augustinus 10. de Trinit. c. 11. ait, *memoriam, voluntatem, & intelligentiam, esse vnam vitam, vnam mentem, vnam naturam*, est intelligendus, modo exposito. Præter quam quod (vt benè vidit Argent.) per hoc, vult excludere pluralitatem animarū; quasi diceret, hæ tres potentiæ non sunt tres animæ: sed sunt tres proprietates eiusdem naturalis animæ: consimiliter. n. posset aliquis dicere, caliditas, siccitas, & leuitas, sunt vnus ignis, quia sunt proprietates eiusdem ignis. Et eodem modo exponenda sunt alia loca, quæ adducuntur ex eodem Augustino.

Nota triplex totum, vniuersale, integrale, & virtuale.
Argent. Aegid. D. Th.

Aug.

7 Sed petit Aegid. in solutione ad 3. cur anima non est sua potentia essentialiter, sicut materia prima essentialiter dicitur esse potentia? Respondet, quod sicut primum agens est sua potentia actiua; ita primum passiuum, quale est materia prima, est sua potentia passiua. Omnia igitur, quæ sunt inter Deum, & materiam primam, non possunt dici sua potentia, nec actiua, nec passiua, cum igitur anima non sit adeo in potentia, vt materia, nec adeo in actu, vt Deus, siue intellectus dicatur potentia actiua, vel passiua, anima nō poterit dici esse essentialiter suus intellectus: & idem est de reliquis ipsius potētijs, sed legite infra not. 7. §. 5.

Petitio. Aegid. Responsio.

8 Sex-

§. IV.

7. suppositū D.Th. 8 SExtò not. quod D.Tho. q. 54. art. 3. eiusdem primæ partis, vbi disputat; *An potentia intellectiua Angeli sit eius Essentia?* Probans partem negatiuam, quam docet; nimirum; nedum in Angelo; verum nec in aliqua alia creatura, potētiam idem esse, quod sua Essentia, hanc rationem tradit; nam cum potentia dicatur ad actum; oportet, quod secundum diuersitatem actuum, sit diuersitas potentiarum; propter quod dicitur, quod proprius actus Respondet propriæ potentiæ; in omni autem creato, Essentia differt à suo esse; & comparatur ad ipsum, sicut potentia ad actum (vt supponit ex his, quæ docuit ar. 1. & 2. præcedētibus) actus autem, ad quem comparatur potentia, operatiua, est operatio: in Angelo autem non est idem Intelligere, & Esse; nec aliqua alia operatio, aut in ipso, aut in quocunq. alio creato; vnde Essentia Angeli non est eius potentia intellectiua; nec alicuius creati Essentia est eius operatio, aut potentia; hęc est ratio, quam ibi D.Tho. assignat; quæ potest sic ad formam clariorem reduci (vt optimè Caiet. Caiet. ibidem) Nullius creaturæ Esse est sua operatio; ergo nullius creaturæ substantia est sua potentia operatiua. Antecedens supponitur ex articulis superioribus. Consequentia verò probatur; quia secundum diuersitatem actuum, oportet esse diuersitatem potentiarum propriarum; quia vnusquisquè actus proprius respondet propriæ potentiæ; sed operatio, & esse, sūt actus diuersi, quorum propriæ potentiæ sunt, subiecta, & vis operatiua: ergo substantia, & potentia operatiua sunt dinctsæ.

Not. ex Caiet. 9 Circa quam rationem nonnulla scitu dignissima adnotat Caiet. ibidem; immò & ad eius intelligentiam valdè necessaria. Primum est, quod quando asserit D.Th. diuersitatem potentiarum desumi ex diuersitate actuum, intelligēdus est Sāctus Doctor de actibus adæquatis, tantum, non de actibus inadæquatis: actus adæquatus alicuius potentiæ ille dicitur, qui totam potentiam adæquat; extra quod non fertur potentia, nec ferri potest: siquidem in ipso est tota ratio agendi ipsius potentiæ; vt, *Intelligere*, est actus adæquatus intellectus; nec alium actum elicere potest intellectus, præter actum intellectionis: sic etiam *videre* est actus adæquatus potentiæ visiuæ: actus autem inadæquatus ille dicitur, qui non adæquat totam potentiam, cum possit illa alios elicere, ab illo distinctos, vt *Intelligere hominem* non est actus, qui adæquat totam potentiam intellectiuam, cū optimè possit intellectus alia ab homine Intelligere: sic etiam *videre album* est actus inadæquatus potentiæ visiuæ, quæ potest & alia colorata videre: docet ergo D.Tho. diuersitatem potentiarum sumendam esse ex diuersitate actuum adęquatorum; nam vnius potentiæ vnicus, & non plures dantur actus adæquati; & sic, si plures sint adæquati actus; necessario debēt correspondere pluribus potentijs; non sic, de actibus inadæquatis: nam *videre album*, & *videre nigrum* sunt duo actus inadæquati; non tamen correspondent duabus potentijs, sed vni tantum potentiæ visiuæ; quæ vtrumq. actum respicit; cum vterquè comprehendatur sub vnico suo actu adæquato, qui est *videre colorem*, vt sic, siuè sit *album*, siuè *nigrum*, *&c.*

10 Secundum quod adnotat Caiet. est; quod natura quasdam res intendit primaria intentione, vt actus: quasdam verò, etiam primaria intentione, non vt actus, sed vt potentias: quamuis contingat, res intentas, vt actus, habere aliquid potentiæ admixtum; & similiter res intētas, vt potentias, habere aliquid actualitatis admixtum: res, quas, vt actus, intendit, sunt per se primo, & essentialiter actus; & per hoc simpliciter locantur in coordinatione actuum; res verò, quas, vt potentias, intendit natura, sunt per se primo, & essentialiter potentiæ, & communiter, simpliciter locantur in ordine potētiarum. Ita quod, imaginandum est, quod quemadmodum, in genere substātiæ est inuenire quasdam res, à natura intentas per se primo, vt principia aliorum sint; ita in quolibet genere sunt quædam res, per se primo intētæ à natura, vt principia proxima aliorū. Ex quo possumus & aliam assignare distinctionem actus, & potentiæ; ita, vt duplex vterq. sit: actus .n. vel est per se primo actus, & secundario potentia; vel è conuerso: potentia etiam eodem modo, vel est per se primo potentia, & secundario actus, vel è contra. Quamuis in his sit latitudo quædam: quoniā potentiæ passiuæ sunt actus, tantum, modaliter, pro quanto subiectis inhærent aliquæ earum: habent .n. ex hoc quendam modum actus. Potentiæ verò actiuæ, actus quidem sūt, sed tales, quod Nota hanc Caiet. doctrinam.

sunt

sunt essentialiter intenti, & ad hoc producti in natura, non vt actus, sed vt sint principia operationum, & propter hoc, in genere principiorum essentialiter locantur: D. ergo Thomas loquitur in prima assignata ratione, de actu per se primo intento, in ratione actus, & de potentia, per se primo intenta, in ratione potentiæ. Quod autem dentur in rerum natura tales res, postularet peculiarem examinationem, ad præsens institutum impertinentem; sed breuiter patet. Habitus enim practici (vt docuit Arist. in eth.) res tales sunt; quoniam ad nihil aliud sunt, nisi ad operari: similiter formalia significata potentiarum animæ ad nil aliud sunt, nisi ad operari; vndè manifestè colligitur, quod diuersitas actuũ adæquatorum requirit diuersitatem potentiarum; quæ ratio à priori procedit, non à posteriori: Nam actus adæquatus est finis potentiæ: & ex 2. phys. expressè patet, quod ex fine assignate rationem, & conditionem eius, quod est ad finem, est reddere causam à priori; immò potissimam causam in rebus naturalibus, quia naturalia sunt propter finem.

Aristot.

11 Ex quo etiam colliges cum eodem Caietan. rationem illam, quæ circumfertur à Scotistis, nimirum: (*Distinctio in principiatis non acquirit distinctionem in principijs*:) esse sophisticam: quoniam actus potentiarum non in eo, quod effectus, sed in eo, quod fines, potentias distingunt.

Obiectio.

12 Sed obijcies contra illas propositiones, quas Diuus Thomas subsumit in proposita ratione, scilicet (*Essentia est propria potentia respectu esse, & potentia operatiua respectu operari*:) Si veræ sunt hæ propositiones, manifestè sequitur, quod quemadmodum operari, & esse, distinguuntur semper formaliter, & realiter; ità etiam, semper, omnis essentia distingueretur realiter ab omni operatiua potentia, quod implicat contradictionem; tum quia nulla essentia alicuius formæ accidentalis esset potentia; & sic calor non esset potentia calefactiua: tùm quia nulla potentia operatiua haberet esse, quia non esset essentia.

Solutio ex Caiet.

13 Ad hoc respondet ipse Caietan. quod (vt patet ex verbis D. Thomæ in responsione ad vltimum argumentum) esse hoc, non sumitur vniuersaliter, prout est commune quid ad actum primũ substantialem, & accidentalem; sed pro esse substantiali tãtum; & ratio est, quia hic sumitur, vt totaliter distinguitur cõtra esse, quod datur pro operari: tale autem non est esse accidẽtale, quia operari est quoddam accidentale esse habere. Et ideo benè potest dici, quod forma accidentalis sit proximum principium essendi, & operandi, quia & esse eius, & operari eiusdem, est quoddam esse accidentale; non sic autem se habent operari, & esse substantiale, vt de se patet; quia alterum est substãtia, alterum accidens.

Corollariũ ex superiori supposito, & doctrina. D. Thom.

14 Infer ex doctrina huius notabilis, quod si potentiæ distinguntur per distinctionem actuum adæquatorum, specificantur etiam per eosdem actus: vnde D. Thomas art. 5. quæst. 77. cit. in princ. sic ait: *Vndè oportet, rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur, & per consequens, oportet, quod ratio potentiæ diuersificetur, vt diuersificatur, & ratio actus*. Ità etiam docet Aristot. 3. de anima cap. 3. non potest autem aliquod ens suam specificationem, ac distinctionem specificam sumere ab aliqua re, quæ sit diuersi generis ab eo, & sic optimè concluditur, ad idem genus substantiæ, vel accidentis pertinere potentiam, & actum, ad quem per se talis potentia ordinatur, siue illa sit receptiua, siue actiua; vt patet 12. metaph. text. 26. ità & optimè arguit Ruuius 2. de anima c. 3. tract. de potentijs q. 1. Nec valet contra hoc obijcere, quod res vnius prædicamenti sit immediatum receptiuum rei alterius: Quoniam nullum prædicamentũ est per se potentia respectu alterius; sed, vt patet in loco allegato, in quolibet prædicamento est propria potentia illius generis: Nec sequitur processus in infinitum, quoniam actus cuiuscumque generis responder propriæ potentiæ, vt essentialiter ad se ordinatæ illi verò potentiæ non respondet alia præcedens potentia essentialiter ad aliã ordinata, quoniam ipsa est essentialiter in genere potentiæ, & si aliquid actualitatis habet, non nisi quendam actus modum habet, puta, quia inest alteri, & ad hoc sufficit, quod habeat receptiuum, in quo sustentetur absque hoc, quod essentialiter ordinetur ad hoc, & sic est status in re alterius generis, puta substãtia; & nisi sic dicatur, non potest euadi, quin substantia sit reductiuè in genere accidentis; quarè verum est, substantiam esse immediatum receptiuũ quantitatis, non tamen essentialiter ad illam ordinatum, ita Caiet. &c.

Aristot.

Ruuius.

Obiectio.

Solutio.

Ggg Septimo

§. V.

Septimum ex Ruuio.

15 Septimò nota ex Ruuio loco cit. ad primum, nō sequi ex hoc, quod materia est per propriā entitatem principium passiuū respectu cuiuslibet agentis; Animam habere etiam esse principiū actiuum proximum, atque formale suarum operationum per propriam substātiam. Et ratio esse potest, nam esse principium passiuum (vt sæpius dictum est, in physicis præsertim) Imperfectionis est; & ideo non indiget aliquo superaddito, quod sit potentia; sed materia ipsa, tamquam Imperfectissima, per se ipsam, illud officium exequitur; agere autem maximæ perfectionis est, quam non attingit creatura per propriam substantiam, sicut nec actio ipsa, vel operatio propria eius substātia esse potest. Solius enim Dei est, tanquam agentis infinitæ perfectionis, sic agere, vt tam virtus agēdi, quām actio ipsa sit eius substantia. Tribuere igitur animæ, sicut ceteris quibuscumque agentibus creatis, accidentia superaddita pro virtutibus, ac potentijs ad operandum, non est multiplicare entitates sine necessitate, sed omninò necessarias eis concedere, sine quibus agere non possent.

Virtutes, & po entiæ accidētales ad operandum sunt necessariæ cuilibet agenti creato.

16 Immò ex sententia D. Thomæ art. 3. quæstionis 54. citatæ, adeò id necessarium esse videtur fateri, vt nec de potentia Dei absoluta dari posse, credat creaturam, quæ operetur immediatè per propriam substantiam, & licet hoc non ita expressè doceat: ratio tamen qua ipse vtitur ad probandum, potentiam operatiuam Angeli, vel animæ, nō esse eius essentiam, hoc apertè demonstrat; probat enim ex intrinseca imperfectione, & limitatione creaturæ id prouenire, quod si verum est, contradictionem implicabit; cum repugnet omninò, dari aliquam creaturam, non habentem esse limitatum, atque imperfectum. Ratio igitur eius hæc est: Intelligere Angeli, vel operatio alterius creaturæ non pōt esse substantia eius, quia ad solam infinitatem Dei pertinet, quod intelligere, vel operari sit substātia eius: Esse verò creatum ex intrinseca limitatione, & imperfectione habet, quod operetur medio accidenti, quod sit eius operatio: ergo nec potentia operatiua potest esse essentia, aut substantia eius. Consequentiam probat, quia essentia creaturæ, ex sua ratione intrinseca, est in potentia ad duos actus; videlicet, ad esse substantiale, aut subsistentiam, per quem actum completur substantialiter; atque etiam ad operationem tanquam ad actum accidentalem, per quem perficitur accidentaliter; sed potentia sumit suam speciem ab actu, ad quem essentialiter ordinatur; ergò potentia creaturæ ad esse substantiale, substantialis est; Cum actus essendi sit ei substantialis; potentia verò ad operandum, accidentalis, sicut operatio ipsa, ad quam ordinatur, & à qua sumit suam speciem, & rationem, est accidens; repugnat igitur, quod potentia operatiua substantiæ creaturæ sit ipsamet eius substantia. Quod hac etiam ratione probari potest, ac declarari simul. Potentia ad operandum præsupponit essentiam vltimo terminatam, atq; completam per actum essendi, quem prius respicit, quam operationem, ergò est potentia accientalis. Probatur consequentia, quia quicquid aduenit enti iam constituto in suo esse completo, non potest esse substantia, sed accidens ei superadditum; & per consequens, realiter ab eo distinctum, quia nō potest entitas realis superadditta esse idem realiter cum entitate, cui additur.

Nec de potētia absoluta creata potest per suā substantiam immediatè operari.

§. VI.

17 Ex quo patet, falsò asserere nonnullos ex recentioribus, tum Salmaticensibus, tum etiam Complutensibus; præsertim Franciscum Murcia de la Llana 2. de anima disp. 2. de potentijs quæst. 1. *§. Dico tertiò*, vbi habet, per Diuinam potentiam nullam implicare cōtradictionem, quod Deus faciat creaturam aliquam, per suam essentiam potentem operari. Probatum est enim id maximam inuoluere repugnantiam; nam (vt optimè Ruuius loc. cit. q. 2. ad 1.) modus operandi per propriam substantiam, sine potentia superaddita, postulat virtutem infinitam in operante: Postulat enim, sicut modum operandi, operationem, quæ sit eius substantia. Hæc est in summa perfectio Diuini esse, quod sicut est propria essētia Dei, sic etiam est propria operatio eius, quare repugnat communicari creaturæ. Nec durum est asserere (inquit Ruuius) quod contradictionem implicet, dari creaturam sic operārem; licet multi teneant actu dari; quia rationes, quibus probatur, non dari, procedunt ex limitatione creaturæ, ei essentiali,

Nota contra Murciam.

Ruuius.

tiali, & ideo eadem probabilitate, qua probant, non dari, probant quoque implicare contradictionem, quod detur. Quod autem non sint demonstrationes euidentes, nihil refert; nam satis est, esse valdè probabiles, vt asseratur implicare contradictionem; & valdè probabile esse, quod per potentiam Dei absolutam fieri repugnet: non est enim necessaria demonstratio; nam si talis daretur, non esset disputabile; An per potentiam Dei absolutam fieri possit? sed esset euidens, quod non possit. hæc ex Ruuio mutuauimus, quæ valdè mihi semper placuerunt.

§. VII.

Obiectio. 18 Sed dices: quomodo hoc stare potest cum eo, quod in nostramet sententia asseritur, nimirum, Animæ potentias, proximè, & naturaliter emanare ab ea, tanquam à principio efficiente, & per actionem quidem, cum de potentia ipsius animæ educantur ab agēte. quod sine actione fieri non potest; cum ipsamet eductio sit actio, ad quam non solum passiuè, sed actiuè cōcurrit Anima? ergo iam agit, & operatur immediatè per se, & per suam substantiam, in tali emanatione, absque accidenti aliquo sibi superaddito, quod sit potentia; poterit ergo per se immediatè agere ad eliciendas operationes vitales, & ideo non indigebit superaddito accidenti, seu potentia à se distincta.

Solutio Murciæ. 19 Ad hoc argumentum respondet Murcia loco citato ad 3. illam propositionem, nimirum: *substantia non est immediatum principium operandi*: Intelligendam esse de substantia perfectè producta: tunc autem substantia aliqua censetur perfectè producta, quando non solum, quantum ad suam entitatem substantialem, sed etiam quantum ad sua accidentia est perfectè producta; tunc enim substantia operatur medijs suis accidentibus: tamen substantia, antequam producantur passiones, & potentiæ eius, est imperfectè producta; & ideo non est mirum, quod sit immediatum principiū producendi suas passiones, vt in suo esse completo perficiatur.

Impugnatur. 20 Cæterum hæc solutio non est viro docto digna; nam vel hoc, quod est, operari immediatè per suam substantiā, arguit perfectionem in operante sic, vel imperfectionem: non potest dici, quod imperfectionem arguat; cum Deus hoc modo operetur, ergo perfectionē dicit: tunc sic, si operari per suam substātiam dicit in operante perfectionem; ergo si id conuenit alicui in statu imperfecto, multo melius ei conueniet in statu perfecto, & completo secundum omne suū complementum perfectionis: sed per hunc Doctorem, operari per suam substantiam, & immediatè, conuenit animę, & cuilibet substantiæ, nondum productæ, quantum ad omne complementum suę perfectionis; ergo multo melius, si id verum esset, conueniret illi, iam perfectè productæ; sed ipsemet hoc negat: ergo infirma responsio.

§. VIII.

21 Quare doctior, ac verior mihi videtur solutio, quam affert Ruuius, quæst. illa prima cit. quam etiam annuit; & indicat Caietan. articulo illo tertio quæst. 54. pro qua notat Ruuius, quod duplex est actio: Altera dependens, non solum ab agente; (quā depēdentiam omnis actio habet;) sed etiam ab alijs extrinsecis; nimirum à subiecto, aut obiecto; approximatione inter agens & passum; & per quam producitur aliquid non habens necessariam cōnexionem cum eodem agente; & hæc vocatur *operatio*, communi appellatione, sub qua comprehenduntur omnes actiones imminentes, & transeuntes; omnesq; mutationes, & motus. Altera actio est non dependens ab aliquo extrinseco; sed solum ab agente, cuius essentiam sequitur naturaliter, & necessariò, & per quam aliquid producitur, habens non solum necessariam connexionem, sed immediatam cum eodem agente, & hæc non vocatur propriè *operatio*, immò nec vocari solet propriè *actio*; sed naturalis quædam resultantia effectus ab agente: & vterque modus actionis conuenit animæ. Prior quidem, respectu operationū vitalium: Posterior respectu potētiarum, per quas illas elicit. Et ad priorem modum agendi necessariò requirit potentias sibi superadditas, non ad posteriorem. Assignatq; differentiæ rationem, quia per modum posteriorem agendi naturaliter, & sine dependentia ab aliquo extrinseco, actio sequitur, atq; etiam effectus, & talis quidem, qui necessariā, atque immediatam cōnexionem habet cum substantia eiusdem animæ: & præ- Vera solutio. Ruuius. Caietan.

terea naturalis potius resultantia vocatur, quam actio: quare repugnat, per mediam aliquam potentiam, aut virtutem, distinctam ab eadem substantia, fieri: nã eo ipso, immediatior esset hæc eadem virtus. Præterquam quod processus in infinitum daretur, vt consideranti facilè patebit.

22 Prior verò agendi modus non habet has conditiones, quia nec naturaliter, nec necessariò sequitur actio cum dependentia à solo agente; sed ab alijs extrinsecis: nec effectus, qui producitur, habet necessariam, atq; immediatam connexionem cum eo; & propterea, necessariò ad illũ requiruntur potentiæ, per quas determinetur ad diuersa obiecta: nam secundum propriam substantiam indifferens est ad omnia. Assignatq; euidens vtriusq; actionis exemplum; atque etiam assignati discriminis inter vtrãq.; in Aqua, de qua constat, non posse operari cum dependentia ab extrinsecis, nisi per frigiditatem, & humiditatem, quæ sunt virtutes, ac potentiæ ei superadditæ, realiterq; ab ea distinctæ: & nihilominus si expellatur ab ea frigiditas ab igne per calefactionem, semoto igne, reducit, se naturaliter, & necessariò ad pristinam frigiditatem, per actionem quidẽ posterioris ordinis, non tam actionem, quam naturalem resultantiã vocatã, sine aliqua virtute, aut potentia media, per quam talis actio ab ea procedat; sed immediatè procedit à substantia eius.

23 Quo supposito, respondet ad argumentum, quod propterea anima indiget potentijs superadditis ad operationes vitales eliciendas; quia non est immediatè operatiua; nam, eodem modo agendi, quo est principium earum, verũ est, nõ esse immediatè per se operatiuã. nec talem modum agendi habet in ordine ad potentias vitales, sed longè diuersum, & quem exercere repugnat per potentias superadditas, vt probatum est: quare ex eo non probatur, quod operationes vitales per tales potentias non eliciat. Hoc etiam videtur docere Caiet. loc. cit. (vt dixi) *§. Ad obiectiones contra conclusionem, &c* cum ait, D. Tho. in eo artic. loqui tantum de potentia operatiua siue actiuè, siue passiuè operari dicatur: modo ibi vera operatio fit: per quod excluduntur (inquit) omnes potentiæ purè receptiuæ, idest quæ non media aliqua operatione aliquid habent ad actum, qualis est potentia subiecti respectu propriæ passionis, & vniuersaliter, respectu eorum, quæ per se cognita sunt rei, vndè non videtur inconueniens, ponere potentialitates tales cõgenitas substantijs rerum: nec multiplicantur entia sine necessitate, quoniam, vt patet 12. met. tex. 26. & 28. in quolibet genere, est dare propriam potentiam, & proprium actum, quæ sunt, vt principia illius generis. Ex hoc enim sequitur manifestè, quod oportet alterum duorum dicere, aut quod substantia sit reductiuè in alijs generibus, vt potẽtia reducitur ad genus actus: aut quod dentur istæ potentiæ, & congenitæ; & cum primum sit inconueniens, vt etiam ipse Scot. fatetur, oportet dicere secundum.

24 Vbi aduertite, quod licet dicamus, ad idem genus pertinere actum, & potentiam, ex Arist. locis supr. cit. 9. met. t. 1. & 12. met. tex. 26. non credo, voluisse Philosoph. asserere, actum, & potentiam collocari sub eodem prædicamento ex decem, quæ ipse statuit, nisi sermo sit de actu, & potentia metaphysicis; vt sic. n. verum esset; sed loquendo de actu, & potentia physicis, certum est, intellectum collocari sub prædicamento qualitatis, ac pertinere ad primam speciem; nimirum, ad naturalem potentiam, ad quam reliquæ potentiæ naturales reducuntur procuidubio; sic etiam calorem, &c. At verò calefactio, & reliquæ actiones, seu actus, procedentes ab ipsis potentijs, collocantur sub prædicamento actionis, vel passionis, vbi est operatio. Et sic mihi videtur sentiendum, mentem Aris. fuisse, quod actus, & potentia pertineant ad idem genus ex duobus; nimirum, vel ad genus substantiæ, vel ad genus accidentis. Et hoc etiam voluit D. Thom. cum illam propositionem adducit q. 77. ar. 1. ad probandum, animam non esse suam potentiam. Quare nulla est solutio Toleti q. 9. cit. ad primam rationem D. Thom. dum dicit, illam nil concludere. Arist. Tolet.

§. IX.

25 VEl secundo, possumus ad eãdem obiectionem facilius respondere cum eodem Ruuio, adnotando etiam illam satis vtilem, & necessariam doctrinam (quam nos tradidimus 2. phys. disp. de natura agentes de motu grauium, & leuium) nimirũ, quod ad idemmet agẽs, quod aliquam rem producit, spectat, ea omnia cum ea producere, quę illi debita sunt

Alia solutio Nota. Ad idẽ agens quod nã aliquam producit, spectat producere omne id, qđ ei debetur ex cum suę generationis.

sūt ex vi generationis, aut productionis, in eodem instanti, in quo generatur, vel producitur: & cum proprietates, & potētiæ debeantur rei ex vi generationis, & in instanti, in quo generatur, productio earum generanti tribuenda est, cui naturaliter incumbit, non quomodocunquè rem producere, sed in bono statu, ei naturaliter debito. Itaq. dum homo hominem generat, vel Leo Leonem, nō solum producit substantiam, sed in eodem instanti, omnes passiones, & proprietates, atq. potentias naturales eorum, vt vegetatiuas, & sensitiuas: & ita, dum Deus creat animam ex nihilo, in eodem instāti educit de potentia eius intellectum, & voluntatem; hæ autem potentiæ, & passiones producūtur quidem à generante, vel creante, tanquam ab agente principali, mediatamen substantia, vel Essentia animæ, tanquam instrumento, quia naturaliter eam consequuntur. Vnde anima non concurrit effectiuè ad emanationē, vel productionem potētiarum, tanquam principium agens; sed tanquam instrumentum eius; & cum instrumentum non operetur per aliquam virtutem permanētem, sibi impressam, vel superadditam à principali agente; sed per motionem eius, vel tāquam virtus eius; ideo anima, non solum non concurrit ad productionem, vel emanationem potentiarum per aliquam virtutem, aut potentiam superadditam, sed immediatè per propriam substantiam, tāquam virtutem præcipui agentis, & instrumentum eius; sed respectu operationum vitalium, præcipuum agens est; & ideo potest per potētias eas elicere, immò non aliter posset, vt probauimus.

26 Quo posito, facilè etiam Respondetur ad illam obiectionem, non adeo facilem; diuersam esse rationem de productione potentiarum, ac de operationibus vitalibus; circa has n. se habet anima, vt causa principalis, quæ nequit immediatè per suam substantiam operari, (vt visum est.) At verò respectu suarum potentiarum se habet, vt causa instrumētalis, quæ licet immediatè illarum productionem effectiuè attingat, non tamen principaliter.

27 Immò nil aliud, præter hoc, voluisse videtur Caiet. ar. illo 3. Ad primam autem rationem Scoti; vbi hanc eandem fere doctrinam, & solutionem indicauit, dicēs, quod, esse operationis principium, contingit tripliciter, s. vel proximum tantum; vel principale tantum; vel proximum, & principale simul; & quod elicere operationem aliquam, vt principium proximum tantum, dicit imperfectionē: quia principium proximū tantum, quod est instrumētum, non operatur, nisi quatenus mouetur à principali agente, & sic ab illo dependet: omne autem id, quod in suo operari ab alio principaliori dependet, imperfectionem dicit: operari verò, vt principium proximum, & principale simul, est sūmæ perfectionis; quia operatur per suam substantiam; & idem est in eo, *esse, & operari*, quod soli Deo conuenit. Elicere tandem operationem, vt agens principale tantum, medium est: & propterea rationabiliter conuenit animæ, & cuicunquè substantiæ creatæ, quæ media est inter Deum, & accidentia. Ita philosophatur Caiet. Vnde possumus superiorem solutionem facilè adducere, si dicamus, Animam, respectu suarum operationum vitalium, se habere solum, vt principium, & agens principale, non immediatum; & sic, indigere potentijs, quibus medijs, suas eliciat vitales operationes: respectu verò suarum potentiarum, se habere, vt agens immediatum, & proximum tantum: non tamen principale; cum illud sit extrinsecum agens; nimirū, Deus, qui illam creando eduxit etiam ab eius potentialitatibus, naturales, quibus ad operandum indiget, potentias; & sic, esse diuersam rationem vtriusq. operandi modi; nempè, potentiarum, & propriarum operationum vitalium.

Caiet.

CAPVT IV.

Probatur hæc verior sententia.

§. I.

1 His ergo fundamentis suppositis, probanda est modo nostra hæc sentētia aliquibus rationibus, quasi euidentibus, relictis innumeris parui momenti, quæ solent adduci à Doctoribus. Et primò authoritate D.P. Augustini celebri, & quæ non patitur glosam. Is ergo Sanctus Pater 15. de Trinit. c. 44. ait, *quod memoria, intellectus, & voluntas non distant in Diuinis personis, sicut in nobis, in quibus aliud est memoria, aliud intelligētia,*

1. probatur nostra sent. ex D.P. Aug.

tia,& aliud dilectio;& accipit intelligentiam, & dilectionem, pro intellectu; & volũtate,vt facilè patebit legenti textum eius; nam ibi ipse loquitur de memoria, intelligentia, & dilectione, quæ sunt partes imaginis creatæ, vt in tex. patet: sed partes imaginis non consistũt in actibus animæ, sed in ipsis potẽtijs (vt ex eodem Augustino docent communiter Scolastici in 1.dist.3. vbi q.1.art.1.egregiè id demõstrat noster Toletanus) ergo ex mente Augustini, potentiæ animæ non sunt ipsa anima,sed realiter ab illa distinctæ.

Toletan.

Effugium. Occurritur.

2 Nec valet dicere,ex illis verbis nõ colligi, distingui realiter potentias ab anima,sed tantum formaliter: nam, in sententia Scoti, qui has formalitates ponit, intellectus,& voluntas etiam formaliter distinguũtur in Deo. Dictus autem Augustinus dicit, has potentias non distare in Diuinis, sicut in nobis,ergo plus distant, & differunt in nobis, quàm in Deo,ergo realiter:non.n.aliam valemus excogitare distinctionem maiorem.

Conf. ex eodem.

3 Item idem Augustinus eodem libro:c.tamen 7. in principio ait, *mentem non esse animam, sed esse aliquid ipsius animæ, vel aliquid in ipsa anima*, mentem autem distinguit à notitia,& sic ibi necessariò per eam intelligit intellectum. Addé Dionisium c.11. de cęlesti Hierar. vbi de Angelis ait, *quemlibet diuidi in substantiam, virtutem, & operationem*, ita distinguens virtutem à substantia, sicut operationem ab vtraque:sed certum est, operationem esse accidens, realiter ab eis distinctum:quia (vt dictum est) in solo Deo operatio est eius substantia: ergo sentit, illa tria realiter distingui; quod si verum est in Angelis, ergo & in anima.

Ex Dionis.

Ex Ansel.

4 Adde Anselmum in lib. de casu Diaboli cap.8. vbi expressè ait, *potentias animæ non esse substantiam eius, non tamen esse omninò nihil, nec voluntatem, nec conuersionem voluntatis, puto, negari posse, aliquid esse, nam & si non sint substantia, non tamen probari potest, eas non esse Essentias, quoniam multæ sunt essentiæ præter illam, quæ est propriè substantia*. hæc Anselmus. Adde tandem Damasc.in sua dialectica, vbi ponit potentias animæ in prædicamento qualitatis; & ideo sentit, esse vera accidentia realia, & sic non esse idem realiter cum substantia eiusdem animæ. Tandem idem Anselm. de concord. c.20. ait, *sicut habemus in corpore membra, & quinque sensus, singula ad suos vsus apta, quibus, quasi instrumẽtis vtimur; vt sunt pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum; ita etiam anima in se quasdam vires habet, quibus vtitur, velut instrumẽtis, ad vsus congruos: namq. ratio in anima, quasi sicut instrumento vtitur ad ratiocinandum, & voluntas, qua vtitur ad volendum, &c.* & subdit, *non .n. est ratio, vel voluntas tota anima, sed est vnaquaq. aliquid in anima*.

Ex Damasc.

Ex eadem D.Ansel.

5 Quod etiam huius fuerit sententiæ Arist. non obscurè ex multis locis ipsius colligi posset; sed præsertim ex eo id manifestè colligo, quod diffiniens animam 2.de anima c.2.inquit, *esse actum corporis Physici organici, &c.* in 1.autem lib.de anima tex.12.inquit, *intellectum non esse actum corporis, neq. informare illud, immò nec aliquam illius partem: hoc .n. ipsa anima præstat*, ergo sentit, intellectum realiter ab anima distingui. Patet consequentia, quia si sic non differret intellectus ab anima, sequeretur, quod si anima est actus,& forma corporis, etiã intellectus esset corporis actus, & forma.

Ex Arist.

§. II.

6 Nec ad hoc sufficit distinctio formalis: nam anima nõ informat corpus per aliquam rationem formalem præcisè; sed per suam entitatem realem, & phisicam: ergo si intellectus esset eadẽ entitas realis, & phisica cum anima, non posset hæc corporis esse actus, illudq. informare, quin etiam intellectus, & actus esset corporis, & illud informaret per suam entitatem, quæ esset animę entitas.

7 Adde alium locum 1.de anima tex.90. & sequentibus, vbi vnam animã ponit in vno, secundum substantiam; plures verò potentias. Adde 2.de anima c.3. dubitat de potentijs, an sint simul subiecto, an diuersæ sint subiecto? Adde tandẽ 1.ethic. ad Nicomacum c.6.vbi de intellectu & anima loquẽs, sic affatur. *Quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens, & aliud in alio.* Quæ verba non essent vera, sine reali distinctione, siquidem visus à corpore certũ est, quod realiter distinguitur:potest.n.sine eo corpus esse: ergo eodem modo mens, siuè intellectus distinguitur ab anima. Nec potest esse verum, quod aliud sit in alio, sine reali distinctione, nam intellectus non potest esse in anima, nisi, vel tanquã

pars

pars in toto vel tanquam accidens in subiecto: quocunque autem horum modorum sit, necessario differt realiter ab anima; nam pars realiter differt a toto (vt diximus 1. Phis.) & accidens nequit in esse subiecto nisi realiter distinguatur ab eo, nam realis inhærentia vnius in altero, præsupponit realem distinctionem.

§. III.

1. ratio. 8 Probemus modo rationibus hanc eandem veriorem sententiam, & prima sit, Volũtas, & Intellectus realiter inter se differunt: ergo & ab anima: consequentia patet, quia anima est vna simplex entitas, ergo non potest esse idem realiter cum intellectu, & voluntate, si realiter differant hæ potentiæ inter se: probatur modo illud antecedẽs, demonstratis intellectu, & voluntate creaturæ rationalis, arguo sic: hæc voluntas est potentia libera, & hic intellectus non est potentia libera, ergo hic intellectus non est hæc voluntas: hæc syllogismi forma in creaturis est necessaria, & præmissæ patent, quod voluntas sit potentia libera, dubium nulli est. Quod verò intellectus non sit potentia libera, sic ostendo breuiter: illa potentia, cuius actus sunt in alterius potestate nequit dici libera potentia, illud n. tantum dicimus esse nobis liberum, quod in nostra est potestate ex Augustino 3. de liber. arbit. c. 5. sed actus intellectus sunt in potestate voluntatis; quia voluntas potest intellectum diuertere à consideratione vnius obiecti ad considerationem alterius, vt docet experientia; ergo intellectus potentia libera non est.

9 Et confirmatur illud antecedens; hæc voluntas vult, & non intelligit, hic intellectus intelligit, & non dicitur velle; ergo hic intellectus non est hæc volũtas; Vel sic: hæc creatura rationalis per hanc voluntatem vult, & non intelligit; & per hũc intellectum intelligit, & non dicitur velle; ergo, &c. Forma optima est, & præmissæ sunt D. P. Augustini 15. de Trinit. c. 14. vbi ponit differentiam inter Trinitatem creatam, & increatam; quia in Trinitate creata non intelligimus, nisi per intellectum; nec amamus, nisi per voluntatem. In Trinitate verò increata nõ possumus dicere, quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus non intelligant, nisi per Filium; nec ament, nisi per Spiritum sanctum, ergo, &c. Aug.

10 Secunda ratio sit Toleti loc. cit. Ab vno, vt vnum est, non possunt immediatè plura procedere; sed ab anima vna, & simplici procedunt multę operationes valdè disparatæ, valdèque diuersæ; ergo aliqua pluralitas in ea est distinguenda realis; & hæc erit potentiarum; varijs n. facultatibus, & viribus, vnum benè potest plura operari. 2. ratio. Tolet.

§. IV.

11 Nec obstat Scoti instantia, asserentis; quod eodem modo, quo ipsæ potentiæ plures, in D. Thom. sententia, dicũtur immediatè ab vna anima esse, poterunt, & ipsæ operationes, quantumcunquè disparatæ, & diuersæ; nam vt dictum est, diuerso modo concurrit anima ad operationes vitales; ac ad ipsas potentias: respectu n. potentiarum se habet solum vt principium proximum, & instrumentale, non verò principale: at respectu operationum vitalium se habet, vt principium principale & præcipuum. Instantia Scoti. Eneruatur.

12 Tertiò probat idem Tolet. à simili, de elementis, quæ maximè actiua corpora sunt, in quibus ponuntur virtutes realiter distinctæ ad operandum: nimirum; in igne, calor, & siccitas; humiditas, & frigiditas in aqua; ergo pari ratione, in anima ad suas operationes, ponẽdæ sunt virtutes distinctæ ab ipsa; licet non percipiantur sensu. 3. ratio.

13 Quarta optima etiam ratio est ad hoc probandum, ea, quam D. Tho. adducit, & nos supra retulimus (nimirum) operationes animæ, nempè intellectio, & volitio, non sunt in genere substantiæ, sed accidentis: ergo nec potentiæ operatiuę, à quibus egrediũtur, substantiæ esse possunt, sed accidentia; ergo realiter ab ipsa anima, quæ substantia est, distinctæ: antec. certum est, cum consequentia secunda: prima verò ex superioribus dictis satis constat; nam potentiæ specificantur ab actibus, & sunt in eodem genere, substantiæ, nimirum, vel accidentis, cum ipsis: immò & diuersificantur iuxta diuersitatem ipsorum, si adæquati sint. 4 ratio. D. Th.

§. V.

14 Fateor, secundam illam D. Tho. rationem maximam inuoluere difficultatem: quando n. asserit si anima per se ipsam operatur, ergo sẽper operatur; nam anima semper dat esse, dum est in

cor-

Ratio quędā D.Th.insufficiens. corpore: quia per se ipsam dat esse; semper ergo operabitur, si per se ipsam dat operari; ergo non per se, sed per potentiā sibi superadditā operatur. Optime huic respondendo, occurrūt aduersarij, immò & Tolet. loc. cit. quod si in eodem genere causæ vtrunq. faceret anima, vtiq. probaret argumentum, sed non ita fit; nam respectu ipsius esse se habet, vt causa formalis; & ideo dū est in corpore semper dat esse; immò nec de potentia Dei absoluta fieri potest, quod forma sit in subiecto, & non det illi esse suum formale: cęterum in ordine ad operationes vitales se habet vt causa efficiens; & sic non semper operatur: cum causa efficiens, non est necesse, quod semper operetur, cum eius effectus pendeat etiam à materia, siuè ab obiecto, vt sunt operationes animæ; & quia obiectum multis modis potest impediri, ideo non est necesse, quod anima semper operetur, etiam si concedatur immediatè operari; sic etiam calor semper dat esse calidum subiecto suo, in genere causæ formalis; non tamen semper calefacit, &c.

Argent. 15 Præter quam quod (vt optimè Argent. loc. cit. *§. Quantum .n. ad primum*) si teneret illud argumentum, sequeretur etiam manifestè, quod semper habens intellectum, semper intelligeret; & semper habēs voluntatem, amaret, quod falsum est: quarè asserit, non esse simile, de esse viuo, quod semper dat anima corpori; & de Intelligere: nam viuere se habet in ordine ad Intelligere, vt actus primus, quia *viuere viuentibus est esse*; vt dicitur 2. de anima; sed stante actu primo actus secundus multipliciter potest impediri, propter hoc, quod plura requirit, actus secundus, quam actus primus; quorum quocunq. deficiente, deficit talis actus.

§. VI.

5. ratio ex Aegid. 16 Probatur ergo quintò, argumento nostri Aegid. quodl. 3. q. 10. quod ad hanc formam reducit noster Toletan. 2. de anima q. 3. ar. 1. In essentialiter ordinatis, non est transitus de extremo ad extremum, nisi per medium, realiter distinctūm ab vtroq. extremo; sed ista tria se habent per ordinem, .f. *Ens per se stans; accidens permanens, & accidens transiēs, siu fluens*, ergo impossibile est transire ab ente per se stante ad accidens fluens, nisi per accidens permanens, quod est mediū inter ista duo, realiter distinctum ab illis: cum ergo actus, siuè operatio vitalis sit accidens fluens; & forma substantialis sit ens per se stans, impossibile est, formam substantialem, seū animam (de hac .n. loquimur) posse elicere operationes vitales, nisi mediante aliquo accidenti permanēte, quod non sit idem realiter cum ipsa anima; sed id, mediante quo anima elicit suas operationes vitales est ipsa potentia, siuè intellectiua, siuè volitiua; ergo potentia accidens est permanens realiter distinctum ab anima.

17 Probatur sextò, ratione, quam adducit Scot. in 2. dist. 26. q. 1. ad probandū, quod relatio differat realiter à suo fundamēto: vnde si ad hoc probandum concludit, valebit etiam ad probandam nostram sententiam contra ipsum Scotum de distinctione animæ à suis potentijs: 6. ratio ex Scoto desumpta. hæc ergo potest sic efformari: *Quando* aliqua duo identificantur realiter cum aliquo; minus differunt inter se, quam ab alio ente, quod est in alio realiter distincto à priori; sed intellectus hominis minus distinguitur ab intellectu Angeli, quam à voluntate eiusdem hominis; ergo intellectus, & voluntas non sunt idem realiter cum anima: ma. patet de se, & declaratur exemplo. Esse sensibile, & esse rationale idētificantur realiter in homine; ita, vt vnum realiter sint & inter se, & cū ipsomet homine (vt latius docuimus in nostra Logica disp. 3. de vniuersalibus) esse corporeum, & inanimatum realiter etiam identificantur in lapide v.g. & sunt vnum realiter cum ipso lapide: minus differunt in homine, esse sensibile, & esse rationale; quam esse sensibile in homine, & esse inanimatum in lapide; quia lapis essentialiter, & realiter differt ab homine; & ex consequenti, quicquid vnū realiter est cum lapide, eodem modo differt ab omni eo, quod est vnum realiter cum homine; quarè illa maior propositio est certa; nempè, quando aliqua identificantur realiter cum aliquo, minus differūt inter se, quam ab alio ente, quod est in alio, realiter distincto à priori.

18 Probatur modo minor, nempè, quod intellectus hominis minus differat ab intellectu Angeli, quam à voluntate eiusdem hominis: sic. Illa, quæ in pluribus conueniunt, omni operatione intellectus circumscripta, minus ad inuicem distinguntur, quam illa, quæ in paucioribus conueniunt (vt certum est:) sed intellectus in homine, & in Angelo in pluribus conueniunt, quam intellectus, & voluntas

luntas in vno homine, omni operatione intellectus circumscripta; nam duo intellectus, vbicumque ponatur, conueniunt, quod vterque est potētia formaliter apprehensiua; habet in se speciem intelligibilem, quam sibi facit obiectiuè præsentem, eamq; representat voluntati prosequendam, vel reijciendam. Tandem operatio, quæ conuenit vni intellectus, quatenus intellectus est, conuenit & alteri: Ast voluntas potius fertur in obiectū sibi ab intellectu propositum: non est apprehensiua potentia; sed dicitur potentia cæca. Immò ipsa est libera potentia, sicuti non est intellectus, ergo, &c. Concluditur, quod si intellectus vnius realiter differt ab intellectu alterius, quod et ad minus realiter differant inter se intellectus, & voluntas in anima: ergo non erunt vnum realiter cum illa; nam quæ sunt realiter, & physicè inter se distincta, non poterunt esse vnum realiter, & physicè cum alio.

19 Vltimò tandem probari potest, quia omnis creatura, quæ potest per se existere, habet aliquam propriam passionem inseparabilem, distinctam realiter à se; sed anima intellectiua potest per se existere, quia separatur à corpore, ergo habet aliquam propriam passionē inseparabilem, distinctam à se realiter. Tunc sic: Ista propria passio, vel sunt ipsi actus intelligendi, & volendi, vel ipsæ potentiæ, scilicet, intellectus, & voluntas; cū in anima separata nil aliud ponatur, nisi sit sua essentia; sed non possunt esse ipsi actus propria passio rationalis animæ: quia actus continuè desinunt esse, & separatur; passio autem propria debet esse inseparabilis, & permanens semper; ergo propria passio animæ erunt ipsæ potentiæ: & sic erunt realiter distinctæ ab anima. Maior primæ rationis patet, inductiuè, in omnibus rebus naturalibus. Et ratione etiam probatur: quia propria passio nascitur ex principijs speciei, & ex principijs intrinsecis; & per consequens consequitur omnem essentiam, siuè rem naturalem, quæ potest per se existere; cū talis sit alicuius speciei, siuè in aliqua determinata specie. Quod autem talis propria passio distinguatur realiter ab ipsa re: patet per Aristot. 1. post. tex. c. 9. (Arist.) qui dicit, quod propria passio prædicatur de subiecto in secundo modo dicendi per se: omnia autem, quæ sic prædicātur distinguuntur realiter ab eo, de quo prædicantur, ergo, &c.

CAPVT V.

Destruuntur fundamenta primæ sententiæ, & satisfit rationibus Scotistarum.

§. I.

1 EX dictis patet, falsa esse ferè omnia fundamenta oppositæ sentētiæ; Et in primis: Primum illud Scotisticum fundamentum de continentia vnitiua, quo asserebat, continentiam vnitiuam non esse eorum, quæ omninò sunt vnum, nec eorum, quæ manent distincta eadem distinctione, qua prius distinguebantur, sed eorum, quæ fortè erant inter se distincta realiter; Vnita verò, sunt vnum realiter, manent tamen distincta formaliter; Et hoc modo vnitiuè contineri potētias in anima: Hoc enim patet falsum esse: nam illa ratio tātum currit in compositione *huius ex his*; quando, scilicet, ex partibus componitur aliquod totum; tunc ille partes simul vnitæ aliquam vnitatem habent, ratione vnionis, quam nō habebant antequàm vnirentur (vt docui 1. Phys. disputās; An totum distinguatur realiter à suis partibus?) quælibet autem illarum partium ab altera, & à toto, adhuc realiter distinguitur (vt ibidem latè dixi) Et sic, etiam si cōcederemus, compositionem animæ ex potentijs, esse cōcompositionem *huius ex his* (quod patet falsissimum esse, consequuntur enim potentiæ ipsam animam, iam constitutam in suo esse essentiali, & totali secundum substantiam; & sic eius potentiæ sunt potius quædam perfectiones accidentales ipsius) sed dato, & non concesso, quod illa esset vera compositio *huius ex his*; adhùc anima distingueretur, à qualibet suarum potentiarum; & illę inter se etiam realiter distinguerentur; nō enim intellectus est anima; neque volūtas anima est, formaliter loquēdo; quia huiusmodi prædicationes conueniunt solummodo prædicatis essentialibus, & toti metaphisico, seù logico; Præter quā (Primum fundamentum ruit.)

quod illa compoſitio proprius dicenda eſt *huius ad hoc*; quia potentiæ animæ (vt ex ſuperioribus latis conſtat) ſunt potius aliquid in ipſa anima ſubiectiuè; Vndè patet, non eſſe eandem rationem de ente, & ſuis proprijs paſſionibus; nã ens nõ eſt cauſa ſuarum paſſionum, ſicuti animam cauſam eſſe diximus ſuarum potentiarum; Præter quam quod quælibet propria paſſio entis eſſentialiter includit ipſam rationem entis; & quælibet illarum conuertitur cum ipſo ente; & ſic non currit ratio de potentijs animę.

Secundum fundamentũ impugnatur.

2 Item patet, falſum eſſe etiam ſecundum fundamentum pro ſententia Scoti adductum, quo fatentur Scotiſtæ, illam propoſitionem pluries repetitam, nimirum (*actus, & potētia ſunt ſub eodem genere*) Verificari ſolum de potẽtia obiectiua; nõn autem de potentia actiua, ſiuẽ paſſiua; probauimus namque efficaciter, intelligendam eſſe propoſitionem illam etiam de potẽtia actiua, & paſſiua, reſpectu ſuorum actuum adequatorum, ad quos per ſe ordinantur; Neque valet illa obiectio, quam faciunt contra Caiet. doctrinam hanc, de potentia per ſe in ordine ad actum per ſe; ſiquidem ſophiſticè ſatis procedit, dum ait; Quia ſi actus per accidens, & potentia per accidens non ſunt ſub eodem genere, malè D. Tho. concludit, potentiam animæ eſſe accidens, ex eo, quod operatio eius accidens eſt: rationem præbens, *quia actus, & potentia, ſunt ſub eodem genere: Ignorabat forſitan D. Thom. operationem animæ eſſe accidens? minimè quidem*. En fallaciasen ſophiſtica falſitas, confunditur enim in iſta ratione ly *per accidens*, cum ly *accidens*; aliud enim eſt dicere, potentiam *per accidens* non eſſe ſub eodem genere cum actu *per accidẽs*; quod verum eſt: Aliud vero dicere, potentiam *accidentalem*, quæ per ſe potentia eſt, non eſſe ſub eodem genere cum operatione *accidentali*, quæ per ſe reſpõdet, & adæquatè tali potentiæ, quod falſum eſt. Quarè dum aſſerimus, potentiã per ſe collocari ſub eodem genere cum actu, ad quem per ſe ordinatur talis potentia; per ly *per ſe* non intelligimus tantum potentiam ſubſtantialem, ſed etiam quamcunque accidentalem potentiam, quæ per ſe reſpicit ſuum adequatum actum; & ſic illa propoſitio vera etiam eſt de potentia, quæ eſt principium operationis, & non ſolum de potentia obiectiua.

Satisfit Scoti obiectionib. in ſecundo fundamento adductis.

3 Neque valet illa alia Scoti obiectio, ad calcem ſecundi fundamenti poſita; nimirum, non eſſe verum in doctrina D. Th. quod ſubſtantia non ſit immediata cauſa actiua; ſed quòd agat per principium, à ſe ipſa diſtinctum; mentem enim D. Th. fusè explicauimus; Cũque hoc probat ex Ariſt. 6. met. vbi aſſerit, ſubſtantiam non produci in eſſe, niſi à ſubſtantia præexiſtente in actu, nil colligit; ex eo enim loco non infertur, ergo ſubſtantia immediatè à ſubſtantia producitur; ſed ſolum, quod principaliter ab illa producatur. Ad reliquas confirmationes ex D. Th. deſumptas, iam patet reſponſio; vidimus enim, quo pacto anima habeat virtutem actiuam reſpectu ſuarum paſſionum, ſcilicet, inſtrumẽtaliter tantum, & proximè; non principaliter; & eodem modo paſſiones dicũtur immediatè cauſari à proprijs ſubiectis. Quantum vero ad tertium fundamẽtum; iam diximus, illam D. Th. rationem, contra quam procedit, maximas inuoluere difficultates, & non eſſe adeo efficacem.

§. II.

Ad primam prob. contrariæ ſentẽtiæ reſpond.

4 **R**Eſtat modo ſatisfacere rationibus adductis pro contraria ſententia; Et prima iam patet, quid dicendum ſit ad primam rationem deſũptam ex authoritatibus D. Augnſtini; illas prædicatioues, nimirum, non eſſe eſſentiales, neq; identicas; ſed potius cauſales, vt diximus in 5. notab.

Ad 2.

5 Ad ſecundam rationem, deſumptam ex commentar. 3. de anima, iam patet etiam reſponſio, tùm ex his, quę diximus ad calcem 5. notab. ex Ægid. vbi quærebamus, cur anima non eſt eſſentialiter ſua potentia, ſicuti materia prima eſſentialiter dicitur eſſe potentia? & dicebamus, quod ad primum agens ſpectat eſſe ſua potentia actiua; ſicuti ad primum paſſiuum ſua potentia paſſiua; ea autem, quæ ſunt inter Deum, & materiam primam non poſſunt eſſe neque puras actus, neque pura potentia, tum etiam ex his, quæ diximus notab. 7. ex Ruuio; videte ibi.

Ad 3. D. Thom.

6 Ad tertiam rationem reſpondet D. Tho. art. 1. cit. q. 77. ad tertium, quod ſicuti eſſe eſt compoſiti, ità & actio: exiſtẽtis enim eſt agere. Compoſitum autẽ per formam ſubſtantialem habet eſſe ſubſtantialiter: per virtutem vero, quæ

con-

cõsequitur formam substantialem, operatur, vndè sic se habet forma accidentalis actiua ad formam substantialem agentis, (vt calor ad formã ignis;) sicuti se habet potentia animæ ad animam: Quæ Responsio videtur satis difficilis; Quarè sic eam explicat Caietan. quod, apud D.Th. cum accidens dicitur agere in virtute substantiæ, est constructio intransitiua .i. est ipsa virtus substãtiæ. Huc enim inquit Caiet. tendit ista responsio, quod accidentalis vis, non sua, sed substantiæ virtus est; quoniam eius est virtus, cuius est egere; quod est eius, cuius est esse, quod non est, nisi compositi, quæ solutio optima est.

Tolet. 7 Tamen facilius ad dictam rationem respondet Tolet. non derogare simplicitati formæ substantialis, quod per aliam operetur, quia non componitur ex eo, forma autem cum immediatè det esse substantiale per se, non per se ordinatur ad operãdum, nisi per virtutem superadditam, quæ, cum non det esse per se, sed accidentale, immediatè se habet ad operandum.

Ad 4. 8 Ad quartam rationẽ; Iã diximus, quomodo anima est principium sentiẽdi, & intelligendi; idest, primum, & principale, non autem immediatum, & instrumentale.

Ad 5. 9 Ad quintã. Ad illã authoritatẽ D. Augustini iam patet responsio ex 5. notab. Aug. enim inquit, potentiam non esse in anima, sicut accidentia in suis substantijs; quia hæc sunt accidẽtaliter; Illæ verò naturaliter: non enim sunt accidentia communia, sed proprietates, & propriæ passiones ab essentia animæ dimanantes.

Ad 6. 10 Ad sextam Respondeo, quod licet anima non sit composita ex materia, & forma, habet tamen aliquid potentialitatis admixtum; quicquid enim est inter purum actum, & puram potẽtiam, neque purus actus esse potest, neque potentia pura; vt dictum est; & sic anima potest dici subiectum suarum potentiarum; Illa autem ratio valet in Deo, qui est purissimus actus.

Ad 7. 11 Ad septimam Respondeo, quod rationale, & sensibile, prout sunt differentiæ, non sumuntur à potentijs sensus, & rationis: sed ab ipsa anima sensitiua, & rationali: quia tamen formæ substantiales, quæ secundum se sunt nobis ignotæ, innotescunt per accidentia, nihil prohibet, interdum, accidentia loco differentiarum substantialium poni: ita D.Thom. ad vlt.

D. Thom. Ad 8. 12 Ad octauam, iam patet ex 7. notabil. non esse possibile, essentiam animæ operari sine eo, quod assignemus illi has potentias, realiter distinctas ab ea; immò ibi docuimus implicate contradictionem, posse produci creaturam, quæ operetur immediatè per propriam substantiam, & non per aliquid superadditum illi, quod medier inter substantiam, & operationem.

13. Ad nonam, negatur sequela: Ad 9. nimirum, quod si intellectus, & voluntas distingũtur realiter ab anima, sequitur, quod anima non esset beata, nisi per accidens. Ad cuius probationem Respondeo cum Caietano, quod operari mediante virtute propria, *Vt quo*, non est operari per accidens; non autem est eadem ratio de Beatitudine comparata ad potentiam substantiæ intellectualis; & de colore, comparato ad superficiem, & ad substantiam corpoream; ita quod, quemadmodum color informaret superficiem, si esset separata à corpore: ita beatitudo potentiam, si esset separata à substantia. Ratio est, quoniam Beatitudo est essẽtialiter operatio vitalis, quam, non est intelligibile esse, nisi viuentis; tum etiam, quia Beatitudo non potest esse, nisi in Beato: non potest autem fingi, quod potentia separata esset Beata; quemadmodum superficies esset colorata: nam intellectus separatus non est substantia Beatitudinis capax, sicuti superficies coloris: Ad operandum enim operationes vitales, intellectus, & voluntas essentialiter, & necessariò indigent actuali concursu principij vitalis, nempè, animæ; vt dixi in Logica cap. de proprio disp. 8. sect. 2, *§. sed petes supposito miraculo, &c.* Superficies autem ad recipiendum colorem non indiget actuali concursu substantiæ, & sic nõ est eadem ratio de colore respectu superficiei, & de Beatitudine respectu intellectus.

14 Vel Respondeo cum nostro Toletano dist. 3. citata ad rationes Scoti, ad secundam, concedendo, quod anima est Beata per accidentia, quia per Beatitudinem, quæ est ei accidens, & mediantibus intellectu, & voluntate, quæ sunt ei accidentia, dicitur esse Beata, nõ autem per aliquam substantiam, neque essentialiter potest dici Beata; ita vt Beatitudo essentialiter illi conueniat, immò Alia respon. sio Toletan.

Hhh 2 neq;

ne; vt propria passio, sed accidentaliter.

Ad 10. 15 Ad decimã, quæ erat prima Adami, Respondet ipsemet Toletan. distinguendo mai. Dupliciter.n. potest intelligi; quod natura intellectualis, omni alio circumscripto, nata sit intelligere, & velle; vno modo, quia omni alio circumscripto, nata est fundare, & habere intellectum, & voluntatem, quibus mediãtibus potest exire in actus cognitionis, & volitionis: alio modo, quia, omni alio circũscripto, nata est intelligere, .i. recipere in se ipsa intellectionem, & volitionem; & per consequens, intelligere, & velle. In primo sensu concedenda est maior; intellectus .n. & voluntas non fundantur in natura intellectuali, mediantibus alijs accidentibus, distinctis realiter ab ipsa: sed in secundo sensu, maior illa est falsa, de natura intellectuali creata. Et quãdo vlterius dicitur, quod hoc *natum velle* est natum intelligere, & è contra; *vel, per natum velle* intelligit potẽtiam volitiuam; & per, *natum intelligere* potentiam intellectiuam; & sic falsa est illa propositio, & est petitio principij; nam in creaturis (inquit Augustinus) sic intelligimus per intellectum, quod non per voluntatem; & sic volumus per voluntatem, quod non volumus per intellectum, vt dictum est supra. Vel per, *natum velle* intelligit animam; & tunc distinguẽda est propositio; nam anima non est nata *velle* proximè; & immediatè per se ipsam; sed principaliter, & vt *quod*; siue radicaliter; & hoc modo loquendi, ipsa, quæ sic est nata velle, est eodem modo nata intelligere; si autem loquatur illa propositio de eo quod natum est velle proximè, & *vt quo*; tunc falsum est, quod id, quod natum est velle, *vt quo*, sit natum intelligere, vt *quo*; quia voluntas est, quæ nata est velle vt *quo*, non autem nata est intelligere; & intellectus natus est intelligere vt *quo*; non autem est natus velle.

Ad 11. 16 Ad vndecimam, quæ erat secunda Adami, Respondeo, illam diuersitatem esse ponendam propter diuersitatem actuum; sic.n. intelligimus per intellectũ, vt diximus, quod non per voluntatem; & è cõtra. Vnde satis diffusè probatum est, diuersitatem actuum adæquatorum arguere diuersitatem potentiarum; & quãdo dicitur, quod tunc tot essent potentiæ intellectiuæ, quot essent actus intelligendi, specie distincti; negatur, quia omnes illi actus intelligendi non excedunt rationem actus adæquati intellectus, qui est, intelligere vt sic.

17 Alij etiam Respondent (vt refert Toletanus) quod potest concedi, quod illa diuersitas in potentijs sit propter diuersitatem modorum principiandi: quia potentia limitata non potest principiare liberè, & naturaliter; & quando probat Adam à simili de voluntate Diuina, &c. Responderi potest, disparem esse rationẽ de potentijs in Deo, & in creaturis (vt dictum est). Secundò, quia Adam debet probare, quod principiare liberè, & naturaliter nõ opponantur, & probat, quod principiare liberè, & necessariò non opponuntur; & ista multum differunt; quia principiare necessariò, & principiare naturaliter non conuertuntur; voluntas .n. creata necessariò diligit Deum claré visum; & tamen actum illum dilectionis non eligit naturaliter, prout *naturaliter* distinguitur cõtra liberum: & in diuinis, Pater, & Filius necessariò spirant Spiritũ sanctum, & tamen non per modum naturæ, sed per modum voluntatis, vt dicitur in materia de Trinitate.

18 Ad vltimam rationem distinguo antecedens; Essentia animæ non potest esse sine potẽtia intellectiua, naturaliter loquendo, concedo: de potentia Dei absoluta, negatur: vt latè docui in Logica, disp. 8. de proprio sect. 2. Ad cuius probationem, distinguo etiam sequelam: anima non esset intellectiua: formaliter, cõcedo: radicaliter, & principaliter, nego; quia tunc, etiam si actu non haberet intellectum, per quem diceretur formaliter intellectiua, & actualiter: semper tamen remaneret principium, & radix ipsius intellectus: ita vt si relinqueretur suæ naturæ anima, tunc eo ipso dimanaret ab illa ipsa potentia intellectiua, naturaliter: & sic diceretur intellectiua radicaliter, & virtualiter. Ad vlt.

CAPVT VLTIMVM.

Satisfit titulo disputationis.

1 SVpposueramus in precedenti disputatione, Essentiam realiter distingui à potentijs; quod erat necessarium eidem dispositioni; nunc visum fuit breuiter illud suppositum examinare: tum pro corroboratione

ne eorum, quæ ibi diximus: nempè, quod gratia realiter distinguatur à charitate, siquidem, cum hic dicturi simus in probabiliori opinione, Gratiam subiectari in Essentia animæ: charitatem vero in voluntate; cum certum sit, vnum, & idem numero accidens non posse duplici subiecto realiter distincto inesse: videtur euidenter sequi, Gratiam, & charitatem, realiter distinguitum etiam, quia præcedens determinatio non nihil confert ad præsentem dispositionem, quæ modo facillima apparet, suppositis omnibus his, quæ huc vsq. diximus.

Conclusio. Gratia non subiectatur in potentia aliqua, sed in ipsa animæ Essentia immediatè.

2 Et sic resolutè dicimus cum D. Th. q. 10. cit. ar. 4. & Aegid. dist. illa cit. 26. q. 1. art. 3. & alijs à recentioribus citatis, Gratiam immediate subiectari in Essentia animæ, & non in aliqua potentiarum ipsius. Quæ conclusio potest primo probari ex eo, quia per gratiam dicimur regenerari, (vt habetur Io. 3.) ergo sicut non dicitur aliquid generari naturaliter, nisi accipiendo substantiam, & naturam; ita non dicetur aliquid spiritualiter generari in esse supernaturali, secundum animã, nisi accipiendo aliquid spirituale supernaturale in ipsa substantia animæ, & naturæ: ergo gratia, per quam regeneramur, hoc est, generamur spiritualiter supernaturaliter, subiectatur in ipsa substantia animæ.

D. Io.

3. Secundò: primum principium essendi substantiale realiter differt à principio immediato operandi; cum principium primum essendi sit Essentia, & principium operandi immediatum sit potentia; & iam constet ex dictis, Essentiam realiter distingui à potentijs, sed Gratia, licet qualitas sit, & accidens, se habet tamen ad modum formæ substantialis, dãs primũ esse supernaturale; sicut charitas, & reliquæ virtutes, cum sint operationũ principia immediata, constituunt earum subiecta in actu primo ad operandum: ergo sicut virtutes subiectantur in potentijs, quæ sunt operationum principia, ita proportionaliter gratia debet subiectari in Essentia animæ, quæ est principium essendi naturale.

4 Et confirmatur. Habitus, qui recipiuntur in potentijs, dicuntur proximè ordinari ad operationes earundem potentiarum; quia quilibet habitus operatiuus proportionari debet suo receptiuo, & respicere idem obiectum, quod ipsa potentia respicit, determinando potentiam ad illud; sed gratia non est principium proximum operãdi, nec illi magis debetur vna operatio, quam altera; ergo non in potentia, sed in Essentia animæ poni debet tãquam radix, & principium habituum, & virtutum infusarum.

5 Et confirmatur: per gratiam dicimur sanctificati, & Deificari: per eam enim efficimur Diuinæ naturæ consortes: sed id, quod primo, & per se sanctificatur, & Deificatur, non est potentia, sed Essentia: ergo immediatè gratia in Essentia, & nõ in potentia subiectatur.

6 Posset tamen contra hanc veritatem primo obijci, sicut sibi primo obijcit Aegid. Opposita sunt apta nata fieri circa idem, sed gratia, & peccatum sunt opposita: ergo quemadmodum peccatum est in voluntate, tanquam in subiecto, sicut liberum, & voluntarium: ita gratia debet esse in voluntate, tanquam in subiecto: opposita namq. debent esse in eodem subiecto, vt inde mutuo se expellãt. 1. obiectio.

7 Ad hoc respondet Aegid. quod dispar est ratio de peccato, & gratia: nam cum peccatum non sit à Deo, sed per actus nostræ volũtatis quasi productum, & per voluntatis operationem, ideo dicitur esse in voluntate, & immediatè respicere ipsam potentiam, à qua egreditur peccaminosa operatio: quæ cum sit actus immanens, in eodem subiecto, à quo dimanat dicitur subiectari. At verò Gratia non producitur in nobis mediãte aliqua nostra operatione; immò dicitur habilitas infusa, & non acquisita per actus; sed à Deo immediatè infunditur nobis, per eductionem illius de potentia ipsius Essentiæ animæ, vt dicam quodl. sequenti. Et sic non est necesse subiectetur in aliqua potẽtiarum, sed in ipsa anima Essentia, è qua educitur. 1 solutio Aegid.

8 Secundo Respõdet Vasq. disp. 198. c. 3. nu. 19. quod oppositio gratiæ, & peccati non est, veluti oppositio contrariarũ qualitatum sub eodem genere, quæ circa idem subiectum versantur; sed inter gratiam, & peccatum maior est repugnãtia, & alterius generis; vt ipse ostendit disp. 204. cap. 4. vbi etiam rationem assignat: quomodo, cum gratia sit in Essentia, & peccatum in voluntate, gratia expellat peccatum. 2. solutio Vasq.

9 Sed tertiò Respondeo, quod licet actualis malitia immediatè sit in actu voluntatis: malitia tamen, & macula habitualis, quæ ex actuali resultat, immediatè est in Essentia animæ, vt nos Deo dante in quodl. de peccatis docebimus. 3. & aptior solutio.

Cuius

Cuius euidens signum est, quod si Deus de potentia absoluta auferret ab homine voluntatem, & omnes alias potētias, sola remanente anima, secundum suam substantiam præcisè; adhuc ipsa anima tunc diceretur maculata, peccatrix, Deo inuisa, & inimica; & sic meritò ponitur in anima gratia ad expellendum natura sua immediatè ipsum peccatum; nam rectificata anima per gratiam sanctificātem: illico per resultantiam reliquæ potentiæ rectificatæ, & sanctificatæ dicentur.

1. obiectio. 10 Secundò potest obijci: quia gratia dicitur præparare voluntatem, vt velit; ergo debet esse in voluntate, tanquam in subiecto. Probo consequētiam, (antecedens.n. certum est:) nam præparatio voluntatis non potest fieri, nisi in genere causæ formalis: sed ridiculum esset asserere, formam existētem in vno subiecto, præbere suum effectum formalem alteri subiecto, realiter distincto; ergo necessariò fatendum est, gratiam esse immediatè in eadem voluntate, quam præparat ad volendum.

1. solutio Aegid. 11 Respondet Aegid. ad quintum, quod cum omnes operationes egrediātur à voluntate, vel elicitiuè, vel imperatiuè; gratia, prout comparatur ad operationes tanquam radix, & remotum principium illarum, immediatius respicit voluntatem, quam alias potētias; & per hoc dicitur præparare voluntatem, vt velit, & vt agat; & dicitur subsequi voluntatem, ne frustra velit, vel frustra agat; nam omnes operationes nostræ, sine gratia, sunt frustra; quia nō possunt attingere finem, nec possunt esse meritoriæ de condigno: Gratia.n. est, quæ facit subiectum dignū; & dignificando Essentiam animę primò, & per se, dignificat omnes eius potētias, ad hoc, vt actus æterna vita dignos producat.

12 Vel si maius, dicas; quod cum dicitur *Gratia præparare voluntatem, vt velit*; non est sermo de gratia gratum faciente, quæ non ordinatur primariò ad operandum; sed ad dandum esse supernaturale simpliciter subiecto, & ad illud dignificandum; sed potius sermo est de gratia auxiliorum; quæ, cum propriè cōferatur à Deo ad operandum, potentijs ipsis operatiuis tribuitur: & hæc est, quæ dicitur præparare potentias ad earum operationes virtutibus cōsonas: qui sensus facilè colligi potest ex modo loquēdi Conciliorum, & Sanctorum Patrum, præsertim Augustini, qui, vt plurimum, loquens de huiusmodi Gratia auxiliorum, ait, per hanc Deum præparare in nobis voluntatem adiuuandam, & adiuuare præparatam. 1. solutio.

Finis Quodlibeti Noni.



QVODLI-

QVODLIBETVM DECIMVM.

De Causa Gratiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum solus Deus sit causa principalis Gratiæ?

CAPVT PRIMVM.

Solum Deum esse causam principalem Gratiæ.

§. I.

1 N præsenti solum est cõcertatio de causa efficienti: Disputaturi infra de causa materiali; & postea de causa finali; cum .n. Gratia sit simplex forma, nõ habet causam formalem; alioquin si formæ daretur alia causa formalis, daretur pariter processus in infinitum. Bene verum est, quod Conc. Trid. sess. 6. in decr. de Iustificat. c. 7. enumerans omnia quatuor genera causarum gratiæ, ait; causam formalem, esse iustitiam Dei; Intellige de formali exemplari: vt enim dici solet 2. phis. causa exemplaris reducitur ad genus causæ formalis; & sic Trid. ait, Dei iustitiam esse causam formalem gratiæ; non quod sit vera forma respectu illius: sed quia Iustitia Dei est causa exemplaris Iustitiæ creatæ; Habet tamen gratia suam causam efficientem; tùm principalem, qualis est Deus; tum instrumentariam, vt Cristi humanitas, & Sacramẽta; De qua causa in præsenti disp. disputabitur. Habet causam finalem, qualis est, Dei, & Christi gloria, vita æterna; & possumus etiam his addere, pro causa finali aliquo modo, & immediata, nostram iustificationem, de qua erit sermo in proprio Quodl. Et tandem habet causam materialem, cuiusmodi sunt homines ipsi, qui renouantur spiritu mentis suæ. In præsenti ergo Disput. de causa principali vertitur concertatio. Tridentin.

2 In qua supponimus, Deum esse causam principalem Gratiæ; quod de fide certum est, vt patet ex cit. loc. Conc. Præterquam quod sunt innumera Sacræ Scripturæ testimonia; vt est illud ps. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, itẽ Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo, conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* &c. Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas*; & Roman. 8. *Deus est qui iustificat*, & in quadam oratione Ecclesiæ habetur: *Deus, qui iustificas impium, &c.* quę loca, & alia huiusmodi, vniuersa Patrum, & Doctorum cohors intelligit, de causa principali efficienti; nimirum, quod Deus, tanquam principalis causa, nos iustificat, producendo in nobis habitum gratiæ, qui est forma, quæ nos iustos formaliter reddit, vt diximus supra, & latius in Quodl. de Iustificatione. Est de fide Deum esse causam principalem Gratiæ. Dauid. Iob. D. Paul.

3 Id autem, quod vertit in dubium titu-

titulus ille est;An solus Deus sit hoc modo causa gratiæ ? sed sub hoc quæstio, triplex comprehenditur dubitatio. Prima: An de facto,præter Deum,detur alia causa principalis gratiæ? Secunda : An, & si non de facto detur,possit de potentia ordinaria dari talis causa? Tertia, tandem:An saltem,licet sic dari non possit, poterit per potētiam Dei absolutam creari aliqua creatura ; siuè ea substantia sit , siuè accidens , quæ valeat principaliter effectiuè attingere gratiæ productionem? In quibus omnibus solum sermo est de gratia habituali; de hac enim disputant Doctores communiter.

Nulla alia datur de facto Gratiæ causa principalis.

4 Quantum ad primam dubitationem, nulla mihi videtur peculiaris difficultas ; & sic idem dicendum esse, ac supra diximus in supposito; nimirum,de facto nullam aliam dari causam principalem gratiæ , præter Deum ; Nam in sacra Scriptura soli Deo tribuitur iustificatio,remissio, & deletio peccatorum, vt solent Theologi probare communiter in materia de pœnitentia,agentes de forma illius Sacramenti. Hoc autem patet ex Isai.43. ***Non est absque me Saluator***, & Oseæ 13. ***Saluator non est præter me***,& Marci 2.dicebant Scribę: ***Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*** atq;existimabant,Christum blasphemare,quod vsurpabat id , quod proprium dicebant esse solius Dei ; Et Lucæ 7.dicebant alij de Christo . ***Quis est hic, qui etiam peccata dimittit*** ? Idem colligitur facilè ex Conc.loc. cit. vbi dum ait, causam efficientem gratiæ esse Deum , insinuat etiam , nullam aliam causam principalem gratiæ reperiri.

Isaias. Oseæ D. Marc.

D. Luc.

Nec de potentia ordinaria dari potest alia causa principalis Gratiæ.

5 Immò hæc eadem loca probant, nec dari posse de potentia ordinaria aliam principalem causam gratiæ : nam nulla alia ratione probatur, aliquid esse alicui possibile de lege; nisi quia aliquādo factum est ab vno,vel alio indiuiduo illius generis,aut speciei;si ergo de facto nulla creatura remisit peccata,aut iustificauit,tanquam causa principalis: sufficienter,à posteriori colligitur;Id non esse possibile de lege.

6 Ceterum potest etiam hæc veritas vtriusque dubitationis à priori probari; ex eo, quod non est virtus in rebus creatis ad producendam gratiam : hoc autem sic probat D.Th.loc.cit.ar.1. nulla res potest propria Virtute producere effectum perfectiorem se ipsa : sed gratia, cum sit ordinis supernaturalis,& participatio quædam Diuinæ naturæ,superat in perfectione omnia agentia creata ordinis naturalis ; ergo nulla creatura potest propria virtute producere gratiā: Maior supponitur ex 2.phis.At verò minor continet; Aliquam difficultatem ; Et sic antequam directè arguamus contra principalem positam veritatem,examinemus breuiter illam minorem ; Et videamus, An gratia sit perfectior omni alio ente creato ordinis naturalis ? & præsertim, an perfectior sit creata substantia ?

D. Tho.

CAPVT II.

An gratia sit perfectior substantia quacunque creata ?

§. I.

1 ET ratio huius dubitationis est:nam gratia est accidens; ergo non potest esse perfectior,immò neque tam perfecta,sicuti substantia creata;Nec obstat dicere;esse accidens spirituale; nam etiā anima nostra est spiritualis, & pariter Angeli: ergo saltem hæ substantiæ erunt perfectiores ipsa gratia. Ratio dubitandi.

2 Huic difficultati Respondet D. Tho.p.2.q.110.ar.2. ad secundum,cum distinctione; quod si anima cōsideretur, quantum ad modum essendi, perfectior est,quam gratia;quia anima habet esse subsistens in se ipsa;gratia verò habet esse in anima, sicut in subiecto : si autem consideretur,quantum ad essentiā, & rationem specificam;perfectior est gratia, quàm anima,quia est expressior participatio Diuinæ Beatitudinis.Verum si inquiras absolutè , vtra earum sit perfectior? Aliqui respondent,non posse absolutè determinari ; eo quod gratia sit accidens;& anima substantia;Comparatio autem debet fieri inter ea,quæ sunt eiusdem generis, vt habetur 7.phis. quo pacto aliqui Philosophi solent respondere ad aliam quæstionem , qua quæritur: V.materia prima sit perfectior accidentibus, vel è contra? vt videre est in Soto lib.1.phis.q.6. ad finem. D. Tho. doctrina. Alioquin appositio.

3 Cæterum hic modus dicendi nō videtur sufficiens: cum enim dicitur, Non videtur adæquata

quod

comparatio debet esse inter ea, quæ sunt eiusdem generis; sensus est, quod ea, quæ cõparantur, debent conuenire in aliquo, in quo comparantur; vnde inter substantiam, & accidens solet fieri comparatio; vtrum eorum sit perfectius ens? & tamen non conueniũt in aliquo genere, sed sunt primo diuersa; cum ergo Gratia, & anima nostra conueniant in ratione entis, inquiri potest, absolutè loquendo, quænam sit perfectior?

§. II.

Caiet. 4 CAiet.2.2.q.23.ar.3.vbi D.Tho.ad tertium, similem quæstionem de charitate, & anima, dirimit; & ferè eisdem verbis, quibus supra respõdit; quod anima nostra est simpliciter perfectior; non solum in modo essendi, sed etiam in sua ratione specifica; gratia autem est perfectior, secundum quid; quatenus .s. pertinet ad ordinem Diuinum, & supernaturalem: hoc autem non est satis, vt gratia dicatur simpliciter perfectior; quia illum ordinem participat imperfecto quodam modo, nempè, per modum accidentis; sicut non sequitur, ex eo, quod species intelligibilis pertineat ad ordinẽ rerum supernaturalium, quę perfectiores sunt rebus corporalibus, quod ipsa species sit perfectior qualibet substantia materiali: quæ Caiet. sententia potest aliquibus rationibus probari. Quid sentiat Caiet.

Probatur 1. Caiet. sent. 5 Et primo sic: species nobilioris generis perfectior est, secundum suam Essentiam, quam species generis ignobilioris; sed substantia creata pertinet ad perfectius genus, quam gratia, quæ est de genere accidẽtis; ergo substantia est perfectior, secundum suam Essentiam, quàm gratia; probatur maior; quia differentia specifica, quę contrahit genus perfectius, debet esse perfectior: actus .n., & potentia semper proportionantur: at differentia habet se vt actus generis, quod se habet, vt potentia; ergo species constituta per perfectiorem differentiam, perfectior est secundum suam Essentiam, quam species generis ignobilioris, quæ constituitur per ignobiliorem differentiam.

6 Secundo, quia saltem hoc est verũ, quod præstãtissima species perfectioris generis, est simpliciter perfectior, quam quælibet species imperfectioris: ergo saltem Angeli, & anima nostra erunt perfectiores simpliciter, quã gratia; probatur consequentia, quoniam Angeli, & anima pertinẽt ad perfectissimam speciem substantiæ.

7 Tertiò: perfectior existentia sequitur perfectiorem Essentiam; sed existentia substantiæ creatæ est perfectior existentia gratiæ; ergo substantia creata, secundum suam Essentiam, erit perfectior ipsa gratia: ma. probatur, quia existentia est modus Essentiæ; igitur perfectioris Essentiæ erit perfectior modus.

8 Ex alia vero parte videtur esse sententia D.Th. expressa rũm q.110.cit. tũm etiam 112.art.1. nempè, quod gratia sit simpliciter perfectior, quàm anima; nam dum dicit, gratiam secundum suam Essẽtiam esse nobiliorem: certum est, quod res, quæ secundum suam Essentiam est perfectior, absolutè loquendo, debet dici talis, licet in aliquo modo superetur; sicut absolutè homo est perfectior Cęlo; in modo tamẽ essendi, Cęlum perfectius est homine, quia est incorruptibile. Mens D. Th. expressa, q Gratia si. simpliciter perfectior anima.

9 Adde: nam negari nõ potest, gratiam esse simpliciter perfectiorẽ aliquibus substantijs: & tamen cum hoc est verum, quod quælibet substantia est perfectior secundum modum essendi; ergo excessus non tollit, quin gratia possit esse simpliciter perfectior. Probatur D.Th. sent.

10 Adde tandem, quod idem D.Th. q.113.ar.9. dicit, quod iustificatio impij, ex parte termini, est maius opus, quàm creatio Cęli, & Terræ; sed terminus iustificationis est gratia, ergo gratia est aliquid maius, & perfectius Cęlo, & Terra. Conf.

§. III.

11 IN hac ergo re, dico breuiter; quod vterq. modus dicendi est probabilis: sed probabilior videtur hic posterior: in cuius fauorem facit; quod perfectio alicuius Essentiæ à posteriori colligitur ex perfectione operationum, & potentiarum, sed operationes, & potentiæ, quę quasi dimanant à gratia, sunt perfectiores operationibus, & potentijs animæ nostræ; & cuiuscunq. alterius substantiæ creatæ; ergo gratia essentialiter est perfectior qualibet substantia crata: ma. colligitur ex illo dicto Arist. 1. de anima: *Accidentia conferunt ad cognitionem quod quid est*; quod non esset verum, si minus perfecta accidentia tribuerentur perfectiori Essẽtiæ: minor verò probatur, quam charitas perfectior est voluntate; & lumẽ gloriæ perfectius est intellectu; vbi .n. modus participandi est idem; illud erit per- Aptior modus dicendi D.Th. Roboratur. Arist.

fectius, quod participat maiorem perfectionem: sed lumen gloriæ, & intellectus habent eundẽ modum participandi perfectiones Diuinas; .f. per modum accidentium, cum ordine, & dependentia ad aliud, tanquam ad subiectum; & ex alia parte, lumen gloriæ, & charitas participant maiorem perfectionem, quam intellectus, & voluntas: nam illa participãt perfectiones, quæ soli Deo sunt connaturales; intellectus autem humanus est participatio perfectionis, quæ, licet formaliter sit in Deo, tamen est connaturalis alijs, nempe, Angelis, & hominibus; & idẽ dico de voluntate: ergo lumen gloriæ, & charitas participant maiorem perfectionem. Et hæc ratio efficacissimè probat, gratiam esse perfectiorem quolibet accidenti creato; quia secundum suam Essentiam est formalis participatio Diuinæ naturæ, secundum ea, quæ sunt sibi propria; est autẽ proprium Diuinæ naturæ, quod illi sint connaturales operationes, & virtutes supernaturales; & hoc ipsum habet gratia, & tribuit subiecto; nam homini grato debentur, quodammodo, virtutes infusæ, & operationes supernaturales illarum virtutum. Eadem ergo ratio probat, Gratiam esse perfectiorem anima, & etiam esse perfectiorem quolibet accidenti.

§. IV.

Ad 1. rationẽ Caiet. Resp. 12 Respondeamus modo ad rationes Caiet. & primo ad primam, neg. mai. cuius passim reperiuntur multæ instantiæ; nam opinio est species perfectioris generis, .f. habitus intellectualis; & tamen est imperfectior iustitia, quæ pertinet ad voluntatem: & idem dici solet de fide, & charitate. Ad probationem dico: inter actum, & potentiam non esse necessariam proportionem, in esse entis, sed in esse perficientis, & perfectibilis: contingit .n. sæpe numero, quod res minus perfecta sit perfectibilis per actum perfectiorem; vt materia prima, quæ multo minus perfecta est, quam totum compositum: & tamen illa perficitur per actum substantialem Compositum verò per accidentalem. Ratio autem, propter quam genus accidentis potius sit perfectibile per differentiam supernaturalem, quam genus substantiæ, ea est: quoniam differentia supernaturalis non potest esse substãtialis, sed accidentalis; cum .n. ea, quæ sunt propria ordinis superioris communicentur naturæ inferiori: hæc communicatio debet necessario fieri modis accidentalibus; nam id, quod est proprium superiori, necessario debet accidere inferiori; ergo differentia supernaturalis communicata rebus creatis necessariò debet esse accidentalis; & ex consequenti, non potest afficere genus substantiæ, &c.

13 Ad secundam respondeo, neg. etiã maiorẽ: quando genus minus perfectum potest contrahi per differentiam perfectiorem, vt in proposito; & potest dari exemplum, quoniam habitus supernaturales intellectus, in ratione generica, perfectiores sunt, quàm habitus voluntatis. Ad 2.

14 Ad tertiã Respondeo primò, neg. semper esse necessarium, quod perfectior existentia committetur Essentiam: nam quando ea, quæ sunt naturæ superioris communicãtur inferiori; quia talis communicatio fit medijs accidentibus (vt dictũ est) necessariò illa accidentia debent habere imperfectiorem modum essendi: cum tamen sint essentialiter perfectiora: contingit autem sæpè numero, vt res imperfectior perfectiorem modum essendi sortiatur: nam Sol est imperfectior homine, & habet modum essendi perfectiorem. Ad 3. 1. solutio.

15 Secundò Respondeo, conc. ma. & neg. min. nam existentia substantiæ non est esse per se: nam hic modus potius vocatur subsistentia; hæc .n. est, quæ tribuit substantiæ esse per se; non existentia; & idem est in accidentibus, nam inhærentia est modus quidam, distinctus ab existẽtia accidentis; vnde dico, quod existentia Gratiæ est perfectior, quam existentia animæ nostræ; quod potest probari, si teneamus existentiam non distingui realiter ab Essentia, sed ipsammet entitatem actualem esse suam existentiam; vt diximus alibi. 2. solutio.



CAP.

CAPVT III.

Obiectiones soluuntur eorum, qui forsan dicent, quod de possibili, potentia ordinaria, non sit solus Deus causa principalis Gratiæ.

§. I.

1 EX dictis patet, rationem supra assignatam ex D.Th. ad probandum solum Deum esse causam principalē gratiæ, non solum de facto, sed etiam de possibili, per potentiam ordinariam, esse optimam.

1. obiectio. 2 Sed contra hanc nostram veritatē sunt aliqua argumenta, quæ videntur probare, nōn solum Deum esse causam principalē gratiæ. Et primò sic. Humanitas Christi est causa principalis gratiæ: ergo aliqua creatura, præter Deum, est causa gratiæ: probatur antec. maiorem virtutē habet humanitas Christi ad causandam gratiam, quam sacramenta; sed hæc sunt merè instrumenta, ergo humanitas non est instrumentum, sed causa principalis.

Solutio. 3 Respondeo, nonnullos tenuisse, humanitatem Christi esse causam principalem, & phisicam gratiæ: non tamen primariam, sed secundariam; sicuti ignis est causa ignis à se producti, non primaria, sed secundaria; de qua re solet disputari 3. p. q. 13. quæ tamen opinio iure optimo communiter reijcitur: quia humanitas Christi, ex vnione ad verbum, non est facta intrinsecè potetior, nec habuit maiorem virtutem phisicam, quam quæ ex propria natura illi propria erat. Quod probat Pater Vasq. loc. cit. at. 2. disp. 57. cap. 2. desumpta ratione ex Scoro in 3. dist. 23. *§. Ad argumenta istarum*; licet n. concederemus, humanitatem Christi existere in verbo, non propria sua existentia, sed existentia increata verbi: nihilominus, ex hoc, humanitas Christi in se ipsa intrinsecè nullo modo mutaretur, quia per existentiam increatam verbi solū terminatetur extrinsecè; ergo ipsa in se intrinsecè non esset maioris efficacitatis, aut capacitatis, dum esset in verbo, quā si esset in proprio supposito; etiam si diceremus, nunc in verbo existere per existentiam verbi; nam qui fieri potest; vt natura aliqua, nullo modo in se ipsa intrinsecè mutata, propter coniunctionem cum aliquo extrinseco, sit maioris virtutis, seu efficacitatis, seu capacitatis? Adde, quod humanitas in Christo neq. existit existentia verbi, neq. potest existere; sed propria existentia, quæ re ipsa non distinguitur ab actuali Essentia (vt alibi) quod si existentia cuiuscunq. rei creatæ adhuc distingueretur re ipsa ab Essentia extra causas, (vt nonnulli Thomistæ contendunt,) & ita quælibet natura creata existere posset propria existentia, & aliena, loco propriæ; certè mensura efficacitatis, seu virtutis ad operandum, & capacitatis ad recipiendum non esset sumenda ex perfectione existentiæ, sed ex ipsa solum Essentia, quæ in humanitate Christi omnino inuatiata remansit: ita Vasq. loc. cit. & disp. 47. cap. 4.

Humanitas Christi ex vnione non est facta intrinsecè potentior. Vasq. Scot.

4 Ad argumētum ergo Respondeo, neg. antec. ad cuius prob. dico, differentiam inter Christi humanitatem & sacramenta, respectu productionis gratiæ, in hoc tantum consistere; quod humanitas habet se, vt instrumentum coniunctum; sacramenta verò, vt separata; & licet vtraq. sint instrumenta, perfectiorem tamen modum operandi habet instrumentū coniunctum, quā separatum. Videatur Suar. 1. to. in 3. p. disp. 31. sect. 4. & prima præcipuè concl. 3.

5 Secundò argues: qui producit vltimam dispositionē ad aliquam formam est causa productiua illius formæ: maximè si forma educatur de potentia materiæ; quod dico, propter animam rationalem, quæ non dicitur produci ab homine ponente vltimam dispositionem; cum creetur à solo Deo: sed gratia educitur de potentia animæ (vt infra dicam,) & homo producit vltimam dispositionem; nempè, contritionem, ergo homo erit causa principalis gratiæ. 2. obiectio.

6 Dices: quod dispositio, quam homo ponit ad gratiam, non est vltima ex natura rei: sed tantum ex voluntate Diuina; atq. ideo, nō esse necessarium, quod qui producit hanc vltimam dispositionē, producat gratiam. Solutio.

7 Sed contra: nam eo ipso, quod Deus tribuit contritioni, vt sit vltima dispositio ad gratiam, debet illi tribuere ea omnia, quæ sunt communia vltimis dispositionibus; sicut, eo ipso, quo Deus instituit sacramenta; vt essent instrumenta Impugnatur solutio.

Iii 2 ad

ad causandam gratiam; quod ex natura sua non poterant habere; debuit tribuere illis, vt effectiuè producerent ipsam; quia de ratione instrumenti est, quod attingat effectum principalis agentis; cum ergo omnes vltimæ dispositiones habeāt attingere formam, ad quam disponunt, hoc ipsum debet cōuenire vltimæ dispositioni ad gratiam; siuè sit talis, ex natura rei; siuè solum, ex institutione Diuina, &c.

Confir. secunda obiectio. 8 Adde & aliam rationem in confirmationem secundi argumenti. Actus nostri procedentes ab auxilio supernaturale, producunt effectiuè habitus supernaturales, tanquam causæ principales; vel saltim, homo, per illos actus, producit habitus; ergo etiam producit effectiuè gratiam in se ipso. Probatur consequentia, quia non est magis supernaturalis gratia, quàm charitas. Item quia, cum illi habitus supernaturales se habeāt ad gratiam, sicut potentiæ ad essentiam, nullus poterit producere habitus, non producendo gratiam; sicut nullus producit proprias passiones, nisi producendo id, vndè dimanant. Antecedens, verò, probatur: illi actus sunt eiusdem ordinis, & eiusdem supernaturalitatis cum habitibus, ergo habent efficientiam ad producendos habitus. Consequentia patet in actibus & habitibus acquisitis, qui cum sint eiusdem ordinis, illi hos producunt in nobis.

Conf. 2. 9 Adde secundo, quando homo crescit in charitate, & in bonis meritis, est causa augumenti gratiæ; vndè concedēdum videtur, quod sit causa gratiæ: ab eodem namque res augetur, & producitur.

Conf. 3. 10 Confirmatur tertio eadem ratio. Homo, per vltimam dispositionem ad gratiam, concurrit efficienter ad expulsionem peccati; ergo, & ad productionē gratiæ: probatur consequentia. Expulsio peccati est effectus formalis gratiæ; sed qui producit effectum formalē alicuius formæ, producere, etiam dicitur ipsam formam; ergo si homo efficienter expellit peccatum; etiam producit gratiam. Antec. verò probatur. Vltima dispositio ad gratiam est incompossibilis cum peccato; quia est conuersio in Deum, ergo qui producit vltimam dispositionem phisicè, & efficienter expellit peccatum.

§. II.

11 Potest hoc idem corroborari quatuor authoritatibus sacræ Scripturæ, in quibus homo dicitur sanctificare se, viuificare, mundare, & lauare, &c. Corroboratur authoritate sacræ Scripturæ. Ezech. Ezzech. *Si impius auerterit se ab impietate sua, & fecerit iustitiam, & iudicium; ipse animā suam viuificabit.* Ecclesiastici 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu suo sanctificabunt animas suas.* Io. 3. *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Ecclesiast. D. Io.

12 Dices: his testimonijs tātum probari, hominem habere aliquam causalitatem circa gratiam; quod verum est; nam habet causalitatem dispositiuam, quæ reducitur ad causam materialem. Effugium.

13 Sed contra: quoniam, ex simili modo loquendi de Sacramentis, respectu nostræ iustificationis, colligunt Concilia, & Theologi, Sacramēta esse veras, & proprias causas phisicas. Impugnatur.

14 Adde huic: nam in Conc. Trid. dicitur homo liberè cooperari ad suam iustificationem; quod etiam reperitur ad Philippens. 3. *cum timore, & tremore vestram salutem operamini*; & Aug. tract. 72. in Io. to. 9. exponens illa verba c. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*; Explicans, quo pacto verificentur in singulis Christianis; dicit; *Quod quicunque in illis cum timore, & tremore suam salutem, & iustificationem operatur, quæ est quid maius, quàm cœlum, & terram creare, & quæcumq; cernuntur in cælo, & in terra.* Confirmat. D. Paul. Aug.

15 Propter hæc, & alia argumenta, Vega lib. 8. in Conc. cap. 9. videtur asserere, dispositiones nostras habere aliquam efficientiam circa gratiam. Et idē tenet Stapletonius lib. 4. de Iustificat. c. 2. & quoad modum loquendi, quod homo iustificet se ipsum; hæc sententia est Decani Louanien. ar. de iustificat. non longè post principium; Et Cani lib. 13. de locis c. 5. ad 7. Opinio Vega Stapiet. & aliorum; quod dispo. nens habent aliquam efficientiam in Gratiam. Decan. Louan. Can.

§. III.

16 Vndè dicendum primo nobis est cum Medin. 1. 2. q. 63. art. 4. concl. 1. quod non est hæresis asserere, quod homo efficienter concurrat, mediantibus actibus liberi arbitrij ex Diuino auxilio, ad gratiam, & virtutes producendas, & augendas; hoc constat ex autho- 1. conclusio. Non est hæresis asserere, hominem efficienter cōcurrere suis actibus ad Gratiam producendā, & virtutes. Medina.

authoritatibus, & rationibus adductis: & etiam, quia nonnulli hanc tenuere sententiam; & tamen nemo propter eam tali censura dignus habitus est: Adde Canonem illum 4. pluries cit. Quodl. 6. vbi anathematizantur qui dixerint, liberum arbitrium hominis nil cooperari, sed merè passiuè se habere ad iustificationem: non igitur alienum est omninò a sacra doctrina, a quam efficientiam liberi arbitrij ponere ad infusionem gratiæ. Sed nota cum eodem Med. quod definitio Concilij, non est accipienda; ità vt asserat, quod motus liberi arbitrij efficiat iustificationem, vel infusionem gratiæ; sed sensus est, quod illa efficientia, siuè cooperatio liberi arbitrij est necessaria, tanquam dispositio, ad ipsam gratiam, & iustificationem.

17 Quod si supra diximus in principio; de fide esse, solum Deum esse causam gratiæ efficientem; & probauimus ex locis Scripturæ sacræ; intelligendum est illud dictum, & pariter illa loca, ita vt asserant, solum Deum esse principalem authorem nostræ salutis, & iustificationis; atque adeo, nullam esse creaturam, quæ proprijs viribus possit gratiam causare; nisi ad id virtutem accipiat à Deo; Vndè actus nostri, si de facto causarent gratiam, iuxta opinionem aliquorum, id facerent, Virtute Diuina, quatenus s. procedunt ex auxilio supernaturali Diuino.

Est tamen temerarium id asserere.

18 Tamen (Vt idem met Medina docet,) non erit immunis à temeritatis nota, asserere, nos efficienter concurrere ad generationem virturum supernaturalium, s. fidei, spei, & charitatis; nam communiter receptum est illud Augustin. axioma, sæpè, *Deum in nobis, sine nobis, operari virtutes supernaturales*; quod glosant Doctores; *sine nobis efficienter concurrentibus*; non tamen, sinè nobis consensientibus; vbi nota; quod non negat illis verbis August. nos semel genità virtutem posse augere: sed negat, posse illam producere; Vndè qui senserit, nedù nos posse, per actus procedentes à gratia, meritoriè eam augere, sed etia n efficienter; non censebitur temeritatis nota dignus; & hæc diximus pro censura huius opinionis.

Aug.

§. IV.

3. conclusio. Dispositiones non concurrit phisicè ad Gratiam.

19 Quibus positis, dico secundo, actus supernaturales, quibus disponimur ad gratiam non producunt illam effectiuè phisicè, siuè vt causæ principales, siuè vt instrumenta. Est ferè communis, vt videre est apud Recentiores; Et optimè probatur ratione D. Tho. supra posita; actus s. nec perfectiores sunt, nec æquè perfecti cum habitu; & sic nequeunt illum producere. Hoc autem facilè probatur, supponendo pro modo, actus non esse entitatiue, & essentialiter perfectiores habitibus ipsis; Et licèt habitus dicantur ordinari ad actus, tamquam ad perfectionem ipsorum, & finem, & finis sit semper prestantior eo, cuius est finis: tamen quando finis continetur virtualiter in alio, tamquam in principio; quo pacto actus continetur in habitibus; solum à posteriori arguunt perfectionem ipsius causæ: Et sic, licet concedamus (in ratione actus præcisè) esse actus perfectiores habitibus, consideratis, quatenus potentiæ quædam sunt, naturaliter ordinatæ ad tales actus: tamen, in ratione entis, & accidentis, semper habitus sunt perfectiores actibus; cum illi sint qualitates quædam permanentes, perficientes potentias, & subiecta, formaliter, per modum permanentis; actus verò se habeant per modum qualitatis transeuntis, & facilè mobilis: Hoc ergo supposito; probo modo, actus, neq; esse æqualiter perfectos, ac habitus.

D. Tho.

20 Impossibile est dari sub eodem genere duas species æqualiter perfectas; vt s. docuit Arist. 8. met. species sunt sicut numeri, omnes inæquales: sed habitus, & actus sunt duæ species distinctæ sub genere accidentis affecti supernaturalitate, ergo non possunt esse æqualis perfectionis; ergo necessario sequitur, esse imperfectiores actus ipsis habitibus; & ex consequēti, non posse habitus ipsos generare.

Arist.

21 Secundo id idem probo ex D. Th. p. 2. q. 63. ar. 2. ad tertium, vbi docet, quod actus naturales, secundum se, non habent virtutem ad producendos habitus acquisitos; sed illos producunt quatenus procedūt ex altioribus principijs; v.g. actus scientificus non est secundum se, & propriam virtutem productiuus scientiæ; sed illam dicitur generare, quatenus procedit ab habitu principiorum, qui est nobilior habitu scientiæ. Item, actus studiosus est productiuus virtutis, quatenus procedit à naturali rectitudine rationis; quæ est nobilior rectificatione appetitus, quam virtus tribuit suo subie-

D. Tho. Actus naturales ideo producunt habitus acquisitos: qa procedunt ex altioribus principijs.

subiecto: proportionaliter ergo idem dicendum est de actibus supernaturalibus, quod.s.,secundum se,non habent virtutẽ ad producendos habitus.

Effugium. 22 Sed dices, saltem poterunt illos producere, quatenus procedunt à potẽtijs eleuatis; quæ sunt perfectiores habitibus, &c.

Impugnatur. 23 Sed contra:nam potentiæ,neq. secundum se, neq. vt eleuatæ per auxilium supernaturale sũt perfectiores habitibus; ergo in virtute illarum actus nõ possunt esse causæ principales.Primum patet per se; secũdum probatur,nam potentia eleuata per auxilium supernaturale non habet esse supernaturale formaliter,& intrinsece; quia auxilium non inhæret: sed habitus infusi sunt formaliter supernaturales; ergo sunt perfectiores potentijs, etiam eleuatis: probatur consequentia, nam esse supernaturale est perfectio simpliciter; ergo perfectius dat esse,vbi est formaliter, quam vbi est virtualiter tantum.

Potẽtia eleuata per auxilium supernaturale nõ est supernaturalis formaliter.

24 Quod autem actus non sint causæ instrumentales; probatur, quia hoc cognosci non potest,nisi Deus reuelauerit; adhuc autem nulla est reuelatio de eo, quod Deus assumat nostros actus vt instrumenta ad causandam gratiam, ergo. Et congruẽtiam reddere possumus facilem; propter quam extra Sacramentum Deus non assumat actus nostros; quia secundum legem ordinariam ita perficit naturam rationalem,sicut ipsa est perfectibilis secundum se, & seruata proportione ad modum operandi,quem habet; sed modus operandi proprius naturæ rationalis in productione habituum est,vt actus,& potentiæ concurrant tanquam causæ principales illorum; & cum hoc nõ possit contingere in productione habituum supernaturalium; sequitur,quod neq. Deus velit vti nostris actibus vt instrumentis ad producẽdos illos habitus.

25 Adde, quia cum dicit Augustinus hos habitus produci in nobis à Deo sine nobis.s.phisice operantibus;omninò excluduntur actus nostri à ratione phisici instrumenti; alias non verificaretur Augustini dictum: patet,nam sicuti non verificatur,quod Deus sine Sacramento iustificat paruulum: eo quod Sacramẽtum est causa efficiens instrumentalis; ita si actus nostri essent pariter instrumenta, hoc modo, non esset verum dicere,quod Deus sine nobis,efficienter concurrentibus,in nobis hos habitus producit.

§. V.

26 Dico tertiò:actus, quibus disponimur ad gratiam,sunt causæ efficientes morales illius;quæ efficientia cõsistit in hoc, quod contritio mouet volũtatem Diuinam, & eam quasi excitat, vt remittat homini peccatum, & infundat illi gratiam:& hoc faciunt illę dispositiones, partim ex natura sua; quia dolor de offensa naturaliter mouet offensum ad remissionem: partim ex pacto Diuino, quia Deus promisit, se remissurum peccata dolenti de illis; iuxta illud. *In quacunq. hora ingemuerit peccator,&c.* hanc conclusionem probant aliqua argumenta ex supra positis,vt dicam in responsione ad illa:nam eadem actione expellitur vna forma à subiecto, & introducitur eius opposita;sed contritio expellit peccatum efficienter moraliter (vt docent communiter Thomistæ 3.p. q.86. art.6. vbi D.Th.inquirit: *Vtrùm remissio peccati sit effectus contritionis,*)igitur eadem actione morali concurrit ad productionem gratiæ; idem etiam videtur sentire D.Tho.ibidem q.85.art.2.ad 3.vbi dicit, *pœnitentiam expellere omne peccatum effectiuè*: quod de efficientia tantum morali debet intelligi;nam idem D.Th.q.28. de verit.ar.8.ad 7.dicit,quod *motus liberi arbitrij non est causa efficiens infusionis gratiæ*; & ad 8.dicit, quod *ad iustificationem impij homo non est adiutor Dei; quasi cum eo simul efficiens gratiam*; quæ omnia non aliter possunt concordari,nisi dicamus, in his locis loqui de efficientia phisica;in 3.verò p.de efficientia,morali.

Conclusio 3. actus quibus disponimur sunt causæ efficientes morales Gratiæ.

D.Th.

27 Neq. valet obijcere Concilium Tridẽtinum sess.6.c.7. vbi tantum tribuit actibus nostris,quod sint causæ dispositiuæ ad gratiam; nam Concilium,quãtum ad efficiẽtiam nostrorum actuum respectu gratiæ,nil asserit,aut negat: neque ex eo, quod tantum fecerit mẽtionem caussalitatis dispositiuæ,sequitur,non esse causas morales; sicut neq. ex eo,quod Christo tantum tribuat caussalitatem meritoriam, excluditur,quod sit causa phisica. Restat modo satisfacere secundo argumento cum omnibus suis confirmationibus; vnde occasionem sumpsimus ad hanc rem discutiendam.

Obiectio ex Triden. Solutio.

§. VI.

28 Ad illud ergo secundum argumẽtum in §.4. adductum,variè solet

Resp. modo ad 2.arg.

tet respondeti; ceterum optima est solutio ibi adducta; nempè, illam maiorem veram esse de dispositionibus, quæ ex sua natura habent esse tales; quod non habet contritio respectu gratiæ; sed tantum ex institutione Diuina; quod potest facilè probari; nam dispositio, quæ est vltima ex natura rei, debet esse in eodem subiecto cum forma, ad quam disponit; at actus nostri subiectatur in potentijs: gratia vero in Essentia animæ; ergo, &c. Adde: quia forma non potest introduci, & conseruari absq. sua vltima dispositione; vt patet in omnibus, sed gratia de lege ordinaria, & infunditur, & conseruatur sine illis actibus, vt in pueris Baptizatis; & etiam in adultis, quoad conseruationem, ergo, &c.

29 Ad replicam verò ibi positam, Respondeo, Deum non posse tribuere alicui formæ, quod sit vltima dispositio ex natura rei, nisi tribuendo illi id, quod est de ratione talis dispositionis; at de ratione illius tantum est, quod illa posita, ponatur forma, & quod concurrat in genere causæ materialis: non tamen quod concurrat effectiuè; alioquin dispositio ad animam rationalem non posset dici vltima; neq. illud de Sacramentis est ad proprium, nam de ratione instrumenti est, quod habeat aliquam efficientiam, vnde non potest Deus facere aliquod instrumentum, nisi tribuat illi efficientiam.

30 Ad primam confirmationem iam responsum est in secundo dicto.

31 Ad secundamq. confirmationem, Respondeo, distinguendo antec. per nostros actus sumus causæ phisicæ augumenti gratiæ: neg. causæ meritoriæ, & morales; concedo: nam sicuti habitus primorum principiorum, tàm speculatiuus, quàm practicus non potest augeri per nostros actus; eo quod sunt inditi ab ipso authore naturæ; ita nec habitus infusi; quia sunt inditi ab ipso authore gratiæ. Adde cum Medina loc. cit. concl. 7. nam habitus infusus, si augumentum recipit, necesse est, vt præxistat, saltè prius natura aliqua forma, quæ sit principium efficiès talis augumenti; sed si aliqua in nobis posset assignari talis forma, maximè esset gratia, quæ cum sit ipsamet augenda, non est sufficiens, ergo, &c. Quarè dicimus cum eodem Medina ibidem q. 112. art. 1. ad 2. quod homo iustus, quando crescit in bonis meritis, meretur, vt Deus augeat gratiam, & dona sua; sed non est causa gratiæ; sic enim omnes ferè Sacri

Ad 2. conf.

Medin.

Theologi sentiunt, habitus infusos augeri meritoriè tantum, nostris bonis operibus procedentibus ex gratia, non efficiènter, & phisicè.

32 Ad tertiam confirmationem Responsum est in tertia conclusione, sicuti etiam ad quartam desumptam ex varijs sacræ Scripturæ, & Concilij Tridentini locis. Dicimus. n. ea omnia probare dictam tertiam nostram conclusionem. Potest. n. dici iustus se iustificare moraliter, & per modum impetrationis; & pariter hoc eodem modo facere omnia ea, quæ adducuntur in illis authoritatibus, non autem phisicè, &c. Ad 3. conf. & ad 4.

§. VII.

33 Sed obijcies vnicum argumentum contra dicta. Habitus Theologiæ nostræ est supernaturalis, quia habet certitudinem superantem omnem certitudinem naturalem; & tamen producitur effectiuè nostris actibus: ergo non repugnat habitibus supernaturalibus, sic effectiuè produci, licet supernaturales sint. Obiectio.

34 Respondeo tamè, non esse parem rationem: nam ratione supernaturalitatis, præcisè, verum est, quod nõ repugnat, habitus infusos posse produci actibus nostris, si sint supernaturales; sicuti non repugnat, actus ipsos produci efficienter ab habitibus supernaturalibus; repugnãtia ergo est in modo operandi potentiæ, cum elicit actum supernaturalem antè habitum, qui est supra naturam eius; & per talem modum non potest potentia assuefieri; nam vt dicit Arist. 2. Ethic. in principio: *per ea, quæ sunt cõtra naturam* (vel præter, vel supra intellige) *non potest quis assuefieri*; vnde sequitur, quod si potentia, eliciendo actus supernaturales, præcedentes habitũ, connaturaliter operetur, per illos posset producere habitus supernaturales: hoc autem contingit in actibus concurrètibus ad productionem habitus Theologiæ; & sic potest hic produci effectiuè per nostros actus: nam assensus conclusionis Theologicæ dependet à duobus assensibus; quorum alter est supernaturalis; alter verò naturalis; quoniam altera præmissa est de fide; altera verò lumine naturali cognita in syllogismo Theologico. In vtroq. autem assensu harum præmissarum potentia operatur modo sibi connaturali; ergo & in assensu conclusionis: & ex consequenti, per talem assensum potest produci habitus Solutio. Arist.

tus: antecedens proximè positum patet: nam in assensu naturali, certum est, potentiam operari connaturaliter: in assensu autem supernaturali, id probatur; quia ille assensus supponit intellectum habentem habitum fidei; nam vbi non est fides, neq. est Theologia; vt dicitur in materia de fide: sed intellectus cum habitu operatur connaturaliter eliciendo actum fidei: quælibet .n. res quando operatur per formam sibi inhærentem, operatur connaturaliter; ergo nil obstat, quominus per huiusmodi actus producatur habitus Theologiæ; & cum non sit eadem ratio de alijs habitibus supernaturalibus, patet id, quod diximus, &c.

35 Neq. est eadem ratio de augumento habituum supernaturalium: in quo videtur; quod actus nostri concurrentes ad dictum augumentum præsupponant habitum iam productum in anima, & potentijs; nam habitus supernaturales nunquam augentur in via, nisi per actus intensiores habitu præexistenti; & solum secundum excessum intensionis. Ille autē excessus non procedit ab habitu præexistenti; sed à potentia eleuata speciali auxilio, & mota à Deo; vndè, quantum ad illum excessum, potentia non operatur connaturaliter; atq. adeo, augumentum, quod fit solum secundum excessum, non potest fieri effectiuè ab actu. Et hęc dicta sint quantum ad illas duas difficultates: An s. detur de facto, vel saltem de potentia ordinaria sit possibile, dari aliquid creatum, quod sit causa principalis phisica gratiæ? restat tertia de potentia absoluta.

CAPVT IV.

Num de potentia absoluta possit dari, alia causa principalis gratiæ, præter Deū?

§. I.

1 ID, quod in præsenti titulo quæritur, est; vtrum Deus possit communicare alicui creaturæ, quod causet gratiam, tanquam causa principalis, saltem secundaria; quomodo æquus dicitur ignem gignere; & ignis ignem? Pro cuius difficultatis intelligentia not. quod dupliciter potest intelligi talis communicatio; primò vt, si Deus crearet aliquam substantiam, cui ex natura sua, tanquam propria passio, conueniret virtus ad producendam gratiam; quod fieri non posset, nisi producendo aliquam substantiam supernaturalem, cui gratia, & habitus supernaturales connaturales essent. Secundo potest intelligi aliqua creatura, quod sit principalis causa gratiæ; si alicui creaturę naturali communicaret virtutem producēdi gratiam, quæ virtus esset illi accidentalis; sicut calor ignis, aquæ: & hæc virtus, si debilis esset; iam, illam habens, produceret gratiā, tanquam causa secunda principalis; sicut habens habitum fidei producere dicitur, & esse causa actus supernaturalis fidei. *Quoad* vtramq; partem breuiter hæc difficultas examinanda est.

Exponitur quæsiti titulus.

2 Et primò, quantum ad substātiam supernaturalē, videndi sunt recentiores; præsertim 1. p. q. 12. art. 4. vbi Vasq. disp. 44. & Zumel disp. vnica, & p. 2. q. 110. ar. 4. & alij, vna cum Suar. in metaphisica, qui ferè communiter tenent, nullo pacto esse dabilem per potentiam Dei absolutam huiusmodi substantiam supernaturalem; & quidem (vt optimè Vasq. loc. cit. c. 1.) substantia creata, aut dicitur supernaturalis, quia est superior alia substantia, & sic innumeræ essentiæ substantiæ supernaturales: aut quia à solo Deo producitur per creationē, & ita omnes animæ, & Angeli; immò & materia prima esset ordinis supernaturalis: quod absurdum est dicere; quarè necessariò fatendū, quod solummodo accidentibus possit conuenire supernaturalitas: ly .n. *Supernaturale* terminus est relatiuus, & idem est, ac supra naturam eius, cui inest: substantia autem ens simpliciter absolutum est, cum accidens sit de se relatiuū, dicens ordinem ad subiectum. Cum .n. forma accidentalis sit perfectio substātiæ creatæ, quæ dicitur res naturalis, tunc dicitur supernaturalis, quando eam perficit supra id, quod ipsa, vel alia creata substantia, ex suis principijs, & constitutione naturali; postulat; prout idem Vasq. eadem 1. p. disp. 214. c. 2. doctè explicat. Vndè accidens naturale, ideo naturale dicitur, quia perficit naturam sui subiecti, siuè substātiæ creatæ naturalis, iuxta exigentiam naturalem eiusdem substantiæ. Supernaturale autem accidens, ideo præcisè supernaturale dicitur, quia perficit creatam substantiam vltra, & supra id, quod exigit eius natura, & conditio: sequitur,

Vasq. Zum. Suar.

Non esse dabilē substantiam supernaturalem.

Vnde aliquid dicatur esse supernaturale, ex Vasq.

-quitur ergo ex hoc fundamento, quod dari non possit aliqua substantia creata supernaturalis; cum non referatur ad aliquid, quod supra eius naturalem conditionem perficere dicatur.

Ex Zumel. 3 Et hæc ratio mihi videtur esse potissima, & à priori; licet Zumel loc. cit. 1. p. §. *Supponendum ergo* doceat, quod supernaturalitas in actibus, & habitibus sumitur ex Deo; prout est in se ipso; & ob id, ait, habitum fidei esse supernaturalē; quia inclinat in cognitionem Dei, prout est in se ipso, vel propter testimonium, & reuelationem ab eo procedentem; & ita pariter philosophatur de supernaturalitate charitatis; quia charitas tendit in Deum, prout est in se; & lumen gloriæ itidem; & sic idem dici potest de quolibet accidenti supernaturali, ideo supernaturale esse, quia dicit ordinem ad Deum, prout est in se ipso; nulla autem substantia creari potest, quæ dicat ordinem ad Deum, prout in se ipso est; cum tantum substantia creata possit dicere ordinem ad Deum, sub ratione Creatoris; quodlibet. n. ens creatum dicit transcēdentalem ordinem ad suum Creatorem: quod non est dicere ordinem ad Deum, prout in se ipso est; & sic nulla substantia creata poterit esse supernaturalis. Hæc etiam ratio optimè probat intentum, & à priori: sed prima mihi videtur potior, & congruentior.

4 Cęterum difficultas consistit, præcipuè, in assignãdo rationem potissimam implicantiæ, cur non possit dari substantia supernaturalis, cui supernaturalitas ipsa sit essentialis, & intrinseca; sicut naturalitas entis intrinseca est cuilibet substantiæ creatæ intra ordinem naturalem?

§. II.

Ratio implicantiæ. 5 Cvius rei, omissis nonnullis alijs implicantiæ rationibus, quæ solent à Doctoribus adduci; ea nobis videtur præcipua: nam repugnat, id, quod cōnaturale est Deo, esse alicui creaturæ pariter connaturale: sed si daretur aliqua substantia supernaturalis creata, esset cōnaturaliter beata, Beatitudine supernaturali; quod est soli Deo connaturale: ergo implicat, dari hanc supernaturalem creatam substantiam. ma. est certa ex terminis: nil. n. quod naturaliter Deo conuenit, potest naturaliter conuenire alicui creaturæ; sicuti etiam 2. p. minimirum, quod, esse Beatum, Beatitudine supernaturali, naturaliter conuenit Deo: prima verò p. probatur; nam si daretur substantia supernaturalis creata, visio beatifica, quæ cōsistit in intuitiua cognitione Dei, esset cōnaturalis illi creaturæ: patet; quia esset illi connaturale lumen gloriæ, quod ordinatur ad visionem, veluti actus primus ad secundum; & natura non dat primum, nisi propter secūdum: & in vniuersum, si principium agendi est connaturale, etiam & agere erit connaturale; cumq. Beatitudo supernaturalis formaliter cōsistat in visione faciali Dei; sequitur, quod si daretur creatura hæc, esset connaturaliter Beata, Beatitudine, quæ dicitur supernaturalis; quod autem lumen gloriæ, & omnes habitus supernaturales essent connaturales tali creaturæ, patet: quia in genere entium creatorum supernaturalium illa substantia esset primum ens; reliqua verò necessariò deberent naturaliter dicere ordinem ad id, quod primū esset in tali genere; & omnes huiusmodi habitus se haberent, respectu illius substantiæ, vt naturales potentiæ. Præterquã quod, ideo dicūtur lumen gloriæ, & reliqui habitus insusi, supernaturales; quia sunt supra naturam eorum, quibus infunduntur, & non sunt aliquo modo debiti illis; sed si daretur substantia supernaturalis, eiusdem supernaturalitatis esset cū his habitibus; & sic non possent hi habitus dici, respectu illius, supernaturales; sed naturales; siquidem essent eiusdem naturæ superioris; præterquã quod, huic substantiæ necessariò deberentur, ac naturaliter, potentiæ, quę sibi essent naturales, mediãtibus quibus eliceret suas operationes; sed substantiæ ordinis superioris, & diuini non possemus assignare, nisi potentias eiusdem ordinis superioris, ergo potentiæ supernaturales essent illi naturales: & sic lumen gloriæ, spes, charitas, & gratia non dicerentur entia supernaturalia respectu illius, sed naturalia illi.

6 Immò addo: quia esset essentialiter Beata naturaliter illa creatura, Beatitudine hac supernaturali: patet: quia in eo casu intellectus talis creaturæ esset essentialiter supernaturalis naturaliter; ergo essentialiter deberetur illi lumen eiusdem ordinis, sicuti intellectui naturali essentialiter debetur lumen naturale: sed lumen supernaturale dicit ordinem intrinsecum, & essentialem ad obiectum supernaturale per Essentiam, quale est Deus; sicuti lumen naturale ordinem dicit intrinsecum ad ens naturale: ergo in-tel-

tellectus ille essentialiter prçditus tali lumine, quod sibi naturale esset, essentialiter diceretur videre Deum per essentiā, & facialiter; & ex consequenti, substantia illa supernaturalis, quæ talem intellectū supernaturalem naturaliter haberet, diceretur beata essentialiter Beatitudine supernaturali: ergo essentialiter impeccabilis; ergo Deus, & nō creatura; patet, nam soli Deo conuenit, naturaliter esse Beatum, & impeccabilem essentialiter.

Alia ratio implicantiæ.

7 Adde aliud repugnans, & implicans; nam si daretur talis creatura, esset participatio Essentiæ, & substantiæ Diuinæ, non alicuius attributi, sicuti Fides, Spes, Charitas, &c. esset .n. principium substantiale essendi Diuinum, eo modo, quo gratia dicitur principium accidentale essendi Diuinum, & est participatio Diuinæ Essentiæ; & non alicuius attributi. Tūc sic; gratia, quia est imperfecta participatio, & accidentalis esse Diuini, cōstituit habentem in tali esse Diuino; licet modo accidentali, cum accidens sit; & Filium Dei adoptiuum, &c. ergo si daretur illa creatura, esset ipsum esse Diuinū substantiale essentialiter; & diceretur Filius Dei, non per gratiam adoptionis; sed per naturam; patet euidenter; nam esse illud naturale, & Diuinum, non esset accidens respectu illius; sed de intrinseca ratione ipsius; sed si accidentaliter illi conueniret tale esse, diceretur Filius Dei adoptiuus, & hæres Regni per gratiam: ergo cum essentialiter, & naturaliter illi cōueniret, diceretur naturaliter, & essentialiter Dei Filius, & naturaliter hæres Regni, & gloriæ.

§. III.

8 ET quia hæc difficultas nō est propria huius loci, & solet prolixius alibi à recētioribus, quā fas est, tractari; sufficiat hoc loco adduxisse præcipuas rationes implicantiæ: qui tamen de hac re plura desiderat, legat citatos, præsertim, Doctores locis citatis. Et ad aliam difficultatis partem deueniamus. An s. de potentia Dei absoluta possit communicari alicui substantiæ creatę naturali virtus aliqua accidentalis, saltem altioris ordinis, qua mediante valeat principaliter productionem gratiæ attingere, tanquam causa secunda, sicuti ignis ignem?

An saltē per virtutem accidentalem altioris ordinis possit substantia creata principaliter producere Gratiā.

9 Pro qua re nor. breuiter, quod ex duplici parte possumus assignare repugnātiam in communicatione huius causalitatis gratiæ: primò, ex incapacitate subiecti; secundo, ex eo, quod non possit fieri à Deo tale accidens productiuum gratiæ: prius, nullam continet difficultatem, nam ad recipiendum huiusmodi accidentia solum requiritur in substantia potentia obedientialis; & sicuti substantia creata est receptiua gratiæ; ita esset receptiua illius accidentis, si daretur; immò eo ipso, quod posset illud accidens creari; sequeretur subiectum creatum esse receptiuum illius; nam quodlibet accidens dicit intrinsecum ordinem ad subiectum creatum: si qua ergo repugnantia est, ea prouenire debet ex parte ipsius accidentis: s. quia non est producibile.

§. IV.

10 ET sic breuiter, cum cōmuni Theologorum sententia, dico: impossibile esse, dari aliquam qualitatem, modo supra exposito. Ad probationē huius conclusionis, aduertendū est; quod quando causalitas conuenit alicui substantiæ ratione accidentis sibi extranei, præcisè, tota virtus causandi debet esse in accidēti; nam substantia in tali casu nil aliud agit, quam substentare illud accidens; v.g. cum aqua calefacta manū calefacit: tota illa calefactio tribuitur calori, & nullum effectum potest aqua producere per calorem, ad quem calor non habeat virtutem; quod secus est, quando subiectū operatur per accidens sibi connaturale: nam tunc, ex coniunctione ad proprium subiectum, communicatur accidenti virtus ad producendum effectum, quē alias producere non posset; vt calor ignis in virtute illius producit substantiam.

Negatiuè resoluitur difficultas.

Nota.

11 Recolendum etiam: quod quælibet causa efficiens principalis debet esse perfectior, vel saltem æquè perfecta cum suo effectu; nam vel est causa simpliciter vniuoca; & tunc erit eiusdem speciei; vel est æquiuoca, & tunc erit perfectior: quia cōtinebit eminēter effectū; quod vniuersaliter debet esse verū in omnibus causis particularibus; nam quæ solum concurrunt, vt causæ vniuersales, non oportet, esse perfectiores simpliciter; Sol .n. generat hominem; & est ipso imperfectior; sufficit sint perfectiores secundum quid, qualis est Sol respectu hominis, vt alibi dictum est.

12 Quod si dicas, Solem producere, vt causam particularem, viuentia genita ex putrefactione, & tamen est imperfectior illis; ergo, &c.

Obiectio.

13 Re-

13 Respondetur, quod aliqui tenent, Solem esse perfectiorem viuentibus illius generis; & contra hos non militat argumentum. Ast qui tenent, esse imperfectiorem. Respondent, quod Sol non attingit productionē formæ viuentis; sed tantum dispositiones ad illas, & Deus producit illam formam substantialem; nam dispositio illa non est sufficiens producere talem formam, nisi in virtute substantiæ, à qua procedit; vbi autem substantia ipsa est minus perfecta, non potest tribuere dispositioni virtutem ad producendam talem formam.

§. V.

14 EX his colligitur, quod illa qualitas, quæ esset causa principalis gratiæ, necessariò deberet esse perfectior, vel saltem æquè perfecta cum gratia: nā tota virtus causandi esset in illa qualitate, & non in sybstantia, &c.

Ratio cur nō possit, substātia creata, medijs illis accidentibus gratiam principaliter producere.

15 Probatur modo cōclusio: illa qualitas productiua gratiæ nec posset esse æqualis, nec maioris perfectionis cum ipsa gratia; etiam de potentia Dei absoluta: ergo non poterit creari qualitas, quæ sit sic productiua gratiæ: probatur antec. nā si crearetur æqualis perfectionis, esset eiusdē speciei, cum ipsa gratia: sed hæc non posset gratiam producere: quod probo: nam vel produceret illam in proprio subiecto: & hoc non: nam illud subiectum supponeretur cū gratia; & sic non esset productio gratiæ, sed augumentatio: vel in alieno; & neq. hoc dici potest: tum quia habitus supernaturales nil phisicè producunt in exteriorem materiam: tum etiam, quia si id esset possibile, iam aliquando factum fuisset ab aliquo homine, vel Angelo habente gratiam; cumq. in disputatione, qua quæritur. *An habens gratiam habitualem possit de condigno mereri alteri gratiam?* pars negatiua sit certior, etiam de potentia Dei absoluta: nam gratia habitualis intrinsecè, & essentialiter dicit solum ius filij adoptiui ad hæreditatem, & non ad dandam inimico gratiam; cum non possit exire, aut egredi proprium subiectum, sicuti gratia vnionis; vt dici solet p. 2. q. 114. & 3. p. q. 1. cum agitur, *An homo cum gratia habituali potuisset satisfacere ex iustitia Deo pro alijs hominibus?* legite

Vasq.

præsertim Vasq. sequitur ergo, quod non potest Deus producere qualitatem, quæ sit eiusdem perfectionis; & ex consequenti, eiusdem speciei, cum gratia; & quod producat principaliter ipsam gratiam: causa .n. intrinsecè determinata ad producendum determinatum effectum, nisi intrinsecè mutetur, & fiat intrinsecè potentior, non poterit, extra spheram suæ actiuitatis, producere effectum, qui non contineatur sub ratione suæ adæquatæ virtutis.

Conf.

16 Confirmatur, quia habitus supernaturales non habent vim ad producendos alios habitus, sed solum actus; vt patet: nam omnis habitus operatiuus est essentialiter actus primus, qui essentialiter ordinatur, non ad alium actum primum, sed solum ad actum secundum; ergo à fortiori, neq. & gratia: patet consequentia; quia gratia non est principium proximum operandi, sed remotum; vnde si operaretur; & produceret aliquid, vel hoc esset per simplicem emanationem, & sic produceret potentias, seu habitus operatiuos, qui ordinarentur essentialiter ad operandum, & non sic posset gratiam producere, quæ est principium essendi: vel id esset mediantibus habitibus ipsis operatiuis, & tunc diceretur producere solum actus, & non habitum, seu habilitatem gratiæ.

§. VI.

Alia ratio.

17 QVod autem non possit produci qualitas gratiæ productiua, quę sit maioris perfectionis, quam est ipsa gratia, probatur: nam non posset Deus producere virtutes infusas, seu habitus supernaturales, qui sunt quasi quædam potētiæ, & passiones gratiæ, qui sint perfectiores illis habitibus infusis, qui modo sunt; nempè, fide, spe, lumine, & charitate, etiam de potentia absoluta; ergo neq. perfectiorem qualitatem ipsa gratia producere potest: probatur consequentia, quia perfectio alicuius rei colligitur à posteriori ex perfectione suarum operationum, & potentiarum, ergo si nō poterit Deus perfectiores potentias producere, neq. poterit perfectiorem Essentiam, seu qualitatem; cum potentiæ sequantur Essentiam. Antec. autem sic probo. Perfectio actuum, & habituum sumēda est ex perfectione obiecti; sed Deus non potest esse obiectum actuum, vel habituum intellectus, ac voluntatis, secundum aliquam rationem perfectiorem in specie, quam prout est obiectum habituum luminis gloriæ, & charitatis, & eo-

rum actuum; ergo non possunt produci actus, vel habitus perfectiores secundum speciem his, qui modo sunt.

Conf. 18 Confirmatur, quia ad hoc, vt illa qualitas esset perfectior gratia, deberet esse melior participatio Diuinæ naturæ, quam illa, quæ per gratiam fit; sed id fieri no potest; ergo non potest dari qualitas perfectior: ma. probatur, nam illa qualitas deberet continere eminētet gratiam, vt esset causa illius; sed hæc continentia eminentialis non potest intelligi, nisi illa qualitas esset perfectiot participatio Diuinæ naturæ, quam gratia, ergo, &c. mi. probatur, nam hæc participatio consistit in hoc præcisè, quod gratiæ quodammodo debētur, & sunt connaturales virtutes, & operationes supernaturales; ergo si nullę possunt esse virtutes perfectiores his, quæ cum gratia modo sunt coniunctæ; sequitur, quod nulla possit esse perfectior participatio Diuinæ naturæ.

Obiectio. 19 Sed dices: quacunq. specie finitæ perfectionis data, potest Deus aliam, & aliam perfectiorem in infinitum producere; sed gratia, & habitus supernaturales, qui modo sunt, sunt finitæ perfectionis; ergo potest Deus de potentia absoluta alios perfectiores habitus producere, & ex consequenti, perfectiorem gratiam.

20 Sed hæc obiectio nulla est; & sic Respondeo, illam maiorem veram esse in his entibus, quę non depēdent ab alio, tanquam ab obiecto, & subiecto, non autem in entibus, seu accidentibus respectiuis, nam cum Deus possit se vnire perfectissimo modo in ratione obiecti alicui potētiæ; sequitur, non posse dati perfectiorem potētiam respectu illius obiecti: & idem dico de actibus, & habitibus. Solutio.

21 Obijcies secundò: character sacramentalis est qualitas actiua multorum effectuum supernaturalium, & communicatur creaturis: & sic videmus, per characterem sacerdotalem hominem attingere Eucharistię consecrationem, peccatorum remissionem; & ex consequenti, iustificationē impij, & gratiæ productionem; ergo non implicat dari huiusmodi qualitatem, sicuti de facto datur. 2. obiectio.

22 Ad hoc quidam dicunt, characterem non concurrere phisicè efficienter ad dictos actus, sed tantum moraliter; alij verò dicunt, non concurrere, vt causam principalem, sed instrumentalem, constituentem, simul cum Sacerdote, vnum integrum instrumentum sepatatū; ita D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2. & q. 64. art. 1. & Caiet. cum illo, & alij multi; vtraquè autem solutio satisfacit argumento; sed hæc quantum ad causam principalem gratiæ. D. Th.

DISPVTATIO SECVNDA.

Qua ratione sacramenta nouæ legis concurrant ad nostram iustificationem, & productionem Gratiæ?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & declaratur, quid sit conferre Gratiam ex opere operato?

§. I.

1 PRo tituli intelligentia notandum est, quod hæc quæstio propriū locum habet apud D. Tho. 3. p. q. 62. vbi omnes recentiores eam diffuse discutiūt. At, quia est non parum necessaria ad hanc materiam, & præcipuè ad præsens quodl. de causa gratiæ, ideo decreui hic illam ex professo examinare. Et primò non absre diximus. ***Vtrum Sacramenta nouæ legis, &c.*** non. n. Catholici dubitarunt de veteris legis Sacramentis; diffinitum. n. fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenij Papæ; sacramenta antiquæ legis non conferre ani- Conc. Floręt.

Nota 1. D. Th.

Cano. Suar. Bellarm. animæ sanctitatem; vnde Cano 5.p. relectionis de Sacrament. in fine Suar. to.3. in 3.p. disp.1. sect.2. d.1. Bellarm. lib.1. de Sacram. c.12. propositione 1. & alij iuniores dicunt, ea sacramenta, ad plus, conferre solum sanctitatem legalem; vt .n. optimè docet D.Th.p.2.q.103.art.2. duplex est genus sanctitatis; altera est sanctitas spiritualis, quæ consistit in iustitia, & pulchritudine animæ corām Deo, & fit per habitum charitatis; & gratiæ; altera est iustitia legalis, quæ consistit in corporali munditia, & idoneitate ad cultum

D.Paul. Diuinum, quam Paulus Hæbr.9. vocat *Iustitiam carnis*; & hæc sanctitas frequētissima erat in veteri lege; & hanc sanctitatem, volunt citati Doctores, quod causabant vetera sacramenta, non verò gratiam; & sic tantum de nouæ legis Sacramentis est quæstio.

Not.2. 2 Secundò notandum est, quod nec quærimus nos; *An sacramenta noua legis causent gratiam*? id.n. de fide est: sicuti etiam nec dubitamus; *An ipsa sacramenta sint causa principales, vel instrumentales gratia*? cum eadē certitudine certum sit, ipsa esse causas instrumentales: non autem principales sanctitatis animæ; sed quæstio nostra tantum est, circa modum, quo illam causant; & in hac re est maxima controuersia inter Doctores; sed antequam ad eam examinandam accedamus, videamus breuiter, quoad fieri poterit, quid sibi volunt Catholici, cum docent, sacramēta causare gratiam ex opere operato? hac.n. difficultate dilucidata, pādetur nobis forsan facilius iter ad obscuriora, & difficiliora.

§. II.

Not.3. 3 PRo qua re notandum est tertiò, quod hoc solum est propter Hæreticos, qui omnem prorsus causalitatē negant Sacramentis in ordine ad gratiā; existimant.n., illa esse signa merè speculatiua diuinæ promissionis, qua Deus promisit se daturum gratiā credentibus; vel esse sola signa excitantia ad fidem; & per hanc hominem iustificari, & non per sacramenta; cum tamen Catholica Fides contrarium doceat. Ad intelligendum ergo statum huius dubij, sciendum est, quod licet quātum ad originem, & ethymologiam horum vocabulorum, quibus Catholici vtuntur, dum dicunt, *sacramēta conferre gratiam ex opere operato*; multiplex sit sententia, vt benè colligit Vasq.

Vasq. super illam q.62. disp.131. tamen, quantum ad rem significatam, omnes communiter conueniunt contra calumnias Hæreticorum, quas refert Bellarm. loc. cit. c.1. quod. s. sacramenta causare gratiā ex opere operato, sit, illam conferre ex vi sua, tanquam sui instrumenta ad hoc instituta: conferre, inquam, vltra omne meritum alicuius boni operis, quod fit, vel in recipiente, vel in conferente sacramenta; videlicet, ex eo præcisè, quod legitimè recipiantur, vt exigit eorum institutio; v.g. in Baptismo alicuius adulti cōcurrunt primo fides, sine qua nemo sanctificatur; item aliqualis pœnitentia peccatorum; aliquis Dei timor, & spes in eundem, & voluntas recipiendi Baptismum, vt se Christo coniungant; & multa etiam similia coniungi possunt ex deuotione recipientis. Ex parte verò ministri requiritur debita intentio; & similiter multi boni motus exigi, vel reperiri possunt, vt sacramenta licitè, & decenter tradantur. Demum est ipsa applicatio partium sacramentalium; ablutio .s. aquæ; & prolatio verborum formæ; cum autem Sacramentum præcisè consistat in sua materia, & forma, tanquam in partibus componentibus; ipsę met partes Sacramenti, atq. adeo ipsum Sacramētum est, quod confert gratiam sacramentalem, vt Dei instrumentum, vltra omnem dignitatem, vel recipientis, vel conferentis; nōn quod à Sacramentis excludatur omnis bonus motus, aut dispositio recipientis; (vt Hęretici calumniantur,) sed quod, licet in pueris dispositionem illam excludamus, cum non sint alicuius propriæ dispositionis capaces:) in adultis tamen dicimus, quod & si sint, & requirantur tales dispositiones, & boni motus; cęterum quando non sunt partes Sacramenti, non sunt instrumenta Dei ad gratiam sacramētalem causandam; neq. gratia dicitur dari ad mensuram meriti talium dispositionum; si non sint partes Sacramenti; sed vltra illam mensuram, ex vi Sacramenti adhibiti, tanquam Dei instrumenti ad hanc gratiam conferendam, confertur gratia.

Quid causare Gratiam ex opere operato. Belarm.

4 Ex quo demum colligitur, cur dicantur sacramenta ex opere operato cōferre gratiam? quia .s. vel conferunt gratiā præcisè ex merito passionis Christi iam exhibitæ, & non ex dispositione operantis (nam Christi passionem, intelligunt aliqui, per opus operatum,) vel certe cōmunius, ex opere operato, .i. ex ipso opere,

re,& ceremonia, in qua consistit Sacramentum, eo ipso, quod operata est,& exhibita,& facta est, vti debet; accipitur .n. particula illa (*operatum*) passiuè; & hac ratione opus operatum distinguitur ab opere operantis; tunc .n. dicitur conferri gratia ex opere operantis, cum tanta gratia confertur, quantam exigit meritum, aut dispositio operantis, vt sic: è contra verò, quia in Sacramentis confertur gratia, ex vi Sacramenti, præcisè, vltra meritum, quod potest esse in operante; ideo dicuntur conferre gratiam ex opere operato; quod negant Hæretici, existimantes, ex sola fide gratiam conferri; sacramenta autem; vel esse tantum signa promissionis diuinæ, de danda gratia credentibus per fidem, & non per ipsa sacramenta; vel solum excitare hominem ad fidem, per quam iustificetur; neq., per fidem, ipsi intelligunt veram fidem Theologicam, sed inanem quãdam fiduciam, & certam persuasionem, qua putant, iam sibi temissa esse peccata per merita Christi; atquè ex his patet, qualis sit status huius controuersiæ.

Quid sit conferri Gratiã ex opere operantis.

CAPVT II.

Ostenditur, sacramenta noua legis conferre gratiam ex opere operato.

§. I.

1 Catholica ergo sententia est, legis nouæ sacramenta conferre gratiam ex opere operato legitimè recipientibus illa: hoc, multis, probãt Doctores, videãtur ipsi; & ostendunt contra Hæreticos, sacramenta non ideo fuisse instituta, vt significarent solam promissionem Diuinam; aut vt excitarent fidem, per quam conferatur gratia; sed per ipsa met conferri gratiam vltra fidem, & dispositiones operantis: huiusmodi autem argumenta fusè prosequitur Bellarm. loc.cit. & omnes alij communiter super illam q.62. D.Th. vel in 4.dist.1. nos tamen breuissimè id probemus; neq. curandum est de vocabulo *operis operati*, sed de re significata.

Sacramenta noua conferũt Gratiam ex opere operato.

2 Et primò hæc veritas diffinita est in Tridentino sess.7.can.6.& 7. & præsertim 8. vbi dicitur, *Si quis dixerit, per ipsa noua legis sacramenta non conferri gratiam ex opere operato, sed solum fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit*; & idem, quo ad rem ipsam, fuerat diffinitum in Concilio Florent. cit. supra, & in alijs etiam antiquioribus, quę adducuntur à Doctoribus.

Diffinitur à Tridentino veritas hæc.

Conc. Florẽt.

3 Fundatur item hęc veritas Catholica in his locis Scripturæ sacræ, & Patrũ, in quibus, hominum sanctificatio dicitur dari à Deo per sacramenta, prætet fidem iam habitam; atq. adeo, tãquam per aliquid, Diuina institutione necessariũ post post ipsam fidem, aut præter fidem, vt homo per illas ceremonias sanctificetur, & fides proficiat illi ad salutem; hoc .n. pacto satis constat, sacramenta non esse homini necessaria, solum, quia excitant ad fidem, sed simpliciter, propter se ipsa, vt per vsum ipsorum homo sanctificetur. Hoc indicatur illo loco Actorum 8. vbi Eunuchus à Philippo instructus, dixit. *Ecce aqua quis prohibet me baptizari?* per quæ verba ostendit, se fuisse ab Apostolo edoctum; quod sola fides tunc non esset illi sufficiens ad salutem, vnde petijt baptismum; cum tamẽ iam esset interius fidelis. Neq. baptismus potuit illi esse necessarius ad excitandam fidem, quam recenter didicerat, & ore suo profitebatur; fuit igitur necessarius, vt per illum sanctificaretur; ex quo etiã fieri potest argumẽtũ vniuersale; quod si baptismus esset necessarius solum ad excitandam fidem; posito, quod quis iam sit instructus de rebus fidei, & habeat memoriam promissionis Diuinæ, non indigeret vllo Baptismo, quod tamen est contra Scripturas sacras: nam Matt. vlt. dicitur, *docete omnes gentes, baptizantes, &c.* vbi proponitur doctrina fidei, & postea adhibetur Sacramentum. Et innumera huius generis adduci possunt loca. Idem confirmatur, in Baptismo puerorum, qui non possunt excitari ad fidem per Baptismum; & tamen certissimum est secundum fidem, eos per Baptismum verè sãctificari. Legite etiam peculiaria omnium Sacramentorum loca Scripturæ sacræ in Authoribus citatis, & etiam multas Patrum, ad hoc idẽ probandum, authoritates, quas breuitatis causa omitto.

Probatur ex Sac. Scrip.

Act.

D.Matt.

Conf.

4 Possumus etiam optimam rationem, ex congruentia desumptam, afferre, cur Deus sic instituere voluerit noua sacramenta? quia .s. conueniebat perfe-

Probatur ex congruentia.

ctioni

ctiori statui Ecclesiæ post Christi passionem, vt aliquid maioris dignitatis haberent nostra sacramenta supra sacramenta, aut sacrificia antiqua, quæ fuere figura nostrorum: in quibus tamen dabatur gratia ex opere operantis, & figurabatur futura ex opere operato; quarè conueniens fuit, vt nostra sacramenta, vi sua, gratiam darent.

§. II.

5 VBi aduertendum est, quod licet apud antiquiores Patres non reperiatur hoc vocabulum *operis operati*, sufficit, quod in modo loquendi conueniant omnes in eadem re, quam nos intendimus per ly *opus operatum*; nam certè hæc vox fuit illis Patribus ignota, & ab Innocentio III. lib. 3. de Mysterio Missæ fuit primo vsurpata; & quia inuenta est habere optimum sensum in Scriptura sacra, & Patribus; postea ab omnibus Scholasticis repetita est, & nouissimè à Trid. loc. cit.

Nota.

Innoc. 3.

Trident.

6 Collige etiam veram differētiam inter sacramēta vtriusq; legis; nam sacramēta nouæ legis dicuntur continere gratiam, quam antiqua non continebant, eo quod in vsu eorum tantum daretur gratia, iuxta deuotionem, & affectum suscipientis; quod si suscipiens erat paruulus, saltè requirebatur fides Ministri. Sacramenta verò Euangelica dicuntur continere gratiam, & eam causare ex opere operato, quia non solum non requirunt dispositionem in suscipiente, si paruulus sit; sed neq; fidem in ministro; nam operi externo, raliter facto, promissa est iustificatio, etiam sine fide ministrantis: est ad hoc insignis locus Augustini lib. 4. contra Cresconium cap. 16. vbi ait; *Non eorum meritis, à quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constare Baptismum; sed propria sanctitate, atq; virtute, propter eum, à quo institutus est.*

Differentia inter Sacramēta vtriusque legis.

Aug.

7 Solent Hæretici extorquere nonnulla loca Scripturæ sacræ, & Patrum; in quibus nostra sāctificatio tribuitur fidei; sed certè sūt adeò friuolæ cauillationes, quas ex his locis deducunt, vt facile soluantur; si n. Scriptura sacra dicit, nostram iustificationem requirere fidem; intelligit, tanquam fundamentum Christianæ vitæ; non verò, tanquam formam sanctificantem; & hoc, in adultis; legite Hæreticorum argumenta, cum eorum solutionibus, apud cit. auth. præsertim apud Belar. & Vasq.

CAPVT III.

An Sacramenta causēt gratiam Physicè, vel moraliter?

§. I.

1 POstquam autē notum est, quid sit in sensu Catholico causare gratiā ex opere operato? deueniamus oportet ad principale quæsitum, quo quærimus; quomodo, seu qua ratione dicatur Sacramentū, vt sic, gratiam causare? Quarè not. est quartò, ad intelligentiam status huius controuersiæ; quod Sacramentum dupliciter intelligi potest, esse causa gratiæ. Primo, influendo actione sua in ipsam gratiam; qua ratione, calor est causa alterius caloris; quod tunc esset, si actio, qua producitur gratia, esset, & veluti exiret ab ipso instrumento; & gratia haberet actualem dependentiam in fieri, media hac actione, ab ipso Sacramento; denique qua ratione Sol illuminat; aut lumen calefacit; aut quocunque alio modo, res aliqua, per productionem, veluti à se manantem, producit aliquid extra se, siuè vt efficiens principale, siuè vt instrumentale; & si hoc esset, Sacramentum, esset causa physica gratiæ. Secundo, potest intelligi, causare gratiam, alio modo; non quia gratia dependeat ab influxu aliquo, qui sit immediatè à Sacramento; aut quod Sacramentū aliqua sua actione attingat entitatem gratiæ: sed quia Deus ad præsentiam Sacramenti, seu posito Sacramento, immediatè se solo producat gratiam, vt debitā tali Sacramento; posita institutione, ex promissione Diuina; atque adeo, vt aliquo modo extrinsecè determinatus, ad præsentiam Sacramenti; qua ratione minister Iustitiæ occidit hominem, ad Imperium Regis; & si ita esset, Sacramenta dicerentur Instrumenta gratiæ moralia; & conferre gratiam, vt causas morales instrumentales: Ad has ergo duas classes possunt reduci omnes sententiæ Doctorū, circa modum causalitatis Sacramentorum.

Nota quid causare Physicè, & quid moraliter.

§. II.

§. II.

Sententia asserentium, Sacramenta causare Gratiam moraliter.

2 ET Primò, nonnulli Doctores, putant, Sacramenta esse solum causas instrumentales morales; & quia talis causa moralis potest esse multiplex, propter varias rationes, quæ possunt esse in tali moralitate; ideo diuersi diuerso modo explicant suam sententiā. Et quidem Vasq dispur. 131. & sequentibus, septem, vel octo classes numerat horum Doctorum: Ad sex reducit Suar. disp. 9. sect. 2. & alij similiter, inter quos illi minus probabiliter existimantur sentire, qui putant, sacramentum esse in ea specie causæ moralis, quæ sit solum conditio, aut causa, sine qua non: quia scilicet Deus non constituerit dare gratiam, nisi in vsu Sacramentorum, vt conditione quadam; quam sententiam expresse confutat D. Tho. multis in locis; præsertim in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. & alibi; & merito quidem: nam tunc vix, aut parum noua Sacramenta differrent ab antiquis: posita enim institutione Sacramentorum, semper fuere Sacramenta conditiones, *sine quibus non*, respectu causalitatis gratiæ: tū ēt præcipuè, quia non essent verè in rigore loquutiones Scripturæ Sacræ, & Sacrorum Patrum; in quibus expresse dicitur, quod Baptismus verè lauat, mundat, & sanctificat, & verè causat gratiam; tales enim modi loquendi non conueniunt conditioni, sinè qua non: vt patet: similiter, etiam minus probabiliter senserūt, qui talē causalitatē moralem ponunt in Sacramentis, quæ re ipsa non excedit rationem signi: Ita vt Sacramentum nullo alio modo sit causa, nisi quia est signum; quæ etiam sententia eisdem rationibus confutatur, & reprobatur à D. Th. loc. cit. & quæst. etiam illa 62.

Nota varios modos explicandi hanc sententiam, qui reijciuntur. Vasq. Suar.

D. Tho.

3 Vt autem hæc inconuenientia vitēt alij Doctores, explicant hanc causalitatem moralem tali modo, vt ille propositiones, saltem primo aspectu, videātur veræ; nempè; quod aqua verè abluat & sanctificet, & causet gratiam; Dicunt ergo; quod, quamuis solus Deus influat effectiuè ad productionem gratiæ; illam tamen producit, vt debitam Sacramēto, ex quadam vera exigentia illius, posita institutione Diuina. Quæ exigentia cōsistit in hoc, vt sicut passio Christi, quæ est primaria causa meritoria salutis nostræ, olim non applicabatur, neque valebat ad actualem salutem, nisi per fidem operantium, ità nunc, eadem passio non applicetur, nisi per Sacramenta, & ità constituatur, veluti vnum integrum instrumentum; respectu rei, ex passione, & Sacramentis; & sicuti dicitur passio Christi nos sanctificare; ità Sacramentum, vt continens in se passionem Christi, seù vt moraliter coniunctum cum Christi passione, verè sanctificat; ac propterea exigat, vt Deus, in intuitu ipsius conferat gratiam, & ità verè dicatur causa moralis gratiæ, sicuti Scriptura Regia, seù Sijgrapha, quatenus continet; & exprimit voluntatē, & Imperium Regis, dicitur causa instrumentalis recipiendæ pecuniæ; similiter pretium est causa moralis redemptionis captiui, aut traditionis alicuius rei, quæ emitur, quatenus contitinet ius, & valorem, cui debetur talis effectus; ità etiam Sacramentum, vt sic, habet in se vim, & efficacitatem, propter quam debetur gratia, est .n. veluti quædam manus porrigens pretium ad redēptionem.

4 Alij demum dicunt, Sacramenta esse causas morales, impetratoriè; quatenus, ex Diuina institutione, impetrant nobis gratiam; sunt autem communiter in hac prima classe negantiū causalitatē phisicam Sacramentis D. Bonau. Dur. Altisiod. Guil. Paris. Ocham, Gab. Riccar. Marsil. Scot. Heru. Aurel. & alij ex antiquioribus, quos ex recentioribus sequūtur Vict. Can. Vasq. Mol. Salas. Faber. Fauent. in 4. dist. 1. q. 4. & 5. disp. 2. c. 5. & alij nouelli.

D. Bonacin. Duran. Altisiod Guil. Ocham Gab. Riccar. Marsil. Scot. Heruẽus, Aurel. Vict. Can. Vasq. Mol. Salyc. Faber.

§. III.

5 SEd vt hanc sententiā de causalitate morali tueatur Vasq. notat, præsertim p. 1. disp. 176. inter alia, quod, ad rationem moralis instrumēti, aliquid aliud requiritur præter, impetrationē, scilicet, quod operetur aliquid circa rem, in quā deriuandus est effectus, qui a Deo impetratur: nam instrumenta moralia, dicuntur instrumenta ex similitudine ad naturalia, & artificiosa instrumenta: porrò naturalia aliquid operari debent circa materiam transmutabilē; & ideo non quęuis impetratio moralis est causalitas instrumenti, sed impetratio tantum eius causæ, quæ tangendo rem, vel aliquid efficiendo circa ipsam, impetrat à Deo effectum alium, qua ratione Apostoli, tangendo ægrotos, impetrabant illis sanitatem;

Not. doctrinam Vasq. pro hac sententia.

tè; & aqua Baptismi, inquit Augustinus, tangendo corpus, abluit animam; quia impetrat à Deo regenerationem baptizati, & ideo tàm Apostoli, respectu curationis; quàm sacramẽta, respectu gratiæ, verè dicuntur instrumenta Dei.

6 Item notat, quamuis Sacramentis tribuamus idem genus efficaciæ moralis, quod tribuitur sanguini, & passioni Christi; nempè, per impetrationem; nihilominus non esse dicendum, sacramenta operari nostram salutem per modum meriti; sicut operatur sanguis, & passio Christi; nam meritum est operatio Filij Dei; cui ex iustitia aliquid retribuitur, per modũ præmij; Sacramẽtis autem nihil retribuitur, tanquam præmium; quia ex quocũq; fine, siuè bono, siuè malo; & in quocunq; statu, siuè gratiæ, siuè peccati, administretur Sacramentum, idem semper impetrabit; excepta Eucharistia, quãdo minister ipse suscipiens est; quarè, licet sacramenta impetrent nostram iustitiam, non dicuntur impetrare remunerationem; nam gratia, quæ datur in Sacramento, non datur vt præmium, & merces operis ipsius ministri, siuè suscipientis Sacramentum; & id non datur ex opere operantis, vt dictum est supra, sed fundatur in ipso opere externo, certa lege facto, cui ex merito Mediatoris facta est promissio infallibiliter impetrandi.

Suar. 7 Quam sententiam, sic explicatam, satis probabilẽ esse, affirmat Suar. disp. 9. sect. 2. *§. Quartò igitur, &c.* fundamenta verò illius in eo præcipuè consistũt, quod videatur impossibilis modus phisicæ causalitatis; Ast illa infra adducam, & soluã.

§. IV.

1. impugnatur hæc sententia ab aliquibus. 8 Coeterũ hæc sententia, quomodocunq; causalitas ista moralis explicetur, nobis non placet: quam aliqui impugnãt leuioribus rationibus. Primò, quia Deus ipse, cuius instrumenta sunt sacramenta, est causa phisica productionis gratiæ: ergo sacramenta non sunt instrumenta moralia; quia instrumentum in eodem genere causalitatis subordinatur principali agenti.

Reijcitur 1. hæc ratio. 9 Sed hoc argumentum leue est: primò: quia posset aliquis Respondere; sacramenta esse instrumenta Dei incarnati, qui per mortem, & passionem suam impetrauit nobis gratiam, & iustificationem: quarè in Tridentino sess. 6. c. 7. post quam assignatur Deus pro causa efficiẽti nostræ iustificationis, antequam Baptismus dicatur causa instrumentalis, assignatur causa moralis, per impetrationem, & meritum, s. vnigenitus Filius in Cruce passus; quo insinuatur, baptismus esse instrumentum huius causæ meritoriæ, & moralis.

10 Secũdò: quia Deus ipse est etiam causa moralis nostræ iustificationis; quia præceptis, & consilijs exhortatur nos ad contritionem cordis, sine qua non contingit iustificatio; & ideo, quamuis in ordine physici agentis, sacramenta non essent instrumenta Dei, manerent adhuc instrumenta illius, quatenus morali causalitate exhortatur, & promouet ad iustificationem nostram. Reijcitur 2.

11 Vera igitur impugnatio huius sententiæ non est desumenda ex hoc capite; neque ex eo, quod, detracta causalitate phisica, non maneat sufficiens discrimen inter sacramenta vtriusq. legis; quia adhuc, intra limites moralis causalitatis, maneret excellentia, & prælatio Sacramenti nouæ legis, respectu veterum: eo quod, licet circumcisio impetraret gratiam paruulo; requirebat tamen fidem ministri; & non sufficiebat ad impetrandum, quod Sacramentum administraretur ex intentione Synagogæ: Baptismus verò, etiam sine fide ministri administratus, cum intentione Ecclesiæ, impetrat gratiam; & ideo illam tribuit (vt supra diximus) ex opere operato, quod non conueniebat Circumcisioni. Reijcitur alius modus impugnandi eandem sententiam.

12 Quarè legitima impugnatio huius sententiæ est, quam D. Tho. tangit q. 62. art. 1. s. quia modus ille causalitatis non excedit rationem signi: quod ita ostẽdo: quia impetratio non potest consistere, nisi in actione meritoria congrua, vel cõdigna; nã impetrare est obtinere ab alio per studium, vel deprecationem; & ideo bona opera existentis in peccato dicuntur à Sanctis Patribus meritoria alicuius præmij, saltem de congruo; non alia ratione; nisi quia illud impetrant; & Augustinus epist. 105. *aliquid* (inquit) *est meritum fidei in iustificatione nostra, siquidem eã impetrat*; ergo impetratio Sacramẽtorũ nõ potest absolui ab omni operatione meritoria; vel ergo meritũ, cui tribuitur impetratio Sacramenti, est in ipso Sacramento; vel in alia operatione, cuius memoriam Sacramentum excitat; si meritũ impetratorium est in ipso Sacramẽto; sequitur Sacramentum conferre gratiam ex opere operantis; quia meritum Sacramenti Vera impugnatio. D. Th. Aug.

menti non potest constare sine fide ministri. Si verò meritum sit in alia operatione;nimirum,in passione Christi;sequitur, Sacramentum esse nudum signum commemoratiuum passionis; atq; adeo concurrere instar denarij plumbei, cuius signo, & testimonio exhibentur centum libræ ex liberalitate Regis.

Conf. Can. Ledes. 13 Et confirmatur exemplo, quo Canus, & Ledesma vtuntur:quia sacramenta, ex eorum sentẽtia, concurrunt ad largitatem gratiæ, tãquam chyrographum, & scriptura publica, quæ dicitur instrumentum morale ad exactionem debiti: sed concursus Chyrographi, respectu solutionis, quæ à debitore fit, non est concursus causæ: sed signi, & testimonij fidelis de veritate contractæ obligationis;debitor.n.qui soluit pecuniam, non cogitur ad soluendum, ex scriptura, tanquam ex causa debiti; sed ex titulo, quo contracta est obligatio;.s.vel ex titulo dati, & accepti; vel ex titulo liberalis donationis;cuius argumentum est; quia, etiam pereunte scriptura;si adhuc manet idem titulus, nõ extinctus solutione, manet obligatio soluendi in conscientia; ergo si sacramẽta sunt Chyrographa quædam, continentia pretium sanguinis mediatoris, & hac sola ratione concurrunt ad iustificationẽ nostram, sunt nuda signa, & testimonia antiquæ redemptionis; & non causæ, per quas homo iustificatur.

14 Vel, (quantum spectat ad exemplum Scripturæ, siue Chyrographi;) possumus etiam dicere, quod est lõgè dispar ratio: nam scriptura cõtinet realiter scriptionem eius, cuius est, quæ æquiualet ipsi imperio, & voluntati, siuè Regis, siuè cuius sit Chyrographum illud; & sic huiusmodi scripturæ dicuntur instrumenta hominum ad aliquid operandum: & sacramenta nil realiter in se habent, præter suam substantiam phisicam, in hac sententia: & ita multum deficiunt ab hoc exemplo; sicuti etiam ab illo alio, de manu porrigente pretium, siue præmium; nam manus verè phisicè concurrit ad applicationem, & solutionem pretij: & sic potest dici verum instrumentum; non autem tantum signum: at verò sacramenta non concurrunt phisicè ad applicãda merita Christi, tanquam phisicè contenta in ipsis, vt certum est; maximè secundum aduersarios; igitur solum continẽt, & concurrunt moraliter;talis autem moralitas non potest vlla ratione explicari, aut intelligi, nisi dicamus, ideo concurrere, quia sunt signa Diuinæ passionis, aut gratiæ dandæ; aut certè causa sine qua non; neq..n. fingi potest, qua ratione talia sacramenta possint applicare passionem Christi; neq..n. sunt, vt manus; sicut dixi, neq. vt causa;nisi metaphoricè:tales autem rationes non excedunt rationem signi, aut conditionis, vt patet consideranti.

§. V.

15 QVarè est secunda classis eorum Doctorum, qui docent, sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, nõ solum morales, sed etiam phisicas, influentes.s.in ipsam gratiam; vt subordinatas omnipotẽtiæ Diuinæ, quę, per ipsa, producit gratiam in anima; ea ratione, qua artifex, suo instrumento, facit suum opus artificiatum; ita vt eadem actio productiua gratiæ sit Dei, & Sacramenti:qui etiam Authores in hoc videntur disconuenire inter se: nam aliqui eorum existimant, sacramenta non efficere ipsam Gratiam immediatè: sed per aliquam dispositionem supernaturalem in anima, ad quam necessario consequatur gratia: qua ratione Sol non dicitur calefacere immediatè; sed illuminare; & ad lumen sequitur calor; sicuti etiam calor, calefaciendo disponit materiam ad formam ignis: Alij verò existimant, sacramenta immediatè efficere gratiam. Cęterum licet sit hæc inter illos disparitas: omnes tamen conueniunt, quod potest assumi Sacramentum ad producendum aliquid supernaturale in anima, vt phisicum instrumentum. Negãt autem præcipuè hoc de gratia, qui putant, illam creari;& ita consequenter fatentur, non posse dari phisicum instrumentum ad eam immediatè producendam; qui verò, eam educi fatentur de potentia animę(vt nos infra) facilè id concedunt Sacramentis. Sunt autem in hac classe in primis D.Th. tota illa q.62.& alibi; & licet apud eum non inueniatur terminus phisicæ causalitatis; inueniuntur tamen termini æquiualentes, vt ex dicendis constabit. Item omnes ferè Thomistæ Caiet. Ferra. Capr. Palud. Sot. item Alens. Argen. & alij, quos citat, & sequitur Suar.lo.cit.disp.9.sect.2. item Alan.lib.1.de Sacramẽt. cap.34.35. 36.37. Bellarm.lib.2.de Sacrament.c.1 t. Valent.disp.3. q.3. puncto 1. Episcopus Oxomensis 3.p.q.62.ar.3.& 4.n.8. Alber. coroll.1. ex 2.princip. Philosophico per totum.

Alia sententia; sacramẽta esse causas instrumentales physicas.

Varietas inter DD. huius sententię.

D.Th.

Caiet. Fer. a. Capr. Palud. Soto. Alens. Argen. Suar. Alan. B. llar. Val. Albert. Med. Caput. Ban. Vega.

totum, Medin. 3. p. q. 13. a. 2. Cabter. ibid. q. 11. in comment. art. 7. & super illam quæst. 62. d. 3. conclus. 5. Bann. 1. p. q. 45. art. 5. conclus. 4. ad quartum, Vega lib. 7. in Trident. c. 9. & 11. & alij multi; & in probando hanc sententiam, multa congerunt hi Doctores. Cæterum existimo eam breuiter posse probari, eum potius eius euidētia maior consistat in solutione argumentorum.

Vnicum fundamentum huius sententiæ.

16 Quare fundamentum vnicum huius sententiæ est, quia sine causalitate physica non possunt verificari loquutiones scripturę Sacræ, & Patrum, s. quod Baptismus saluos nos facit: quod lauacro regenerationis mundamur à peccatis; quod Sacramentum pœnitētiæ tollit nexus peccatorum; quod tanta est virtus aquæ, quod corpus tangat, & cor abluat, quia etiam data fingendi licentia, vna ex duabus vijs verificari possent loquutiones prædictę; vel quia Sacramenta efficienter mundēt animam; vel quia merito aliquo impetrent à Deo animæ munditiem, & nitorem; nam si neutrum horum habeant, solum erunt signa externa prædictæ impetrationis, & gratiæ: sed Sacramenta non impetrāt à Deo nostram iustificationem per modum meriti; alioquin meritum impetratorium esset in ipso Sacramento, quod impugnatum est supra: ergo, vt verè dicatur emundare animam, vnatantum superest via, scilicet, physicæ causalitatis.

§. VI.

Respondetur ad fundamenta contrariæ sententię. Ad primum.

Ex qua doctrina facilè soluitur primum fundamentum contrariæ sententiæ, quod ità obijcitur. Sanguis, & passio Christi, verè dicuntur Lauare nos, & emundare à peccatis, vt passim repetunt sacræ Scripturæ: sed passio Christi non fuit causa physica, sed moralis, & impetratoria nostrę sanctitatis, & gratię, ergò ad veritatem prædictatum loquutionū satis est causalitas moralis. Respondeo enim, concedendo maiorem, & quicquid sit pro nunc de minori (quæ vtique posset negari) neg. tamen consequentiam, & ratio est, nam licet Christi passio, humanitas, & sanguis non essent nisi causæ morales; ad huc esset dispar ratio: nam ad ad hoc, vt sanguis Christi dicatur abluere nos; non est necessaria physica causalitas, quia etiam sine illa manet in sanguine Christi valor operis meritorij, & dignitas actionis Dei vitilis ad impetrandum. At in Sacramentis, detracta causalitate physica, non manet meritum aliquod; sed rātum nudum signum antiqui meriti, & redemptionis; & ideo, vt Sacramenta verè dicantur emundare, necesse est, sint physica instrumenta gratiæ conferendæ.

18 Eadem Responsio adhiberi etiā potest ad ea loca sacræ Scripturæ, & Patrum, in quibus dicimur, sanctificari, & saluari per fidem, s. tanquam per fundamētum iustificationis, vt supra diximus, aut etiam per aliquam aliam virtutem, aut operationem: neque enim statim colligendum est, quod hæ res sint physica instrumenta ad productionem gratiæ. Ratio autem est eadem, quia fides, & cętera huiusmodi habent suum proprium modum causandi salutem, qui sufficit, vt verificentur dicta Scripturæ sacræ, & Patrum, etiā si non sint physica instrumenta: At verò si Sacramenta non essent, nisi causæ morales, non possent verificari de illis dicta sacræ Scripturæ, & Patrum; quia non transcenderent rationem signi; quare non est eadem ratio.

§. VII.

19 Obijcies tamen secundo, in aliquo casu, Sacramenta dicitur emundare, & abluere, sola causalitate morali, ergo ad verificandam prædictam loquutionem sacræ Scripturæ, & Patrum, de Sacramentis, non requiritur causalitas physica. Antecedens probatur; in eo casu, in quo Sacramentum fictè susceptum, recedente fictione, operatur salutem; quod saltem de Sacramento Baptismi negari non potest, vt constat ex August. lib. 1. de baptismo c. 2. & ex D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. v. g. si aliquis baptizetur cum impedimento alicuius peccati, & post aliquod tempus pœniteat; tunc baptismus habebit proculdubio suum effectum, sublato impedimento; & in hoc casu Baptismus non operabitur physicè gratiam; quia susceptio Sacramenti præcedere potuit per annum integrū remotionem fictionis, & impedimenti, & res tantò antea præterita non potest concurrere physicè ad productionem gratiæ. 2. Obiectio. August. D. Thom.

20 Huic argumento conantur aliqui satisfacere, dicendo, etiam in illo casu, Baptismum esse instrumentum physicum animæ iustificationis. Sed contra est: quia causa efficiens, siue principalis, siue instrumentalis, necessariò debet ha- Aliquorum solutio. Impugnatur.

bere aliquam actualem existentiam, tempore exercendæ causalitatis, saltem contiguam cum effectu, quia à re præterita non magis, quam à re futura, non potest aliquid dependere, nisi forsitan cogitatione, & intentione; quod ratione vniuersali probari potest; nam sola causa finalis, quæ non causat determinatè per bonitatem veram; sed veram, vel apparentem, potest mouere, non præsens, sed futura, quia etiam futura potest apprehendi, vt conueniens desideranti: Et ità aliquando bonitas, non solum non præsens, sed neque futura, neque præterita; immò etiam impossibilis mouet voluntatem ad desiderium sui, quia etiam res impossibilis apprehenditur, vt conueniens, ac si possibilis esset; In cæteris verò causis, quæ causant, non per entitatem, indifferenter, hoc est, siue apparentem, siue veram; sed per veram entitatem determinatè; sicut impossibile est, effectum egredi à re futura; ita est impossibile à præterita; alioquin eadem ratione egredi posset ab impossibili; quod est absurdissimum; quod verò sequatur, patet; nam ex eodem principio nascitur in causa finali, posse effectum dependere à re non præsenti, & posse dependere ab impossibili; nimirum, quia finis mouet metaphoricè per formam apprehensam: apprehendi autem potest, non solum res non præsens, sed etiam impossibilis; ergo si semel concedamus, in causalitate efficienti, posse effectum pendere à re non existente actu: fateri etiam debemus, posse dependere ab impossibili: quia vt ab impossibili dependere nequeat, illa solum ratio cogit, quod principium agendi in efficiente sit forma vera, & realis: ex hoc autem principio rectè sequitur, rem præteritam non posse esse efficientem actu, quia forma præterita non est forma realis, sed fuit.

§. VIII.

Vera solutio. 21 Hac ergo solutione reiecta, respondendum est primò, concedendo, quod in tali casu, qui est per accidens, baptismus non concurrat vt physicum instrumentum actuale, sed solum vt morale: non tamen quomodocumq; sed, vt connotans physicam potentialitatem ad causandum, vt mox explicabo; neg. tamen, quod si in eo casu saluantur dicta Patrum, per talem causalitatem moralem, saluari etiam possint in aliis casibus; & ratio disparitatis est, quia, in eo casu, talem causalitatem moralem ponimus in Baptismo, quæ excedat rationem signi, aut conditionis; quamtamen causalitatem excedentem rationem signi, non possumus inuenire in aliis casibus, vbi nullum est impedimentum ad gratiæ productionem. Causalitas autem in eo casu, excedens rationem signi, est hæc: quia, scilicet, Deus tunc infundit gratiam intuitu baptismi præcedentis, tanquam cui, ex institutione Diuina, debebatur physicus influxus in ipsam gratiam, si non fuisset impedimẽtum: sed quia hoc fuit positum, ideo non est sequutus effectus: non autem eo sublato, vult Deus, vt idem effectus sequatur, intuitu eiusdem baptismi, cui debebatur talis physicus influxus; quæ ratiò causalitatis moralis omninò excedit rationem signi, & potius connotat baptismum, vt vi sua, causatiuum gratiæ; licet per accidens non causauerit; in aliis verò casibus non potest explicari talis causalitas moralis, quæ excedit rationem signi, vt supra diximus.

Nota. (margin)

22 Vel secundo Respondeas, verum esse, Sacramenta in eo casu esse morale instrumentum, quia Deus intuitu Sacramenti, quod in eius præsentia mansit, ex piissima misericordia, tribuit gratiam, recedente fictione, & in eo casu non verificatur de Sacramento, quod mundet, aut lauet; sed Deus mundare, & lauare dicitur. Ratio est, quia Sacramentum indignè susceptum potius sumitur ad condemnationem, & mortem; nam eius susceptio sacrilega est; & si quis attentè consideret omnia sacræ Scripturæ testimonia, in quibus Sacramenta dicuntur emundare, & sanctificare, inueniet, sacram Scripturam semper loqui de Sacramento fine obice, & dignè suscepto. 2. Solutio.



§. IX.

§. IX.

3. obiectio. 23 OBijcies tertiò: sacramenta eodem modo causant, quo sunt: sed nõ sunt, nisi aliquid morale; ergo non causant; nisi moraliter; quod argumentum solet etiam sic proponi. Sacramenta non sunt aliquid simplex, sed compositum ex materia, & forma; ergo eodẽ modo causant, quo sunt vnum compositum; sed nõ sunt vnum, nisi moraliter ergo, &c.

Solutio. 24 Respondeo; si primo modo formetur argumentum, neg. min. nam partes sacramentales, & ipsum totum Sacramẽtum dicit entitatem aliquam phisicam, etiã si simul includat aliquid morale; vnde neg. consequentiam sicuti actus virtutum naturalium includunt aliquid morale; & tamen phisicè causant augmentũ sui habitus. Si verò secundo modo proponatur argumentum, neg. consequentia maioris; licet .n. sacramenta, in ratione vnius compositi, non sint, nisi vnum moraliter; includunt tamen phisicam entitatem, ratione cuius possunt phisicè causare.

4. obiectio. 25 Obijcies quartò: verba sacramẽtalia causãt gratiã p sẽsũ, vel propter, & significationẽ, sed sensus, & significatio nõ sunt, nisi aliquid morale, & ens rationis; ergo non possunt causare phisicè.

Solutio. Respõdeo ad ma. si particula illa (*propter*) dicat immediatum principium instrumentale ad causandum; neg. ma. tale .n. principiũ est ipsa phisica entitas verborum, non autem relatio consequens; aut aliquid extrinsecum; si verò particula (*propter*) denotet congruitatem, seù rationem cõgruam, quarè Deus velit vti hoc instrumento ad sanctificationem, vera est ma. falsa est tamen consequentia, etiam si talis congruitas nil aliud esset, nisi aliquid morale: sicuti, si quis diceret: hic occidit alium propter imperium Principis; sed Imperium Principis est solum causa moralis; ergo hic, qui occidit, solum vt causa moralis occidit; consequentia esset falsa; propter similem distinctionem adhibendã in maiori. Deinde minor prioris syllogismi, licet ad rem nostram satis sit, si dicatur, transeat: adhuc tamen falsa est; nam sensus verborum propriè nil aliud est, nisi veritas significata per verba, quæ nõ est ens rationis: item significatio, quæ magis videtur importare aliquid morale, & ens rationis; non ideo est ratio congruitatis explicata, quia dicit hanc relationem rationis; sed propter veritatem significatam, quam connotat; & propter quam assumitur Sacramentum.

§. X.

26 OBijcies quintò: si sacramẽta causarent phisicè gratiam, sequeretur vnum ex duobus absurdis; .s. aut gratiam produci in tempore; aut sacramenta efficere, postquam præterita sunt: patet sequela; quia, vel sacramenta dicerentur producere gratiam, quando sunt; vel quando desierunt esse: si primum, sequitur, gratiam fieri in tempore; quia sacramenta sunt quidam motus successiui; si secundum, sequitur sacramenta operari sine actuali existentia; quod supra impugnatum est; & hoc argumentum potest dici validius pro sententia aduersariorũ; & adeo censetur ab ipsis indissolubile, vt existimẽt etiam, implicare contradictionem, vt sacramenta possint phisicè causare gratiam: cui innumeræ solent adduci solutiones, quas tamen omittimus, tãquam parui momenti; & quæ cum recta philosophia nõ benè consistunt; & facilè confutantur ab aduersarijs. 5. obiectio.

27 Quare, pro vera solutione, notandum est primò, quod certum omninò esse debet, sacramenta non habere suum effectum, nisi in aliquo instanti determinato, quod saltem Deus ipse nouit: atq. adeo, gratiam incipere in instanti intrinseco, in quo verum sit dicere; nũc primò; est gratia; antea non erat: hoc autem affirmo, tum propter verba consecrationis, quæ non habent effectum suum, .s. Christi præsentiam sub speciebus panis, nisi in instanti vltimo completæ prolationis; vt est communis sentẽtia; tum quia eadem prorsus videtur esse ratio de gratia, quãdo exigit determinatam aliquam operationem sacramentalem: talis .n. determinata operatio necessario perficitur instãti aliquo terminatiuo: quod etiam patet consideranti formas Sacramentorum; nam in forma Baptismi non potest esse gratia, dum aliquis dicit, *Ego te baptizo*, sed expectanda est integra prolatio omnium verborum; & idem dicendum est de parte materiali Sacramenti, quando includit aliquam operationem fluẽtem, vt in baptismo, est Ablutio; in Confirmatione, Vnctio, &c. multa etiam contra opinionem eorum, qui putant, gratiam produci antè vltimum instans completæ prolationis; consultò prætereo: maximè, quia, neq. hac ratione soluitur difficul- Not. 1. pro solutione.

tas,

tas. legantur tamen recentiores.

2. not. 28 Not. secundò, varios esse modos causandi causæ efficientis, siuè principalis, siue instrumentalis; vt ex ipsa experiẽtia colligitur: aliquando .n. causa, per motum antecedentem tempore, phisicè causat effectum subsequentem in termino motus; aliquando causat suum effectum immediatè, sine vllo motu, tempore antecedente; sed solum concomitante ipsum effectum, & terminum; v.g. cum calor producit calorem, per calefactionem: nullus est hic motus, tempore antecedens calorem productum; nam partes calefactionis comitantur partes caloris producti; & sic de alijs; in quibus nulla est difficultas. Primi autem casus exempla difficiliora sunt; sed si quis rectè aduertat, non minus sunt nota, & manifesta, tùm in naturalibus, tùm in artificialibus, quàm cętera: cum .n. aliquis, erecto malleo, imprimit ictum in clauum ad configendum; motus ille antecedens, & impetus mallei, vsq. ad contactum claui, est phisica quædam vis, antecedens ad infixionem, & compressionem claui; habet autem effectum post se ipsum; post instans .s. contactus claui: similiter motus quilibet localis, ordinatus ad contactum alicuius corporis, est phisica quædã via, & operatio tendens ad illum terminum; & tamen contactus non est, nisi in termino talis motus. Itẽ motus frigefactionis est phisica quædam via, & fluxus ad coagulationem, seu congelationem: & tamen congelatio consequitur post determinatam frigefactionem: è contra verò, calefactio est motus antecedens ad liquidationem rei congelatæ; quæ liquidatio subsequitur in termino calefactionis: idem accidit in generatione substantiali; in qua, præuia alteratio, est phisica quędam via, & fluxus ad formam substãtialem; quæ tamen consequitur in termino alterationis; vnde aliqui vocant hanc alterationem, generationem causalem: immò, si Aristotili credendum est, nulla alia est, per ipsum, generatio substantialis, nisi hæc præuia alteratio, vt terminata ad esse substantiale compositi; & hoc est vniuersaliter in omni prorsus generatione substantiali. Idem accidit in augumentatione, quæ causatur per præuiam alterationem aliquam, vnitiuam alimenti ad quantitatem viuentis; quæ tamen vnio solũ est in termino illius alterationis; vnde inductione constat, in omni genere motus, posse aliquam causam phisicè causare, & influere in suum aliquem effectum per motum aliquem, tempore antecedẽtem talem effectum, qui solum subsequatur, & connectatur cum termino talis motus: & hunc modum causandi imitatur Deus in Sacramentis, quando partes sacramentales vel consistunt, vel includunt actionem aliquam fluentem; licet id non contingat respectu gratiæ in speciebus sacramentalibus; vnde ad illas non se extendit hæc difficultas.

29 Not. vltimò est, si quis diligenter aduertat, quoties causa per motum antecedentem influit in effectum subsequentem, semper duæ actiones, seu operationes concurrunt, & distinguuntur circa talem effectum. Vna antecedens tempore, altera concomitans illum effectum: & de prima quidem nullum dubium est, quod distinguatur realiter ab vltimo suo termino. De secunda, aliqui affirmant; aliqui negant; v.g. alteratio præuia; quæ, quatenus est à calore, vt à causa vniuoca, per se tendit ad accidens; quatenus verò ab eodem calore, vt à causa instrumentali, per se, tendit ad substantiam, distinguitur realiter, & tempore antecedit ipsam vltimam introductionem formæ. Item ipsa compressio claui, quæ fit post cõtactum mallei, est quædam actio realiter distincta à motu mallei antecedenti; & sic de cęteris: & quia vtraquè actio, quæ ad eundem terminum vltimatè terminatur, participat commune nomen, & denominationem à tali termino; ideo, vt proprijs vocabulis distinguantur, si hæ actiones significentur, & nominentur cõmuni, & generico vocabulo, productionis, actionis, effectionis, seu causationis, &c. illa prior dicetur, productio antecedens; secunda, productio consequens, seu concomitans effectum; si verò nominentur vocabulis specificis, desumptis à proprijs terminis: prima dicetur causalis. Secunda formalis: & ita multi appellant alterationem illam præuiam, generationẽ causalem; vltimam vero formæ cõsequutionem, generationem formalem: præterea, quia in hac perficitur conceptus generationis, in illa verò non perficitur, sed veluti inchoatur; similiter motus mallei antecedens potest dici fixio causalis, & percussio causalis; motus autem ipse claui descẽdentis potest dici fixio formalis, & contactus subsequens ad motum mallei antecedentem, percussio formalis. Idem accidit in augumentatione, nutritione, coagulatione, liquidatione, &c. in 3. not.

qui-

quibus, motus antecedentes possunt dici augumentatio causalis, &c. consequutio vero vltimi termini, augumentatio formalis, &c. Si quis autem in vniuersum petar, quid sit hæc productio antecedens, & subsequens, causalis, & formalis? dicendũ est, primum esse phisicam quandam, veluti viam, & tendentiam, seu influxum in aliquem vltimum terminum sibi connexum. Secundum, verò, esse immediatam ipsam consequutionem talis effectus, ad quem prior illa via tendebat, & in quo sistit, &c.

§. XI.

30 His positis; quia (vt dixi) Deus ita producit gratiam per sacramẽta, de quibus loquimur, vt imitetur modum operandi eius causæ, quæ influit per motum antecedentem: quandoquidem hæc sacramenta, quæ consistũt in successiua aliqua operatione, ita assumi poterant ad causandam gratiam; ideo prorsus in casu nostro dicenda sunt ea, quæ diximus in exemplis positis: nisi quod ibi motus ille, & via antecedens, naturaliter tẽdit ad vltimũ effectum; hic verò, supernaturaliter; vnde talis causalitas est nobis occulta: satis tamẽ explicari, & intelligi potest per comparationem ad exempla posita. In sanctificatione ergo hominis, quæ fit per ablutionem baptismi, v.g. distinguẽdæ sunt duæ operationes: prior est, ipsa ablutio. Secunda est, immediata ipsa productio gratiæ: prior si comparetur ad virtutem aquæ naturalem, nõ est, nisi exterior ablutio: si comparetur ad virtutem diuinam, vtentem illa, tanquam instrumento, & applicantem omnipotẽtiam suam per illam ad operandum, sic est sanctificatio causalis, & productio gratiæ antecedens; ipsa verò consequutio gratiæ est productio consequens; & dici potest sanctificatio formalis; quia in illa absoluitur tota hæc tendentia; & hæc est in termino prioris actionis; sicuti in exẽplis supra positis: neq. vlla ferè difficultas fieri potest in casu nostro, quæ non fieri possit in aliquo casu supra posito; nisi quod in illis, tendentia illa est naturalis; & propterea magis nota: hic verò, supernaturalis, & occulta; non tamen denegãda Diuinæ omnipotentiæ, quæ potest vti suis creaturis ad quemcunq. effectum, vbi nulla est implicantia, qualis non est in nostro, &c.

31 Ad argumentum; ergo, in primis mihi non videtur sufficiens eorum solutio, qui dicunt, in Baptismo v.g. non esse ablutionem, quæ causat gratiam; sed esse aquam, posita ablutione: aquam autem esse in illo instãti, in quo producitur gratia: similiter, licet sonus verborum sit ens successiuum per accidens; quia simul fit cum motu; non tamen esse ita ens successiuum, vt nullo tempore permaneat, secundum totam aliquam sui partem: quarè in vltimo instanti prolationis permanere, inquiunt, aliquam partem soni diuisibilem, quæ possit causare gratiam. Mihi hoc, inquam, non videtur sufficiẽs: primò, quia hæc doctrina nõ est vniuersalis; nam Matrimonium potest perfici per solos nutus; atq. adeo, per simplicem motum localem, sufficientem ad significandum internum consensum; in quo casu non habet locum hæc doctrina; & similiter ex ea sequeretur, quod Deus non posset instituere Sacramentum in aliquo signo sẽsibili, quod est solus motus; neq. assumere rem aliquam successiuã ad producendũ aliquid in termino ipsius; quod tamen non videtur implicare contradictionem. Præterea falsum est, quod ablutio non producat gratiam: aqua .n. (vt expressè fatetur D. Tho. art. 1. cit. ex q. 62. ad 2.) non producit, nisi per ablutionem, per quam illa significat: demum, quia licet verum sit id, quod dicitur de sono; tamẽ non sola illa particula soni, quæ permanet in vltimo instanti, est instrumentũ ad gratiam, sed integra verba (vt mox dicam) &c.

Soluitur 5. obiectio, impugnãdo aliquas alias aliorum DD. solutiones.

32 Neq. secundò mihi videtur sufficiens solutio eorum, qui dicunt, in instãti, in quo producitur gratia, esse aliquid indiuisibile Sacramenti; nempè, indiuisibile terminatiuũ, siuè soni, siuè ablutionis, quod dicitur vltimum mutatum esse; & ratione huius, Sacramentum phisicè influere in gratiam: quo pacto Respõdet Suar. disp. 8. sect. 2. Hoc .n. est valdè minuere causationem phisicam actionis sacramentalis; maximè, quia illud indiuisibile non potest dici Sacramentum, aut pars Sacramenti; neque est quid sensibile: quare partes sacramentales non possent dici phisicè causare gratiam; neq. .n. illud indiuisibile est virtus Phisica partium: Addo, quod magna cõtrouersia est de his indiuisibilibus, an sint, vel nõ sint; neq. necesse est, vt veritas Theologica à re tam tenui dependeat; maximè si possumus assignare modum, quo totum Sacramẽtum, vel pars aliqua integra ipsius agat, &c.

Impugnatur solutio Suar.

33 Qua-

33 Quarè ad argumentum, iuxta doctrinam positam. Respondendum est; ficuti etiam Respondet Dominicus de Soto in 4.dist.9.q.2.art.7.sacramenta causare gratiam in eo instanti, quod est primũ non esse Sacramenti; licet autem gratia, & sacramenta non sint simul, saltem secundum se tota; sufficit tamen, vt sint immediatè connexa; & vnum sit in termino alterius, ad hoc, vt verè vnum possit dici fieri per aliud.

§. XII.

Obiectio. 1.solutio. 34 QVod si dicas: causa efficiens in actu secundo debet esse simul cum effectu. Distinguendum est de causa efficienti; in actu perfecto, & imperfecto; & propositio vera est in primo sensu, non in secundo: vnde dum durat alterațio generatiua, causa quidem efficiens est in actu, cum sit in via, & tendentia ad formam; non tamen tunc est forma: quia non est in actu perfecto; erit tamen tunc, cum subsequetur forma in termino alterationis, & sic de alijs.

2.solutio 35 Item secundo distinguendum est de causa efficienti; aliqua .n. est causa, vt id, quo, aliud existens, operatur per propriam virtutem: alia est, vt id, quod existens, per propriam virtutem operatur; propositio ergo illa vniuersaliter vera est de hac secũda causa, quæ est principium primum, & fundamentum totius causalitatis; & propterea necesse est, vt existat, dum operatur, siuè communiter, siuè antecedenter: de prima verò causa efficiente, propositio non est vniuersaliter vera; sed aliquando vera, aliquando falsa, iuxta diuersos modos causandi, supra explicatos; si.n.id, quo aliud existẽs, operatur, sit aliquis motus antecedens, non est necesse, vt sit simul cum vltimo effectu; sed sufficit si sit consequenter: talis .n. modus causandi non repugnat; si verò id, *quo*, sit aliqua res permanens, tunc poterit esse simul cum effectu; sacramenta verò sunt prioris generis, (vt expressè fatetur D. Tho. in 3.dist.1.q.1.art.4.quæstiuncula 1. ad 5.vbi habet. *Non sunt sacramenta, quæ influunt gratiam; sed per quæ, tanquã per instrumenta Deus gratiam influit, qui modus loquendi etiam communiter vsurpatur.*) Cum ergo dicitur, quod *sacramenta producunt gratiam*; intelligendum est, tanquam id, quo Deus operatur, influendo gratiam; quod expressè etiam fatetur D.Th.q.illa cit.62.art.1. in

D.Tho.

fin. corporis; & sic dicimus, quod in Baptismo v.g. in vltimo instãti prolationis, aut ablutionis, incipit esse gratia; & tunc non est ablutio, nisi terminatiuè; neq. sonus verborum integer.

36 Cum ergo dicitur in argumento, & infertur pro absurdo; ergo sacramenta causant quando non sunt; distinguẽdum est de influxu, seu causatione antecedenti, & consequenti; primò, non causant, quando nõ sunt; totus.n.ille fluxus Sacramenti est quædam actualis tendentia ad gratiam; & ideo, dum est, causat, antecedenter; etiam si tunc non sit gratia, quæ non requiritur ad talem modum causationis: qua ratione docuit Arist. quod id, quod generatur, aut fit, dum fit, aut generatur, non est; & tamen generatur .s. causaliter, & antecedenter; si verò loquamur secundo modo, sacramenta causant, quãdo non sunt, .s. in termino sui; hoc.n.est, causare consequenter; ex vi .s. motionis alicuius antecedentis consequi aliquem effectum, ad quod nõ est necesse, vt semper existat id, quod est tantum causa, vt quo aliud existens operatur (vt explicauimus.)

37 Cum tandem dicitur, & pro absurdo infertur, sacramenta producere gratiam in tempore; dico, quod gratia producitur, antecedenter quidem, in tempore; consequenter verò, in instanti: produci autem gratiam in tempore, antecedenter, non est absurdum: non .n. necesse est, vt ipsa sit, dum durat eius productio antecedenter; sed satis est, si sit in termino talis productionis.

38 Vel breuius, & ferè idem dicas ad argumentum; quod actualis existentia, requisita ad causandum, non necessariò est coexistentia simultanea, pro instanti initiatiuo effectus; sed satis esse videtur existentia contigua pro toto tempore immediato; maximè in entibus successiuis, quæ rem permanentem alia ratione tangere non possunt; quod sic potest suaderi facilè; nam existentia in tempore nõ est conditio magis requisita ad causandum; quàm existentia in loco, saltem in agente corporeo: videmus autem, agens corporeum non esse in re producta, sed circa eam; & satis esse, si pro contiguitate loci, tangat effectum; ergo idem iudicium erit de existentia in tempore, quæ sufficiet in tempore immediato; nam si post calefactionem ligni, in primo non esse motus, desinat efficiẽs extrinsecum; nihilominus inducetur forma ex necessitate Nota.

tate

tate alterationis præcedentis, & non induceretur sine causalitate effectiua, quia id fieri non potest, sine miraculo, ergo coexistentia simultanea causæ pro illo instanti, non erat requisita ad agendum.

§. XIII.

Nota. 39 Sed contra hanc doctrinam, dices primo; ex dictis sequi, Sacramenta non esse causas gratiæ, sed causalitates, & operationes quasdam. Resp. vtrumque esse: Sunt enim causalitates, si comparētur ad Diuinam virtutē, quæ, vt existens, operatur; & operatur per ipsa, tanquam per operationes, & actiones quasdam, assumptas ad infusionem gratiæ: si verò comparentur ad ipsam gratiam; sunt causæ, vt *quibus*, sicut motus mallei est vis instrumentalis, & causa, vt *quo*, respectu percussionis, & sic de alijs; neque enim hæc duo repugnant, modo explicato.

1. Obiectio. 40 Dices secundo; in exemplis illis naturalibus, motus antecedens semper producit aliquid in subiecto, quod sit dispositio ad vltimam formam: vndè rectè videtur posse dici causa dispositiuè; v.g. alteratio producit calorem, quæ est dispositio ad formam substantialem: at verò Sacramenta nil producunt, quod sit dispositio ad gratiam: ergo non est eadem paritas.

Solutio. 41 Respondeo, maiorem vniuersaliter esse falsam. Et præterea, nil concludere; nam motus mallei antecedēs nullam dispositionem producit in Clauo, antè percussionem; sed primum effectum habet, ipsam percussionem; & ita in multis alijs artificialibus; in motibus autem naturalibus alteratiuis, verum quidem est, quod producitur immediatè aliqua dispositio, ratione cuius, possunt dici causæ dispositiuæ. Ad huc tamen immediatè attingunt productionem formæ substantialis, vel eius vnionem, supposita veriori sententia, quod accidentia immediatè attingunt productionem substātiæ, vt instrumenta; vndè eadem alteratio, quæ primo terminatur ad qualitatem: secundò terminatur ad substātiam. Qualitates enim productæ in subiecto non sunt causa efficiens substantiæ, sed materialis: & in hoc secundo, comparatur alteratio actioni Sacramentali; Quod, vel hoc ipso potest intelligi non repugnans; quia hæc productio fit virtute Diuina, etiam si naturaliter fieri non possit.

3. Obiectio 42 Dices tertiò: Sacramentum non causat, nisi assumatur, à Deo; vel ergò assumitur in instanti vltimo, in quo non est; vel antè illud instans? Resp. Sacramentum assumi, dum ipsum est, & durat: dum autem assumitur, satis est, si causet antecedenter; assumitur ergo quādo est, & quidem, ad antecedenter causandum: consequenter autem, dum est in suo termino; sed cum primo perfectum est, vndè colligitur, qua ratione incipiat Sacramentum, quando consistit in operatione fluente: Incipit enim, sicuti ceteri motus, absolutè, scilicet, & indeterminatè, in instanti extrinseco; scilicet, nunc non est ablutio, postea erit; determinatè autem & perfectè, incipit intrinsecè, v.g. nunc primo est tota ablutio, antea non erat: in quo eodem instanti verum est dicere, nunc primo non est motus, antea erat motus. Solutio.

4. Obiectio 43 Dices quartò: si Sacramentum assumitur, dum ipsum est, & non est gratia, & dicitur causare gratiam, antecedenter; sequitur, quod eodem modo possit assumi Sacramentum ad causandam gratiam post vnam horam, aut post multum tempus: videtur enim esse eadem ratio: quod tamen, supra diximus, non esse necessariū in baptismo, quando producit gratiam, recedente fictione. Resp. negando sequelam antecedentis, & paritatem rationis. Ratio autem disparitatis est, quia causa in actu secundo completo, & effectus in actu, respectu cuius dicitur causa, debent esse simul; alioquin non diceretur causa in actu secundo cōpleto; vt sic enim maximè denominatur ab ipso effectu, qui, vel est ipse actus secundus, vel terminus, & complementum ipsius; si igitur Deus, non alio modo actu causat gratiam, nisi per actionem Sacramētalem, in fine talis actionis, iam erit causa in actu secundo completo; & tamē nihil actu causaret; vndè fit, vt effectus, ad quem tendit motus aliquis antecedens, debeat esse, saltem in termino talis motus, vt ipse possit dici actu causa completa ipsius effectus; alioquin nō erit causa, nisi potentia. Solutio.

5. Obiectio 44 Dices quintò: ex dictis sequitur, quod Deus possit assumere ad physicè producendam gratiam, aliquam operationem centum, vel plurium annorum; ità vt gratia solum consequatur in termino illius. Resp. posse, si Deus ità assistat illi operationi, vt eam ordinet in illum finem, tanquam instrumentum sui;

Mmm sicuti

ſicuti poſſet aliqua alteratio, adeò eſſe tenuis, vt etiã poſt multos annos habeat ſuum vltimũ effectum; quod tamen hæc, aut illa operatio ſit aſſumpta à Deo, dependet ex inſtitutione Sacramenti, iuxta ea, quæ diximus.

6. obiectio.

45 Dices ſextò: ſi in eo vltimo inſtãti, in quo deberet, produci gratia, homo moreretur, ſequeretur ne effectus Sacramenti? Reſpondeo, ſi homo deſinat eſſe in inſtanti extrinſeco, nempè, quando verum eſt dicere; nunc non eſt, antea erat; non futuram tunc ſanctificationem; quia nõ eſſet ſubiectum, in quo debeat recipi; ſi autem deſinat eſſe in inſtanti intrinſeco, vt cum verum eſt dicere; nũc eſt; poſt hoc nunc non erit. Vtiquè futuram tunc ſanctificationem, quia nihil tunc deeſſet; neq. quicquam ex his abſurdi ſequitur: & idem fateri debent aduerſarij.

Solutio.

6. obiectio.

46 Dices ſeptimò: poteſt contingere, vt prolatio verborum in baptiſmate v.g. ſit adeo tenuis, vt non perueniat ſonus, ſaltè realiter, ad baptizandum; ergo tunc erit actio indiſtans; Reſpondeo, id non repugnare Diuinæ omnipotentiæ.

Solutio.

8. obiectio.

47 Dices octauò: præter gratiam ſanctificantem in Sacramento dantur etiam virtutes, & dona infuſa, concomitantia gratiam; & præterea, in virtute eiuſdem Sacramẽti; dantur, ſuis temporibus, quædam auxilia actualia ad finem Sacramẽti conſequendum, vt docet D. Th. q. illa 62. ar. 2. ſed ſacramenta non cauſant phiſicè hæc duo; ergo neq. gratiam. Reſpondeo, dona illa cauſari phiſicè à Sacramẽtis, ſiuè mediante gratia, à qua fluunt; ſiuè immediatè, ſi non fluant à gratia, ſed comproducantur ab extrinſeco: de alijs verò auxilijs, verum eſt, quod non cauſentur phiſicè, neq. .n. id eſt neceſſarium: ſed ſatis eſt, ſi ipſa gratia, de qua Patres loquuntur, phiſicè cauſetur: cętera .n. omnia cauſantur in illa, tanquam in radice, &c.

D. Th.

Solutio.

9. obiectio.

48 Dices nonò: in vltimò inſtãti productionis gratiæ, vel gratia pendet à Sacramento, vel non; ſi ſecundum, ergo nõ cauſatur ab illo: primum dici nõ poteſt; quia nil poteſt actu pendere ab eo, quod non eſt: Reſpondeo, pendere: & ad inſtãtiam dico; nil poteſt pẽdere ab eo, quod non eſt; tanquam à cauſa, quæ, exiſtens, ſua virtute influat eſſe; concedo: talis .n. cauſa, quia cõtinet primã rationem cauſandi, cui cętera ſubordinantur, debet tunc eſſe: tanquam verò à cauſa, qua pręuia, aliud exiſtens influat, nego; & ita ſe habent ſacramenta; vt ſupra explicauimus.

Solutio.

10. obiectio.

49 Dices decimò: probabilis ſententia eſt, quod ſi aliquis proferat verba Baptiſmi antè ablutionem; & poſt breue tempus abluat, valet Baptiſmus, & confert gratiam; & tamen gratia neque eſt in inſtanti terminatiuo verborum; ergo tũc verba non cauſant phiſicè. Reſpondeo, in vniuerſum, nõ eſſe neceſſarium in Sacramento, vt omnes eius partes cauſent phiſicè gratiam; ſed ſufficit, ſi aliqua eius vera pars, ſiuè ſit materia, ſiuè ſit forma, iuxta conditionem cuiuſcunq. Sacramẽti; & ita in Sacramento Pęnitentiæ; dum .n. datur abſolutio, ſicuti non eſt vocalis confeſſio, ſed potuit multo tempore antè pręceſſiſſe; ita, ſi neq. ſit cõtritio actualis, ſola abſolutio cauſabit gratiã: ſimiliter in Euchariſtia, verba cõſecrationis nõ cauſant gratiam per ſe: idem contingere poteſt in Matrimonio, vt ſolus vltimus conſenſus cauſet gratiam; tunc autem vltima pars, quæ non cauſat actu phiſicè, cauſabit, vt ſignum morale practicum: connotatiuum tamẽ alterius partis phiſicè producentis: & vt connotatum talis partis phiſicè producentis. Qua in re tres caſus contingere poſſunt: primus eſt poſitus in argumento, vbi ſola ablutio phiſicè influit: ita .n. etiam ſe habet in naturalibus: quando .n. plures motus, ſibi inuicem ſuccedẽtes, requiruntur ad aliquam formam ſubſtantialem, ſolus vltimus immediatè illã attingit. Secundus caſus eſt, ſi præceſſiſſet integra ablutio, & poſtea ſubſequeretur forma verborum: tunc .n. hęc ſola phiſicè influeret. Si verò tandem ablutio, & prolatio verborum ſint ſimul: ita, vt, ablatio duret vſq. ad vltimum inſtans prolationis: tunc vtraq. pars phiſicè cauſabit. In omnibus autem his caſibus ſemper abſolutè verum eſt, quod Sacramentum Phiſicè cauſet gratiam: & hę omnes obiectiones pullularunt, quaſi ex radice, ex quinta obiectione illa ſupra poſita §. 10. n. 25.

Solutio.

§. XIV.

50 SOlent etiam obijci cõtra phiſicam Sacramentorum cauſalitatem nõnulla loca Patrum, præſertim Bernar. ſer. 5. de Cęna Domini, vbi ait, quod *ſicut inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per Baculum, Epiſcopus per anulum: ſic diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt tradita Sacramentis*: ſed Reſpondeo cum Satisfit cuidã authoritati D. Bernardi.

D. Th.

D.Tho. quod Bernardus non contendit vrgere omnimodam similitudinem exépli: quasi sacramenta non habeant aliam causalitatem in iustificatione nostra, quàm inuestitura libri, aut baculi in collatione dignitatis: sed solum voluit comparationem esse in hoc: quod, sicut illa sunt signa diuersorum munerum: ita diuersa sacraméta diuersarum gratiarum.

A d D. Greg. & Bedam. 51 Item obijcitur locus D.Gregorij l.4.moral. c.3. vbi ait: *Quod apud nos valet aqua Baptismi: hoc egit apud maiores mysterium Circumcisionis, &c.* Adde Bedam hom. de Circuncis. Domini, vbi ait. *Idem salutifera curationis augumentum Circuncisio in lege, contra originalis peccati vulnus, agebat: quod nunc Baptismus agere, ex gratiæ tempore, consueuit:* sed illa sacramenta non erant causæ phisicæ: ergo neq. nostra. Respondeo tamen: hos patres, & alios, qui eodem modo loquédi vtuntur, nolle significare, quod eodem modo remittatur peccatum originale in nostro Baptismo, sicuti per antiqua sacramenta: siuè id fiat phisicè, siuè moraliter: sed solum, quod, sicuti nunc adhibetur Baptismus ad talem effectum: ita túc adhiberentur alia sacramenta figuratiua nostri Baptismatis, vt necessaria, ex Diuina institutione, tanquam conditiones, & signa quædam futuræ sanctitatis: & propterea dicitur, quod idem valebat: .i. ad eundem effectum adhibebantur: non autem, quod eodem modo gratiam continerent, & causarent: ita autem explicamus hæc loca citata, quia aliundè habemus in Scriptura sacra, Patribus, & Concilijs, antiqua sacramenta esse longe inferiora nostris, quoad causalitatem gratiæ.

§. XV.

Satisfit cuidá authoritati D.Th. 52 VLtimò tádem obijci solet D.Th. q.62. cit. art.4. ad 1. vbi docet, quod *sicut in voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis: eodem modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem:* sed in voce non est, nisi vis moralis tantum, in quantum .s. posita impositione vocabuli, illo audito, homo excitatur: ergo in Sacramentis non est, nisi vis moralis.

53 Respondeo, hos Authores, ex eo ipso non intelligere D.Tho. quia faciunt expresè, ipsum sibi contradicere: nam vis illa moralis in verbo, non excedit rationem signi, (vt aduersarij fatétur,) neq. .n. habet aliud, verbum, si moraliter consideretur: nisi, esse signum ad placitum: & tamé D.Th. ar.1. & alibi expresse docuerat, sacramenta non esse solum signa, sed veras causas. Respondeo ergo; in verbo, simul cum causalitate morali, esse etiam vim quandam phisicam, ad excitandum intellectum: quatenus phisicè producit species in imaginatione, ad quarum præsentiam excitatur intellectus: & propterea dicitur vis, aliquo modo, spiritualis: quia habet aliquem effectum spirituale: qualis est, excitatio intellectus: dicitur autem hæc vis esse instrumentaliter in verbis, vt procedút ex conceptione: quia sonus verborum nó haberet talé vim excitádi in ordine ad hoc, vel illud obiectú determinatum, nisi esset articulatus: atq. adeo procederet à ratione, & conceptione: & in hoc propriè comparatur instrumentaliter: sicuti .n. securis non scinderet tali modo, nisi esset instrumentum artificis: ita & vox non excitaret tali modo, nisi esset articulata: atq. adeo instrumentum rationis. Eodem modo est vis phisica in Sacramentis ad producendam gratiam, quam ex Diuina institutione significant: &, quantum ad hoc præcisè, consistit paritas exempli: cęterum possunt esse aliquæ disparitates, quantum ad modum particularem talis virtutis: neq. .n. necesse est, sit eadem, aut in modo eodé, in vtrisquè.

§. XVI.

54 AD calcem huius dubij principalis proponenda est & alia satis difficilis obiectio contra nostram supra traditam doctrinam: soluenda tamen integrè infra: est autem huiusmodi: sacramenta sunt quędam res corporales: ergo non possunt attingere efficienter productionem gratię, quæ est qualitas spiritualis: quia res spiritualis non potest produci ab agente corporeo. Difficilis obiectio.

55 Huic variè solet Responderi: Cęterum, omissis parui momenti solutionibus, vera solutio est, quod Sacramenta, quamuis res corporeæ, eleuari possunt à Deo ad producendam gratiam spiritualem: quia corpus virtute aliena, non repugnat, agere in spiritú; vidimus enim, igné Inferni assumi a Deo, vt instrumentum ad cruciandos spiritus; nam veritas ignis corporei, & efficientia illius cruciatus Tangitur vera solutio.

Mmm 2 col-

D.Luc. colliguntur apertiſſimè ex Lucæ 16. ibi: *Quia crucior in hac flamma*; vnde Greg. lib.4.Dialog.c.2. *Anima* (inquit) *patitur tormentum ignis, non tantum videndo, ſed etiam experiendo*; eadem ergo ratione aſſumi poteſt à Deo aqua baptiſmi ad producendam gratiam in anima baptizati, non quidem, vt operetur per virtutem propriæ formæ, ſed eleuata adiutorio virtutis alienæ.

Replica contra ſolutionem.

56 Contra hanc autem ſolutionem militat importunum argumentum; quia, vel à Deo deriuatur virtus aliqua in Sacramenta, per quam conſtituantur potentia producere gratiam; vel nihil deriuatur in illa; ſi hoc ſecundum, ſequitur, Deum ſolum producere gratiam ad præſentiam Sacramenti; & Sacramenta nihil operari; quia impoſſibile eſt, intelligere Sacramentum, ſine mutatione ſui, tranſire ex non potenti in potens, reſpectu productionis gratiæ: quia potens, & & non potens, ſunt contradictoria abſoluta à loco, & tempore, inter quæ non poteſt fieri tráſitus, ſine mutatione alterius extremorum; & quod contradictoria abſoluta à loco, & tempore includût prædicata intrinſeca vtriq; extremo, vel ad minus alteri: ſicut album, & non album; ſimile, & non ſimile, &c. ergo ſicut implicat, idem corpus tranſire ex nõ albo in album, vel ex non ſimile in ſimile, niſi per mutationem ſui, aut alterius correlati; ità implicat, Sacramentum tráſire ex non inſtrumento ad inſtrumentũ Dei, ſiue ex non potenti in potens, ſine mutatione ſui, aut Dei ipſius; quia poſſe, & non poſſe abſoluuntur à loco, & tẽpore; cum, quouis tempore, & quouis loco, res poſſit dici potens, aut non potens operari; quod ſi Sacramentum non põt reddi potens ad producendam gratiam ſine ſui mutatione; neque aſſumi poterit vt inſtrumentum Dei ſine qualitate deriuata. Quod autem Sacramentum, ſaltem prius natura, præintelligi debeat potens ad operandum, quam actu operetur: conſtat ex eo, quod actus ſecũdus neceſſario ſupponit primum; & operari eſſentialiter præſupponit eſſe. Si verò dicatur illud primum; ſcilicet, deriuari à Deo aliquam qualitatem in Sacramento; id quidem manifeſtè impugnatur: quia, vel qualitas illa eſt corporalis, vel ſpiritualis. Si primum, per illam qualitatem non poterit eleuari corpus, vt agat in ſpiritum: ſi ſecundum, ſequitur, illam qualitatem non poſſe recipi in corpore tanquam in ſubiecto: quia accidens ſpirituale non poteſt recipi in ſubiecto corporeo.

57 Ad hoc argumentum, ad hæc noſtra tempora, vno ex duobus modis reſpondebatur; vel, in Sacramento deriuari virtutem aliquam; vel ſola aſſiſtentia Dei ſuperioris agentis eleuari Sacramentum ad producendam gratiam. Donec Suar. tom. 1. in 3. p. diſp. 3 1. ſect. 5. & tom. 3. diſp. 9. ſect. 1. nouam excogitauit ſolutionem, dicens, neq; à Deo deriuari qualitatem aliquam in Sacramenta, modo, quo prius dicebatur; neq; Sacrámenta eleuari per ſolam aſſiſtẽtiam Dei; ſed in rebus omnibus eſſe potentiam quandam obedientialem actiuam ad cooperandum Deo, ad omnem effectum, qui non implicat contradictionem; & per hanc potentiam concurrere Sacramenta ad productionem gratiæ. Vt autem hanc ſolutionem intelligamus, videamus, quid ſentiendum de hac obedientiali potentia.

Quid Suarez ad hanc obiectionẽm.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

An detur Potentia obedientialis actiua?

CAPVT PRIMVM.

Probatur dari huiusmodi Potentia.

1 Breuiter discutienda nobis est præsens difficultas, quam totam comprehendemus aliquibus facilioribus notabilibus, quibus perceptis, habebimus huius potentiæ obedientialis exactam notitiam, & facilè solui poterunt omnia argumenta, quæ fieri possent contra hanc sententiam. Quarè, cæteris omissis, dicimus cum P. Suar. locis cit. proculdubio dari huiusmodi obedientialem potentiam actiuā in omnibus creaturis. Quam certè indicauit D. Thom. multis in locis, sed præsertim in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad quartum, vbi sic inquit: ***Sicut creatura inest obedientia potētia, vt in ea fiat quicquid Creator disposuerit: ita etiam, vt, ea mediante fiat; quæ est ratio instrumenti.*** Nec alia ratione id probat Suar. loc. cit. nempè disp. 31. sect. 5. nisi, quia nullam repugnātiam inuoluit; & per se est verisimilis, & credibilis; & illa posita, facilè expediuntur difficultates, quæ in materia, præsertim Sacramentorum, & in alijs occurrūt. Cum enim omne ens creatū sit ens per participationem à primo ente, & illi subordinatum; mirum non est, quod sit in potentia obedientiali actiua ad agēdum omne id, ad quod fuerit per Diuinam voluntatem applicatum. Requiritur tamen, quod eleuetur ad agendum per cōcursum specialem, & supernaturalem, accomodatum huiusmodi potentiæ obedientiali; quæ applicatio, cum illo concursu speciali, pōt dici motio, seu eleuatio primi agētis. Deinde constat, in entibus creatis reperiri potentiam obedientialē passiuā, vt in eis, vel ex eis Deus faciat quicquid non implicat cōtradictionem. Cur ergo non reperietur etiam potētia obedientialis actiua; vt efficiat; vel Deus per ea efficiat quicquid non repugnauerit, ità fieri? Adde, quod iuxtà hanc potentiam obedientialem, nostræ potentiæ naturales eliciunt actus supernaturales, quoad substantiā; & interdum sine habitibus, solum eleuatæ per diuinum auxilium. Per hanc etiā potentiam, duo corpora, non mutatis eorum quantitatibus, nec raritate, aut densitate, vel alia eorum dispositione, facit Deus, vt simul esse possint in eodem loco, &c. & alia similia, &c. & iuxtà hunc modum, facilè intelligitur quomodo nō sit actio sine virtute agendi? Nam virtus agendi est hæc potentia obedientialis actiua, applicata ad agendum cum proportionato concursu. Si enim calor, iuxtà probabilem multorum Philosophorum sententiam, est virtus ignis, & suo modo instrumentum ad producendam formam ignis, ex eo solum, quod est facultas eius connaturalis; quāquam hoc neque augeat, neque immutet caloris perfectionem; quid mirum, quod aqua v.g. sit virtus, & instrumentum Dei ad causandum gratiā; quatenus illi per hāc potentiam obedientialem subordinata est, & per concursum proportionatum ad has actiones eleuatur? Intelligitur etiā iuxtā hunc modum, quomodo duæ res, quæ ex natura sua non habent connexionem causæ, & effectus, possint illam habere, etiam si nihil addatur causæ, seu instrumento: quia videlicet, secundum obedientialem potentiam, capaces sunt illius dependentiæ, & habitudinis; & per Diuinam voluntatem, & concursum altera eleuatur, vt sit instrumentum ad aliam efficiendam: hæc ex Suar. mutuauimus.

Ex D. Tho.

Ratio Suar.

Confirm.

Confirm.



CAP.

CAPVT II.

Explicatur. Quid sit hæc potentia?

§. I.

Not. 1. hanc potentiã non distingui ab ipsa entitate sui subiecti: esse tum supernaturalẽ in ratione causandi.

1 QVibus statutis, circa explicationem huius potentiæ, not. primò est, hanc potentiam non distingui realiter ab ipsa entitate aquæ; sed esse entitatiuè eandem aquam; & sic, in entitate sua, esse quid naturale; sicut naturalis est ipsa aquæ entitas: tamen, in modo, & ratione causandi; cum sit instrumẽtum Diuinæ virtutis, esse quid supernaturale; .s. in ratione causæ; & si (vt optimè docet D. Tho. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 4. quæstiuncula 4. & q. sępius cit. 62. art. 3.) effectus supernaturalis; v.g. Gratia, continetur in aqua instrumentaliter, & incompletè, tãquam in eo, .s. quod non agit per se ipsum; sed vt coniunctum cum causa principali; & hoc potest esse ignobilius suo effectu; & licet D. Th. multis in locis doceat, impossibile esse, quod aliqua creatura sit instrumentum Dei; intelligendus est, de instrumento naturali ad creationem; & quamuis idem D. Th. fateatur, omne instrumẽtum habere aliquam præuiam actionem; loquitur illis locis de instrumentis naturalibus, non de supernaturalibus; & licet dicat, hanc eandem præuiam actionem habere, & ipsa sacramenta; vnde aqua abluendo producit gratiam; id tamen nõ dicit, vel quia sit omninò necessarium; vel quia hæc conditio reperiatur in omni prorsus Sacramento, & quauis eius parte; sed quia Deus voluit etiam hunc modum instrumenti imitari in his Sacramẽtis, quæ in sua parte materiali dicunt operationem alicuius rei corporeæ, applicatæ recipienti Sacramentum; vt est, ablutio aquæ, &c. Cęterũ, sicut hæc ablutio non habet illam naturalem cõnexionẽ cum gratia; ita, sine hac, posset Deus, per solam aquam, producere gratiam; sicuti species sacramentales producunt gratiam, sine hac præuia operatione; & verba ipsa, in omni Sacramento, licet includant operationem aliquam præuiam, per quam ipsa fiant; nempè, sui prolationem; ipsa tamen pro- ata non efficiunt aliquam aliam præuiam operationem, per quam causent gratiam, sed immediatè gratiam attingũt; & idem est de signis, ac nutibus in matrimonio.

D.Th.

Interpretatio nonnullorum propositionũ D.Th.

2 Secundò notandum est; quod hæc virtus, siuè obedientialis potentia, si consideretur per se, & vt præscindit ab omnipotẽtia Dei, quam connotat, vt talis potentia est: nil aliud est omninò, vt dictum est, quam ipsa entitas nuda creaturæ; at verò si consideretur sub hoc cõceptu Diuini instrumẽti, cum connotatione omnipotentiæ Dei; sic dicitur potentia, seu virtus completa instrumẽtalis; vel etiam incompleta; prout Deus, sola aliqua re, aut, non sola, vtitur, tanquam instrumento; v.g. si Deus sola aqua vtatur ad producẽdam gratiam, aqua erit virtus completa instrumentalis; si verò, simul cum aqua, aliquid aliud adhibeat; sic aqua nõ erit virtus completa, sed incompleta: nã virtus completa tunc erit totũ illud coniunctum ex aqua, & alio instrumento; qua in re illud præcipuè aduertendum est, quod creatura, neq. dici, neque intelligi possit potentia, aut virtus obediẽtialis, nisi vt connotat Diuinam omnipotẽtiam; ita vt, in suo conceptu essentialiter includat hoc connotatum; non minus, quàm in conceptu actionis includitur agens; & in conceptu relationis, terminus, &c. hinc .n. colligitur, quod, licet hæc potentia non sit ex se proportionata ad talem effectum; sit tamen proportionata, vt connotat Diuinam omnipotentiam; & in vniuersum, quicquid magnum, & miraculosum tribuitur huic potentiæ; ideo tribuitur, quia essentialiter connotat omnipotentiam Diuinam, &c.

2. not.

Potẽtia obedientialis in quantum cõnotat Diuinã omnipotẽtiam dicitur proportionata effectui supernaturali.

3 Petes: hæc denominatio potentiæ obedientialis est ne essentialis creaturæ? videtur .n. quod non: nam sequeretur, quod omnis creatura esset instrumentum Dei connaturale.

Petitio, & obiectio.

4 Respondeo, si loquamur de potẽtia in actu secundo: sine dubio, talem denominationem esse accidentalem; accidit .n., vt aqua nũc producat gratiã; si verò loquamur de potentia in actu primo, posito suo connotato: dico, essentiale esse creaturæ, esse potentiam obedientialẽ; quia .s. ex essentia creaturæ est, vt Deus illa vti possit ad effectus supernaturales. Ad instantiam verò, neg. illud sequi: ad hoc .n., vt aliquid esset connaturale instrumentum Dei, deberet, ex peculiari aliqua perfectione, exigere talem concursum, & habere proportionem naturalem ad tales effectus; quod non accidit in casu nostro; & propterea dicitur potẽtia obe-

Responsio.

Quomodo sit essentiale creaturæ esse potentiam obedientialẽ.

obedientialis. Vnde colligitur, talem potentiam; licet dicatur non repugnantiam quãdam, ad effectus supernaturales; non tamen esse merum aliquid negatiuum: sed aliquid positiuum, quod sit subiectũ talis non repugnantiæ; quod positiuum dicimus esse ipsam essentiam, & entitatẽ creaturæ; est autem hoc prædicatum essentiale creaturæ; non per modum generis, aut differentiæ: sed per modum cuiusdam prædicati transcẽdentalis, sicuti est, esse creaturã, esse ens, &c. Et per modum prædicati connotatiui. Vnde etiam vlterius infertur, hanc potentiam, entitatiuè, esse materialem, in re materiali; immaterialem, in immateriali; substantiam, in substantia; accidens, in accidente, &c. Sicuti etiam se habet ratio creaturæ: posset tamẽ dici spiritualis, terminatiuè; etiam in re materiali; si assumatur ad producẽdum effectum spiritualem: huius autem potentiæ quasi adæquatum obiectum, à quo specificatur, sicuti quælibet alia potentia ab obiecto suo adæquato; est, omne id, quod non implicat contradictionem, fieri à Deo, mediate ipsa creatura, tanquam instrumento. Relatio verò huius potentiæ ad tale obiectum, radicaliter, & subiectiuè, quid reale est; cum sit ipsamet creatura: at verò, formaliter, est relatio rationis: non .n. ponendus est ordo realis in creatura ad tale obiectum, respectu cuius non dicit aliquam naturalem conuenientiam, aut exigentiam; sed solam habet, vt possit à Deo assumi ad illud efficiendum: ad hoc .n. sufficit ordo rationis, cum fundamento in re.

§. II.

Obiectio. 5 Obijcies: si gratia v.g. fieret per aquam, tanquam per instrumẽtũ phisicum; sequeretur, quod hæc actio, per quam nunc fit gratia, dependenter ab aqua, diceret ordinem essentialem ad aquã; neq. posset esse, nisi esset ab aqua; & communiter, connaturaliter respiceret aquam: hoc .n. videtur esse proprium actionis; vt, quæ actio semel est ab vna causa, ita connaturaliter illam respiciat, vt impossibile sit, esse sine illa; ne detur processus in infinitum in actionibus; si ergo hæc productio gratiæ connaturaliter respicit aquam: sequitur, quod aqua connaturaliter etiam dicat ordinem ad ipsam: videntur .n. hæc dici ad conuertentiam: & consequẽter, quod gratia cõnaturaliter sit factibilis ab aqua per hanc actionem, quod est absurdum.

Conf. 6 Præterquam quod, difficilis videtur esse, quod detur aliqua species actionis productiuæ gratiæ, quæ naturaliter sit ab aqua: & sic de cæteris, &c.

Solutio. 7 Respondeo, hanc difficultatem esse in eorum sententia, qui, cum putent, actionem ex natura rei distingui à suo proximo termino: concedunt, quamlibet actionem, essentialiter, respicere suũ principium: ita vt nõ possit esse sine illo: in qua tamen sententia, ita respondetur, concedendo totũ antec. & negando consequentiam, quod .s. *aqua sit connaturale principium talis actionis*: potest .n. esse, vt actio, cõnaturaliter quidem, sit ab aqua, non tamen vt à principio naturali, sed supernaturali: & hanc esse illius actionis naturam; dicere naturalem ordinem ad principium supernaturale: sicuti connaturale est gratiæ, recipi in substantia spirituali, tanquam in subiecto: non tamen est connaturale animæ, aut Angelo, habere gratiam: vnde non est necessarium, vt hæc dicantur ad conuertentiam. Eodẽ modo non est necesse, vt sit connaturale gratiæ, fieri per hanc actionem: sed potest esse, vt sit præter naturam. Neq. in eorũ sententia difficile videri debet, quod dẽtur hæ species actionum, propter diuersa principia: cum etiam in naturalibus idẽ dicant: licet in casu nostro dicere etiam possimus, non esse necessarium, vt actio, per quam gratia fit ab aqua, differat specie ab illa, per quam fieri potest ab alia creatura: nam aqua non concurrit, nisi vt potentia obedientialis; quæ ratione non differt ab alia creatura, nisi materialiter: cum eadem sit ratio potentiæ obedientialis, formaliter, ratione extrinseci connotati communis, quod est eadem Diuina omnipotentia: vtrumq. autem dicat, nil refert.

8 At verò in eorum sententia, qui putant, actionem non distingui ex natura rei à suo proximo termino, sed nihil aliud esse, nisi ipsummet terminum, vt connotat suam causam, cuius virtute transit de non esse ad esse: neg. antec. sicuti .n. gratia indifferens est, vt fiat ab hac, vel illa causa instrumentali; & accidit illi, vt fiat ab ista: ita hæc actio, secundum id, quod dicit in recto, & in effectu, indifferens etiam est eodem modo; & ordo ad talem causam, sine qua poterat esse, est illi accidentalis, & præter naturam suam; sicuti ipsi gratiæ: Atque adeo, nihil sequitur ex iis, quæ ibi referebantur; & hæc

hæc breuiter dicta ſint quantum ad ea duo, quæ propoſuimus examinãda; nempè: an detur talis potentia obedientialis? & in quo illa conſiſtat? ſed ex hac difficultate oritur ſequens.

DISPVTATIO QVARTA.

An ſit neceſſaria virtus aliqua ſuperaddita potentiæ obedientiali?

CAPVT PRIMVM.

Quid de facto dicendum ſit?

§. I.

1 DVo in titulo quæri poſſunt. Primum eſt: An quando aqua v.g. actu aſſumitur ad gratiam producẽdam, ſit in ipſa de facto aliqua virtus realis ſuperaddita entitati ipſius; atq; adeo, vltra potentiam obedientialem aquę, per quam, & cum qua virtute intelligatur aqua producere gratiam? Et ſecũdum: An ſine tali virtute ſuperaddita poſſit aqua producere gratiam? ſicuti, vltra acumen, & duritiem in ſecuri, quæ eſt virtus naturalis ſecuris ad ſcindendum, requiritur motus artificioſus, ad hoc, vt actu ſequatur effectus? & ſic in duo dubia diuidemus præſentem diſputationem: & in primo examinabimus: quid de facto dicendum ſit? in ſecundo verò, de poſſibili: ſiuè de neceſſitate talis virtutis ſuperadditæ, etiam de potentia abſoluta.

2 Quantum ad primum, not. quod nos non loquimur de virtute, quæ ſit totalis ratio agendi, & producẽdi gratiam; quam non poſſe produci, diximus ſupra; ſed de virtute, quæ ſit, veluti quædam actualis applicatio aquæ ad agendum, & veluti quædam motio, & impulſio ad eundem finem; atq. adeo, quę ſit eleuatio inſtrumenti, per modum actualis motionis, & applicationis; quæ res maximè explicatur per ſimilitudinem ad inſtrumenta artis, quibus potiſſimè comparatur potentia obedientialis creaturæ: nam in ſecuri, vt diximus, in ordine ad opus artificiatum, duo diſtinguere poſſumus: primò, duritiem, & acumen, quæ verè ſunt virtus aliqua ſecuris ad ſcindendum: ſecundò, actualem motionem ab artifice impreſſam, per quam applicatur, & agit virtus ſecuris; vtrumq. autem dici poteſt virtus inſtrumentaria in ordine ad opus artificiatum: ſed primum dicitur virtus innata inſtrumenti. Secundum dicitur virtus impreſſa ab artifice; & neutrum ſine altero operatur: vtrumq. autem effectiuè attingit effectum; licet in inſtrumẽtis naturalibus; vt eſt calor ad ignificandum, fortè hęc vtraq. virtus, ſola ratione, diſtinguatur; ita vt, in calore, idemmet calor dicatur virtus innata caloris, quatenus eſt ipſe calor; & dicatur virtus impreſſa; quatenus hoc ipſum, quod eſt calor, eſſentialiter eſt & virtus quædam ſuperioris agentis, per modum permanentis. In aqua ergo cauſante Gratiam duplex virtus actiua re ipſa diſtingui poſſet: prima, ipſa potentia obedientialis aquæ; nempè, ipſa ſui entitas, quæ reſpondet acumini, & duritiei in ſecuri; & dici poteſt virtus inſtrumentalis innata, obedientialis tamen; ſecunda eſt, aliqua Diuina impreſſio tranſiens, ſimilis motui ſecuris; per quam aqua applicetur, & veluti moueatur ad agendum; hoc .n. eſt proprium inſtrumentorum, vt mota moueant: & propterea dicitur, veluti quædã motio aquæ; & hæc dici poteſt virtus inſtrumentaria impreſſa, cuius ſubiectum ſit aqua: & ſicuti, in ſecuri, ipſa duritie, & acumen effectiuè attingit effectum, ſimul cũ motione, & impreſſione artificis; ita, ipſa aqua verè attingit effectum, mota per impreſſionem Diuinam; & non ſolũ ſe-

Duplex virtus in inſtrumento; innata, & impreſſa.

Sẽſus quęſti.

se habet passiuè, sicuti in casu proposito: solum differentia est, quod virtus illa innata securis habet naturalem quandam proportionem cum illo effectu: virtus autem aquę innata non habet; & propterea dicitur potentia obedientialis: de hac ergo virtute superaddita, quæ non destruit, sed potius actuat potentiam obedientialem, quærimus primo; an de facto reperiatur in Sacramentis? examinaturi secundo loco: an sine hac virtute possit creatura assumi?

§. II.

Responsio ad quæstionem. 3 IN qua re dicimus, de facto dari in Sacramētis virtutem hanc realem à Deo impressam, per modum actualis cuiusdā motionis, & applicationis; atq. adeo, quæ sit ens incompletum, & fluens; .i. non permanens, producto effectu Sacramenti, & quę recipiatur in ipso Sacramento, tāquam in subiecto; & distinguatur ex natura rei ab ipso. Hæc sententia ferè cōmuniter hodiè defenditur, à Thomistis præsertim, & eam esse expresse D.Th. non est cur vertatur in dubium: sic .n. docet q.62. ar.1. in fine corporis: art.2. etiam in fine corporis; & ad 3. art.4.5. & 6. & in 3. dist.1. q.1. art.4. quæstiuncula 7. in corpore, & q.27. de verit. art.4. in corp. & ad 4.5.6.7. & 10. & multis alijs in locis. in quibus videtur docere, hanc virtutem instrumentariam esse similem motui; & quid incompletum, & fluxibile; & esse, veluti ens quoddam intentionale; sicuti est color in aere, informato specie coloris; & sicuti sunt res omnes in anima, informata speciebus rerum: ita dici posse hanc virtutem, gratiam, non formaliter, sed intentionaliter; atq. adeo diminutè, & incompletè; & hanc virtutem dari Sacramentis tunc, quando actu applicantur sacramenta; eamq. virtutem, vel statim deseruire, vel post modicum temporis, .s. in fine actionis sacramentalis; & illam cessare, absoluto vsu Sacramenti. Et secundum hanc virtutem, docet, gratiam contineri in Sacramentis; & sic ait, *Gratiam non contineri perfectè, neq. perfectè existere in Sacramētis, sed imperfectè propter hanc fluentem virtutem, quæ transit à Deo in sacramenta, & per illam transit gratia in homines; ita vt gratia sit & in hominibus, & in Sacramentis; sed in hominibus perfectè, secūdum suam formam: in Sacramentis verò incompletè*: modo dicto. Ait etiam, illam esse spiritualem,

Nota ex D.Th.

instrumentaliter; & posse esse in re corporea: non tamen permanenter, sed fluenter, & hanc virtutem, docet, esse in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem. Quæ cum sit, veluti motio quædam, non ponitur per se in aliquo prædicamento, sed reducitur ad prædicamentum ipsius gratiæ. Acquirunt autem sacramenta virtutem istam ex Christi benedictione, quando applicatur ad vsum Sacramenti; & sic ait, eam deriuari à Deo in sacramenta per humanitatem Christi, & ex eius meritis; quæ virtus non deriuabatur in antiqua sacramenta. Hæc collegi breuiter ex citatis D.Tho. locis: vndè omnes ferè eius discipuli ipsum in hac re sequuntur, vt citat Suar. in comment. art.4. illius quæstionis 62. & 1. to.3. p. dist.31. sect.5. licet aliqui ex recentioribus putent, hanc virtutem fuisse in Christi humanitate, & posse esse in creaturis, per modum rei permanētis; de qua re nō disputo; non.n. facit ad rem nostram. Suar.

4 Possumus breuiter hanc nostram sentētiam facili ratione probare, ex multis congruentijs; quarum prima sit; quia Deus omnia suauiter disponit; atq. adeo, cum quadam proportione ad exigētiam singulorum; videmus autem in instrumētis, quæ non sunt naturaliter ordinata ad aliquem effectum se ipsis; sed indigent, vt actu assumantur à causa superiori; vt sunt omnia instrumenta artis; requiri hanc actualem impressionem, per modum rei fluentis; ita connaturalis est creaturis, quando assumuntur ad hos miraculosos effectus; vt eodem modo applicentur, & moueantur à prima causa. Secunda congruentia est; quia conueniens erat, vt quandoquidem hæ res sensibiles assumebantur à Deo ad homines sanctificādos; atq. adeo, ad sacros vsus; etiam ipsę aliquo modo sanctificarentur, & sacrarentur; quod sit per hanc actualem impressionem Diuinam, quæ est (secundum D.Tho.) participatio Diuinæ virtutis, & gratia quædam intentionalis, & Christi benedictio, &c. Tertia demum congruētia est: quia sacramenta debebant esse instrumenta quædam humanitatis Christi, quæ est prima causa instrumentaria omnis nostræ sanctificationis, quam nobis meruit per passionem suam; ita vt humanitas Christi sit instrumentum coniunctum Diuinitati; sacramenta verò instrumenta separata; vnde congruum erat ex Christi humanitate per merita suæ pas- Probatur proposita veritas. 1. congruētia

 sio-

fionis deriuari aliquam virtutem instrumentariam in ipsa sacramenta, efficienter causatam ab humanitate Christi: si .n. nulla talis virtus deriuaretur in sacramēta, potuissent illa quidem dici instrumenta Dei; non tamen instrumēnta humanitatis Christi: nunc autem optimè intelligi possunt, esse vera, & phisica instrumēta humanitatis, tanquā instrumenti coniuncti, a qua recipiunt virtutem ad agendum: quare nulla est maior ratio, cur talis virtus denegetur Sacramentis. Præterquam quod multi Sancti Patres videntur hoc modo loqui, cum de efficacia sacramentarum loquuntur; legantur recentiores. Reliquum est, vt hæc veritas magis elucescat solutione argumentorum, quæ fieri possunt contra illam; nam per hæc satis patet, non repugnare, de facto dari talem virtutem in ipsis Sacramentis; etiā si, simpliciter loquendo, dicamus, illam non esse absolutè necessariam.

§. III.

1. obiectio. 5 OBijcies ergo primo: si daretur hęc virtus impressa, vel esset connaturale instrumentum ad gratiam; vel solū concurreret per potentiam obedientialem: si secundum, ergò prorsus frustra poneretur; quia nullum maiorem ordinem, aut proportionem haberet ad gratiam, quam ipsa aqua; immò requireretur alia motio ad ipsam; & sic in infinitū; si verò dicatur primū, debet assignari aliquis proprius, & connaturalis effectus præuius, & aliquo modo dispositiuus ad gratiam: hoc .n. requirit D. Th. ad instrumētū naturale. Respondeo, hāc virtutem non concurrere per potentiam obedientialem; sed esse cōnaturaliter ordinatam ad illum effectum; non quidem, vt virtutem, & principium adęquatum actiuum; atq. adeo, propriè non instrumentum, sed vt actualem motionem instrumenti Diuini ad gratiam. Ad instantiam verò Respondeo; quoties aliqua virtus cōcurrit ad effectum, vt principium instrumentale adæquatum, & connaturaliter, seu simpliciter, vt instrumentum: veram esse doctrinam positam, & in hoc sensu loquitur D. Th. si verò illa virtus tantum se habeat, vt actualis motio alicuius instrumenti, quia trahitur ad conditionem instrumenti, quod mouet; ideo non est necesse, quod faciat talem præuiam dispositionem, si instrumentum, quod mouetur, non est instrumentum naturale; atq. adeo non exigit talem dispositionem; & ita contingit in casu nostro, cum aqua solum concurrat per potentiam obediētialem; vnde etiam in rebus naturalibus videmus, quod virtus, quæ se habet per modum motionis in instrumentis; nunquam ipsa per se attingit dispositionem ad vltimam formam; sed solum per accidens, ratione instrumenti moti: motio .n. artificiosa securis, v.g., quantum est ex se, immediatè respicit vltimam formam; quod si illam non attingat, nisi media operatione propria securis, quæ est scindere; id contingit propter dispositionem securis, quæ non alio modo apta est attingere vltimā formam, nisi media operatione propria. Quando ergo instrumētum non ita operatur, vt debeat producere dispositionem aliquam ad vltimam formam, tunc non est necesse, vt actualis motio instrumenti talem dispositionem attingat.

Solutio.

6 Obijcies secundò: D. Th. ar. 1. quæstionis 62. cit. & sępè alibi docet, quod instrumenta attingunt effectum causæ principalis, per solum motum, quo mouentur ab illa; quod applicat ipsis Sacramentis; ergo hæc virtus impressa à Deo est adæquatum principium instrumentale ad gratiam; & ita aqua non concurrit, nisi passiuè; præterquam quod id repugnat iam dictis, &c. Respondeo; D. Th. is verbis (*per solum motum*) non excludere, quin virtus naturalis instrumenti verè attingat vltimum effectum; id .n. manifestè esset falsum; nam acumen securis verè attingit scissionem illam artificiatam, quæ secundum D. Th. est operatio secunda instrumenti; neq. solus motus securis eam facit; alioquin idem faceret, si securis esset cerea; sed dicit, per solum motū, tanquam per primum principium applicans instrumentum ad operandum, & illud determinans ad tale artificium: virtus .n. naturalis instrumēti non agit, neq. determinatur per se; sed per hunc solum motum; qua ratione solemus dicere, quod aliquis fecit hanc, vel illam rem; propter solum consilium, aut imperium alterius; quo modo loquendi non excludimus naturalem virtutem actiuam, qua quis operatus est, sed significamus primū principium applicans, & determinans, & subordinans sibi cętera ad operandum; & ita solus ille motus est, qui formaliter applicat instrumentum ad operandum; ipsum verò instrumentum est, quod ita motum mouet.

9. obiectio ex D. Th.

Solutio.

7 Obij-

6. obiectio.

7 Obiicies tertiò: hæc virtus connaturaliter ordinatur ad productionē gratiæ, (vt dictum est:) ergo productio gratiæ est connaturaliter ab hac virtute; ergo etiam ab aqua; non quidem absolutè, sed vt substat tali virtuti.

Solutio.

Respondeo; disting. antec. est ordinata ad gratiam, vt motio quædam instrumenti alicuius naturalis: nego antec. & ita concedo primā cōsequentiam, cum eadem distinctione; nego tamen vltimam: tunc.n. aqua mota, connaturaliter attingeret hūc effectum, si eius virtus innata, quæ est potentia obedientialis, proportionem haberet ad eundem effectum; ut saltem dispositiuè illum attingeret: sicuti accidit in instrumentis ordinatis: sed quia eius potentia nullam talem proportionē habet, ex se: ideo motio illa ordinabit quidem aquā ad illum effectum: sed ut effectum supernaturalem, & excedentem uirtutem propriam: & ideo, licet ipsa motio connaturaliter sit ad illum effectum, ex se: instrumentum tamen motum supernaturaliter illum attingit: motio .n. hæc non se habet, sicut uirtus aliqua perfecta, ordinata, uel ad dandam, uel ad perficiendam uirtutem sui subiecti: sicuti se habent qualitates, & habitus uirtutum in anima: sed solum ad mouendam, & applicandam uirtutem sui subiecti, qualiscunq. illa sit: undè uidemus in artificialibus; quod si aliquis moueat securim ceream ad scindendum: licet ille motus, & impulsio, quantum est ex se, sit sufficiens ad scissionem: quia tamen nō perficit uirtutem instrumenti, sed suppositam applicat, dirigit, & determinat; atque adeo mouet: ideo nunquam sequitur illa scissio naturaliter: quia instrumentum non habet proportionem ad illam, etiam ut motā: & ita se habet in casu nostro.

8 Atq. ex hoc colligitur, quæ sit differātia inter hanc uirtutem fluentem instrumentariam, & uirtutem permanentem, si daretur: uirtus .n. illa fluens est quid incompletum intentionale, solum inseruiens ad applicandam potentiam obedientialem creaturę: quod non repugnat, posito, quod non repugnet potentia obedientialis: at uerò uirtus illa permanens esset per modū qualitatis completæ; atq. adeo constitueret connaturale instrumentum Diuinum.

Petitio.
Responsio.

9 PEtes primò: motio, qua mouetur aqua v.g. differt ne specie à motione, qua mouetur oleum? &c. Respondeo, si hæ motiones connaturaliter sint ad eundē effectum, & ex substantia aquæ materiali; non differre specie; vt est in casu proposito; si vero alterum subiectorū sit materiale, alterum spirituale; tunc vna motio connaturaliter distinguetur ab alia; cum vna sit entitatiue spiritualis, altera materialis; quamuis non educantur ex potentia obedientiali creaturæ; educuntur tamen cum quadam proportione; vt, ex spirituali, spiritualis; ex materiali, materialis educatur: similiter, si sint ad diuersos terminos, poterunt esse diuersæ; quia connaturaliter illos respiciunt.

10 Vndè collige, virtutem hanc, in re materiali, esse materialem entitatiuè; in spirituali, spiritualem: proportionatur .n. instrumento, de cuius potentia obedientiali educitur: potest tamen dici spiritualis, instrumentaliter, vt loquitur D. Tho. quia connaturaliter ordinatur ad effectū spiritualem: item potest dici spiritualis diminutè, & incompletè: sicuti dicimus, colores esse in aere spiritualiter; quod proprio vocabulo dicunt Philosophi, intentionaliter; entitatiuè tamen, vt dixi, in re materiali, virtus illa est materialis; vtpotè educta de potentia subiecti materialis; atq. adeo extensa ad extensionem subiecti. Quamuis de hoc possit esse controuersia; cum multi existiment, posse dari formam materialem indiuisibilem. Neq. repugnat, impressionem aliquam materialem, spiritualiter tamen eductam de potentia materiæ alicuius, esse virtutem instrumentariam ad effectum supernaturalem; sicuti non repugnat, dari potentiam materialem obedientialem, ad quam actuandam hæc virtus ordinatur.

Virtus impressa à Deo instrumēto proportionatur eidem instrumento: est.n. materialis, si instrumentū sit materiale: spiritualis, si sit spirituale. entitatiue tamē at instrumentaliter proportionatur effectui, ad quem producendum ordinatur.

Alia petitio.
Responsio.

11 Petes tandem: hæc virtus est ne instantanea, vel successiua? Respondeo, vtrumq. esse posse; & in iis quidē instrumentis, quæ non operantur per motum aliquem preuium; sed quorum actio, vnico instanti, perficitur, hæc impressio, & motio erit instantanea; v.g. si Christus Dominus per aliquem actum voluntatis instantaneum fecerit aliquod miraculū: cum verò instrumentū consistit in operatione aliqua successiua, & fluente; tunc hæc motio erit successiua, & fluens, & habebit effectum vltimum in termino sui; sicut supra diximus, de ipsa ablutione

aquæ. Vndè magis confirmatur, qua ratione ab utro possit esse quædam physica tendentia ad gratiam, cum præter ipsam, habeat etiam hanc Diuinam impressionem, & motionem naturaliter antecedentem ad eundem effectum, qui est veluti quidam impetus superioris causæ, qualis est impetus antecedens mallei, dum mouetur ad ictum, &c. & hæc quantum ad primum.

CAPVT II.

An implicet cōtradictionem, Posse Deum vti potentia obedientiali creaturæ sine hac præuia motione super addita?

§. I.

Resp. non implicare. 1 DE qua re nil disputat Diuus Thomas; censeo tamē dicendum esse cum communiori sententia, posse; quia nulla implicantia afferri potest in contrarium; tum maximè propter infinitam efficaciam Diuinæ virtutis, & intimam eius præsentiam ad omnem creaturam; quæ duo supplere possunt quicquid cōnaturalis præstat hæc motio antecedēs:

Ratio. Satis enim colligi potest applicatio creaturæ, propter præsentiam Diuinæ virtutis, cum efficaci voluntate vtendi immediatè ipsa creatura, ad quam statim sequatur ipsa gratia. Quod confirmatur,

Confirm. quia in naturalibus datur aliqua virtus instrumentaria, quæ sine hac actuali motione operatur; vt est calor, & reliquæ primæ qualitates, ad generationem substantiæ: Hæ enim dicuntur motæ mouere, non per motionem aliquam actualem, in ipsis receptam, & ab ipsis distinctam, sed per motionē, & impressionem quādam habitualem, quatenus id ipsum, quod sunt instrumenta, sunt & impressio quædam causæ principalis. Cum ergo creaturæ non minus aptæ sint deseruire omni potētiæ Diuinæ, quam quodlibet instrumentum suæ causæ principalis; sequitur, vt sine vlla præuia motione, ab ipsis distincta, possint assumi ad effectus supernaturales non implicantes; sicuti si motio, & impressio artificis in securi contineretur virtute in ipsa entitate securis; nihil aliud requireretur ad scissionē, ex parte artificis: eodem modo, cum potentia obedientialis creaturæ sit virtualis quædam impressio Diuinæ virtutis; licet non sit connaturaliter ordinata ad hos effectus supernaturales, & propterea connaturaliter exigat hanc motionem actualem; sufficit tamen, absolutè loquendo, ad hoc, vt omnipotentia Diuina per illam operetur, absque vllo alio medio.

§. II.

2 SEd dices primò: Aqua v.g. saltem prius natura debet intelligi eleuari, quam producat gratiā; sed non potest intelligi eleuari per mutationem aliquā Dei: ergo per mutationem aliquam receptam in se ipsa, per quam intelligatur eleuata in eo priori; ergo aliqua motio antecedens requiritur ad hoc. Respondeo, negando consequentiam: Potest.n. intelligi eleuata sine vlla mutatione antecedenti, siue sua, siue Dei; sed per connotationem extrinsecæ voluntatis Diuinæ efficacis, qua Deus vult vti aqua ad effectum gratiæ; sicuti calor in anima, per solam coniunctionem, & connotationem extrinsecæ virtutis nutritiuæ, est sufficienter eleuatus ad operationem nutritionis, & augmentationis. Itaque eleuatio instrumenti non dicit essentialiter mutationem aliquam in instrumento receptam, sed vel hanc mutationem, vel extrinsecam assistentiam virtutis potentis, vti illo instrumento immediatè. Obiectio 1. Solutio.

3 Dices secundò: Deus non solum habet voluntatem efficacem producendi gratiam; sed voluntatem efficacem eleuandi aquam ad eius productionem; sed voluntati illi priori correspondet ad extrà hic effectus productionis gratiæ; ergo voluntati posteriori debet correspōdere ad extrà aliquid antecedēter ad gratiam, per quod eleuetur ipsa aqua. Respondeo, nō esse in eo casu duplicem voluntatem; sed simplicem, qua Deus vult produci gratiam ab aqua, & aquam producere gratiam: cui voluntati respondet ad extra hic vnicus effectus, scilicet productio gratiæ, dependenter ab aqua, neque prius est, aquam esse in actu secūdo causam, quam effectum esse. 2. Obiectio. Solutio.

Quod

Replica.

4 Quod si dicas: prius est, aquam esse causam in actu primo, & proximo, quàm actu causare; ergo antequam intelligatur actu causare, debet præintelligi aliquid in ipsa, per quod sit causa in actu primo completo: quia, esse causam tali modo, est effectus Diuinæ voluntatis efficacis.

Solutio.

Respondeo, esse causam in actu primo completo, & proximo, respectu aquæ, esse quidem effectum Diuinæ voluntatis efficacis, non tamen vt causæ efficientis; sed vt causæ formalis extrinsecæ, seù vt causæ assistentis. Intelligitur enim aqua (vt diximus) eleuata, & consequenter in actu primo completo, & proximo, per connotationem extrinseci principij, vt formæ cuiusdam assistentis: quia non est necesse, vt, pro eo priori, aliqua mutatio intelligatur in aqua, vt intelligatur transire de potentia remota ad potentiam proximam; quia hoc non est effectus voluntatis Diuinæ, vt aliquid efficientis in eo priori, sed vt causæ formalis extrinsecæ, & assistentis; & sufficit, si connotetur effectus mox futurus dependenter ab aqua; sicut ad hoc, vt intelligatur causa particularis in actu primo completo ad productionem effectus, sufficit, si connotetur concausa, cum qua integrat virtutem sufficientem.

CAPVT III.

Quid de Christi humanitate, & passione?

§. I.

1 Posset tamen hic disputari de humanitate Christi Domini; siquidem D. Tho. docet; virtutem illam, de qua suprà loquuti sumus, deriuari in Sacramenta per Christi humanitatem, propter merita passionis eius; & sic pariter expressè docet, humanitatem Christi esse causam instrumentariam respectu huius virturis; vndè sequitur, Christi humanitatem fuisse physicum instrumentum ad ea opera supernaturalia, quæ Deus per illam operatus est, & quotidiè operatur, & præcipuè nostræ sanctificationis. Id enim multò minorem difficultatem habet, quàm

D. Thom.

fuerit in Sacramentis. Neque solum eius humanitas, sed etiam eius operationes, vt imperium, vox, contactus, & ipsæ etiã vestes potuerunt habere per Christi humanitatem physicam illam, & præuiam motionem ad effectus miraculosos, sicuti habent Sacramenta; sed de hac re fusè disputant Doctores 3. p. q. 13.

§. II.

2 Disputant etiam Iuniores de passione Christi, & alij eius operibus, qua ratione sint causa nostræ iustificationis, & salutis? Nàm Diuus Thomas sæpè loquens de passione Christi, docet, non solum esse causam meritoriam nostræ sanctificationis, sed etiam causam efficientem, & instrumentalem respectu Dei; vt patet 3. p. q. 48. art. 6. maximè ad tertium, vndè aliqui existimant, Christi passionem, etiam vt fuit actio trãsiens, nunc per se ipsam operari physicè nostram iustificationem. D. Thom.

3 Sed tamen id nulla ratione est necessarium ad rei veritatem, neq; ad mentem Diui Thomæ: sed satis, si dicamus, Christi passionem operari quidem nunc physicè, & instrumentaliter; non tamen immediatè per se ipsam; sed per suum subiectum; nempè Christi humanitatem, & per fidei Sacramenta, quæ cum efficaciam habeant ex passione Christi, dicuntur operari in virtute passionis Christi; atque adeò ipsa Christi passio aliquo modo dici potest physicè in illo operari; nempè, per suam virtutem; sicuti in naturalibus congruenter dicitur ignis operari in calore, tanquam in physico suo instrumento, quia virtus caloris est virtus ignis; nam etiam si ignis per se ipsum non existat physicè; tamen operatur in sua virtute: Eodem modo passio Christi non existens physicè, dici potest operari per Sacramenta, tanquam per virtutem à se deriuatam per humanitatem Christi, quod non obscurè significauit Diuus Thomas quæst. 62. art. 5. in fine corporis, dum infert; *Vndè manifestum est, quod Sacramenta Ecclesiæ virtutem habent supernaturalem ex passione Christi: cuius virtus nobis quodammodo copulatur per susceptionem Sacramentorum.* modo scilicet explicato. Item ad secundum, dum ait: *Et ideo virtus Sacramentorum quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide passionis Christi:* & quæst. 48. art. 6. ex eo, quod humanitas

manitas Christi est, diuinitatis instrumētum infert, quod omnes eius actiones, & passiones instrumentaliter operantur, in virtute diuinitatis, ad salutem humanā. Quod autem id non habeant immediatè per se, sed per sacramenta, docet ad secūdum; vbi de passione loquens, ait. *Ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur; s. per fidem, & fidei Sacramentum*; hac ergo ratione dicitur à D.Tho. Passio Christi comparata ad Diuinitatem, agere per modum efficientiæ, & instrumentaliter; præter cæteros modos causandi morales, quos enumerat.

4 Atq; ex hoc infertur, quod si Passio Christi consideretur præcisè in se ipsa, non sit; nisi causa moralis eorum effectuum, qui facti sunt post ipsam in virtute ipsius; moralis, quidem, per modum meriti, satisfactionis, redēptionis, pretij, & sacrificij; de quibus disputat D.Th. tota illa q.48. si vero consideretur, vt virtus existit in Sacramentis, quorum virtus dicitur virtus Passionis Christi, quia deriuatur ex illa; sic phisicè operatur nostrā salutem, per fidem quidem, & alia similia opera dispositiua: per ipsum autem Sacramentum efficiendo instrumētariè; quod etiam D.Tho. expressit q.62. art.6. ad 1. vbi docet, nunc passionem Christi non posse iustificare solum per fidem, sed etiam per realem vsum sacramentalium rerum.

§. III.

5 ET not. quod licet Passio Christi per se ipsam immediatè nil phisicè producat in Sacramentis; producit tamen per humanitatem Christi, cui datus est hic phisicus influxus in sacramenta, per excellentiam, & dignitatem talis passionis, quæ præcessit in illa: quod D.Th. colligit a..5. ex eo ligno quod ex latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & sanguis; quæ fuerunt signa Sacramentorum, & in quibus præcipua sacramenta futura erant; nempe, Baptismus, in aqua: & Eucharistia, in sanguine: quia .s. eo facto significatum est, omnem hanc virtutem instrumentariam ad sanctificationem nostrā ab ipsa Christi Passione deriuatam esse: cuius excellentiæ talis modus operandi debebatur in suis instrumētis: quod satis est, vt dicatur passio Christi phisicè operari in Sacramēto.

6 Dices D.Th.q.48.ar.6.ad 1. docet, quod si Passio Christi referatur ad diuinitatem: consequitur ex ea infinitam virtutem. Videtur ergo D.Th. sensisse, quod ipsa Passio Christi, per se, & in se, habeat hanc virtutem Phisicam instrumentariā: hanc.n. non habet in Sacramentis. Obiectio.

7 Responderur; quod ibi D.Th. non loquitur de virtute instrumētaria Phisica, quæ, cum, secundum ipsum, sit aliquid creatum, non potest esse infinita, ex eius doctrina: sed de vtrute morali, in ratione meriti, pretij, &c. quæ potest dici virtus Phisica radicaliter: ex hac.n. virtute morali habet passio, vt debeatur illi Phisica virtus, non quidem in se ipsa, si ipsa iam non existat: sed in suo subiecto, & in suis Sacramentis: non tamen virtus infinita: sed tanta, quanta satis est ad finem incarnationis, & redemptionis hominū: licet ipsa moralis dignitas Passionis Christi sit infinita. Atq; ex hoc demum sequitur, non esse necessariam, neq; ad rei veritatem, neq; ad saluandam D.Tho. doctrinam, dicere, quod aliquid, iam longo tēpore præteritum, nunc per se ipsum phisicè operetur immediatè nostram salutem. Solutio.



DISPV.

DISPVTATIO QVINTA.

De causa materiali Gratiæ. Vtrum .s. Gratia educatur de potentia sui subiecti?

CAPVT PRIMVM.

Sententia asserentium, Gratiam creari, vel concreari.

§. I.

1 Titulus huius Disputationis clarus est ex his, quæ diximus in 2. Phis. disputantes de formis, tam substãtialibus; materialibus tamen; quàm accidentalibus; an educantur de potentia materiæ? vbi & hanc etiam tetigimus difficultatem, de accidentibus supernaturalibus; cum certè eadẽ omniũ ratio sit, vt in discursu huius disputationis patebit; cũq. (vt supra vidimus) subiectum immediatum gratię, sit anima; quærimus; An de potentia animæ gratia educatur; an verò verè, & propriè creetur à Deo?

2 In qua re est prima sententia ferè omnium antiquorum Theologorum, asserentium; gratiam creari. in 4. dist. 1. vbi Bonau. q. 5. Riccard. q. 1. Gab. q. 1. art. 3. dub. 3. Scot. q. vnica, & idem in 2. dist. 37. q. vnica §. *Eadem argumenta*, & Durand. eod. lib. dist. 18. q. 2. n. 14. & ex Thomistis, Capreol. in 4. dist. 1. q. 1. in solut. Ad primum Scoti. con. 3. cõcl. Palud. q. 1. Enriq. quodl. 9. q. 37. Vega lib. 7. in Concil. c. 13. Ferrat. 4. con. gen. c. 57. & alij plures.

Bonau. Riccard. Gabr. Scot. Duran. Capreol. Palud. Enriq. Vega. Ferra.

3 Probatur primò hæc sententia; nã nil potest dici, quod educatur inde, vbi antea non præexistebat; sed gratia non præexistit in potentia subiecti: ergo non potest dici, quod educatur de potentia illius; ergo creatur; cum non detur medium. Probatur min. nam vel existit in potentia naturali, vel in supernaturali. Primum non, alioquin aliqua substantia naturalis propria virtute posset producere gratiam in subiecto; cuius oppositũ probauimus supra: probatur sequela, nã cui cumq. potentiæ passiuæ naturali correspondet aliqua potentia actiua naturalis; alias natura deficeret in necessarijs; ergo si subiectum habet potentiam passiuam naturalẽ ad gratiam, aliqua creatura ordinis naturalis haberet virtutem ad productionem illius.

Rationes quibus probatur Gratiã creari 1. ratio.

4 Quod non præexistat in potentia supernaturali subiecti, probatur: nam vel illa potentia supernaturalis esset, idem cum entitate animæ; quod dici non potest; cum entitas animæ naturalis sit: vel esset distincta ab anima: & tunc redet eadem quæstio; an .s. educatur de potentia animæ, vel non? & sic daretur processus.

5 Secundò: si aliqua ratione dicendum esset, gratiam educi de potentia animæ; maximè, quia producitur in anima, & dependet ab illa in sui conseruatione: sed hæc ratio nulla est: ergò, &c. probatur minor: alioquin anima rationalis dicenda esset educi de potentia materiæ, quia semper producitur in illa. Et præterea, si gratia produceretur à Deo extra subiectum, & postea infunderetur alicui subiecto, eodem modo penderet ab illo in conseruari, sicuti nunc pendet: & tamen in illo casu non esset educta de potentia subiecti. 2. ratio.

6 Tertiò: anima creatur: ergo & gratia: nam gratia perfectior est anima: perfectio autem formarum colligitur ex minori dependentia à materia: magis autẽ dependet illa forma, quę educitur de potentia illius: quam quæ non educitur, &c. 3. ratio.

§. II.

7 Secunda sententia est Soti in 4. dist. 1. q. 3. ar. 1. vbi docet, gratiam non creari, sed concreari ad creationem hominis grati. Potest hæc sententia probari etiam: nam gratia, & habitus supernaturales dicuntur infundi, & extrinsecus aduenire subiecto, & non educi de eo: sed non Sot.

Probatur alia sententia asserentium, Gratiam cõcreari.

non possunt dici, quod creentur, ergo quod concreentur. Minor probatur, quia eius est creari simpliciter, cuius est esse; sed gratia non est simpliciter: immò est in alio, sicut accidens: ergo non simpliciter creatur. Adde, quod D.Th.p.2.q.100. ar.2. ad 3. dicit, quod gratia dicitur creari, ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, .s. in nouo esse producuntur ex nihilo. Vnde Duran.loc.cit. ex tribus modis, quibus docet, aliquam rem dici creari, gratiam ponit in tertio, & fatetur, illā impropriissimè creari: quia non est nata per se subsistere. Maior etiam probari potest, quoad secundam partem: nimirū, quod non possit dici educi de potentia subiecti habitus infusus: nam nulla alia ratione id dici posset, nisi quia quilibet habitus infusus pendet in conseruari à subiecto: sed hęc ratio nulla est: nam gratia illa, in qua creatus est Adam, pendebat eodem modo ab eius anima: & tamē creata est illa gratia cum anima Adami. Et idē est de Angelis, de quibus dicitur, ***quod Deus erat in eis simul condens naturam, & largiens gratiam.***

D.Th.

Dur.

CAPVT II.

Gratiam educi de potentia Animæ.

§. I.

Gratiā educitur de potentia obedientiali animæ.

Hern. Caiet. Med. Zum. Vasq. Suar. D.Th. Ferra.

1 Tertia tandem sententia est: gratiam verè educi de potentia animæ obedientiali: ita ex antiquis Heruæus in 4. dist.2. q.1. art.2. & alij: & hodie est communis inter Scholasticos, illam tenet Caiet. 3.p.q.8. art.1. & q.13. art.2. & clarius q.62. Medina p.2.q.112. art.1. & 3.p.q.13. art.2. Zum. loc.cit. p.2. disp.5. Vasq. p.1. disp.174. Suar. 3.p. multis in locis, & melius to.1. met. disp.15. sect.2. n.9. & est D.Th. præsertim de verit. q.1. ar.10. ad 13. & de potentia q.3. art.8. ad 3. Insinuat etiam hanc sententiam Ferrar. 3. cōtra gen. c.101. §. *Sed nunc remanet*; cęterum hic author expressè tenet primam sententiam lib.4. c.57. §. *Considerandum vero*, & pro se citat D.Th. Sed immeritò: nam Sanctus Doctor hanc vltimam docet locis cit. & etiam p.2. q.113. art.9. vbi dicit, ***quod creatio, ex parte modi agendi, excedit iustificationem; quia in creatione fit aliquid ex nihilo; & non in iustificatione***, & q. vnica de virtutibus art.10. ad 13. dicit, ***quod virtutes infusa taliter sunt in potentia anima, quod non sunt nata educi in actum, nisi virtute Diuina, &c.***

§. II.

2 Ceterum, antequam hanc sententiam probemus, not. primo, & supponendum, hanc quæstionem non pertinere ad fidem; sed positam esse in opinione; vnde superflue adducunt Authores primæ sententiæ testimonia sacrę Scripturæ ad eam comprobandam; quibus videtur gratia dici creata: vt, *Cor mundum crea, &c.* &, ex alia parte, illis posset alia multa obijci, quibus insinuatur, gratiam educi de potentia materiæ: sæpe .n. iustificati dicuntur generari, regenerari, & renasci; quæ omnia sonāt eductionem de potentia materię: & sic ad ea testimonia, quæ contra nos adduci solent; Respondetur primò, illis significari, gratiam, & iustificationem fieri à Deo, vel eius virtute. Vel secundo, & melius; quod in communi modo loquēdi, cum quis euehitur ad aliquam dignitatem excellentē, dicitur creari in illa; & sic dicimus Petrū creatum fuisse in Episcopum, in Cardinalem, &c. Cum ergo Filiatio Diuina sit præstantissima dignitas; quicūq. ad illam eleuatur, iure optimo dicitur creari. Vel tertio, & melius cum D.Th.p.2.q.110. ar.2. ad 3. vbi dicit; ***gratiam fieri ex nihilo; .i. ex nullis præsuppositis meritis***: vnde moraliter, non phisicè intelligenda est creatio hæc; & sic particula illa ***(ex nihilo)*** in sensu D.Th. non repulit rationem subiecti, & causæ materialis; sed tantum rationem causæ meritoriæ; vt constat ex particula, quam statim opposuit .i. ***non ex meritis***: Gratia igitur cum primum producitur in iusto potest dici creari, per negationem præcedentium meritorum; & hæc loquutio, vt patet, nō est propria, & rigorosa, sed metaphorica.

Satisfit quibuscunq. sacræ Scripturę testimonijs, quibus posset probari, Gratiam creari: non.n. hęc quęstio pertinet ad fidem.

3 Secūdò notandum est cum D.Th. p.1.q.90. at.2. ad secundum, formam educi de potentia subiecti, nil aliud esse, quā ipsam fieri in actu, quæ antea præexistebat in potētia: tribus autem, vel quatuor signis cognōscitur, formam præexistere in potentia materiæ; .s. si producatur per actionem materialem, vel quæ subiectetur in materia: item si dependeat à materia in fieri, taliter, quod, secundum naturam, nō fiat, nisi in illa; nec intelligatur

Quid sit, Gratiam educi de potentia subiecti.

prius

prius habere esse in se, quam in subiecto; cui non obstat, quod Deus de potentia absoluta possit illam formam extrà materiam producere; nam hoc per accidens est, & hic non loquimur, nisi de productione, quã res possit secundũ propriam naturam: Tertio, quod dependeat à materia in conseruari; ità vt per eandẽ actionem, qua separatur à materia, corrumpatur, & desinat esse: Quarto, quod in omnibus suis operationibus pendeat à materia, vel subiecto: quæ conditiones communes sunt omnibus formis sic eductis; siuè educantur de potentia naturali, siuè de obedientiali; nam formæ artificiales, quæ non educuntur de potẽtia naturali, retinent omnes has conditiones.

§. III.

Conclusio.

4 Quibus positis, fit cum vltima sententia nostra conclusio: Gratia, & quodlibet accidens supernaturale educitur de potentia subiecti, in quo reperitur. Hæc cõclusio est etiam contra Fonsecam 5. meth. c. 2. q. 4. & Conimbr. 1. phys. q. 12. c. 9. qui nullo modo admittunt formæ eductionem, quæ non fit de potentia naturali subiecti: sed falluntur; nam licet verum sit, harum formarum eductionem non esse naturalem: non tamen dicendum est, esse extrà latitudinem eductionis formæ de potentia subiecti; sed potius, sicut qualitas, quædam est naturalis ordinis, alia supernaturalis: vtraque tamen est vera qualitas. Ità, eductio formæ accidentalis: alia est naturalis, alia supernaturalis; vtraque tamen est vera eductio. Tantum autem est discrimen, quia ad has formas supernaturales non concurrit subiectum per naturalem potentiam; quã cõditionem dicti Authores requirunt in subiecto, vt forma educatur de illius potentia; quod tamen non probant; & sic videtur illa conditio adiecta ad has formas excludẽdas; quomodo potest vnusquisque alias conditiones excogitare, & adiungere, vt alias formas excludat: Illa ergo conditio, quamuis sit necessaria ad eductionem naturalem, nõ vero ad eductionem simpliciter: cum sufficiat potẽtia obedientialis: Cur enim, sicuti datur qualitas naturalis, & supernaturalis; & intellectio naturalis, & supernaturalis, ex præsupposito subiecto, nõ dabitur ẽt eductio supernaturalis, distincta à naturali, tam ex parte principij actiui, quam passiui, licet in generali nomine eductionis conueniant?

Nota contra Fonsec. & Conim.

5 Et declaratur hac ratione; nam eductio formæ immediatè, & adæquatè condistinguitur à creatione formæ in his, quæ per propriam actionem fiunt: Indè neque Philosophi in cognitionem eductionis formæ peruenerunt: quia intellexerunt, formas non fieri per creationem: ergo supponunt, omnem formam, quæ per propriam actionem fit, & non creatur, educi de potentia subiecti; Et iure optimo; nam quod creatur fit ex nihilo; Idest ex nullo subiecto supposito, & absque concursu causæ materialis; educi autem nil aliud est, quam fieri ex subiecto, cum cõcursu ipsius in fieri, & esse.

6 His præhabitis, potest probari nostra conclusio primo: nam gratia, cum desinit esse, non annihilatur, vt omnes concedunt, naturaliter .n. nulla res dicitur annihilari: ergo nec creatur: ergo educitur de potentia animę. Prima consequentia patet: nam, vt in phisicis dictũ est, id quod incipit per creationem, non potest, nisi per annihilationem desinere; Id verò, quod per generationem, desinit per corruptionem. Secunda verò etiam est certa; nam nõ est dicere, quod detur medium, cum nullum aliud appareat, alias deberet assignari, ex opposito, actio, per quam desineret esse res illa, quæ diceretur concreari, &c. Adde, quod id diceretur concreari, quod crearetur ad creationẽ alterius rei, cui propriè cõuenit creatio: sed cũ gratia producitur, nil propriè creatur, ergo nec potest dici, quod concreetur ipsa gratia; ma hæc explicatur: nam id dicitur comproduci, quod fit per eandem actionem, per quã aliquid producitur propriè. Et similiter id dicitur congenerari, quod simul cum supposito generatur. min. verò pobatur; nam si aliquid propriè creatur, maximè, homo gratus: sed hic non: quia in tãtum homo gratus diceretur creari, in quantũ crearetur gratia ipsa, non enim creatur tunc homo secundum substantiam, sed tantum secundum illud accidentale esse, quod prouenit à gratia: ergo si gratia nõ creatur propriè, intelligi non potest, quo pacto homo gratus creetur: nam effectus formalis easdem causas, & eundem modum productionis habet cum forma.

Probatur 1. conclusio.

§. IV.

2. probatur conclusio. 7 Secundò probatur cõclusio, discurrendo per conditiones supra positas; nam actio, qua producitur gratia, in eodem subiecto recipitur cum gratia; ergo gratia producitur per actionẽ materialem, ad sẽsum explicatum. Item gratia pendet in fieri à subiecto: quod probatur; tùm quia nunquam fit extra illud; tùm etiam, quia nisi dependeret, sequeretur, prius natura habere esse in se, quàm vniretur ei: consequens est falsum: ergo & antecedens; probatur sequela, quia nulla alia ratione posset intelligi indepẽdentia à subiecto, sicut intelligitur in anima rationali; quia prius natura in se producitur, quàm vniatur; min. probatur; quia essentialiter est forma accidentalis; ergo naturaliter non potest esse prius in se, quàm in subiecto; quia hoc est de essentia accidentis; alioqin in qualibet iustificatione esset miraculum; quod negat D.Th.q.113.ar.10. Tertia etiam conditio manifestè patet; nam gratia non potest naturaliter esse extra subiectum; quod probatur ex quarta cõditione; nam quæcunq. forma, quæ potest naturaliter esse extra subiectum, potest habere aliquam operationem extra illud; sed gratia, & virtutes nullam possunt habere operationem extra animam; ergo naturaliter esse non possunt extra subiectum; ma. probatur: quælibet. n. res est propter suam operationem; & sic vbi non potest esse operatio, non potest naturaliter esse. Item, quia hac ratione Philosophi probãt, animam rationalem esse sepatabilem à subiecto; quia habet operationem non dependentem ab illo: censentes proindè, quod si omnes operationes animę à materia dependerent, non esset separabilis. minor probatur, quoniam omnes actiones gratiæ non possunt fieri sine anima, ad illas concurrente; ergo gratia non potest operari extra subiectum; hoc vltimum antecedens est euidens; nam omnes actiones gratiæ, & habituum supernaturalium sunt vitales, & necessariò petunt principium vitale, nempè, animam.

3 probatur. 8 Tertiò probatur: actus supernaturales continentur in potentia obedientiali animæ; ergo & habitus supernaturales; cum non sit magis supernaturalis habitus, quàm sit actus; & si aliqua ratione Authores oppositæ sententiæ negãt gratiam contineri in potentia animæ, est propter suam excellentiam, & supernaturalitatem. antec. patet; alias illi actus crearentur; & cum corrumpuntur, annihilarentur. Ex quo sequeretur vlterius, quod aliqua creatura posset esse causa principalis creationis, & annihilationis; nam potentiæ nostræ sunt causæ principales illorum actuum; & possũt esse causæ corruptionis, solum per cessationem ab opere.

9 Sed petes: ad quam speciem motus pertineat hæc gratiæ productio? Respondeo; ad alterationem, cum terminetur ad qualitatem; est autem duplex alteratio; alia corruptiua, per quam producitur in subiecto qualitas, disponens ipsum ad corruptionem; vt fit quandocunq. producitur aliqua ex primis qualitatibus; vel ex his, quæ fiunt ex primarum mixtione. Alia alteratio est perfectiua, quę terminatur ad qualitatem perficientem subiectum; vt in productione omnium habituum; & hæc semper fit in instanti; vnde propriè non est motus, sed mutatio; vt illuminatio aeris. Ad hanc ergo alterationem perfectiuam pertinet gratię productio; cum quo stat, quod per similitudinem dicatur generatio; nam sicut in generatione subiectum recipit primum esse simpliciter; ita in productione gratiæ recipit primum esse simpliciter supernaturale; & sic appellatur à Tridentino sess.6.c.3.& 4. & in multis locis sacræ Scripturæ; restat modo solum satisfacere argumentis adductis pro contrarijs sententijs.

Petitio. Responsio. Productio Gratię est Gratiam alterationis speciei.

Trident.

CAPVT III.

Soluuntur rationes oppositarum sententiarum.

§. I.

1 ET ad primam dicimus, gratiã præexistere in potentia animæ; non naturali, sed obedientiali; nam eo prorsus modo, quo supra diximus, dari in quolibet creato ente potentiã obedientialem actiuam; ita dicendum est, dari etiam potentiam obedientialem passiuam, de qua proportionaliter philosophãdum est eodem modo, quo docuimus de actiua; nimirum, entitatiuè non distingui ab ipsa entitate animæ, & sic etiam entitatiuè naturalem; Ast calor, suo modo, superna-

Ad 1. oppositę sententię 1. Respondetur

Quid potentia obedientialis passiua?

tura-

turalem; & reliqua omnia, quæ de actiua diximus, accommodanda sunt potentiæ passiuæ.

Obiectio. 2 Sed obijcies: potentia, & actus debent esse in eodem genere, (vt diximus supra) sed gratia, quæ educitur de potentia obedientiali animæ est quoddam accidens supernaturale; ergo & ipsa potentia debet esse aliquod accidens superadditum ipsi entitati substantiali animæ.

Solutio. Respondeo tamen, illam maiorem esse veram in potentijs, quæ dicũt naturalem inclinationem ad actus; quales sunt omnes potentiæ naturales. Præterquã quod, gratia non est actus adæquatus huius potentiæ obedientialis animæ, sed inadæquatus; & loco cit. nos diximus, potentiã collocari sub eodem genere cũ suo actu adæquato. Actus autem adæquatus, seu obiectum adæquatum huius potẽtiæ est quicquid non implicat cõtradictionem posse fieri in ea, vel ex ea à Deo per suã omnipotentem virtutem, siuè quid naturale sit, siuè quid supernaturale; vtrumq. .n. comprehenditur sub obiecto adæquato huius obedientialis potentiæ.

Replica. 3 Sed contra; nam hoc obiectum videtur esse infinitum; vnde sequeretur, potentiam obedientialem esse infinitam; & ex consequenti, in qualibet creatura esse infinitam virtutem: nam potentia infinita supponit virtutem infinitam in subiecto.

Respondetur. Respõdeo, verum esse, tale obiectum esse infinitum, Synchategorematicè; omnia .n., quæ Deus potest producere, secundum se, potest etiam, media potentia obedientiali actiua, & educere de potentia obedientiali passiua cuiuscunq. rei. Vnde dico ad argumentum, quod, quantum ad potentiam obedientialem passiuam, non habet difficultatem; nam materia prima habet potẽtiam ad infinitas formas, Synchathegorematicè; & tamen non est infinita in sua entitate; loquendo autem de potentia obedientiali actiua; dico, quod illa solum concurrit instrumentaliter; & agit in virtute principalis agentis; quare perfectio effectus, vel obiecti non est mensuranda cum virtute instrumenti, sed cum perfectione virtutis principalis agentis; & ideo licet hæc potentia habeat infinitum obiectum; non sequitur, quod habeat infinitã virtutem.

Formę artificiales educũtur ab artifice de potentia obedientiali materię: 4 Vbi nota, quod etiam formæ artificiales dicuntur educi ab artifice de potentia obedientiali materiæ; tamen non est eadem ratio de potentia obedientiali creaturæ in ordine ad Deum, & de potentia obedientiali in ordine ad artificẽ; nam licet entitatiuè vnum, & idem sint; cęterum in ratione potentiæ obedientialis formaliter differunt; nam potentia in ordine ad artificialia, non est simpliciter obedientialis; lignum .n. non subditur artifici ad nutum, vt patet; immò non ex qualibet materia potest fieri quodlibet artificiũ; sed est necessaria materia apta: & sic censeo, hanc potẽriam dici potius, aliquo modo, mixtã, ex naturali, & obedientiali: nam certè requiritur etiam ex parte materię quædam quasi connaturalitas, seu aptitudo passiua respectu huius potius effectus, quam alterius; ex marmore namq. licet artifex possit facere optimam statuam; non tamen ex eo fieri poterit instrumẽtum musicum; aut quid simile; quia non est apta talis materia ad recipiendam huiusmodi formam, &c. at verò potentia obedientialis creaturæ in ordine ad Deum, est simpliciter obediẽtialis, vt patet ex dictis. nota tamen disparitatem potentiarum obedientialium.

§. II.

Ad 2. 5 AD secundum argumentum principale, Respondeo, negãdo minorem: & ad prob. dico, quod anima rationalis ita producitur in subiecto; vt tamen prius natura sit in se, quàm illi vniatur; & ex consequenti non pendet in fieri ab illo; quinimò, ex vi eiusdem cõcursus, quo Deus animam producit in materia, posset illam extra materiam creare: sed ideo de lege ordinaria exigit materiam; quia, cum anima essentialiter sit pars, & forma; oportet, vt non creetur, nisi ad cõponendum totum; & ex consequenti in illa parte, cum qua componit, & integrat hominem. At gratia nõ posset, ex vi illius concursus, quo producitur, extra subiectum produci; sed necessarium esset miraculum. Et ad aliud respondetur; idem argumẽtum posse fieri de quocunq. alio accidenti; & tamen constãt ea non creari; & sic dico, quod, in casu posito, gratia miraculosè crearetur; & postea vnita subiecto dependeret ab illo in conseruari: neq. est mirũ, illud esse, quod immediatè tribuitur gratiæ, ab eo conseruari mediãte subiecto; sicuti è contra contingit in accidentibus Eucharistię; nam illud esse, quod in productione eorum depẽdebat à subiecto, conseruatur postea immediatè à Deo.

Ad 3. 6 Ad tertium Respondetur, neg. cõsequentiã; & ad probationem dico, quod

Gratia est magis immersa materiæ, quã anima, quoad modum essendi; quia depẽdet à subiecto in esse, & operari: Anima vero non: Cum quo tamen stat optimè, quod gratia essentialiter possit esse perfectior anima, iuxta superius dictas.

§. III.

Ad fundamentum secundæ sententiæ.


7 AD fundamentum secundæ sentẽtiæ, Respondeo, notando prius, dupliciter contingere, accidẽtalem formam comproduci per subiecti productionem: Primo, per solam concomitantiam in duratione: tamen per propriam actionem, omninò diuersam ab actione, qua producitur subiectum, absque naturali resultantia vnius ab alio; quo modo dicitur concreata gratia Angelorum, vel lumen aeris; si in eodem instanti, in quo producitur, illuminetur. Et tũc actio productiua formæ acccidẽtalis, quoad rem ipsam, vera est eductio, omnino eiusdem rationis cum illa, quæ fit posterius tempore: Quoad modum autem loquendi, accipit aliam denominationem extrinsecam, propter concomitantiam actionum. Secundo modo comproducitur forma accidentalis ad productionem subiecti, quando resultat ex illo per simplicem emanationem; quomodo proprietates resultant per subiecti productionem; & tunc proprius dicitur forma accidentalis comproduci ad productionem subiecti: sicut autem illa comproductio non fit sinè aliquali actiuitate essentiæ in proprietate; ità non fit sinè aliquali eductione eiusdem proprietatis à potentia subiecti, in quo recipitur; quia illa actiuitas, præcise considerata, vt condistincta à productione ipsius substantiæ, essentialiter pendet à subiecto, in genere causæ materialis; at verò sicut illa actiuitas non censetur propriè, & per se actio; quia natura sua consequitur, & resultat à termino alterius actionis; & hic est modus proprius, & connaturalis talis actiuitatis; Ità illa non cẽsetur propria eductio; quia per eductionem, absolutè dictam, intelligimus actionem, quæ per se primo tendit ad agendum aliquid ex præsupposito subiecto; quæ differentia, si rectè consideretur, magis ad modum loquendi, quam ad rem spectat.

Dupliciter aliqua forma potest dici produci ad subiecti productionem.

8 Ex quibus facilè ad argumentum Respõdetur; & primo ad id, quod primo loco dicitur; nempè, ꝙ gratia, & habitus infusi dicuntur extrinsecus aduenire, & infundi. Dico, quod productio habituũ supernaturalium dicitur infusio; nõ quia sit vera creatio, aut concreatio: sed quia procedunt ab extrinseca causa, & non acquiruntur per extrinsecam vitutem, & actionem; sicuti acquisiti habitus comparantur; hæc autem infusio non fit sinè dependentia à subiecto, in fieri, & in esse: neque.n. intel.igenda est fieri; sicut infusio aquæ in vas: sed sicut infusio luminis in aere, quæ propriè est eductio.

Quam habitus supernaturales dicãtur infusi.

9 Ad prob. verò ma neg. gratiam Adæ, & Angeloru non fuisse eductam de potentia subiecti; iuxtà dicta in notabili: Cum enim termini sint distincti; natura, scilicet Angeli, & gratia, per diuersas actiones producuntur: Dicũtur autẽ comproduci, siuè simul produci cum subiecto: quia simul habent esse; licet per diuersas actiones; idemque dicimus de gratia Adami, & hæc de ista Disputatione.



DISPV-

DISPVTATIO SEXTA.

Vtrum ad recipiendam Gratiam requiratur in nobis aliqua dispositio?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur sensus quæsiti.

D. Thom.

1 PRO tituli intelligentia not. quod quæst. hæc tangitur à D. Thom. eiusque commẽtatoribus 1.2.q.109. art. 6. & q.112. art.2. in quibus locis fusè rem hanc discutiunt; tamen nos breuiter, & facilè eam pertractabimus; Cumque de duplici gratia esse posset quæstio, nempè, actuali, siuè auxiliorum; & habituali. In primis, certũ omninò apud nos esse debet (suppositis his, quæ docuimus Quodl 6.) quod respectu primæ gratiæ, idest, prioris auxilij, quo primum bonum opus morale operamur, nulla datur in nobis dispositio; sed illa gratia omninò liberaliter à Deo nobis conceditur, nullis prorsus præcedentibus in nobis meritis. Vndè patet, falsum esse id, quod multi volunt, quod illa verba: *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, intelligenda sunt de primo auxilio, Ità, vt sensus illorum verborum sit; *facienti quod in se est*, Viribus proprijs liberi arbitrij, *Deus non denegat auxilium primum*, ad hoc, vt possit operari opera maiora: Satis .n. probatum est, nullum, quantumcumq; minimum bonum opus morale posse proprijs viribus hominem efficere; & ex consequenti nullo modo posse se disponere ad illud primum auxilium. Prætérquamquod, *si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia*; Bene verum est, quod per opera bona, elicita cum illo priori auxilio, potest homo aliqualiter se disponere ad recipienda vlteriora auxilia ad opera maiora patrãda, & sic illa propositio, *facienti quod in se est, &c.* est intelligenda de faciente quod in se est, non ex se solo, sed simul cum gratia excitante, & cooperante; Vt explicat ea verba multis in locis D.Tho. & alij innumeri Doctores, legite recentiores; quarè q̃stio præsens non est de dispositione ad gratiam auxiliorum, sed tantum de dispositione ad gratiam habitualem.

Respectu Prioris auxilij nulla requiritur ex parte recipientis dispositio.

2 Neq; præsens quęstio est cum hæreticis, præsertim, cũ Luteranis, qui omnem prorsus dispositionem ad gratiam negabant, vt in superioribus pluries adnotauimus; sed tantum cum Chatolicis, qui aliquam concedunt, ex parte nostri, dispositionem ad habitualem gratiam: Item non loquimur de potentia absoluta; nam de hac disputari solet p.2. q.113. & forsan aliquid dicemus nos suo loco disp. seq. sed tantum de potentia ordinaria: Item certum est, quod, & si ponamus in ordine ad formam supernaturalem gratiæ, dispositionem; non indè colligitur, quod debeamus ponere etiam respectu illius dispositionis aliam dispositionem præuiam; nam vt optimè Ferra 3. con.gen. cap. 53. non ad quamcumque formam est necessaria dispositio; sed solum ad illam, quæ est vltima, & principalis in illo genere: non verò ad ad ipsam dispositionem: vt multis exemplis naturalibus potest demõstrari; nam materia non recipit formam substantialem, nisi mediante dispositione accidentali, ad quam non requiritur alia dispositio, quod in habitibus naturalibus etiã constat.

Ad ipsam dispositionem non est necessaria alia dispositio, excepta vltima. Ferra.

3 Tandem certum etiam esse debet, quod in pręsenti non est sermo de dispositione ex natura rei requisita; nam nulla talis dispositio excogitari potest respectu gratiæ; sed tantum loquimur de dispositione ex pacto Dei; ità vt, eo secluso, non habeat rationem, ex se, dispositionis, respectu talis formę: cum .n. nemo

Dispositio ad Gratiam ex pacto.

mo possit cogere Deum ad dãdam gratiam sibi, quam dare minimè tenetur, nisi ipsemet Deus promictat, se illam nobis daturam, posita tali, vel tali dispositione, non est cur recurramus ad efficaciam, ex natura rei, alicuius dispositionis, quam nil est, quod possit habere in ordine ad tale donum supernaturale.

CAPVT II.

Reprobantur aliquorum sententiæ.

1 His ergo suppositis, aliqui docuerunt, dispositionem omnibus necessariam esse ad gratiam recipiendam, nedũ adultis, & ratione vtentibus; sed etiam paruulis, & ratione carẽtibus. Ità Caiet. 1.2.q.112.art.2.Cap. in 4.dist.1.quæst.1. art.3.ad primum Dur.Con.tertiam conconclusionem: citantur etiam Palud. & Hyspalen. ex quibus Caiet. dicit, nunquã dari gratiam, nisi supposita dispositione, vel propria, vel aliena; hoc est, per proprium, vel alienum actum; & ob id dicit, paruulis dari gratiam per meritum Christi, tamquam per dispositionem alienam. Opinio Caiet.

Impugnatur. 2 Sed hic modus dicendi falsus est; nam quamuis actiones Christi fuerunt meritoriæ gratiæ paruulorum; tamen paruuli gratiam recipiunt mediante baptismo, absq; actuali dispositione: quia gratia non postulet eam in eis; vt dicam infra: Et quamuis actiones Christi sint meritoriæ illius gratiæ, quæ donatur paruulis, tamen quia dispositio, propriè loquendo, debet esse in eodem mobili, in quo recipienda est forma, licet, loquẽdo de dispositione morali, non sit necesse reperiatur immediatè in eodem subiecto indiuisibili, sed sufficit, quod subiectetur in illo, mediatè: Hinc fit, quod actiones receptæ in alieno subiecto, & omninò disparato, non possunt esse propriæ dispositiones formæ recipiendæ in altero. Hæc dixi de merito Christi, sed de iustificatione paruulorum, vide infra cap.3.§.2.n.3.

Opinio aliorum. 3 Vndè alij docent; characterem Baptismalem, esse dispositionem ad gratiam, in paruulis: in sanctificatis vero in vtero, esse quẽdam ornatum impressum à Deo; & similem ornatum ponunt per omnia Sacramẽta imprimentia characterem.

Impugnatur. 4 Sed sine fundamẽto loquuntur isti Authores, & ponunt dispositionem istã habitualem nõ necessariam ad gratiam; atque quæ danda est, solum est dispositio actualis, quã placemus Deo; & in humanis non recipitur aliquis ad amicitiã, nisi per actus, quibus placet amico. Medina autem super eundem art.2.q.112. aliquomodo videtur asserere, etiam in paruulis dispositionem ad gratiam necessariam esse, quæ non est aliquis actus, sed habitualis mutatio, qua conuertuntur ad Deum qui auersi erant: Et sic dicit, quod hæc dispositio est habitus Fidei, Spei, & Charitatis, qui habitus sunt habituales quędã præparationes ad donum gratiæ suscipiendũ. Sed hoc ẽt falsũ est, & hic modus reijcitur, sicut secũdus: Et etiam, quia impossibile est, hos habitus esse dispositionem ad gratiam, cum sequantur ex ipsa, & ab ea procedãt aliquo modo; & sic nullo modo sustinendus est. Vt autẽ veritas manifestetur, sit. Opinio Medinę. Impugnatur.

CAPVT III.

Statuitur vera sententia.

§. I.

1 Dico primo breuiter, nullus adultus, qui sit in peccato iustificatur sinè propria dispositione. Hoc dictum est de fide, & habetur in Trid. sess.6. cap.5. & can.4., & in alijs Concilijs; præterquã quod clarè loquitur Scriptura Sacra illis locis, in quibus Deus petit à nobis conuersionem nostram, motum nostri liberi arbitrij, & præparationem cordis nostri, Videantur innumera loca apud Recentiores. Adde, quod dictum hoc satis est rationi cõforme; Nam iustum est, vt qui propria voluntate peccauit, & est à Deo auersus; pariter etiam, mediante Dei gratia excitante, & secum cooperante, conuertatur per propriam voluntatem ad Deum, & doleat de patrato scelere, vt gratiam perditam valeat recuperare; Et confirmatur, quia si huiusmodi dispositio in adultis peccatoribus non esset necessaria, nulla posset reddi ratio, propter quam 1. conclusio. Tridens.

quam omnes homines non iustificentur à Deo: quia omnes sunt æquales, quoad naturam, & quoad omne id, quod esse debet in illis, exclusa gratia. Præterea nulla esset ratio, ob quam Deus nostra opera exigeret; vt adimpletionem præceptorum, præsertim, quando sumus in peccato; & quod recedamus à peccato; quod pœnitentiam faciamus; oremus, &c. Denique probatur ratione D. Th. art. illo 2. cit. nam nulla forma introducitur, nisi in materia disposita; vnde Arist. inquit: *Actus actiuorum sunt in patiente benè disposito.* Quæ ratio conuincens est, præsertim, quando subiectum est affectum cõtraria forma: & in moralibus, quando forma opposita præexistens in subiecto est voluntaria, & à voluntate dependet, requiritur necessariò voluntaria dispositio opposita ad illam expellendam; & quia hęc conclusio est certissima, non moror in illa amplius probanda.

Arist.

§. II.

Petitio.

Responsio.

Probabile est Adam & Angelos absque propria dispositione fuisse iustificatos.

2 Sed quæres, an hoc idem dicendum est de adultis, qui non peccauerunt, sed iustificati sunt sine peccato, vt de Adam, & etiam Angelis? Respondeo, probabile esse, Adam & Angelos absque aliqua propria dispositione præuia fuisse in gratia creatos; vnde conclusio illa de fide est, loquendo de adultis peccatoribus; à quibus, non mirum est, si aliquid exigat Deus, ad eorum salutem, quod nõ exegit ab Adam, & Angelis; nam decens est, vt plus Deus ab eo exigat, qui per peccatum iustitiam perdidit; quam ab illo, qui nunquam illam demeruit; &, vt plus ab eo exigat, qui per proprium actũ, quam ab eo, qui per alienum eam amisit. Vnde æquissimè statuit Deus, vt qui peccando per proprium actum liberi arbitrij nostri, aut primi Parentis, ab eo recessimus, cooperando per proprium actum, Deo ipso adiuuante, aut certè per actum alterius, qui Sacramentum applicet, (quo pacto pueri antè vsum rationis iustificantur) ad Deum redeamus; & sic (vt dico) hæc conclusio non intelligitur de iustis, qui iustificati sunt ante peccatum; nam de his, Molina tenet, non fuisse iustificatos propria dispositione p.1. q. 62. at.3. vbi citat alios Authores; & si cõtrarium teneant Medina, & Zum. super illum ar. 2. cit. asserẽtes, Angelos, & Adam fuisse iustificatos per propriam dispositionem præcedentem; citantq. alios Doctores; sed de hac quæstione alibi disputatur, nempè p.1. q.62. art.2. & 3. & q.95. art.1. sicuti de Christo, an habuerit gratiã mediante aliqua propria dispositione, vel ne? agitur 3.p.

Mol.

Med. Zum.

2. conclusio. Quid de infantibus.

3 Loquendo autem de paruulis, & ratione carẽtibus, dico secundo, ipsos recipere in Baptismo gratiam sine propria aliqua dispositione præuia; hoc etiam dictum iudico esse de fide: nam paruuli verè iustificantur in baptismo; & alias paruuli non sunt capaces alicuius vsus liberi arbitrij, quo possint se disponere ad gratiam; vt optimè discurrit D. Th. pręsertim de verit. q.28. art.3. & in 4. dist.6. q.1. art.1. illud autem Matth. 28. *Qui non crediderit condemnabitur, &c.* intelligitur de adultis; vt explicat cap. maiores, de Baptismo, & eius effectu, &c. vel dicũtur adhuc paruuli credere per fidem habitualem; seu credere, i. profiteri Religionem Christi in baptismate, non proprio consensu actuali, sed Ecclesiæ. Ita explicat Augustinus lib.1. de peccator. merit. cap.25. & 26. vbi etiam ait, quod dicuntur credere habitu, non actu.

D. Matt.

Nota de infantibus pro Christo occisis.

4 Ex his sequitur, infantes pro Christo occisos gratiam accepisse, non quia habuerint vsus acceleratos; & sic per propriam dispositionem, (vt aliqui senserũt,) sed per martyrium pro Christo susceptũ; vt ait Euseb. hom.4. Bernar. ser.1. de natiuit. Innocent. & alij. Præterquam quod, non sunt danda tot miracula sine necessitate. De Ioanne Baptista, aliqui affirmant, in matris vtero iustificatum, & sanctificatũ fuisse per propriam dispositionem, quorũ testimonia citat Zum. super art. illum 2. disp.1. concl.4. & de Beata Virgine, aliqui pariter hoc sentiunt, videri potest Suar. 2. tom. in 3. p. disp.4. sect.8. qui partem affirmatiuam tenet; & pro hac opinione citat Bernardũ. Sed si hoc Virgo sanctissima, & Baptista habuerũt, fuit ex speciali gratia, & priuilegio Dei; & sic de eis non est nobis quæstio, quia habuerunt vsum rationis acceleratum; & hoc per miraculum grande.

Euseb. Bern.

De Ioanne Baptista. Zum.

De B. Virg. Suar.

§. III.

Petitio.

Responsio Caiet.

5 Sed petes; an hæc dispositio necessariò debeat esse actu coniuncta cum ipsa gratiæ infusione, an verò sufficit virtualis, seu habitualis dolor, & dispositio? Caiet. 1.2. q.113. art.3. tenet, quod actu est necessaria, adhuc cum fit iustificatio, mediante Sacramento. Sed

hæc

Impugnatur. hæc sententia nimis ardua est: nam primo, incidentibus in amentiam, qui antea exhibuerunt signa doloris, & Sacramentum Pœnitentię petierunt, aut peccata sua confessi sunt, beneficium absolutionis datur, & Baptismi etiam; si ante amentiam baptizari petierint. Secundò, quia si distractio mentis fructum impeditet Sacramenti, voluntaria quæuis distractio esset peccatum mortale; nam iure optimo censeri debet peccatum mortale, quod fructum impedit Sacramenti; principaliter si ipsum suscipiens fit sciẽs, & prudens; nemo autem tàm facilè damnabit peccati mortalis eum, qui, voluntariè distractus, sumit Sacramentum: ergo, quando quis iustificatur in Sacramẽto, non requiritur actualis attentio, & dispositio cum infusione gratiæ. Aliter tamen contingit quando quis extra Sacramentum iustificatur; nam, cum iustificetur mediante actu Contritionis, tãquam vltima dispositione, cui ex pacto statim coniungitur gratia, impossibile est, tunc aliquem distractum esse.

Finis Quodlibeti Decimi.



QVODLI-

QVODLIBETVM VNDECIMVM.

De Certitudine Gratiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

An homo poſſit eſſe certus, certitudine fidei, ſe habere gratiam?

CAPVT PRIMVM.

Hæreticorum error confutatur.



§. I.

1 E certitudine gratię agūt Doctores in 1. diſt. 17. ſed omniū fuſiſſimè recentiores contra Hæreticos noſtri temporis. Vega toto lib. 9. in Trident. Soto lib. 3. de natura, & gratia à c. 11. vſq. ad finem libri; & in Apologia contra Catherin. Decan. lib. 2. c. 9. Roſenſ. contra Luter. c. 11. & 12. Caſtro de hæreſi verbo *Gratia*, hæreſi 3. & omnes diſcipuli D. Th. apud ipſum q. 112. ar. 5. vbi ſuppono cum D. Th. triplicem certitudinem poſſe haberi de gratia; aliam ſupernaturalem, quæ innititur Diuinę reuelationi; aliam naturalem, excludentem omnem formidinem; quališ eſt certitudo ſcientiæ; & aliam moralem, fundatam in euidentia morali, quæ non eſt tàm perfecta, ſicut præcedēs; nec excludit omnem formidinem; attamen abſolutè eſt certitudo, qualis de rebus moralibus poteſt haberi, per ſigna, & cōiecturas; debent tamen eſſe ſigna, quæ nō habeant neceſſariam connexionem cum

Vega. Sot. Decan. Rofen. Caſtro.

D. Th.

Triplex certitudo haberi poteſt de Gratia.

re ſignata; nam hęc eſſet certitudo ſecundi generis, per ſcientiam, à poſteriori. In præſenti diſputatione, de prima certitudine eſt ſermo: diſputaturi pariter de reliquis infra.

2 Et ſic ſuppono ſimiliter, tanquam certum; quod, ſi ſit ſermo de potentia abſoluta, & ſpeciali priuilegio; pars affirmatiua eſt vera, talem .n. certitudinē habuit B. V. cui dictum eſt. *Aue gratia plena*, talem etiam habuit Paulus, cui dictum eſt, *ſufficit tibi gratia mea*. & Magdalena, cui Dominus, *remittuntur tibi peccata tua*; & de eadem certitudine explicat D. Th. loc. cit. ad 5. illud Geneſ. 22. dictum ad Abraham, *nunc cognoui, quod timeas Deum*; .i. cognoſcere te feci; ſicut etiam omnes explicāt: & addit D. Th. quod illa cognitio fuit per reuelationem: & ſermo ibi eſt de timore filiali, qui ſimul eſt cum gratia, & charitate; & deniquè talem habuerunt Apoſtoli poſt aduentū Spiritus ſancti, præciſè; & (vt dicit Soto vbi ſupra) aliqui etiam ſanctiſſimi viri, &c. vt D. Franciſcus, &c. itaq. dubium hoc procedit de lege ordinaria tantum.

B. V. D. Paul. Magd. Abraham, & Apoſtoli poſt aduentum Spiritus ſācti habuerunt certitudinem fidei eorum Gratiæ.

3 In quo peſſimè Lutherani errarūt, aſſerētes, vnumquemq. hominem certum eſſe, certitudine fidei veræ, & Catholicæ,

Error Lutheranorum.

se esse in gratia; Distingunt .n. duas fides, alteram, quam vocant, historialem, qua credimus historias Sacræ Scripturæ: alteram veram, & Catholicam; & secundũ hanc, dicunt, vnumquemque credere, se esse in gratia.

Fundamentum huius erroris.

4 Fundamentum huius erroris ex alio peiori desumitur, quo asserunt, sola fide hominem iustificari, de quo dictum est supra; Et ex hoc, per necessariam consequentiam deducunt, debere hominem fide credere se esse iustum: nam si, esse iustum, nil aliud est, quam, credere, remissa esse sibi peccata per Christum, & à nulla alia dispositione dependet: ergo quicumque est iustus debet credere, se esse talem, & qui id non credit non est iustus.

§. II.

Inuehitur contra hunc errorem Eccles.

5 HAEC tamen est apertehæresis, Et probatur primo ex Sacra Scriptura Eccles. 9. *nescit homo, V trum odio, vel amore dignus sit*; & ne fiat vis in verbo (*nescit*) asserendo, ibi esse sermonem de cognitione euidenti, qualis non est cognitio fidei; statim subditur: *Sed omnia in futurum seruantur incerta*; ac si diceret; ideo hominem nescire; an sit dignus odio, vel amore; quia de his non potest esse certitudo aliqua in præsenti vita.

obiectio.

6 Sed contra hoc testimoniũ, quod euidentissimum est, statim sese offert obiectio; nam, iuxta illud, etiam peccatores, qui euidenter cognoscunt, se commisisse aliquod peccatum mortale, nescirent; an essent digni odio; quod tamé, certitudine fidei, tenere debet: non ergo illius loci sensus est, quem nos prætendimus.

solutio.

7 Respondeo tamen; quod, vt ex contextu apparet, non est ibi sermo de hominibus omnibus, siuè iustis, siuè peccatoribus; sed solum de iustis; nam immediatè præmissa fuerant hæc verba: *Sunt iusti, atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, an odio, &c.* Ità vt sit sensus, licet sint multi iusti, tamen nullus eorum certus est de se ipso, an sit dignus odio, vel amore, iustus, vel iniustus.

Contra eundem errorẽ adducuntur alia loca Sacræ Scripturæ. Eccles.

8. Item Eccles. 5. *de propitiato peccato noli esse sinè metu* Iob. 9. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit; etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorauit anima mea.* Item 1. Corint. 4. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; sed neq; me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, vbi particula (*enim*) denotat causam, propter quam Paulus non audet, se ipsum iudicare: quia, scilicet, licet nullius peccati sibi conscius esset, non tamen ideo poterat sumere certum iudicium de sua iustificatione, &c. plura alia testimonia vide in Vega loc. cit. à c. 9. ad 12. D. Paul.

9 Contra etiam hanc hæresim, antiquitus inauditam, est Trid. sess. 6. cap. 9. in fine, & can. 13. & 14. Trident.

10 Vide etiam apud eundem Vega cap. 13. & Castr. loc. cit. multa sanctorum Patruum testimonia euidentissima.

Retorquentur contra Luteranos eorum met dicta.

11 Item possumus contra eosdem hereticos, propriis ipsorum dictis arguere: Luter. enim art. 35. apud Rophensem dicit; *neminem esse certum, se non semper mortaliter peccare.* Ex quo arguitur. Qui mortaliter peccat non est iustus, sed nullus potest esse certus, quod non peccet mortaliter; ergo neq; quod sit iustus.

12 Confirmatur, nam vt refert Soto lib. 3. de nat. & grat. c. 10. Lutherani dicunt; *nullum posse iustificari, nisi præuia pœnitentia*, licet hanc pœnitẽtiam multo aliter, quam Chatolici ponant; tunc sic: nullus potest esse certus quod fecerit pęnitentiam, quia neq; potest esse certus, quod non semper mortaliter peccauerit; ergo neque potest esse certus, quod sibi fuerint remissa peccata. Argumẽta huius hæresis adducam statim. Sot.

CAPVT II.

Sententia Ambrosij Catherini.

§. I.

Nota modũ explicandi suam sententiam. Cathar.

1 SEcunda sententia est Ambrosij Catherini, quam defendit in Concil. Tridentin. & de eadem edidit opusculum, cuius titulus est; *De certitudine Gratiæ*; & in explicatione decreti Concilij Tridentini supra citati. Hic ergo Author tenet; de lege ordinaria, posse hominem esse certum, certitudine fidei, quæ excludit omnem formidinem, de sua gratia: asserit

rit tamen, hanc fidem non esse Catholicam, sed esse fidem, quā ipse vocat, *particularium sententiarum*. Vt .n. constat ex materia de fide: duplex est fides. Alia Catholica, qua assentimur rebus fidei, propositis ab Ecclesia vniuersaliter, vt ab omnibus Christianis credantur; alia est particularis, qua assentimur reuelationibus, ad statum alicuius particularis personæ pertinentibus; vt si alicui fieret reuelatio de sua prædestinatione; & vtraq. fides est supernaturalis; vtraque innititur Diuinæ reuelationi; neutri potest subesse falsum. An verò sint distincti habitus? Ibi tractatur, sed negatiua pars probabilior, & verior existimatur. De hac ergo secunda fide est Catharini sententia.

Probat Catharin. suam sententiam ex Sacr. Script. D. Paul.

2 Et probatur multis testimonijs sacræ Scripturæ. Primum est Rom. 8. *Nō .n. accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater: ipse .n. spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*; quē locum maximè exagerat Catherin, nam illud testimonium Spiritus sancti est sufficientissimum ad certificandum certitudine fidei, quod simus filij Dei, & habeamus gratiam; sed Spiritus sanctus reddit hoc testimonium vnicuiq. iusto; ergo quilibet iustus potest esse certus certitudine fidei de sua gratia.

3 Huic simile est, quod habetur 1. Corint. 2. *Nos autem spiritum huiusmodi non accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*; sed gratia est vnum ex his, quæ à Deo nobis donantūr; ergo qui illam habet potest esse certus se esse in gratia.

4 Item 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; ergo propria conscientia præbet certissimum testimonium cuiliber iusto de sua innocentia: nam in testimonio fallibili, quæ gloria esse poterat?

5 Item 2. Corint. 13. *Vos met ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, an nō cognoscetis vos met ipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.*

Deut.

6 Et eandem Deuter. 13. dicit Moyses: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligatis eum*; quæ verba intelligēda sunt, sicut ea, quæ de Abraham supra attulimus; nam Deus non ignorabat, vtrum illi homines ipsum diligerent; sed tentat, vt ipsi sciant, quārum profecerint in dilectione Dei: quod, nisi, in tentationibus, non plenè ab omnibus cognoscitur, quæ ex positio est D. Augustini lib.

D. Aug.

83. quæstionum q. 60. plura alia loca adducit Vega à cap. 19. vsq. ad 32.

§. II.

Probatur 2. testimonijs Patrum. Dionys. Leo.

7 Secundò probatur eadem sententia testimonijs Patrū. Dionys. de Diuin. nom. c. 7. dicit, *Nouit pœnitus is, qui veritati coniunctus est, quā se benè se habeat, etiam si plures illum corripiant: porro nouit ipse se ipsum veraciter* Leo Papa ser. 2. Paschæ. *Discutient se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus vera examinatione dijudicent, vt si depositum aliquid in conscientijs suis de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent.*

Cyrill.

8 D. Cyrill. lib. 10. in Io. c. 3. in illa verba: *Ad Deum venimus, &c.* dicit, *Qui omni virtute mentem suam purgando apti iam ad maiora facti sunt, spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ipsis Deum videbunt.* D. Gregor. explicans illa verba Iob 12. *Verebar omnia opera mea, &c.* dicit: *Hic timor, si perseuerit, nō solum certitudinem præsentis gratia affert, verum etiam perseuerātia.* Alia vide in Vega, & Castro vbi supra, &c.

Greg.

In quibus differat sententia Catharin. ab errore Lutheran.

9 Nota tamen, quod sententia Catharini, & Lutheranorum error differunt. primò in fundamento; quoniam Lutherani deducūt certitudinem gratiæ ex eo, quod credunt, hominem fide iustificari. Catharinus verò non innititur tali fundamento. Secundò, quia Lutherani negant, esse aliquam veram, & Catholicam fidē, præter eam, qua creditur iustificatio. Huius tamen oppositum omninò tenet Catharin. & certe, in Tridentino ea principaliter intentione videtur diffinitum, *neminem posse esse certum de sua gratia*, quatenus ex illo fundamento Hæretico deducebatur, vt patet ex eo, quod Can. 13. dicitur, *Si quis dixerit, omni homini, ad remissionem peccatorum assequēdam, necessariam esse, vt credat certo, & absq. vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* In quo can. vt apparet in alijs, nūlla sit mentio de certitudine gratiæ ad illam anathematizandum; & cum Canones Conciliorum ad hoc ponantur; vt in illis oppositæ hæreses, contra quas in cōcilijs definitum est, damnentur; & ex illis colligitur intentio definitionum: videtur nonnullum argumentum esse ad asserendum, intentionem propriam Concilij nō fuisse definire incertitudinem gratiæ, atq.

Trident.

adeo apparet, sententiam Cather. non esse planè hęrethicam; vt quidam censent: Vnde Soto in Apologia cōtra ipsū, eius sententiam à sententia hæreticorū secernit.

CAPVT III.

Vera sententia contra Cather. probatur.

§. I.

Conclusio censura in sententiam Cathar. 1 SIT tamen conclusio. Sententia Catherini, quatenus asserit, *iustum esse certum de sua gratia certitudine fidei, quæ omnem excludit formidinem*, nullo modo debet sustineri; Est enim ad minus temeraria, & errori proxima. Hæc conclusio probatur primò argumentis, quæ fiunt contra Lutherum, quæ omnia ferè æquè militāt contra Cather.

Prima solutio Cathar. Conc. Trid. 2 Ex his omnibus, ad decretum Cōcilij, quo maximè sentiebat se præmi, multas adhibet solutiones. Prima est Concilium ibi tantum loqui contra hęrethicos asserentes, hominem solum fide iustificari, vt supra diximus.

Secunda 3 Secunda est, in illo decreto solum esse sermonem de Certitudine Fidei Catholicæ, quam ipse non ponit; non tamē de fide particulari; quod ex eo colligit: nam si loqueretur de fide particulari, debuisset facere exceptionem priuilegiatorum, quos, constat; fide particulari, esse

Tertia. certos de sua gratia: Tertio Respondet, vt refert Soto in Apol. cap. 4. se nō loqui de fide, cui non possit totaliter subesse falsum; sed de fide excludente omnem dubitationem: Et hanc habent iusti de sua gratia; testimonium illis perhibente Conscientia: sed huic fidei potest subesse falsum: quia est de re contingenti, .s. quod iste homo sit in gratia, vnde definitio Concilij non est contra ipsum.

§. II.

Impugnatur prima solutio, & secunda. 4 VErum omnes hæ solutiones sunt nullius momenti: tum prima, quia Concilium absolutè, & generaliter, & sinè vlla exceptione asser, quod *nullus scire valet, certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei fuisse consequutum*. Vbi neque de fide Catholica, neque de fundamento Lutheranorum fit sermo; licet in can. supra cit. fiat; & si hoc possit esse in causa, cur non sit heresis formaliter opinio Cather. non tamen notam erroris, & temeritatis poterit euitare Chater. Et ex hoc patet, secundam solutionem non valere.

5 Neque argumentum Cather. habet difficultatem: nam, vt benè Soto vbi supra, cum res esset certissima, quod ex priuilegio potest aliquis esse certus de sua gratia; nulla opus erat exceptione. Impugnatur 3. solutio

6 Neque tertia solutio est sufficiēs; nam cum dicit, quod *huic fidei potest subesse falsum, quia est de re contingenti*: vel intelligit, quod possit illi subesse falsum, absolutè; vel ex suppositione, in sensu composito; quatenus illa res contingens subsit testimonio, & reuelationi Diuinæ. Si primum, eadem ratione potuisset dicere, quod fidei Chatolicę potest subesse falsum; nam per illam fidem etiam creduntur nonnulla contingentia; vt quod Antichristus erit; & similia, quæ, in sensu diuiso, non repugnant esse falsa; si autem intelligat in sensu composito, falsissimum est quod ait; nam illud contingens, vt substat testimonio Diuino, impossibile est aliter se habere: non minus verax est testimonium Spiritus Sancti, peculiariter reuelantis alicui, se esse in gratia; quam reuelantis eredēda toti Ecclesiæ, &c. Vide quæ dici solent 2. 2. q. 1. art. 3. Præterea intelligi nequit, quomodo illa fides excludat omnem dubitationem, si nō excludit omnē falsitatem; nam hic non agimus de certitudine, quæ se tenet ex parte subiecti; hac enim certitudine, non negamus, aliquem posse esse certum de sua fide; quæ certitudo fundetur in propria immaginatione, qualem etiam certitudinem habent hęretici de suis erroribus, a quibus difficillimè possunt diuelli; sed agimus de certitudine ex parte obiecti, quę non potest excludere formidinem, nisi simul excludat falsitatem.

7 Tertiò probatur conclusio experientia: nullus homo est, qui, citrà priuilegium, audeat dicere, se esse certum de sua gratia: Et quantum existimo, neque ipsi hæretici id auderent; Vnde Chatharinus rogatus in Concilio, an certo sciret, se esse in gratia? obmutuisse fertur, neque ausum fuisse id affirmare. 3. probatur conclusio.

8 Quarto sequeretur, quod qui fecit diligentem discussionem suæ conscien- 4. probatur

ſcientiæ, teneretur credere, ſe eſſe in gratia; alioquin eſſet Hæreticus, vt patet.

Vlt. 9 Vltimo, nam ſi iuſti certò poſſunt cognoſcere, le eſſe in gratia de lege ordinaria; quorſum Deus id aliquibus ex priuilegio reuelat?

Reſponſio Catharin. ad hoc vltimum impugnatur. 10 Reſpõdet Cathar. id fieri, vt quod vno modo cognoſcunt, cognoſcãt etiam alia via. Sed contra, quia Deus nil facit ſuperfluum: ſi ergo iuſti id iam certiſſimè cognoſcunt; ſuperflua eſt talis reuelatio. Confirmatur, quoniam ex priuilegio eundem aſſenſum fidei particularis habẽt, quem de lege communi dicuntur habere; ergo ſuperfluus omninò eſſet, &c.

CAPVT IV.

Satisfit argumentis contrariæ ſententiæ.

§. I.

Nota pro ſolutione argumentorum. 1 PRo ſolutione argumentorum: not. non ſatis eſſe, vt quis habeat certitudinem fidei, cui nõ poſſit ſubeſſe falſum, quod credat propter teſtimonium Spiritus ſãcti, niſi etiam certo credat, illud teſtimonium eſſe ab ipſo, nam hoc eſt formaliter requiſitum ad fidem. Dupliciter .n. Spiritus ſanctus reuelat iuſto ſuam gratiam; vno modo per ſigna, & coniecturas; quales ſunt, contemptus rerum terrenarum; promptitudo, & facilitas in benè operando, & alia multa. Alio modo, certificãdo intellectum, ſe eſſe, qui perhibet teſtimonium illius veritatis, faciendo per ſe ipſum, quod modo facit per Eccleſiã. Primus modus non eſt ſufficiens ad generandam fidem Diuinam; ſed tantum opinionem; & quilibet homo prudens debet eſſe formidoloſus, tàm de teſtificante, quàm de re atteſtata; quia ſæpè Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Neque obſtat, quod à parte rei ille aſſenſus non poſſit eſſe falſus; nam formaliter, & ex modo tendendi eſt aſſenſus fallibilis fidei humanæ: nam ille formaliter non credit propter teſtimonium Spiritus ſancti, ſed propter ſuam imaginationẽ, qua ſibi perſuadet, illud teſtimonium eſſe à Spiritu ſancto. Exemplum eſt accommodatum, quod adducit Soto in Apol. c. 2. ad finem. Philoſophi diſputant probabiliter in vtramquè partem, vtrum quantitas diſtinguatur realiter à re quanta? & quidam tenẽt partem affirmatiuam, quidam negatiuam; & tamen altera pars illius contradictionis, quæ eſt vera, eſt neceſſaria; nam illa propoſitio non eſt in materia contingenti: illi ergo, qui tenent partem, quæ vera eſt, habent aſſenſum, cui à parte rei non poteſt ſubeſſe falſum; & tamen formaliter eſt aſſenſus opinatiuus, & fallibilis, quantum eſt de ſe; ſic ergo in propoſito.

2 Vndè ad primum ex D. Paulo Reſpondeo, verum eſſe, ex illo colligi, Spiritum ſanctum reddere iuſtis aliquale teſtimonium, quod ſint in gratia; & hoc eſſe de lege ordinaria; tamen nullus eſt, qui certos faciat iuſtos, illud teſtimoniũ eſſe à Spiritu ſancto, & ex conſequenti, nullus poteſt certo cognoſcere ſuam gratiam. Ad 1. teſtimonium ex D. Paul.

3 Dices, certos illos facit D. Paul. aſſerendo, Spiritum ſanctum reddere teſtimonium. Reſpondeo, verum eſſe in communi; ſed tamen non determinat D. Paul. an hoc teſtimonium quod hic, & nũc datur huic iuſto ſit à Spiritu ſancto: vnde ſemper debet iuſtus cum timore, & tremore ſuam ſalutem operari; maximè cũ ex alia parte dicat D. Io. in 1. Canon. c. 4. *Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, vtrum ex Deo ſint*: ita hunc locum interpretatur Soto in Apol. c. 2. & Vega c. 19. vbi plura ad eius explicationem adducit. Obiectio. Solutio. D. Io. Soto Vega.

4 Ad aliud ex 1. Corinth. 2. Reſpondet D. Th. ar. 5. cit. ad 4. nõ loqui Paulum de omnibus iuſtis generaliter, ſed de ſe, & alijs Apoſtolis, quibus ex ſpeciali priuilegio conceſſum eſt, noſſe ea, quæ ſibi à Deo donata ſunt. Ad aliud Paul. ſolutio D. Th.

5 Aliter Reſpõdet Caſtro vbi ſupra, quod ibi non eſt ſermo de donis, alicui homini ſpiritualiter collatis; ſed de his, quæ data ſunt toti generi humano: nam ſtatim ſubditur, *quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus*; at Paulus, & Apoſtoli non prædicabant propriam alicuius hominis iuſtificationem, aut peculiaria dona, ſed communia omnibus hominibus. Solutio Caſtro ad idem.

6 Tertio dico ad hoc, & ad ſequentia teſtimonia, poſſe interpretari de ſcientia, & Certitudine morali, de qua infra. 3. ſolutio.

7 Ad aliud ſecundæ Cor. 1. Reſpondeo, quod cum quis nullum habet remorſum conſcientiæ; ſed habet Certitudinem moralem de ſua gratia, ſufficiens teſtimonium habere vt poſſit, non inaniter Ad aliud Paul.

tet gloriari; iuxtà illud Poetæ; *hic murus esto, &c.* vsque ad, *nulla pallescere culpa, &c.* Vndè D. Chrisostomus hom. 3. in 2. ad corint. dicit; *quando damnare non potest nos conscientia nostra, quasi factis improbis à recto deciferimus, etiam si innumera patiamur acerba, sufficit nobis ad solatium.*

Chrisost.

Ad aliud eiusdem Paul.

8 Ad aliud 2. Cotint. 13. Respondetur, sermonem esse de certitudine morali; & si est sermo de certitudine fidei, est conditionalis, vt patet ex illis verbis, *nisi forte reprobi estis*, .i. nisi estis in peccato; vt sit sensus; an non cognoscitis, quod Christus in vobis est? nisi forte in peccato sitis, &c.

Ad illud Deuter. Vega

9 Ad vltimum ex Deuter. Respondeo cum Vega c. 31. quod illud verbum (*sciat*) non debet interpretari (*vt sciret vos faciat*:) sed loquitur ibi Moyses de Deo, more humano; nam homines ità loquuntur, cum experimento cognoscere volunt; an aliquis ipsos diligat. Secundo dico, admittendo prædictam expositionem, quia est Augustini, quod ibi non est sermo de certitudine reuelationis Diuinæ; nam per hoc, quod Deus filios Israel rentauerit, nullam fecit illis reuelationem de sua gratia; sed tantum est sermo de scientia morali, &c. Denique pro his, & alijs testimonijs videte Veg. & Castro locis cit. & Soto lib. 3. de nat. & gratia cap. 13. &c.

§. II.

Ad D. Dionis.

10 AD primũ testimonium D. Dionis. Respondet D. Th. in expositione illius Capitis, non loqui de certitudine, qua fideles, quia Gentilibus deridentur, quasi amentes, & extra se facti, cognoscunt Religionem, quam tenent, & viam, quam sequuntur esse veram viã vitę, &c.

11 Ad aliud Leonis Papæ; Dico, loqui de certitudine morali, quæ ex propriæ conscientiæ examinatione potest prouenire. Ad D. Leon.

12 Ad Cyril. Respondeo, non loqui generaliter de omnibus iustis, sed de aliquibus perfectissimis, qui ex Benignitate Dei, non de lege ordinaria, vident se esse in gratia. Ad D. Cyril.

13 Denique ad D. Gregor. Respondeo, sensum illius esse, quod si ille timor perseueret in iustis vsque ad finem vitæ, perducet illos in Beatitudinem, vbi de sua gratia, & perseuerantia certissimi erunt. Videte Med. loc. cit. Vbi tres adhibet solutiones, quibus, in genere, omnibus sanctorum Patrum testimonijs potest abundè satis fieri. Ad D. Greg.

14 Loquti sumus vsq; modo de certitudine per reuelationem, & testimonium Diuinum, absolutè, & simpliciter: Ast non minor difficultas est de certitudine gratiæ, etiam supernaturali; non tamen per reuelationem, sed per sciẽtiam Theologicam; Et sic instituitur sequens cõtrouersia, huic etiam dubbitationi annexa, nam de reliquis dubitationibus, his absolutis, pauca dicam.

DISPVTATIO SECVNDA.

An possit saltem homo habere de sua Gratia certitudinem Scientiæ Theologicæ?

CAPVT PRIMVM.

Sententia Chatherini.

Dupliciter scientia, cum euidentia, & sine euidentia.



1 SVpponendum est pro titulo, duplicem esse scientiam; vel cum euidentia, vt est scientia naturalis; vel sine euidentia, & talis est scientia Theologica, cuius cõclusio deducitur, vel ex duabus præmissis de fide; vel ex vna de fide, & altera euidenter lumine naturali cognita: de priori scientia erit sermo infra.

ſtra c. vlt. de poſteriori eſt in præſenti.

Probatur 1. ſententia Catharini. Io. Bacon. 2 In qua difficultate Cathatinus vbi ſupra partem tenet affirmatiuam, quam nonnulli ſequuti ſunt; & pro eadem ſententia, ex antiquis refertur Ioannes Baconius in 1. diſt. 17. q. 1. probatur autem primo. Homo poteſt naturaliter cognoſcere certo, & euidenter, ſe habere actum contritionis; & ex alia parte, de fide eſt, quod contritio eſt vltima diſpoſitio ad gratiam: ergo poteſt habere certitudinẽ Theologicam, quod ſit in gratia; conſequentia patet, nam illa certitudo procedit ex vna præmiſſa euidenter cognita lumine naturali, & alia de fide. Quod de fide ſit, contritionem eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam; etiam certiſſimum eſt ex ſeſſ. 6. Tridẽt. probatur modo, quoad primam partẽ, antecedens; quia actus contritionis, & dilectionis ſupernaturalis cadunt ſub præcepto; ſed homo poteſt euidenter cognoſcere, ſe adimpleuiſſe tale præceptum: ergo poteſt euidenter cognoſcere, ſe habere actum contritionis; min. probatur: alioquin homo nunquam poſſet eſſe ſecurus de adimpletione præceptorum.

Conf. 3 Confirmatur: quilibet poteſt euidenter cognoſcere, ſe habere actum fidei ſupernaturalis; ergo & poterit cognoſcere, ſe habere actum contritionis; conſequentia patet ex paritate rationis; antecedens verò probatur, quia quilibet experitur, & euidenter cognoſcit, ſe certius aſſentiri huic propoſitioni. *Deus eſt Trinus, & vnus*; quam cuilibet principio naturali, etiam per ſe noto; ergo euidenter cognoſcit, ſe habere certitudinem, quæ ſuperet omnem certitudinem naturalẽ; & ex conſequenti, habere certitudinem ſupernaturalem.

2. probatur. 4 Secundò: homo poteſt eſſe certus certitudine Theologica, quod alius ſit in gratia: ergo eãdem certitudinem poterit habere de ſe ipſo: conſequentia videtur legitima: & antecedens probatur, vulgato illo exemplo de Sacerdote baptizante puerum, cum debita forma, & materia; atq. intentione faciendi quod facit Eccleſia; nam de his omnibus poteſt eſſe certiſſimus; & tunc facere hunc ſyllogiſmum. De fide eſt, quod legitimè baptizatus, ſi non ponat obicem, recipiet gratiã; ſed hic puer eſt legitimè baptizatus, & non poſuit obicem; ergo eſt in gratia; minorem euidenter cognoſcit, & maior eſt de fide; ergo de cõcluſione habet certitudinem Theologicam.

5 Tertiò: certum eſt ex Cõcilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. quod Sacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum; ſed poteſt quis eſſe certus, quod accedat attritus ad Sacramentum Pœnitentiæ; alioquin quilibet dubitaret, vtrum accedendo ad tale Sacramentum committeret nouum ſacrilegium? & ex conſequenti, peccaret, accedendo cum tali dubitatione; ergo, poſt abſolutionem, poteſt hic homo eſſe certiſſimus, quod ſit in gratia: idem argumentum fit de adulto, accedẽte ad Baptiſmum ſine obice. 3. probatur. Trident.

6 Quartò: de fide eſt, quod ſubſtinẽs mortẽ pro Chriſto adipiſcitur gratiam: ex illo, *maiorem charitatem nemo habet, &c.* ſed homo poteſt euidenter cognoſcere, ſe oppetere mortem pro Chriſto: ergo poteſt eſſe certus de ſua gratia: minor probatur, quoniã homo certius cognoſcit ſuas cogitationes, & affectus; quã Eccleſia; ſed hæc eſt certa, quod aliquis ſubſtinuit mortem pro Chriſto; vnde illũ refert inter Sanctos Martyres; ergo multo certior poterit ipſe eſſe, qui talem mortem ſubſtinuit. 4. probatur.

7 Quintò: *facienti quod in ſe eſt*, ſaltẽ ex auxilio gratiæ, *Deus infallibiliter confert gratiam*; vt diximus; ſed homo poteſt euidẽter cognoſcere, ſe feciſſe quod in ſe erat; ergo poteſt infallibiliter cognoſcere, ſe habere gratiam. 5. probatur.

8 Neq. valet dicere, argumentum cõuincere de collatione maioris auxilij; non tamen de collatione gratiæ habitualis, adhuc facienti quod in ſe eſt, mediante auxilio; nam contra hoc eſt; quia tàm incognitæ ſunt cauſæ ſpecialis auxilij, quam gratię iuſtificationis; ergo ſi homo poteſt eſſe certus de auxilio, poterit etiã eſſe certus de gratia habituali. Occurritur cuidam effugio.

9 Vltimo arguit Catharinus ex Cõcilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 26. vbi habetur, *Si quis dixerit, iuſtum, pro bonis operibus, quæ in Deum fuerint facta, non debere expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo, &c anathema ſit.* Ex qua definitione ſic arguitur. Iuſti tenentur ſperare æternam retributionem pro operibus meritorijs à ſe factis, ergo poſſunt cognoſcere, ſe eſſe iuſtos, & feciſſe opera meritoria, quæ nullus facit, niſi ſit in gratia: probatur conſequentia: alioquin nullus teneretur ad hoc præceptum, quod tantum reſpicit iuſtos. 6. probatur. Trident.

CAP.

CAPVT II.

Vera sententia.

§. I.

1 OPpositam sententiam tenent omnes ferè Theologi, tàm antiquiores, quàm recētiores vtriusq. Scholæ; & licet Gab. citet pro contraria sententia Scotū: tamen Vega c.15. optimè colligit multa loca Scoti pro hac opinione veriori: videantur Authores citati apud Vegam, & alios moderniores; Vnde sit prima conclusio: Nullus potest esse certus de sua gratiā certitudine Theologica, aut quauis alia, cui non possit subesse falsū; Hæc conclusio est adeo certa, vt opposita censeatur temeraria; quia finè sufficienti fundamento in re graui se opponit communi Theologorum sententiæ; & probatur facilè testimonijs omnibus contra Lutherum, & Catherinum supra adductis; Et maximè illo Concilio, quo dicitur, nullum posse habere de sua gratia certitudinem, cui non possit subesse falsum: talis autem est certitudo Theologica, ergo non potest haberi, &c.

2 Secundo probatur ex Innocentio III. in c. vnico de Purgatione Canonica, vbi dicit; *fuisse temerarium iuramentum cuiusdam Episcopi, qui iurauit, se esse immunem à quodam peccato, quod sibi opponebatur*; fretus in eo, quod iam illud cōfessus fuerat, & fecerat pœnitētiam; ergo supponit Innocent. neminem esse posse certum, quod sibi fuerint remissa peccata; alioquin non temerè iurasset Episcopus. — 2. probatur. Innocen. 3.

3 Respondet Cathar. Innoc. ibi loquutum fuisse, vt particularem Doctorem; Communis est solutio. Tamen effugere Catherinus non potest, quin authoritas Innocentij, quæ grauissima est, contra ipsum sit; & in fauorem sententiæ nostræ Hæc conclusio statim amplius paulò infrà probabitur. — Respondet Cathar. Impugnatur.

§. II.

4 SEd queres: Vtrum, supposito, quod certitudo gratiæ non possit esse infallibilis; saltem possit esse talis, quæ excludat omnem formidinē? not. quod hæc formidinis exclusio potest prouenire, vel ex parte subiecti; ex eo .s. quod credens ità firmiter adhæret vniparti, vt oppositæ nullum prorsus timorem habeat; vel ex parte obiecti, .s. quia obiectum est tale, vt possit in illo fundari assensus, sine vlla formidine; & ad hoc non est necessarium, quod ipsum obiectum sit euidens naturaliter; sed sufficit euidētia, vel certitudo moralis, quæ desumitur ex communi virorum prudentium existimatione, iudicantium illud obiectum, sic proportionatum, non posse aliter se habere: vt, licet non sit mihi notū, euidentia naturali, Flandriam esse; quin potius, quantum est ex modo tendendi, nulla est implicatio, quod talis assensus possit esse fallibilis; tamen obiectum est aptum fundare cognitionem, quæ omnem excludat timorem oppositæ partis; Et nota, quod assensus huius, *ego sum in gratia*; non potest superare certitudinem præmissæ cognitæ lumine naturali; sed potest habere æqualem; Vnde, si præter propositionem de fide, cui innititur ille discursus, alia præmissa fuerit taliter cognita, quod excludat omnem formidinem ex parte obiecti; Idem poterit contingere in conclusione, &c. — Petitio. An possit esse certitudo quę excludat omnem formidinē ? no ta pro respōsione.

5 In hoc ergo dubio, certum est, ex parte subiecti posse reperiri talem certitudinem, nam vt Arist. 7. Ethic. c. 3. optimè dicit; *nonnulli non minus sua opinioni credunt, quam alij sua sententia*, solet prouenire ex naturali complexione, secundum quam quidam sunt naturaliter creduli, & confidentes, sicut alij meticulosi. — Ex parte subiecti potest dari talis certitudo. Arist.

§. III.

6 SOlum ergo est difficultas ex parte obiecti; in qua Vega c. 46. & 47. multis contendit, haberi posse talē certitudinē, quę sentētia est probabilis, & pōt suaderi testimonijs Sacræ Scripturæ pro Cather. supra adductis; & argumentis modo factis, quæ saltim hanc moralem certitudinem suadere videntur. Eandem sententiam tenet Castr. Decan. art. 9. & Soto in Apolog. — An ex parte obiecti, quid sentiat Vega. Castro. Decan. Soto.

7 Sit tamen secunda conclusio; nullus potest esse certus de sua gratia, certitudine morali, excludente omnem formidinem oppositæ partis: hæc conclusio eligitur tanquam securior; & eam tenent omnes recentiores post Medinam art. 5. concl. 5. Probatur autem ex Conc. Trid. cap. illo 9. vbi dicitur. *Quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indi-* — 2. conclusio. Triden.

indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; ergo supponit Concilium, neminem habere tãtam certitudinem de sua gratia, quæ omnem timorem excludat; alioquin nõ posset formidare.

8 Et confirmatur ratione in his verbis tacta: hæc certitudo gratiæ nõ potest esse maior, quàm illa, quæ habetur propriæ dispositionis; sed nemo potest esse certus, absquè omni formidine, quod habeat sufficientem dispositionem ad gratiam, vt dicam in solutionibus argumentorum: ergo neque potest esse certus, hoc modo, de sua gratia: maior probatur, quoniam, vt supra diximus, æqualem certitudinem, & non maiorem potest habere homo de sua gratia; quam habet de præmissa naturaliter cognita, &c.

9 Item probatur ex Scriptura sacra, in qua non solum negatur certitudo gratiæ; sed asseritur, & commendatur incertitudo; vt Ecclesiastici 5. *Noli esse sine metu*; & c. 9. *nescit homo, &c.* Prouerb. 28. *Beatus homo, qui sẽper est pauidus.* Iob 9. *Verebar omnia opera mea.* Et tandem: quia alioquin posset homo sine præsumptione, & temeritate asserere, se esse in gratia; immò id iurare; quod tamen inauditum est.

Ecclesiast. Prouerb. Iob.

§. IV.

Obiectio ex D. Io. Solutio ex Aug.

10 Sed objicies illud 1. Io. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Respõdeo ex Augustino tract. 9. in Epist. Io. tom. 9. & in soliloq. c. 19. eodẽ tõm. quod perfecta charitas foras mittit timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non diuini iudicij. Vel secundò dico ex eodem Augustino cócione 25. in Ps. 118. to. 8. & ex D. Tho. & Lyran. quod *perfecta charitas mittit foras timorem* seruilem, in quãtum seruilis est, non filialem; nam *Timor Domini sãctus permanet in sæculum sæculi.* Ps. 18.

D. Th. Lyran.

2. obiectio.

11 Objicies secundò: quia homo nullam habet formidinem, quod fuerit baptizatus; vel quod sit Sacerdos; tametsi non habeat euidentiam de intentione conferentis illa sacramẽta; ergo similiter poterit homo, accedens cum attritione cognita, ad Sacramentum Penitentiæ esse certus de sua gratia, absquè formidine, licet possit dubitare de intentione absoluentis.

Solutio quorundam.

12 Ad hoc quidam Respondẽt, quod in aliquibus casibus iustus potest habere tantam certitudinem de sua gratia, quãtam communiter habet Christiani, quod sint baptizati; vel quod sint Sacerdotes, qui se videntur ordinari ab Episcopo: dicunt tamen, hos non posse habere certitudinem, quæ omnem formidinẽ excludat; propter rationem in argumento positam.

Impugnatur

13 Sed mihi hoc videtur falsum; nullus. n. prudens vnquam dubitauerit, quod non esset baptizatus, vel Sacerdos, solum ex defectu intentionis ministri; neq. iudicat esse dubitãdum; quinimò in capitulo. *Veniens. De Presbytero non baptizato*, dicitur, quod is, qui inter Christianos fuit educatus, & fideliter conuersatus, tam violenter præsumitur fuisse baptizatus, vt illa præsumptio habenda sit pro certitudine, nisi contrarium euidẽtissimis argumentis probetur.


Vera solutio.

14 Respondeo ergo ad argumẽtum, non esse parem rationem de gratia; nam ad hanc non solum concurrit intẽtio ministri, sed etiam dispositio in recipiente Sacramentum, quam nullus exactè cognoscere potest; quæ non requiritur ad solum suscipiendum Sacramentum: sed solum voluntas suscipiendi, quæ facilis est cognitu.

3. obiectio.

15 Tertiò objicies: qui accedit ad Sacramentum Eucharistiæ tenetur, vel esse contritus de facto; vel saltem certo credere, se esse contritum; & si accedat cum dubitatione suæ dispositionis, peccabit mortaliter; ergo potest homo esse certus de sua contritione, & de sua gratia; alioquin non poterit accedere ad Sacramentum. Respondeo, non esse necessarium, ad dignè suscipiendam Eucharistiam, vt quis habeat certitudinẽ sine aliqua formidine de sua cõtritione; si. n. rogaremus ipsos, qui hoc argumentum faciunt. Vtrũ certò scirent, se esse contritos? non auderent affirmare; & tamen non credent, se peccare mortaliter quotiescunquè illud Sacramentum suscipiunt; solum ergo tenentur probabiliter credere, se esse contritos; eo quod apposuerint eam diligentiam, quæ humano iudicio censetur sufficiens; licet adsit aliqua formido.

Solutio.



CAPVT III.

Satisfit rationibus contrariæ sententiæ.

§. I.

Ad 1. Cathar. nemo potest euidenter cognoscere se habere dispositiones necessarias ad Gratiã; neq. moraliter, sine aliqua formidine.

Iob. Hierem. Dau. D. Gregor.

1 Restat modo satisfacere argumentis positis in principio huius disputationis. Et primò ad primum neg. posse quemquam cognoscere euidenter, se habere dispositiones necessarias ad iustificationem; immò neq. moraliter, sine formidine alterius partis; quod quidem & authoritate, & ratione probatur ex illo Iob cit. *Verebar omnia opera mea*, & Hierem. 17. *Prauum, & inscrutabile est cor hominis.* Ps. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis, &c.* Item D. Gregor. p. 1. pastor. c. 9. dicit, *Mens humana sæpè sibi mētitur, & fingit de malo opere, non amare quod amat; & de bono, amare, quod non amat.*

2 Ratione verò; quia actus naturales sũt multum similes supernaturalibus; vnde potest homo suspicari, se diligere Deum ex motiuo supernaturali; & actu illius ordinis; qui, tamen, naturaliter diligit. Item illud propositum efficax, quod est necessarium ad veram dilectionem Dei, & contritionem, nullus potest certò cognoscere; cum n. occasiones peccandi sint tam vehementes; & homo sua cogitatione non possit eas fingere, quales ipsę sunt, non potest sufficienter cognoscere, quàm efficax propositum habeat.

3 Ad probat. autem Respondetur, quod eadem difficultas est de adimpletione omnium præceptorum; nullus n. potest certò scire, se adimpleuisse omnia præcepta; ita vt, neq. ex ignorantia culpabili, negligẽtia, aut omissione aliquod nõ fregerit; & multò minus id potest scire de præceptis dilectionis Dei, & contritionis, propter rationes dictas; potest tamen hæc omnia ita probabiliter cognoscere; vt satis sit ad depellendam anxietatem; postquam n. adhibuit humanam diligentiam, reliqua committere debet misericordiæ Diuinæ.

§. II.

An possit qd esse certus de sua fide.

4 Confirmatio petit specialem difficultatẽ de actu fidei; an aliquis possit esse certus, quod habeat fidem infusam? De qua agit D. Th. ar. cit. ad 2. In qua re breuiter suppono vnum, in quo omnes conueniunt, s. quod loquendo de actibus intellectus, & voluntatis, quilibet euidenter cognoscit, in genere, se illos habere; nam qui credit, euidenter cognoscit, se credere; vtrum autem hæc fides sit supernaturalis? hæc est difficultas.

5 In qua est sententia, quæ docet, quemlibet Christianum, certitudine infallibili, cognoscere ex se ipso, quod credat fide infusa. Hanc sententiam tenet Caiet. art. illo 5. cit. Soto in Apolog. contra Cathar. c. 5. Bannes 2. 2. q. 6. art. 2. dubit. 2. Medina art. 5. quæstionis 112. cit. & hi Authores citant pro se D. Th. ad 2. vbi supra, vbi dicit, quod quicunquè habet scientiam, vel fidem, certus est se habere illas: & addit rationem; quia de ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem; ex qua deducunt prædicti Authores primum argumẽtum pro sua sententia. 1. sententia. Caiet. Soto. Bannes. Med. D. Th.

6 Nemo potest dubitare de veritate sui assensus, quin simul dubitet de veritate obiecti; sed de ratione fidei est, quod homo non dubitet de veritate obiecti; ergo de ratione eiusdem fidei est, quod non dubitet de veritate sui assensus; minor cum consequentia patet; maior probatur, nam ab eo, quod res est, vel non est, assensus dicitur verus, vel falsus; si ergo homo certitudine fidei certus est, ita esse à parte rei, quod *Deus est Trinus, & vnus*; eadem certitudine tenere debet, quod assensus, quo assentitur illi propositioni, est verus. Prob. hęc sentẽtia.

7 Confirmatur, quia si Christianus nõ est certus certitudine infallibili, quod habeat assensum fidei supernaturalis; sequitur, quod possit dubitare, an suus assẽsus sit fallax; hoc autem est falsum, nam fidelis est certus, quod à parte rei, Deus est Trinus, & vnus; sed hanc certitudinem nihil potest præstare, nisi testimonium Spiritus sancti: ergo est certus, quod credit propter illud testimonium; & ex consequenti, quod habet fidem infusam. Conf.

8 Secundò: quicunq. Christianus est paratus negare omnem euidentiam naturalem, antequam discedat à fide: ergo est certissimus, quod assensus, quem habet, superat omnem certitudinem naturæ; ergo quòd est fidei supernaturalis: prima consequentia probatur; quia si non esset certus infallibiliter, quod habet talem assensum; nulla esset ratio, propter 2. prob.

quam,

quam negaret naturales euidentias.

Iuxtà hanc Sententiam Responsio ad cõt. Cather.

9 Quo supposito, ad argumentum dicunt, etiam benè, non esse parem rationem de actu fidei, & de actu charitatis, siuè contritionis, quia ille est lumen supernaturale, & non solum alia, sed se ipsum manifestat; id, quod non habent cæteri actus.

Petitio, An hęc certitudo pertineat ad fidem. Responsio authorum huius sentētię.

10 Sed restat ab his authoribus inquirendum, an hæc certitudo, quam habemus de actu fidei pertineat ad ipsam fidem, nec ne? Ca.et.Sot. & Medina Respondent, esse certitudinem fidei, & haberi per actum reflexum, quo credens se credit credere. Bannes dicit esse certitudinem Theologicam, quæ colligitur per discursum, hoc modo videlicet. Omnis, qui certissimè credit quæcumque ab Ecclesia proponuntur, habet fidem infusam; sed Ego credo hoc modo; ergo credo fide infusa: maior est de fide; & minor cognita lumine naturali.

§. III.

Impugnatur hęc sententia.

11 Sed primus modus habet difficultatem: nam fides non inclinat ad assentiendum nisi, his, quæ sunt proposita per Ecclesiam; vel à Deo immediatè sunt reuelata; ità vt constet certò de reuelatione; sed, *me credere* non est articulus fidei, propositus ab Ecclesia, neque peculiariter à Deo reuelatus; ergo fides non inclinat ad illum.

12 Secundus etiam modus non satisfacit: tum ex parte maioris illius syllogismi; quia non est de fide; potest enim quis credere omnia, quæ sunt proposita ab Ecclesia, tanta certitudine, ex parte subiecti, vt si necesse sit, mortem pro illis appetat; & tamen non credere fide infusa; quia hęreticus tantam habet firmitatem in suis erroribus sinè illa: Præterea, ex parte minoris; quia ego non certo, & infallibiliter iudico, me talem assensum habere; nam, si standum est experientiæ; illa est fallax in iudicando de specie actuum internorum; ergo talis certitudo non potest esse infallibilis.

Verę sententię Primum dictum.

13 Quarè mihi videtur dicendum primo, neminem teneri credere infallibiliter, se habere fidem supernaturalem; Patet; quia nulli est propositum tale pręceptum. Dicendum secundo: assensu libero, & reflexo nullus potest infallibiliter cognoscere suam fidem supernaturalem. Probatur, quià nullum est medium certum, & infallibile, in quo possit fundare talem cognitionem, vt ex modo dictis constat; & ex alijs multis rationibus, quas ponit Vega vbi supra c.36.

secundum.

Vega. tertium.

14 Dico tertio: assensu indirecto, & necessario quilibet Christianus est certus infallibiliter de sua fide supernaturali; Pro quo dicto, nota ex D.Th. q.1. de Veritate art.9. & lib.3. de anima lect.2. quod quælibet potentia cognoscitiua, eodē actu, quo directè, & per propriam speciem cognoscit suum obiectum, indirectè percipit, se cognoscere illud; quā doctrinam D. Tho. Ibi colligit ex Arist. & explicat exemplo visus; not. tamen quod non dicimus, potentiam visiuam alio actu reflecti supra suum actum; nam sensus externi non habent actum reflexum: sed eodem actu; qui indirectus dicitur à D.Th. & hic actus est necessarius ex suppositione cognitionis directæ: Igitur in proposito, qui credit fide supernaturali; eodem actu, & eadem certitudine, indirectè percipit, se tali fide credere; sicut qui habet scientiam alicuius conclusionis, indirectè, per eundem actum, scit se scire. D. Th.

15 Dico quarto, etiam loquendo de actu reflexo, & libero, potest homo magis certus esse de sua fide, quam de gratia: hoc patet ex supradictis; Item quia fides est lumen quoddam supernaturale, & manifestat se ipsum; quod non habet gratia. Præterea: quia ad fidem pauciora requiruntur ex parte dispositionis, quā ad gratiam. quartum.

§. IV.

16 Pro solutione argumētorum, quatenus faciunt contra secundam conclusionem, facilè Respondet Bann. dub.2. cit. Verum omnia probant tertiū nostrum dictum. Bannes.

17 Ad secundum principale; Scot. in 4.dist.5. loco supra cit. dicit, nullum posse esse certum de aliena gratia, & multo minus, quam de propria. Sed oppositum est probabilius, saltem loquendo de certitudine morali; Quarè concesso antecedenti; negatur consequentia, & paritas rationis, propter rationem dictam; quia in casu argumenti, non est necessarium cognoscere dispositionem aliquam liberam, & supernaturalem in puero baptizato: sed solū difficultas est in eo, quod minister cognoscat, se habuisse legitimā intētionem, & protulisse verba, quæ omnia sunt cognitu facilia. Ad secundū principale Scoti solutio non placet. vera solutio.


Ad 3. 18 Ad tertium, respondetur vniuersaliter, nullum posse esse certum, certitudine morali, se habere sufficientem dispositionem ad aliquod Sacramentum recipiendum: quod indè probatur, nam minima, & facilior dispositio est illa, quæ requiritur in adultis ad recipiendam gratiam baptismi:& tamen hanc non potest certo cognoscere, ergo, &c. Minor probatur, quia vt habetur in Tridentino sess. 6. c. 6. ad recipiendam Baptismi gratiam, requiritur, quod homo proponat efficaciter inchoare nouam vitam, & seruare Diuina mandata; & quod non habeat complacētiam aliquam, neq. formalem, neq. actualem alicuius peccati; quæ omnia nō potest homo ita certo cognoscere de se ipso, vt nullam habeat formidinem. Item quia positum est in opinione; quæ, & qualis dispositio sit necessaria ad Baptismum, nam aliqui dicunt, requiri contritionem; alij attritionem; alij sufficere, non ponere obicem; quæ omnia certam cognitionem requirunt dispositionis requisitæ.

Ad 4. 19 Ad quartum de Martyrio, Respōdetur primò, etiam si demus, martyrium conferre gratiam ex opere operato; tamen est in opinione, quando perficiatur martyrium? an de eius Essentia sit mors? vt videtur tenere D.Th. vel non; & si primum sit verum; sequitur, quod homo, dū adhuc viuit, non possit hac ratione esse certus de sua gratia; & etiam si mors non sit de necessitate martyrij, saltem de dispositione, quæ requiritur, vt cōferat gratiam, est magna controuersia; in qua illud videtur certū, quod ad minus requiritur tanta dispositio, quanta ad baptismum.

20 Deniq. dico, non posse hominem certò scire, se legitimè pro Deo mortem oppetere. Et ad replicam, nego, quod homo certius cognoscat suam dispositionē, & veritatem martyrij, quam Ecclesia; nā hæc in canonizatione Sanctorum habet assistētiam Spiritus sancti; vnde falli nullo modo potest; & homo in cognitione suorum actuum nititur iudicio fallibili.

Ad 5. 21 Ad quintum (quicquid alij dicāt) Respondeo, disparem omninò esse rationem de auxilio, ac de gratia habituali; homo. n. certus esse potest, certitudine infallibili morali, se habere auxilium gratiæ Diuinæ, non autem certus esse potest de gratia habituali. Ratio autem disparitatis est: nam (iuxta ea, quæ supra diximus quodl. 6.) homo nō potest, proprijs viribus, efficere aliquod bonum morale, quantumuis minimum, sine auxilio gratiæ: cumquè moraliter possit cognoscere certo, dum v.g. dat eleemosynam: vel recitat Diuinum officium: vel ieiunat: vel quid aliud simile faciat, se id ex bono fine, & bona intentione facere: & aliundè, etiam certò scire, se sine Diuino auxilio minimè posse: & ex hoc colligit certò, se esse à tali Diuino auxilio adiutum. De gratia vero habituali non est eadem ratio: nam cum requiratur certa dispositio ex parte illam recipientis, de qua nemo potest esse certus, eo modo, quo supra diximus: sequitur, quod nemo poterit de ipsa gratia certus esse. Præter quā quod, ad illam propositionem *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*: & si intelligatur de faciente quod in se est, ex auxilio: & de collatione gratiæ habitualis; adhuc nemo potest esse certus, an faciat omne id, quod in se est, & an operetur secundum quod excitatur ad operandum ab auxilio, quod sibi præstat Deus. Hinc est, quod supra annuimus, Tridentinum, sacram Scripturam, & Patres non loqui de certitudine auxilij, sed de certitudine illius gratiæ, quæ facit nos dignos amore Dei, & obiectum congruum Diuinæ dilectionis, iuxta illud *Nescit homo, an odio, vel amore, &c.*

22 Ad vltimum tandem Respondeo, Ad vlt. falsum esse, quod in illo loco Concilij imponatur iustis aliquod præceptum, quod non sit etiam impositum peccatoribus; nam præceptū spei omnes vniuersaliter comprehendit. Respondeo ergo, ex eo, quod isti sperare debeant, non rectè colligi, posse cognoscere suam gratiam, aut opera meritoria; nam certitudo spei non fundatur præcisè in meis operibus; sed in firmitate Diuinę promissionis, qua promisit vitam æternam benè operantibus; & nulli denegat auxilia necessaria ad suam salutem. Et hæc de prima hac, & principaliori dubitatione: reliquas duas breuissimè absoluemus sequenti capite.



CAP.

CAPVT VLTIMVM.

Qua ergo certitudine homo potest esse de sua gratia certus?

Nec à priori, nec à posteriori potest haberi certitudo scientię de gratia.

1 Citrà omnem controuersiam est, hominem non posse esse certum certitudine euidenti naturali, à priori; sed nec etiã à posteriori; quod probatur facilè: cognitio à priori est cognitio per causas, & principia; vnde deducitur illa conclusio, quæ cognoscenda est; sed homo non potest euidenter cognoscere causas, & principia gratiæ; nam efficiens causa gratiæ est gratuita Dei voluntas, quæ nobis nequit esse euidenter nota: ergo, &c.

Obiectio.

2 Dices: hoc argumentum tantum probare de causa efficienti, non autem de reliquis; Respondeo, quòd solum de causa efficienti poterit esse dubium; vnde D. Tho. cuius est prædicta ratio; solius efficientis meminit; nam causa materialis non habet necessariam connexionem cum gratia; causa autem formalis (si aliqua est) vt supra diximus, est eius quidditas, & definitio, quæ abstrahit ab actuali existentia in hoc, vel in illo subiecto; causa autem finalis est gloria Dei, & nostra; ex qua colligi non potest, quod hic homo sit in gratia: vt patet; ergo ex nullo genere causæ id potest deduci.

Solutio. D. Th.

3 Cõfirmatur: nam, hunc hominem esse in gratia, est propositio in materia contingenti: sed scientia tantum est de necessarijs, ergo de hac non potest haberi à priori scientia.

4 Quod autem neque à posteriori probatur; quia maximè haberetur ex cognitione actuum, & promptitudinis in benè agendo; sed ex his non potest haberi, ergo, &c. maior est manifesta; quia nulli sunt effectus certiores gratiæ; minor verò probatur; tùm quia gratia nullum habet proprium actum; tùm etiam, quia actus supernaturales non solum ab habitibus; sed etiam ab auxilio supernaturali possunt prouenire: promptitudo verò potius ex acquisitis virtutibus, quàm ex infusis prouenit; nam cum his compatiūtur se habitus vitiorum; cum illis, non.

5 Et deniquè, etiam supposita cognitione actuum supernaturalium; ex illis nõ colligitur gratia; nisi media aliqua propositione de fide; igitur nullo modo potest haberi scientia à posteriori.

6 Quarè ex his omnibus, quæ in superioribus dicta sunt, colligitur manifestissimè, quod homo iustus potest habere probabilissimam opinionem, & iudicium multum verosimile de sua gratia, & hoc dictum vltimum non indiget probatione, nam omnia argumenta, quæ hactenus facta sunt pro sentẽtia Catharini, & aliorum; & alia innumera, quæ fieri possent, hoc solum dictum sufficientissimè probant.

Vlt. cõclusio. Potest homo habere opinionem, satis verò simile, de sua Gratia

Finis Quodlibeti Vndecimi.



QVODLI-

QVODLIBETVM DVODECIMVM.

De causa finali proxima Gratiæ; nempè, de eius effectibus; & primo, de Iustificatione impij.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum Contritio sit vera forma iustificans formaliter; An verò sit solùm dispositio proxima ad nostram iustificationem?

CAPVT PRIMVM.

Proponuntur quædam scitu necessaria pro tituli intelligentia, & eorum, quæ tractandà sunt in præsenti Quodlibeto.



§. I.

1 
ON agimus hic de ea causa finali gratiæ, q̄ statuit Triden. nempè, de Dei, & Chisti Gloria, & vita æterna; sed tantum de immediata, qualis est nostra iustificatio, & merita; quæ enumerātur, etiam inter præcipuos gratiæ effectus. Diuidit .n. D.Th. q.111. gratiam habitualem, in operantem, & cooperantē: tunc dicitur operans, quando reddit subiectum gratum, iustum, & sanctum. Tunc verò cooperans, quando, vna cum ipso subiecto, cōcurrit ad actus meritorios; Et sic, secundum ipsum, iustificatio est effectus gratiæ operantis; meritum verò effectus gratiæ cooperantis. De vtroq; erit noster præsens tractatus. D.Th.

2 Pro cuius intelligētia not. est primo cum Medina 1.2.q.113. vbi disputatur de iustificatione ab omnibus recentioribus cum D.Th. at.1. in explicatione artic. quod hoc nomen, *Iustificatio* pōt multipliciter vsupari in sacra Scriptura. Primò, prò eo, quod est, iustum pronunciare, & sic sumitur, cū dicitur prouerb. 17. *Qui iustificat Impium, & qui condendat iustum, vterque est abominabilis apud Deum*. Quæ significatio est familiarissima in sacra Scriptura. Secundò, prò eo, quod est, liberum esse ab aliqua seruitute, vt Rom. 6. *Qui mortuus est iustificatus est à peccato*; .1. liber factus est à causis peccati, & à seruitute peccati. Tertiò, pro eo, quod est, iustitiam alicui facere; vt Not. 1. Multifariam vsurpatur iustificatio. Med. Prouerb. D.Paul.

Psal.

Deut. Iob. Apoc. D.Paul.

Psal.81.& Deut.23. *pauperem,& inopem iustificate.* Quartò pro eo, quod est, defẽdere, vt Iob.9.*Si iustificare me voluero, os meum condendabit me*. Quintò pro augmento iustitię; vt Apocal.vltimo.*Qui iustus est iustificetur adhuc*. Tandem vsurpatur prò, *iustum facere*; vt Eccl.in quadam oratione: *Deus, qui iustificas impiũ*; & Rom.4.*Credenti autem in eum, qui iustificat impium*; & c.3. *Iustificati gratis*: Et in hac significatione hæc vox, *Iustificatio*, vsurpatur communiter à sacris Theologis; dum de Iustificatione disputant.

Not.2. Iustificatio potest fieri, & per modũ simplicis generationis, & per modum motus.

3 Item not. secundo cum D.Th.Iustificationem dupliciter accipi: Et per modum simplicis generationis, quæ solum supponat priuationem ex parte termini à quo; vt accidit Angelis, & primo Parenti; Et per modum motus à contrario in contrarium; vt cum homo ex peccatore fit iustus; nos autem non loquimur de priori Iustificatione, sed de posteriori; & ideo addimus in titulo, *De Iustificatione impij*.

3.Not. In iustificatione impij semper reperitur peccatorum remissio. Diffinitio iustificationis D. Paul.

4 Tertiò not. est, & supponendum secundum fidem; in Iustificatione impij semper, saltem de lege ordinaria, reperiri remissionem peccatorum; & sic Trid. sess.6.c.4.diffinit iustificationem, ex mẽte Pauli ad Col. 1. quod *sit translatio à statu, in quo homo nascitur filius Adæ, ad statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei*, & c.7.dicitur *Iustificatio, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis*: Vbi aduerte, quod cum iustificatio impij dicitur, quod sit *peccatorum remissio*; hęc propositio non est intelligenda formaliter; Sicuti cum dico: *homo est animal, &c.* sed causaliter, eo prorsus modo; quo dicimus; *generationem vnius esse corruptionem alterius*; non quia formaliter eadem mutatio, & actio sit generatio; & corruptio; sed quia generatio Vnius formæ est causa destructionis alterius; Ità etiam est intelligẽda illa alia supra dicta, nempè: *Iustificatio est remissio peccatorum*: .s. causaliter; quia iustificatio est causa remissionis peccatorum.

§. II.

4. Not. D.Th.

5 QVartò not. quod D.Tho.q.113. cit. primum articulum instituit *An iustificatio Impij sit remissio peccatorum*? de qua quęstione nonnulla nos diximus Quodl.7. vbi quærebamus; *an gratia ponat aliquid creatum in anima*? & contra hæreticos dimicantes diximus: Gratiam esse veram animæ sanctitatem, & per illam nos vere iustificari, & emundari à peccato; Nam Luther. Melanton, & alij dicebant; quod, in iustificatione peccata reuera remanent secundum substantiam: dicuntur autem remicti, quia teguntur iustitia Christi, & per illam non imputantur ad pœnam. Vndè concedunt, in iustificato remanere veram, & essentialem rationem culpæ; tectæ tamen, & quasi rasæ per Christum; Cuius insignis figura (ait quidam hæreticus) fuit vestitus Addæ ex folijs, ad significãdum peccatum, quod, licet maneat; tegitur tamen, & occultatur ornamentis Christi.

Figmentum hęreticorũ.

In iustificatione prædicta vera tolluntur, & eradicantur.

6 Nos autem Catholica fide credimus, in impij iustificatione peccata verè eradicari; Ità vt nil remaneat, quod rationem culpæ habere possit, & oppositum est hæresis manifesta; hoc constat ex Scriptura sacra, quæ adeo perspicuè loquitur, vt videatur, quasi de industria, aduersus hæreticos, tot post secula futuros, dimicasse: & præter loca adducta loco cit. Adde 1.paral.2.*Obsecro Domine, aufer iniquitatem serui tui*. Ezzech. 36.*Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris* Ps.102.*Quantum distat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras*. Michęæ 7. *Proiecit in profundum maris omnia peccata nostra*. Ioa.1. *Sanguis Iesu Christi emundet nos ab omni peccato*; Et alia innumera, quæ videri possunt apud recentiores. Hinc Trid. sess. 5.damnat eos, qui dixerint; per gratiam quæ in Baptismo confertur, non tolli, quod in peccato originali veram habet rationem peccati; sed illud tantum radi, aut non imputari. Et sess.6.c.7.& can.11. idem contra hæreticos diffinitur.

Paralip. Ezzecch. Dau. Michęos. D. Io. Trid.

Rationes cõtra figmentũ hæreticorũ.

7 Prætetquam quod huius hęresis falsitas potest ratione cõuinci; quia peccatum, quod (secundum hærethicos) manet post iustificationẽ, vel repugnat Diuinæ legi, vel non; vel est obiectum odij Dei, vel non: Si primum, ergo, ratione illius, homo adhuc est iniustus, inimicus, & abhominabilis Deo: Quod qua ratione iustificato conueniat, videant ipsi: Si secundum, ergo, illud, quod manet, non est peccatum. Adde, quia si sic esset iustificatio, non esset translatio de potestate tenebrarum ad statum filiorum Dei; quod est contra Paul. ad Col. 1. nam

in

in omni mutatione *terminus à quo* deperditur:loco cuius succedit *terminus ad quem*: si ergo potestas tenebratum,& offensa Dei non recedit per iustificationẽ, sed tegitur tantum, & non imputatur ad pęnā, quomodo dici potest,Iustificationem esse translationem ab vno statu ad alium,de quo plura Soto lib.1. de nat. & gratia c.11.& lib.2.c.9. Vega lib.3.super Tridentinum c.7. Bellarm.& alij recentiores. Obiectiones autem Hæreticorum friuolæ sunt, & solutæ fuerunt quodl.illo 7.cit. & sic non est, cur longiotem de hac re,ac particulatem disputationem instituamus.

§. III.

D.Th. 8 IN 2.autem art. d.quæstionis D.Th. petit, *Vtrum ad remissionem peccati, quæ est iustificatio impij, requiratur gratiæ infusio?* quæ difficultas, quia grauissima est,ideo est etiam à nobis exactè examinanda; & sic in præsenti disp.quærimus; *An contritio sit sufficiens ad nos formaliter iustificandum?* si .n. ipsa sufficiens est; iam non requiritur alterius habitualis qualitatis infusio. Vbi nō est,cur immoremur in explicando, *quid sit contritio?* certum .n. est, quod quando quis dolet de peccato suo propter pęnas Inferni; vel propter aliud simile; hic dolor dicitur attritio: cum verò dolet propter ipsum Deum summè dilectum; dicitur contritio; & de hoc actu est in præsenti sermo noster.

Contritio est aliqualis satisfactio pro peccato. 9 Præterea, illud etiam certum est in hac re; contritionem aliquo modo esse satisfactoriam pro proprio peccato;quia cum homo per contritionem faciat totū id, quod in se est ad placandum Deum: & ex alia parte ipsa cōtritio sit ordinis supernaturalis,includens pęnalitatem,& dolorem de peccato in Deum commisso,& propositum emendandi,& amplius non offendendi: sed potius tormenta sæuissima, & mortem ferendi,quam reincidēdi: sequitur,contritionem esse aliqualem satisfactionem pro ipso peccato: & Attritio etiā est aliqualis modica satisfactio. dicer possit etiam attritio dici aliqualis, modica saltem, satisfactio pro peccato: cum sit actus ordinis supernaturalis,& includat dolorẽ de peccato propter pęnas Inferni, & propter turpitudinem ipsiusmet peccati, &c. quia tamen huiusmodi dolor dicitur imperfectus,cum non sit immediatè propter Deum; & possit esse in homine adhuc in culpa manente: & contritio, de lege saltem, non possit esse in homine manente in peccato: hinc fit, quod non est inter Doctores controuersia de attritione: *An possit nos iustificare formaliter?* sicuti est de contritione: itaq. quærimus in præsenti, *An, supposita contritione, sit ipsi debita peccatorum remissio, & iustificatio formaliter; an verò sit noua gratia à Deo liberaliter concessa homini contrito remittere illi peccatum? & vtrū de potentia absoluta Dei possit fieri, quod homini contrito culpa mortalis nō remittatur?*

CAPVT II.

Refertur duplex sententia Theologorum.

§. I.

1 IN qua difficultate est prima sententia affirmans,Contritionem, ex natura sua,ita esse æqualem compensationem pro peccato mortali: vt ex se ipsa, & sine aliqua alia acceptatione Dei, in genere causæ formalis, expellat peccatum, tanquam vera sanctitas,& iustitia nostra;adeo vt remissio peccati non sit nouum beneficium, respectu hominis iam cōtriti, distinctum à beneficio contritionis. Hanc sentētiam in terminis apud nullum Scolasticorum reperiri, dicit Suar. 1.tom. in 3.p. disp.4. sect.8.dicit,tamen, ipsi sententiæ fauere Iansenium c.48.concordiæ:quem tamen ipse alio diuertere conatur. 1.sententia. Suar. Iansen.

2 Secunda sententia affirmat, contritionem esse cōdignam satisfactionem pro culpa mortali: non tamen ex rigorosa iustitia, neq. tanquam causam formalem nostræ iustificationis;sed tanquam dispositionem proximam ad remissionē peccati: ita Bannes p.1.q.21.art.4.existimatq. esse sententiam D.Th. nam eo art. ad 2. docet, in omni operatione Dei reperiri misericordiam,& iustitiam; & in iustificatione reperiri iustitiā, quatenus Deus relaxat culpam propter dilectionem: præterea 3.p.q.85.art.3.docet,pęnitentiam esse partem iustitiæ, quatenus cōmpensat Deo offensam contra ipsum commissam. 2.sententia. Bannes. D.Th.

3 Hanc

§. II.

Impugnatur secunda sententia à Suar.

3 Hanc secundam sententiam impugnat Suar. sect. 9. hoc modo; quia si contritio est condigna satisfactio pro culpa mortali, sequitur, iustificationem non fieri gratis; contra Paul. Rom. 3. nam si peccatum remittitur ex condigna satisfatione nostra, iam remittitur ex operibus; ergo gratia iam nō est gratia; ergo contritio non est condigna satisfactio pro culpa mortali.

D. Paul.

Effugium Bannes.

4 Dices pro Bann. illam remissionem peccati fieri, eo quod nō fit ex merito de condigno; licet fiat ex satisfatione condigna. Sed id nil valet: quia, vt aliquid non fiat gratis, sufficit, quod praecedat satisfactio condigna; quod patet in satisfactione nostra pro pęna tēporali, quæ non remittitur gratis, ex eo, quod ob condignam satisfactionem remittitur; etiam si aliud meritum non intercedat.

Impugnatur.

Ad author. D. Tho. Respondetur

5 Ad illud D. Tho. Respondeo, D. Th. dicere, in Deo reperiri iustitiam, quādo hominem iustificat; supra iustitia pro fidelitate, ratione promissionis, quā fecit remittendi peccata pęnitentiam agentibus.

§. III.

6 Omissa autem hac sententia, quæ sufficienter prædicta ratione confutatur; ad primam sententiam accedamus, quam in hoc tempore, licet cum aliqua cautela, tenuit Vasq. 2. tom. p. 2. disp. 203. c. 3. 4. & 5. nam licet ipse Authot, in tota hac disp. multoties fateatur, magis probabilem sententiam esse illam, quæ dicit, contritionem non esse sanctitatem formalem animæ; tamē quod re vera eo loco sensit ipse, est, contritionem non esse dispositionem proximam ad iustificationem; sed formam iustificantem; licet in 1. to. 3. p. q. 1. art. 2. disp. 2. cap. 6. teneat, contritionem vocādam esse satisfactionem pro peccatis nostris; minus tamen sufficientem; & nō esse formalem animæ sanctitatem. Ceterum (vt benè adnotat quidam Author) editio huius tertię partis; & præcipuè illius primi tomi, fuit commissa Patri Torrez. qui timore correptus, non est ausus propriam opinionem Vasq. defendere manifestè; quàm certè, si mortuus non fuisset Author ipse, palam ędidisset in dicto to. tanquam magis probabilem; sicuti in sua lectura de Incarnatione, Compluti dictata, quam ego vidi, docuit. Ceterum, sit, vel non sua hæc opinio, parum ad nos; potest tamen probari multifariā.

Sententia Vasq.

7 Et primo posset suaderi varijs sacrę Scripturæ locis, & Patrum, in quibus videtur insinuari, contritionem, & dilectionem Dei super omnia esse formalē sanctitatem animæ. Tamen omnia testimonia, quæ possunt adduci, etiam si intelligantur de actu Charitatis; ea tamen omnia de illo dicuntur, quia per charitatem cōsequimur veniam peccatorum; tanquam per dispositionem perfectam; Iuxtà illud. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Secundum hanc ergo causalitatem dispositiuam, multa intelligenda sunt, quæ in sacra Scriptura, & Patribus charitati tribuuntur; Quod declaratur exemplo à Suar. disp. 4. sect. 8. in solutione ad primum: nā etiā dicimur, operibus iustificari; Iacob. 2. quod maxime verum est de operibus ipsius charitatis, seu fidei viuæ; quod de augmento iustitiæ exposuit Trid. sess. 6. cap. 10. & tamen id non explicat, in genere causæ formalis; Itā vt ipsa opera charitatis formaliter reddant iustiores; sed in genere causæ meritoriæ; quia actibus charitatis meremur augmentum iustitiæ; ergo eodem modo, quamuis interdum Sancti dicant, dilectione hominem iustificari; non est necesse intelligi, in genere causæ formalis, sed dispositiuæ, aut meritoriæ de congruo, vt declarant etiam illa verba Christi; *si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c.* quod fit per gratiam iustificantem.

1. sententia non benè probatur authorit. Sacrę Scripturę, & Patrum, quæ facilè explicantur à Suar.

D. Iacob.

8 Verum hoc exemplum facilè cōfutatur à Vasq. cap. 4. cit. vbi docet, per quodcumq; opus bonum hominem fieri sanctiorem: & iustiorem formaliter, iustia bonæ operationis; etiam si non augeretur habitus gratiæ: & stante hac sua sententia (quam modo non decidimus) non currit exemplum; Imò ex hac doctrina desumet nouum argumentum Vasq. nam si eodem modo se habet contritio, sicut bona opera in homine iusto: ergo cum bona opera formaliter magis sanctificent hominem; Itā etiam contritio formaliter Iustificabit.

Doctrina Suar. in sententia Vasq. non videtur currere.

9 Sed possumus ad hoc argumentū respondere, adhuc stante illa doctrina; quod, licet bona opera facta ex gratia, formaliter reddant hominem sanctiorē; ex eo est, quia sunt facta in amicitia; &

Adhuc stante sententia Vasq. de bonis operibus, optimè currit argumētum Suar.

alias sunt condigna mercedis; contritio vero procedit ab homine non grato, & sic no sanctificabit formaliter, sed dispositiuè.

Alia explicatio locorum Sac. Script. & Patrum.

10 Addo præterea; multa ex illis testimonijs, quæ adducuntur, tantum esse quædam encomia charitatis, quibus declaratur, tum excellentia perfectionis; tum etiam regimen, & imperium, quod habet super omnes alias virtutes; ratione cuius, dilectio dicitur adimpletio legis; & quædam perfecta iustitia: nam qui diligit, necesse est, vt cętera præcepta seruet.

1. ratio pro 1. sententia

11 Demum addo; multa ex testimonijs Augustini, & Bernardi, quæ adducit Vasq. rectè posse declarari de charitate habituali, quæ dicitur esse iustitia, quatenus est connexa gratiæ, & alijs donis, quę illam comitantur.

§. IV.

12 Sit igitur, ad probandam hanc sententiam, prima ratio: qui diligit Deum sine habitu, verè dicitur manere in Deo, & Deus in eo; & habere semen Dei intra se ipsum; nam amor habet vim hanc, ex se, absq. vllo alio, transformandi amantem in rem amatam: ergo dilectio, qua quis Deum diligit, ex se, sine habitu gratiæ, transformat animam diligentis in Deum: sed nemo in Deum potest transformari, si adhuc est immūdus, ac deformis turpitudine, & macula peccati; ergo ipsa dilectio cum ea macula pugnat, tanquam forma eius expulsiua.

Euasio.

13 Sed fortè respōdebis; transformari hominem in Deum, ratione dilectionis; quia dilectio habet coniunctam gratiam hab. quæ, tanquam forma cum peccato incompossibilis, expellit illud, & hominē transformat in Deum.

Impugnatur.

14 Sed contra; quia perfectius inhæremus Deo, vt vltimo fini, per actualem amorem, quam per aliquem habitum; ergo per illum amorem maximè, & præcipuè liberamur à culpa, & in Dei amicitiam reducimur; quod est sanctificari; consequentia patet; quia sicut præcipua malitia culpæ consistit in auersione à Deo fine vltimo; ita præcipua sanctitas consistit in principali vnione cum Deo; antecedens probatur, quia actus potior est in voluntate, quam habitus; Et hac ratione Beatitudo potius ponitur in actu, quam in habitu; ergo perfectius anima adhæret Deo per actualem amorem, quam per habitum.

15 Secunda ratio sit; si contritio ex se non habet vim iustificandi, sequitur, pęnitentiam, & dolorem peccatorum non esse necessarium iure Diuino naturali, sed positiuo, ad iustificationem, quæ fit extra Sacramentum; sed hoc est falsum, & oppositum communiter defenditur à D.Tho. 3. p. q. 84. ar. 7. ad 1. & à Caiet. ibidem: ergo etiam est falsum id, ex quo sequitur; sequela patet; quia si ex natura sua contritio non iustificat; ergo non est necessaria ad iustificationem iure Diuino naturali. 2. ratio. D.Th. Caiet.

16 Tertia ratio: si quis existēs in peccato mortali assumeretur ad videndum clarè Deum, & illo fruendum; absquè dubio esset Beatus; etiam si non adesset habitus gratię: nam Beatitudo non consistit in habitibus, sed in operatione, qua Deū consequimur; ergo sola dilectio Dei in Patria iustificaret hominem habentem peccatum; patet consequentia: quia nullatenus potest fieri, quod homo beatus sit, & summo amoris affectu Deo cōiunctus, cum maxima miseria peccati; sed dilectio viæ, & patrię sunt eiusdem rationis; & tantum differunt pęnes magis, & minus intensum; (vt communis opinio fert,) ergo si tribuitur dilectioni, quæ est in Patria, remissio peccati; eadem ratione dilectioni viæ adscribenda est; patet consequentia; quia maior, vel minor intensio non variant speciem. 3. ratio.

17 Quarta ratio: dilectio Dei potentior est ad conuertendum animā ad Deū finem vltimum, quam volūtas primi parentis ad posteros auertendum à Deo: ergo poterit quilibet existens in peccato originali iustificari ab ipso peccato, per solam dilectionem, sine habitu: patet cōsequentia, quia si peccatum in eo consistit, vt homo sit auersus à Deo, vt fine supernaturali; ergo cum dilectio nos potēter conuertat in ipsum Deum, vt finem vltimum supernaturalem, erit sufficiens ad delendam maculam peccati originalis: probatur antecedens; quia posteri Adæ, non propria voluntate, sed aliena, auersi sunt a Deo; sed si diligerēt Deum, conuerterentur ad ipsum per propriam operationem voluntatis; qui modus cōuersionis potentior est, quam ille modus auersionis; ergo dilectio Dei potentior est ad conuertēdum animam ad Deum, quam voluntas primi hominis ad auertendum. 4. ratio.

18 Por-

18 Porrò etiam, conuersionem per affectum doloris, & contritionis, esse sufficientem ad delendam maculam, quę relinquitur ex nostro peccaro actionis, facilè probatur: quia sicut peccatum auertit hominem à Deo fine vltimo supernaturali, sic dilectio conuertit ipsum hominem ad Deum finem vltimum supernaturalem; Immò per contritionem non tantū videtur restitui id, quod ablatum fuerat per peccatum; sed etiam videtur offerri maius bonum: nam actu peccati non dereliquimus Deum; in ratione vltimi finis, affectu expresso, sed interpretatiuo, & virtuali; quatenus, renitente lege ipsius, cōuertimur ad bonū commutabile, per complacentiam rei prohibitæ; sed per actum contritionis, expresso, ac formali affectu, cōuertimur ad ipsum Deum; ergo hæc conuersio formaliter excludet illam auersionem.

Corollariū ex hac 1. sententia.

19 Ex hac sententia sic exposita colligi potest ab eius authoribus; quod, licet homini contrito, & diligenti Deum, infundatur gratia habitualis, cum omnibus donis habitualis iustitiæ; quæ distincta sunt à dono remissionis peccatorum, & per potentiam Dei separabilia: tamen quantum ad hoc, quod est, homini remitti peccatum, nullum, asserunt, fieri gratiæ beneficium, præter gratuitam donationem auxilij excitantis, & adiuuantis, sufficientis, & efficacis, necessarij ad eliciendum actum amoris. Concluditur subindè, homini remitti peccatum propter Christi meritum, nihil aliud esse, quam dari propter Christum auxilium gratiæ ad contritionem habēdam; Quod ità confirmari potest; quia si præter contritionem habitam est necessarium aliud beneficium, vt remittatur, maxime donatio gratiæ habit: sed hæc non requiritur, quia peccatum iam supponitur remissum per contritionem, vt probatum est; ergo ad remissionem peccati non est necessarium aliud beneficium.

CAPVT III.

Vera sententia.

§. I.

1. conclusio. Contritio est vltima dispositio ad Gratiam Suar. D. Tho.

1 Contrariam tamen sententiam tenet Suar. loc. supra cit. & est hodiè cōmunis in scholis; cum qua sit prima conclusio Homo per actum contritionis supernaturalem se disponit ad remissionē peccati obtinendam. Hoc dictū proculdubio est conforme doctrinę D. Th. pluribus in locis; & præcipue art. 5. & 8. q. 113. vbi inquit, *Motum liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, ordine naturæ, antecedere remissionem culpæ, tanquam dispositionem ad illam*; Et 3. p. q. 88. art. 6. simpliciter docet, Actus pęnitentis esse causam remissionis culpæ, vel dispositiuè secundum se; seu prout sunt actus radium virtutum; vel effectiuè; prout pars Sacramenti sunt: Idemq; docent reliqui Doctores, tam ex antiquioribus; quā multi ex recentioribus. Videantur Vega lib. 6 in Trid. c. 28. 29. & 30. Belarm. lib. 1. de Iustificat. c. 13. Suar. loc. cit. & alij.

Vega. Belar.

2 Nunc præsertim probatur hęc veritas ex Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi disserens de conuersione peccatoris, & eius dispositionem describens; primo ponit fidem; deindè timorem, postea spem, quarto dilectionem; tandem odium; & detestationem peccati; postea vero septimum caput subdit; *Hanc dispositionem ipsa Iustificatio consequitur*; ergo contritio, secundum Concilium, est dispositio tantum.

Probatur ex Trid.

3 Et licet Pater Vasquez multis nitatur probare, hæc verba Concilij non esse intelligenda de contritione; sed potius de dilectione imperfecta, & attritione; quæ breuitatis causa relinquuntur; Cęterum incredibile est, quod Concilium dum in eo loco agit de iustificatione, vt sic, præscindendo ab hoc, quod fiat mediante Sacramento, vel sine Sacramento per actum contritionis; quod assignet dispositionem ad iustificationem, tantum, mediante Sacramento factam, & non etiam eam, quæ sine Sacramento fit; ergo dicendum est, quod eo loco vniuersaliter de omni dilectione est Concilij sermo; sed eo loco prætermisso, & alijs; tum eiusdem Concilij, tum etiam Scripturæ sacræ, quæ communiter circumferuntur, & videri possunt præsertim apud Suar. & possent ab authoribus primę sententiæ alio diuerti.

Quid respōdent Vasq. ad Trid.

Improbatur Vasq. solutio.

§. II.

4 PRobatur nostra conclusio ratione; quia aliqua necessariò assignari debet perfecta dispositio, per quā homo possit præparare se ad peccati remissionem; Ità vt, illa posita, statim fiat

Probatur conclusio ratione.

remissio;etiam sine susceptione reali Sacramenti;sed hæc dispositio non est,nisi, quæ includit actum dilectionis Dei efficacem; ergo hic actus est dispositio ad talem remissionem: mi. est certa ex illis locis sacræ Scripturę, in quibus pęnitentiam vere agenti,& se ad Deum conuertenti,promittitur remissio peccatorum; minor probatur, quia cum peccatum mortale sit auersio a Deo; & quoddam Virtuale odium eius,& iniuria, quadam ratione,infinita;non est sufficiens dispositio ad illius remissionem, nisi actus cõtinens perfectam conuersionem ad Deũ, quę non fit, nisi per efficacem dilectionem.

1. aduersariorũ responsio. 5 Huic rationi primò aliqui respondent; prædictum actum dilectionis esse dispositionem ad iustificationem; non vero ad sanctificationem:dicunt .n. iustificationem denotare habitualem animæ rectitudinem:sanctificationem vero non dicere habitum, sed æque bene fieri posse per aliquod aliud, nempe, per operationem.

Impugnatur. 6 Sed hæc responsio nil valet; nam Vt bene aduertit Vasq. quid aliud, obsecro,per iustitiam, intellexit Tridẽtinum, quam animæ sanctitatem? & quid aliud per iustificationem intellexit, quam animæ sanctificationem? nam ille tantum iustificatur, qui coram Deo sanctus efficitur.

Aliorum solutio. 7 Alij aliter Respondent; dicunt .n. neminem posse consequi remissionem, secluso Sacramento,absque efficaci actu dilectionis Dei,per se loquendo; non tamen, quia sit dispositio ad remissionem peccati; sed quia est dispositio ad gratiã; sine cuius infusione non remittitur culpa mortalis.

Impugnatur. 8 Sed hęc solutio planè pugnat cum doctrina Concilij: nam sess.14.c.4.agens Concilium de contritione, dicit, fuisse necessariam omni tempore ad impetrãdam veniam peccatorum,& præparare hominem ad eorundem remissionem; ergo secundum Concilium,contritio nõ est tantum dispositio ad habit.gratiam: sed etiam ad peccati remissionem. Ex quo loco etiam colligere liceat, Concilium nõ loqui de imperfecta dilectione: sed de perfecta; dum ait,fuisse quouis tẽpore, ad impetrandam veniam peccatorum,contritionis motum necessarium: sed ante legem nouam attritio non erat sufficiens; vt certum est;sed requirebatur vera contritio,ergo Conc.de hac intelligendum est.

§. III.

9 Secunda conclusio remissio peccati est beneficium distinctum à gratia contritionis: hæc conclusio sequitur ex prima,& est contra Vasq. locis cit.etiam in 3.p. & potest facilè probari, quia Isai. 1. promittitur remissio peccatorum habenti contritionem;ergo remissio est nouum beneficium à contritione distinctũ; probatur consequẽtia, quia effectus formalis non potest promitti habenti formam; eo quod est inseparabilis à forma, cum sit ipsa præsentia formæ in subiecto: quod autem promittitur futurum sub conditione, debet esse separabile à conditionis euẽtu; quia,post impletam conditionem, est effectus nouæ voluntatis; antecedens vero probatur ex illis verbis Prophetæ, *Lauamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis &c* & *venite, arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra sicut coccinum, velut nix dealbabuntur, &c.* in quibus verbis, vel promissio fit perfectæ pęnitentiæ, qualis est contritio; & habemus intentum;vel imperfectæ tantum, qualis est attritio; & tunc redderetur falsa promissio illa; quia multi habẽtes imperfectam pęnitentiam non consequuntur remissionem peccatorum; Deus autẽ fidelis,est,se ipsum negare non potest.

2 conclusio. Remissio peccati nouum beneficium distinctum à contritionis gratia.

10 Huc etiam spectãt illa verba Domini.Lucę 7.*Dimissa sunt ei peccata multa,quoniam dilexit multum*, .i.actu amoris, & charitatis impetrauit à me beneficium remissionis peccati;nam ea vis est in verbo,*dimittendi* (vt non obscurè insinuat Augustinus lib.20. de Ciuit.c.25. in finalibus verbis,& colligitur ex Matt.18. ibi: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi,quia rogasti me:*) quis autem credat, orationem fuisse formam iustificantem à peccato; & non potius,impetrasse formam iustificationis? ergo remissio peccati nouum beneficium est, quod fit homini,contritionem habenti. D.Luc. D.Matt.

11 Sed dices:sequitur ex hac ratione, actus Christi Domini non fuisse æquales satisfactiones pro culpa nostra;quia nullus eorum fuit forma iustificans nos. Obiectio.

Solutio. Respondeo,vna ex duabus vijs, actum aliquem esse æqualem satisfactionem pro culpa; vel quia sit forma expellens peccatum, vel quia mereatur de condigno formam expellentem:actus autem Christi, quamuis non fuerint causæ formales nostræ iustificationis:fuerunt tamen merita

Actus Christi non fuerũt causę formales nostrę iustificationis, sed merita cõdigna quibus nobis gratiam obtinuit.

rita condigna, quibus Christus obtinuit à Patre Gratiam iustificantem, quæ nobis conceditur. Hoc autem satis est ad æqualitatem satisfactionis, nam qui meretur de condigno formam expulsiuam offensæ, satis videtur fecisse pro tollenda iniuria, & debito peccati; cœterū si actus nostri semel deciderit à ratione formæ expellētis peccatum, non superest illis alia via, vt habeant rationem satisfactionis æqualis; quia actus contritionis, si non fit causa formalis expulsiua peccati, meritum de condigno gratiæ habitualis esse non potest, quia ante gratiam elicitur, adhuc constante statu inimicitiæ: post gratiam vero, supponit illam ex parte principij; & ita eam mereri nequit, cum principium meriti nō cadat sub merito.

Conf. Dau. 12 Confirmatur superior ratio ex eo loco Psal. ***Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies;*** ex quibus verbis sic arguo: Dauid petit a Deo, vt non despiciat se ipsum humiliatum, & contritum: ergo aliquo nouo indiget beneficio, à contritione distincto, ad suam Iustificationem, & remissionem peccatorum; patet consequentia; alias frustrà peteret: Oratio .n. apertè alicuius beneficij indigentiam indicat ex parte orantis; sed si contritio, se sola, sufficeret ad remissionem peccatorum, nullo alio indigeret nouo beneficio Dauid, iam contritus; ergo si adhuc contritus petit à Deo, ne suā despiciat contritionem; quod idem est, ac si peteret, vt suam misericorditer contritionem aspiceret, & ipsius misereretur iam contriti: Signum est, quod indiget nouo beneficio ad sui peccati remissionem.

2. probatur conclusio. D. Luc. 13 Secundo probatur conclusio ex Parabola de filio Prodigo Lucæ 15. Postquam. n. hic ad Patrem conuersus est, Pater accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum; & illo dicente: ***Pater peccaui, &c.*** Patet statim subiungit, dicens. ***Citò ferte Stolam primam, & induite eum;*** idest Christianam iustitiam, (vt Tridētinum explicuit) qua peccatum expellitur, & quā Deus solus infundit, ergo remissio peccati est aliquid, quod ex parte solius Dei se tenet, supposita in homine sufficiente dispositione; Et ex consequenti, actus non tollit se solo, & formaliter peccatum absque superueniente gratia, & iustitia Dei.

3. probatur. 14 Tertiò probatur: in conuersione peccatoris non est valor æquiualens ad satisfactionem: ergo iniuria, & offensa nō potest formaliter tolli per ipsam conuersionem: consequentia patet: quia inæqualitas, quam iniuria intulit, non potest tolli per actum, independentem ab acceptatione alterius; nisi supponatur talis actus æquiualens iniuriæ illatæ, & ad illam resarciendam sufficiens; nam in hoc consistit tota ratio huiusmodi satisfactionis: Probatur antec. quia peccator non tantum est persona infinitè inferior, quā sit persona offensa .s. Deus; sed, quatenus eliciens talem actum, non est persona grata Deo; ergo in conuersione peccatoris non est valor æquiualens ad satisfactionem: Patet consequētia; quia vt actus includat æquiualentem valorem ad satisfactionem, & vt sufficiat ad expellendū peccatum formaliter, modo intrinseco, & connaturali, non est cōsiderandus solum secundum naturam, aut bonitatem moralem, & phisicam conuersionem, quam habet; secūdum quas rationes formaliter opponitur actuali peccato, & illud excedit; sed considerandus est etiam secundum valorem moralem, quem habet ad resarciendam iniuriam; quatenus à tali persona procedit, & hoc modo nō inuenietur per se sufficiens ad æqualiter satisfaciendum, & ad formaliter tollendam maculam, & habitualem auersionē, quā peccatum relinquit; sed solus Deus habituali, & inhærente gratia potest illā auferre.

CAPVT IV.

Satisfit rationibus in contrarium adductis.

§. I.

1 Restat modo soluere argumenta contrariæ sententiæ; Et ad primum ibi optimè responsum est. Ad replicā autem, disting. antecedens: perfectius inhæremus Deo per actum, quam per habitum; quantum ad modum; Concedo: quantum ad substantiam, & entitatem formæ; neg. quia licet per actum inhæreamus Deo, vitali modo, & secundum vltimum actum; quia hac ratione dicitur esse perfectissimus, quia cōstituit hominem, & in perfecto statu, & in vltimo actualitatis gradu; non quidem dando vltimam perfectionem illius status; sed Ad primum oppositæ sententiæ.

vltimo ad illam disponendo; licet .n., quantum ad hunc modum, actus dicatur esse melior; præsertim in esse moris, quã habitus; & propter hanc rationem beatitudo dicatur consistere in actu, non in habitu; tamen quoad substantiam, & entitatem formæ, excellentior est habitualis iustitia, per quã dicimus, expelli peccatum; & ideo altiori ratione deificat, & sanctificat hominem: hic autē excessus, non tantum consistit in hoc, quod habitus, ex natura sua, sit permanentior, & durabilior: (quamuis istud non parum referat) sed in hoc, quod illa forma habitualis, & permanens est propria quædam participatio Diuinæ naturæ; & sic illa primatiò deificat, & expellit peccatum: actui .n. tantum hoc debetur, tanquã dispositioni ad talem formam, & ad effectũ eius consentaneè. Hocq. potest declarari exemplo vulgaris quæstionis: quid sit melius, vel quod sit maius Dei donum, vnio hypostatica, an visio Beata? nam si rectè expendatur replica supra posita, æquè probat, visionem beatam esse perfectiorem: probat autem, esse perfectiorem tantum *secundum quid*, & quoad aliquem modum; non verò *simpliciter*, & quoad substantiam; ideo .n. solet dici, vnionem hypostaticam magis tepugnare cum peccato, etiam habituali, & de potētia absoluta, quam quodlibet aliud Dei donum, vel actus supernaturalis; sic ergo potest intelligi in præsenti, seruata proportione.

Ad 2. 2 Ad secundum respondeo disting. consequens; ergo contritio non est necessaria ad remissionem peccati *iure Diuino naturali, tanquam forma*; conc. *tanquam dispositio*; nego; quia eo modo, quo expellit peccatum, est necessaria iure Diuino naturali; & ita sicut non expelut peccata, sicut forma, sed vt dispositio, nō est necessaria iure Diuino naturali, vt forma.

Ad 3. 3 Ad tertium Respondeo, quod etiã in illo casu, quando aliquis subito in Cęlum raperetur cum peccato mortali, ipsum peccatum non expelleretur ex natura dilectionis præcisè, si non adesset habitus charitatis, & gratiæ; sed expelleretur ratione beatæ visionis, in sententia

Vasq. ipsiusmet Vasq. 1. to. in 1. 2. disp. 11. c. 10. nu. 64. vbi docet, quod sola visione Dei, præscindendo ab ipsius dilectione, & gratia habituali, emũdaretur aliquis à peccato; nam Beatitudo, quæ essentialiter saluatur in Beatifica visione, secum, siue aliquo alio, non patitur infelicitatem, & maximam miseriam peccati; cum ipsa beatitudo essentialis sit summa felicitas; & per hoc patet ad argumentum, iuxta sententiam ipsiusmet Vasq. cui pro modo nec assentio, nec dissentio.

4 Vel secundò ego Respondeterem, quod eo ipso, quo quis assumeretur, adhuc peccator, ad contemplandam Diuinam Essentiam, non posset non elicere dilectionis actum feruentissimum; cum per illam visionem proponatur obiectũ, quod est summum bonum; & sic necessitetur voluntas ad actum amoris; & pariter in eodem instanti infunderetur illi, sic disposito per contritionis actum, habitualis gratia; & per hanc emundaretur à peccato; non autem, præcisè, per ipsam visionem; cuius ratio efficax, meo videri, est; nam macula peccati est in anima immediatè, tanquam in subiecto: & (vt dicam infra) denominatio, quæ resultat in anima per hanc maculam est omnino independens à voluntate Dei, & est intrinseca denominatio ea, qua quis denominatur peccator, non extrinseca: hoc .n., quod est, aliquem esse peccatorem, non dependet ex sola Dei voluntate: sed verè dicitur esse peccator intrinsece: denominatio autem intrinseca non potest tolli, nulla facta mutatione in subiecto denominato: non .n. paries albus potest transire de albo in nigrum, vel in non album, nulla facta mutatione in ipso pariete; ergò si nulla fiat mutatio in ipsa anima, non poterit desinere esse peccatrix, & maculata, per solum actum intellectus, qui est potentia, realiter ab ipsa animæ Essentia distincta, vt dictum est supra; ergo si Deus assumeret peccatorem ad videndum suam Diuinam Essentiam, ex hac visione præcisè non emundaretur à peccato: quarè dicitur emundari modo, quo dixi, nam, posita tali visione, necessariò voluntas eliceret contritionis veræ actum, quo vltimo disponeretur ad gratiam, quam acciperet in eodem instanti, & per eam purgaretur à culpa.

2. solutio ad idem 3.

Nota. Peccator, si assumatur in Cęlũ, non vi visionis præcisè esset beatus.

§. II.

5 AD quartum Respondeo, quod licet dilectio sit actus propriæ voluntatis: peccatum verò originale nō; tamẽ hoc non tollit, quod originale peccatum sit potens ad auertendum posteros à Deo; cum verè, & propriè peccatũ sit: & in sententia Vasq. in d. to. disp. 133. c. 10. Ad 4.

c. 10. in fine; in ratione vniuoca cum peccato actuali conueniat; & ex alia parte, verè, & propriè à nobis contrahatur; siquidem de omnibus, præter Christum, eiusq. Matrem, dicitur. *Omnes in Adam peccauerunt*; ideoq. peccatum illud non potest tolli per solam dilectionem, sed requiritur gratia habitualis; quia, quamuis per ipsum actum amoris, homines adhæreant Deo: peccatum tamen, quod verè hominem reddit inimicum Deo, nō aufertur formaliter per adhæsionem hominis ad Deum; sed per conuersionem (vt ita dicam) Dei ad hominem: modo infra clarius explicando.

Not. pro solutione vlt. arg.

6 Quod, vt magis intelligatur, pro solutione illius, quod vltimo loco obijciebatur; not. primò id, quod diffusius agitur in materia de peccatis; quod quādo quis peccat actualiter; verbi gratia, fornicatur; ex hac actione peccaminosa resultat quædam macula habitualis in anima, qua dicitur maculata, & ideo Deo odibilis, & inimica formaliter; in quo autem consistat ratio huius maculæ? non est præsentis instituti: sed, quicquid sit de hac quæstione, illud certum esse debet prò nunc, quantum spectat ad nostrum intentum, quod actus peccaminosus deordinat ipsam animam, maculat illam, & reddit inimicam Deo, & odibilem: secundo, destruit habitum gratiæ habitualis, & reliquas virtutes infusas, præter fidem, & spem; vt alibi dictum est. Hi n. habitus remanent in homine peccatore in esse quodam imperfecto: hęc autem destructio, seu priuatio habituum, & virtutum est effectus secundarius peccati; sicuti, adueniente nigredine in pariete albo; primò, dat parieti esse nigrum: secūdatio verò expellit albedinem ab eodem subiecto; itaq. status peccati habitualis conflatur ex illis duobus effectibus, qui resultarunt ex actu illo præterito fornicationis; &, naturaliter loquendo, non potest alter ex illis emendari, altero non emendato: ita vt tollatur macula ab anima; & adhuc perseueret gratiæ priuatio; vel è contra; ita vt tollatur illa priuatio gratiæ; & perseueret adhuc maculata anima; cum n. illa priuatio non emendetur, nisi per formam, qua priuat; si semel ponatur in anima gratia, iam hæc, suaptè natura, etiam emundat animam à macula; vel si semel adhibeatur talis satisfactio, quæ sit sufficiens tollere maculam ab anima, cum illa debeat esse vltima dispositio ad gratiam, ea posita, statim, ex pacto, confertur habitualis gratia. quicquid sit de potentia absoluta, de qua infra.

§. III.

Per contritionem sufficienter emendatur auersio à Deo.

7 Hoc supposito, negari non potest, quod actus contritionis, quantum est ex se, sufficiens esset emendare illum primum effectum actionis peccaminosæ; nempè, maculam; nam, vel ea cōsistit in auersione à Deo, & conuersione ad creaturas; seu in deordinatione quadam, quomodocunquè fingatur: vel in relatione ad actum præcedentem, non emendatum sufficienti pęnitentia: si primum dicas, iam per actum contritionis perfectæ homo conuertitur ad Deum, & auertitur á creaturis, & ordinat ad verū finem actus suos: & sic emendatur sufficienter affectus ille peccatoris per contritionem: si autem secundum dicas; iam ipsa etiam contritio efficacissima est, ex se, ad destruendam talem relationem: quod sic demonstro: destructo fundamēto relationis, & posito contrario, destruitur relatio, quę aderat, & resultat opposita; & maximè in moralibus: valor n. monetæ est denominatio quædam extrinseca, resultans ex voluntate Regis, qui voluit illam tanti valere; vnde ille actus voluntatis Regis, qui præcessit, dicitur moraliter esse fundamentum huius denominationis, quoad vsq. retractetur per oppositum actum; quarè si dicat, post aliquod tempus, nolle amplius tanti valere illam monetam: iam retractata intelligitur voluntas illa prior; & ex consequenti, cessat valor ille, qui erat in moneta, ex vi illius prioris voluntatis. In Phisicis idem est: nam posito homine á dextris columnę, statim resultat denominatio sinistri in columna, vsquè quo auferatur illud fundamentum; vnde si ponatur homo ad aliud latus, destruitur, ex sola mutatione fundamenti, prior denominatio, & aduenit contraria. Immò idem est in denominationibus intrinsecis; posita albedine in pariete, statim denominatur paries albus; nec vnquam tolletur á pariete talis denominatio, nisi prius destruatur fundamentum, seu ratio talis denominationis, quæ est albedo: vndè, ablata albedine, tollitur prior denominatio albi. Ita in proposito, relatio moralis, quę resultat, posito actu peccati, fundatur tota in eo actu, qui, & si præterijt, dicitur moraliter permanere, quoad vsq. retractetur, & emen-

& emendetur per actum oppositum: sed per actum contritionis emendatur ille, qui praeterierat; nam ille actus peccati nil aliud fuit, quam auersio à Deo vltimo finē, & cōuersio ad bonum commutabile actualis: per actum autem contritionis conuertitur homo ad Deum vltimum finē; & auertitur actualiter à creatura; ergo sufficienter emendatur ille actus; ergo destruitur fundamentum illius relationis moralis; ergo & ipsa relatio destruitur; siquidem, posito fundamēto, statim resultat relatio; & ablato, aufertur; & sic quę antea erat auersio, iam erit conuersio. Concluditur ergo, quod contritio, quantum est de se, sufficeret ad tollendam illam maculam ab anima, quę est primarius effectus peccati; cęterum, quia non est de se phisicè sufficiēs, & formaliter ad tollendum effectum secundarium; nempè, priuationem gratiæ; quæ, non nisi per positionem eiusdem formæ queit emendari: hęc.n. est qualitas priuationis, vt passim dicitur: fit, quod absolutè dicamus, contritionem non esse sufficientē formam, quæ formaliter animam purget à culpa; siquidem non est sufficiēs destruere totum statum peccati; nam, etiam si præscindamus effectum illum primarium, & intelligamus animam cū sola gratiæ priuatione; hæc sufficeret ad hoc, vt diceretur esse in peccato; sicuti in paruulis antè baptismum dici solet, (secundum communiorem sententiam) esse solam priuationem iustitiæ debitæ in esse: & in ea cōsistere peccatum originale. Sed nos in proprio Quodlib. de peccato originali; aliud dicemus de ipsius Essentia.

§. IV.

Quomodo priuatio Gratię sola Dei voluntate possit emendari.

8 Illud tamen etiam verum est, quod, loquendo de potentia Dei absoluta, posset illa priuatio emendari, adhuc sinè positione habitus, per solam Dei voluntatem, siquidem à sola Dei voluntate pendet debitum illud habendi gratiam; quod, vt melius intelligatur; sic explico facile. Priuatio alicuius formæ nihil aliud est, quam quoddam debitum habendi talem formam; siuè, (quod idem est) est carentia formæ debitæ in esse subiecto, & non inest: Debitum autem aliquod duplici via pōt tolli; vel per æquiualentem satisfationem, vel per condonationem liberalem creditoris; v.g. Franciscus debet Petro centum aureos: si cētum aureos restituat, iam satisfactum est, ex iustitia, debito; si autem non habeat vndè reddat, & dicat Petrus suo debitori, condono, & remitto tibi hoc debitum; iam non amplius est debitor Frāciscus; Hæc tamen satisfactio est ex misericordia condonantis, non ex Iustitia. Ità ad propositum; dedit Deus homini gratiam ab initio, cum tali pacto, vt teneretur semper seruare, & custodire illam: Ammisit per peccatū gratiam: Iam hæc priuatio habet rationem debiti; quia gratiam, quam tenebatur habere ex pacto, non habet. Hoc autem debitum, vna ex duabus vijs potest resarciri; vel gratiam ammissam recuperando; vel si Deus condonet illi tale debitum; Ità vt peculiari lege, & decreto statuat, se non amplius velle, Franciscum teneri, vel esse obligatum ad habendam in se gratiam; Nam debitū dependet ex sola voluntate creditoris; & in eo casu, illa carentia gratiæ, quæ esset in Francisco, non haberet rationem priuationis, & debiti, sed purę negationis; Et non imputaretur illi amplius ad culpam; & in eo casu, proculdubio censerem, quod sola contritio sufficeret ad exactè expellendum peccatum: Nam tunc status peccati solum consisteret in auersione à Deo, & conuersione ad creaturas, & non contineret aliquid aliud, quod non posset per contritionem emēdari; Ast nunc de facto continet etiam, vt dictum est, illam gratiæ habit. priuationem; Cumque contritio sit quædam dispositio, & impetratio dicti habitus; Hinc est, quod non possit absolutè dici, quod per solam contritionem peccatum formaliter expellatur; sed tantum dispositiuè: Nam quousque non intelligitur in anima habitus gratię, quam contritio impetrat, & ad quam vltimo disponit, nunquam intelligitur totus peccati status emendatus: Dixi, (quod si Deus condonaret alicui debitum habendi gratiam; Iam illa carentia gratiæ transiret in negationem;) nam esset carentia formæ indebitæ; in quo vera ratio negationis cōsistit; Sicuti priuationis ratio in hoc, quod est, esse carentiam formæ debitæ in esse.

§. V.

9 Ex hac doctrina sequitur; quod Deus de sua potentia absoluta, posset homini peccatori condonare tale debitum; & tunc homo ille remaneret

Homo cotritus, & sinè Gratia non diceretur amicus Dei, & iustus.

cum

cum sola peccati macula, quam diximus esse primarium effectum peccaminosæ actionis præteritæ; quod si per actū contritionis emendaret postea dictam maculam; Ille homo iam esset sinè peccato; non tamē sequeretur, quod dicendus esset iustus, & Dei amicus, non habens gratiam habitualem, quæ iustum reddit, & amicum facit, & obiectum congruum diuinæ dilectionis: Et sic, sine illa, nemo potest Dei amicus esse, nec iustus formaliter dici, vt clarius patebit ex dicendis infra. Et explicatur modo sic; Nam amicitia debet esse inter duos, qui sint eiusdem naturæ; Cum similitudo sit causa amoris, & dissimilitudo potius causa sit odij, & vilipendij; Et si aliquis intercedit amor inter inæquales, & dissimiles; vel ille erit complacentiæ, vel beneuolentiæ, vel concupiscentiæ: Vt si Canem, vel æquum diligam, non ideo dicar Canem, vel æquum diligere amore amicitiæ, sed complacentiæ; nam complaceo in illis animalibus, actibusq; eorum, vt puta, blanditijs, & fidelitate Canis; pulchritudine æqui, &c. & si canis videtur diligere Dominum suum; vel quilibet seruus. Ille amor non est amicitiæ, sed potius concupiscentiæ; ex eo quod victum habet ab illo, vel aliquid sperat. Canis enim nequit esse capax amicitiæ humanæ, cū sit alterius speciei; Nec seruus amicitiæ domini sui, cum sit illi subditus: & natura amoris veri est, esse inter æquales, vel quod eos æquet. Cumq. homo, ratione propriæ naturæ, sit infinitè distans à Deo, & finiti ad infinitum nulla sit proportio; rectè sequitur, quod non possit esse vera amicitia inter hominem, & Deum; si homo sumatur præcisè secundum sua naturalia; Ast si habeat habitum gratiæ, iam redditur eiusdē naturæ cum Deo; cum gratia sit quædam participatio Diuinæ naturæ, & efficiat habentem Diuinæ naturæ participē: & sic est obiectum congruum Diuinæ dilectionis, & amicitiæ; alias non.

Amicitia est inter similes.

§. VI.

10 Sequitur etiam ex dictis, quod si Deus homini cōtrito negaret gratiam habitualem (prout posset: non .n. quisq. potest cogere Deum ad dandum sibi id, quod graris, & ex mera misericordia, & liberalitate dat) ille homo nec esset in gratia, nec in peccato: vt patet; nam macula esset per cōtritionem condonata; gratiæ priuatio transiret in rationem negationis, & non imputaretur illi amplius ad culpam: & sic possumus dicere; quod aliquo modo esset in puris naturalibus homo ille sine gratia, & sine peccato; in hoc tamen differret, in rigore, à tali statu; quia hic esset ordinatus ad finem supernaturalem; status autem naturę putæ consideratur cum merè naturalibus; quia ordinatur ad finem solum naturalē; item in eo casu adhuc esset imbecillitas per peccatum contracta, quæ non esset in puris; vide quid de statibus diximus quodl. 6. disp. 1. Cęterum quia esset tunc sine gratia, & sine peccato, ideo dicimus illum esse in puris. Quod si Deus ordinaret illum ad finem merè naturalem, & sanaret cōtractam per peccatum imbecillitatem; sicuti posset; tunc absolutè esset in puris. Quid autem fieret de homine illo, si moreretur? Dico, quod non mereretur gloriam, quæ datur habenti gratiā: neq. mereretur Inferni cruciatus, siquidē esset sine culpa; sed in eo casu Deus sibi prouideret de congruo habitaculo. Neq. .n. aliquid certi in re tam incerta possumus suspicari; vbi nec aliquam habemus in Scripturis sacris reuelationem, nec Sāctorum Patrum doctrinā; nec alicui possumus firmiter adhærere rationi.

Homo cōtritus, & gratia negatus, esset sine peccato, & sine gratia

Aliquo modo posset dici esse in puris, non tamē simpliciter.

Quid si cum illa moreretur?

§. VII.

11 Modo respondetur facilè ad illud argumentum, quod vltimo loco obijciebatur in cap. 2. §. 4. n. 17. & 18. quod licet verum sit, quod per contritionem conuertatur homo ad finem vltimū supernaturalem; non tamen inde sequitur, quod per contritionem destruatur totus peccati status; non .n. de se, & formaliter, nisi dispositiuè tantum, potens est emendare priuationem gratiæ; iuxta dicta in superioribus notabilibus.

Respondetur ad vlt. arg.

12 Vel dicas; contritionem non reddere Deo, quicquid abstulit peccatum; nam peccatum abstulit à Deo, nō solum rationem vltimi finis, cum sit auersio ab ipso, & conuersio ad creaturam, quam sibi præfigit homo pro vltimo fine; quo tēdit illud Augustini dictum; quod peccator *vtitur fruendis, & fruitur vtendis*; sed etiam rationem Patris: nam per gratiam efficimur filij Dei adoptiui; cumq. peccatum priuet hominē gratia, destruit statum adoptionis; vndè, licet contritio restituat Deo rationem vltimi finis, cum sit auersio à creatura, & conuersio ad

1. solutio.

Not.

Aug.

Deum; non reddit rationem patris; cum non sit gratia adoptionis, sed tantum dispositio moralis ad illam.

13 Ex dictis patet quid dicendum sit corollarijs illatis ex opposita sententia.

§. VIII.

1. obiectio. 14 SEd contra dicta obijcies primò: cū nos conuertimur per actum contritionis ad Deum, ipse Deus diligit nos; siquidem gratuitò nobis donat actum hunc supernaturalem; iuxta illud, *Non quia nos prius dilexerimus, sed quia prius ipse dilexit nos*; ergo si nos diligimus Deum, & Deus diligit nos, absq; habitu gratiæ, etiam sine ipso remittetur peccatum.

Solutio. Respondeo neg. consequētiam, quia ex vi illius actus præcisè, quo diligit nos, tribuens contritionis beneficium, non dū diligit nos, vt amicos; sed excitat nos, vt ad amicitiam perducamur, quæ in adoptione per gratiam consumatur; & sic amor ille, quo Deus diligit nos, non dicitur dilectio simpliciter efficax, sed secundum quid.

Not. 15 Pro quo not. quod aliud est, complacere in bono alicuius subiecti; aliud verò, cōplacere in tali subiecto; vel aliud est, diligere virtutem alicuius, aliud verò est, habentem virtutem diligere. Benè .n. possum odisse Petrum, & tamen complacere in aliqua actione virtuosa illius; sicuti benè possum Petrum amare, & odio habere aliquod vitium ipsius; cum Deus dat actum contritionis alicui, nō dicitur simpliciter amare illum; quia non dum est obiectum cōgruum Diuinæ dilectionis, sed dicitur complacere in illo bono supernaturali, Francisci v.g. Ast cum habet habitualem gratiam, nō dum dicitur complacere in illo habituali dono, sed etiam simpliciter Franciscum amore efficaci diligere; nā gratia formaliter reddit gratum habentem.

2. obiectio. 16 Obijcies secūdò: ex solo actu peccati, qui præterijt, mansimus maculati, & indigni habitualiter; ergo ex solo actu contritionis remanebimus habitualiter conuersi ad Deum, & in statu iustitiæ.

Solutio. Ad hoc argumētum solet variè Responderi; sed omissis ceteris, quæ prolixè dici solent; mihi semper visa est facilis solutio, quæ ex dictis colligitur: & sic Respōdeo in forma, conc antec. & primam partem consequentiæ; nimirum, quod eo modo, quo ex solo actu peccati, qui præterijt, remāsimus maculati, & indigni habitualiter moraliter; cum adhuc intelligatur permanere actus ille moraliter, quo vsq; emendetur: ita, certè, ex solo actu contritionis intelligimur remanere habitualiter conuersi ad Deum, moraliter tamen; quia cēsetur moraliter perseuerare actus ille, quo vsquè non retractetur. Neg. autē secundam partem consequentiæ; nempè, quod remaneamus in statu iustitiæ: status .n. iustitiæ est status gratiæ habitualis, quæ non dum intelligitur adesse; immò nec dum intelligitur totus peccati status, per illam cōuersionem ad Deum, destructus; cum adhuc remaneat destruenda privatio gratiæ; quæ non nisi per positionem eiusdem gratiæ destrui potest, ac emendari, naturaliter; & tunc intelligitur esse in iustitiæ, & amicitiæ statu; non .n. amicus alterius intelligitur ille, qui alterum diligit, & non redamatur; benè tamen si mutuo redametur: poterit verò sic contritus dici amans, non autem amicus Dei; si non habeat habitualem gratiam, per quam sit congruum Diuinæ dilectionis obiectum.

§. IX.

16 PEtes: vtrum sit de fide, homines iustificari formaliter per habitum, & non per operationem? Respondeo, de fide esse, paruulos, & adultos, qui virtute Sacramenti iustificantur, iustificari per habitum; quia licet Ecclesia hoc expressè non definierit; sed in vniuersum solum declarauerit, omnem iustificationem fieri per inhærentem iustitiam; tamen ex hac definitione manifesta ratione colligitur. Et primò, de paruulis probo; quia hæc iustitia inhærens debet esse accidens (vt dictum est quodlib. 7. & in præsenti etiam.) sed nō est operatio aliqua pueri, cum vsu vitalium operationum careat: ergo est qualitas permanens, & ex consequenti habitus; cumquè hæc consequentia inferatur ex vna præmissa de fide; qualis est maior huius syllogismi, & ex altera, nempè, minori, naturaliter cognita; erit proculdubio de fide: licet id non sit expressè definitum. De adultis etiam patet, quia cum attritio non sufficiat ad remissionem peccati, vt patet ex Tridentino sess. 14. c. 4. neq. habeat coniunctam aliquam gratiam, per quam peccatum formaliter deleatur, sed tantum sufficiēter disponat; si cum spe veniæ coniuncta sit ad remissionem peccatorum habendam cum Sacramento, accedente tali Sacra- An sit de fide homines iustificari per habitum?

cramento, non videtur quæ alia gratia infundatur, vt iustificetur, nisi habitualis. ergo certum esse debet, secũdum fidem, adulto, virtute Sacramenti, iustificato, habitum aliquem sanctitatis, & gratię infundi.

Solutio Caiet. 17 Sed dicit ad hoc Caiet. 3. p. q. 84. ar. 1. nullum adultum sine affectu contritionis iustificari & proinde semper fieri, vt in eo, qui per attritionem ad Sacramentum sufficienter dispositus accedit, excitetur affectus contritionis perfectæ, quo iustificetur. Sed contra hoc est. Nam si non posset adultus iustificari virtute Sacramenti, nisi mutato affectu contritionis; sequeretur, eum, qui post factam confessionem, incidit in amentiam, absolui non posse; quod est absurdum: patet sequela; nam ille, qui incidit in amentiam, non potest virtute Sacramenti, ex affectu attritionis in alium affectum cõtritionis mutati. Item etiam experientia patet; quia ex mille, qui cum attritione ad Sacramentum accedunt, paucissimi quidem experiũtur in se nouum motum cõtritionis virtute absolutionis, & simul cum illa. Impugnatur.

18 Ast si sermo fiat de adultis, qui extra Sacramentum iustificãtur per actum contritionis, includentem dilectionem efficacem Dei: dicendum est, non esse de fide, iustificari per habitum; non. n. hoc diffinitur, neque colligi potest ex sacra Scriptura; immò sunt, qui probabiliter tenent, hos iustificari per actum contritionis, tanquam per formam; & sic non cadit hæc quæstio sub fide.

DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum habitualis sanctitas, se sola, sine alio extrinseco fauore, iustificet peccatorem.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur sententia asserentium, non sufficere gratiam ad nos iustificandum.

§. I.

1. sententia ponens indigẽtiam acceptationis Dei supra gratiã. 1  Titulus quæstionis clarissimus est: & procedit solũ de existente in peccato mortali: hoc. n., & non veniale privat nos gratia, iustitia, & amicitia Dei. Et est prima sententia asserens, gratiam habitualem, ad nos iustificandum, indigere fauore Dei, eam acceptantis, & condonantis, seu remittentis peccatum; quo quidem fauore accedente gratiæ habituali nobis inhærenti, iustificatio nostra completur, & non aliter; *Quam* sententiam quamplurimi Scholastici amplectuntur; licet variè ipsam defendant. Primò. n. ex antiquis, quotquot affirmant, qualitatem iustitiæ, ac gratiæ inhærentis non pugnare, suapte natura, cum peccato; immò, cum eo esse posse; & tamen ex constitutione, & voluntate Dei nũquam esse simul cum eo, eam tuentur; id docuerunt Riccard. Gab. Scot. Ocham, Medina codice de pęnit. q. 12. & alij; nam si illud, quod nobis inhæret ex se non pugnat cum peccato, sed ex sola Dei constitutione, manifestè sequitur, illud ex se non emundare à peccato; sed accedẽte fauore, & condonatione Dei, peccatum remitti; atq. adeo sequitur, nostram iustificationem eo fauore compleri. Varij modi defendendi hãc sententiã. Riccar. Gab. Sco. Ocham. Med.

2 In eadem debent esse sentẽtia qui dicunt, gratiam expelli à peccato, vel è contra, solum demeritoriè; non autem phisicè, & ex natura rei; quia, iuxta hunc dicendi modum, gratia, & peccatum ex natura rei poterunt esse simul; ac proindè, ad remissionem peccati erit necessaria condonatio Dei remittentis peccata.

3 In eadem sententia sunt illi, qui eodem modo philosophantur de iustitia nostra inhærente, sicut de moneta, & eius valore: comparant n. habitum nobis inhærentem metallo, ex quo moneta conflatur; & rationem gratiæ, vel iustitiæ, ob quam Deo placemus, comparant valori, quem Rex, volũtate, & lege sua, imponit monetæ: quod solet appellari quid morale in moneta, & in gratia; & quemadmodum metallum, suapte natura, sine Regis æstimatione, non habet valorem monetæ; ita qualitas illa nobis inhærens, sine fauore Dei, non habebit verè rationem gratiæ iustificantis, & emundantis nos à peccato; benè tamen accedente fauore ipsius Dei, & condonatione.

4 Hic philosophãdi modus fuit Nominalium, quibus ex Schola D.Th. consensere Victoria, Cano, & alij Recentiores; ex qua doctrina aliæ duæ opiniones ortæ sunt ipsius Victoriæ, & etiam Cani. Altera est, augeri posse gratiã, secundum rationem gratiæ, etiam si non augeatur, secundum rationem qualitatis; sicuti etiã moneta, secundum valorem, augeri potest à Rege, non addita aliqua minima parte metalli; vt ita respondeant ijs, qui contendunt, quouis opere bono augeri iustitiam nobis inhærentem. Altera est, non pugnare secum ex natura rei qualitatem gratię, in ratione qualitatis, & peccatum mortale: pugnare tamẽ sub ratione gratiæ; & vt sic, neq. per potentiam Dei absolutam, simul esse posse.

Victor. Cano

§. II.

Varij modi explicandi qualis debeat esse æstimatio Dei in ordine ad valorem gratię

5 HI omnes Theologi in eo conueniunt, vt inhærens iustitia, secũdum rationem gratiæ, secundum quam pugnat cum peccato, posita sit in aliquo morali, quod ex Dei æstimatione, & voluntate pendeat; variè tamen explicant, qualis debeat esse voluntas, & æstimatio Dei, per quam illa qualitas debet subire rationem gratiæ, & iustitiæ corãm ipso Deo. Primò Ocham, & Nominales, vt hoc explicent, notant: amorem, & complacentiam Dei circa aliquam rem duplicem esse, quidam est amor generalis, quo diligit quamcunq. rem, etiam secũdũ esse possibile; & hic amor necessariò fertur in rẽs ipsas: alter est peculiaris; & hic etiam in duos alios diuiditur; alter est amor specialis alicuius rei existentis in aliqua tẽporis differentia; & hic amor est liber, eo quod Deus liberè vult, tem aliquam esse. Alter amor specialis est, quo quis à Deo acceptatur, & ordinatur ad vitam. Dicunt ergo, quod licet qualitas illa, in ratione suæ entitatis, ametur à Deo primò, & secundò modo; tamen peculiari illo tertiò modo dilectionis non necessariò Deo placet: ac proindè, nisi accedat fauor, æstimatio, & amor, non potest illa qualitas subire rationem gratiæ, & remittere culpam.

Ocham.

6 Secundò alij rationem gratiæ, additã qualitati illi inhærenti, constituunt, non in eo, quod, habẽs illam qualitatem, ordinetur ad vitam æternam: sed vt diligatur à Deo, tanquam amicus, & iustus; & hac ratione (dicunt) eã pugnare cum peccato, & nos iustificare.

7 Tertiò alij, ne denegent, iustitiam nobis inhærentem esse veram iustitiam, eo quod indigeat fauore Dei, vt nos iustos constituat; dicunt, iustitiam inhærẽtem, absq. aliquo addito fauore, nos iustos efficere; sicut calor constituit nos calidos: indigere tamen fauore Dei ad hoc, vt pellat peccatum: quia (dicunt) suapte natura non pugnare cum illo; & sic per potentiam absolutam Dei simul manere posse, sicut calor, & frigus. Deinde asserunt, hanc condonationem, & fauorem Dei non esse distinctam gratiam, quæ nobis fiat, supra ipsam qualitatem; sed esse debitam ipsi qualitati inhærenti ad eius effectum secundarium; nempè, ad remittendum peccatum; sicuti calori debitum est, vt Deus destruat, & non cõseruet frigus cum eo. Et si ab eis inquiratur, quæ sit formalis causa remissionis peccati? Respondent, nullam esse aliam causam formalem proximam, præter negationem ipsã peccati; sicut in quacunq. corruptione (dicunt) nulla est alia causa formalis proxima, præter negationem formæ corruptæ: fauorem autẽ Dei condouantis esse causam efficientem moralem: explicantq. exemplo phisico: quia sicut cum introducitur calor, Deus, qui antea conseruauit frigus in subiecto, desinit illud conseruare, introducto calore; & causa formalis corruptionis frigoris est calor, cui vt secundarius effectus tribuitur corruptio frigoris; proxima autẽ formalis causa nulla apparet, præter negationem ipsam frigoris; sic etiam, cum habitualis gratia infundatur in anima, Deus per condonationem, quæ est, veluti causa efficiens moralis, remittit peccatũ; causa autem formalis remota est gratia habitualis: proxima verò nulla alia, præter,

ter ipsam priuationem peccati. Verum hæc differentia inter hæc duo constituitur; quod Deus est causa efficiens corruptionis frigoris, per subtractionem influxus requisiti ad conseruationem: in remissione autem peccati, Deus est causa efficiens moralis, per condonationem, & relaxationem; eo quod peccatũ sit quid morale; & ita non possit à Deo destrui per negationem influxus; cum ab eo non conseruetur per influxum. Argumenta infra adducam, & soluam.

CAPVT II.

Ponitur prima conclusio; sola Gratia habituali nos formaliter iustificari.

§. I.

1. conclusio. 1 His tamen non obstantibus: sit prima conclusio. Gratia nobis inhærens suapte natura nos formaliter iustos reddit, ita vt illam habentes, præscindendo à quocunq. alio extrinseco fauore, non possint non placere Deo, tanquam iusti. Hanc sequuntur Aureolus, Greg. Capreol. Ruar. ar. 8. §. *Occurrit 1^m*; & Sot. 2. de nat. & grat. c. 18. & in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. & omnes ij, qui docent, peccatum, & gratiam secum pugnare, non meritoriè solum, sed ex natura rei. Probatur tamen nostra conclusio primo: si qualitas nobis inhærens ex sua natura non constituit nos iustos apud Deum, sed accedente Dei fauore, & acceptatione; atq. præsente solum illa qualitate; ergo non inest nobis vera, & perfecta iustitia, & sanctitas, sed imperfecta; & inchoata: sed hoc est Dogma Hæreticorum, quorũ meminimus supra, &c. probatur sequela: nam si totum id, quod nobis inhæret, ex sua natura non sufficit, vt constituat nos iustos, sed requiritur fauor, & acceptatio Dei; ergo quicquid intrinsecè nobis inhæret, ex se, non est perfecta iustitia, sed inchoata; patet consequentia; quia si ex se perfecta esset, ipsa, sine aliquo alio extrinseco, nos redderet iustos, & sanctos apud Deum; quis hoc non videat? Confirmatur, quia si iustitia nostra inhærens fauore extrinseco compleretur, sequeretur, causam formalem nostræ iustificationis non esse vnicam tantum, sed duplicem; aut totam causam formalem esse fauorem extrinsecum Dei; sed vtrumq. est contra Tridentinum, ergo, &c. probatur sequela; & primò, esse duplicem causam; quia vnica, & potissima erit fauor Dei; altera erit qualitas sanctitatis, quæ est imperfecta, & inchoata, vsq; dum per fauorem perficiatur, quod plane est contra Concilium sess. 6. c. 7. vbi dicitur: *Demum, vnica formalis causa, &c.* vel sequitur, totam causam formalem esse fauorem extrinsecum Dei, nam; si iustitia inhærens non esset iustitia completa, ex natura sua, ex eo, quod haberet fauorem Dei extrinsecum, non mutaretur, vt fieret iustitia: nec ex ipsa, & fauore Dei posset conflari vna iustitia; sed sicut fauor Dei, præsente illa qualitate, hominem iustificaret, posset etiam, præsente quacũq. alia re, quam Deus vellet constitutione sua determinare, idem omninò facere; ergo qualitas inhærens nil sanctitatis esset; sed tota iustitia in fauorem extrinsecum Dei, & acceptationem reduceretur; quod est contra Tridentinum sess. 6. can. 11. vbi, post alia verba, sic concludit: *Aut etiam gratiam, qua iustificamur* (nempè; dixerit) *esse tantum fauorem Dei, anathema sit.*

1. ratio.

Aureol. Greg. Capreo. Ruar. Sot.

Conf.

Trid.

2 Sed dices: ex qualitate gratiæ, & fauore Dei fieri vnam formam totalem, quæ reddit nos iustos coràm Deo; ac proinde, causam formalem nostræ iustificationis, vnicam esse, cõflatam ex qualitate, & fauore Dei. Euasio aduersariorum.

§. II.

3 Sed contra primò, quia verbum illud (*vnicam*) in sensu Concilij, idẽ est, atq. simplex, & indiuisibilis: illud autem coniunctum, nec simplex, nec indiuisibile est; quia verbum illud adiectum est contra Canonicos Colonienses, qui dicebant, sola qualitate gratiæ non iustificari hominẽ, nisi fauor Dei accederet; constituebant ergo formam iustificationis, non simplicem, sed compositam ex renouatione interiori, & fauore Dei. Impugnatur 1.

4 Tum etiam, quia si verbum *vnica*, non significaret simplicem, & indiuisam causam formalem, otiosum esset, & inutile: nam quod in homine, qui iustificatur, non sint duæ formæ totales, tanquam causæ integræ eiusdẽ effectus, à nemine dubitatum est, nec dubitari potest; ergò verbum *vnica*, nõ reprobat duas formas tota- Secundò.

totales, sed quālibet formam, quę non sit simplex, & indiuisa.

Tertiò. 5 Demum: ex qualitate gratię, & fauore Dei non posse componi vnam formam totalem; sed si fauor Dei requiritur, illum esse verè totam causam formalem iustificationis: quod damnatum est à Tridentino can. 11. probatur: quia existente qualitate gratiæ in subiecto, secundum hos Doctores, ad huc homo non est iustus coram Deo, donec accedat fauor ille; ergo ille fauor superueniens est forma, quæ iustificat ad pręsentiam qualitatis gratię; ac proindè, ista forma iustificationis est nudus fauor; & qualitas gratiæ tantum requiritur, vt conditio ad aduentum formę iustificationis: Probatur consequentia, quia si gratia habitualis, antè aduentum fauoris, non redebat hominem sanctum, natura sua, ex fauore superueniente non poterit reddi efficacior, vt efficiat iustum; ergo forma efficiens iustum erit fauor adueniens, & non qualitas gratię. Probatur antecedēs; nam Deus non potest augere vires causę formalis, nulla facta mutatione intrinseca in forma. Cuius ratio est, quia effectus formalis consistit in vnitate entitatis formæ cum subiecto apto; ergò si forma non vnitur, vt talis, non potest reddere subiectum, quale desideratur, v.g. per albedinem, vt quatuor, non potest Deus reddere album, vt quinque: semper enim remanebit subiectum habens albedinem vt quatuor; & cum album sit habens albedinem, nunquam erit album, vt quinque, donec forma crescat in illo gradu; ergo fauore Dei non potest fieri, vt qualitas gratiæ præstet effectum formalem, quem non præstabat natura sua.

§. III.

Vltima ratio. 6 Vltimò probatur conclusio; quia Chymericus est fauor ille superueniens: nam nouus fauor Dei nequit intelligi, sine noua voluntate; sed noua voluntas in Deo constitui nō potest, nisi facta mutatione in subiecto diligibili: Deus enim non vult liberè, nisi quatenus Essentia sua variè cōparatur ad obiecta; & ex parte gratię habitualis nulla fit mutatio per fauorem illum aduenientem; ergò frustrà dicemus, Deum habere nouam voluntatem post infusionem iustitiæ inhærentis, qua velit, formam illam iustificare nos.

7 Ex dictis, primo sequitur, falsam esse sententiam Nominalium, cum affirmant, gratiam, qua iustificamur, indigere fauore Dei, vt habeat perfectam rationem iustitiæ. Item, & esse falsam eorum sententiam, qui comparant valorem gratiæ cum valore monetæ; nam moneta non habet totum valorem ex natura metalli; sed indiget voluntate, & institutione Regis; secus est in iustitia nostra inhęrente. Deindè, & falsam esse sententiam affirmantium, posse crescere gratiam, in ratione qualitatis, absque eo, quod crescat in ratione gratiæ, aut è contra. Nam si qualitas illa, natura sua, est pulchritudo, & iustitia nostra, eo ipso, quod augeatur intra naturam qualitatis indiuiduę, augebitur in ratione iustitię, & pulchritudinis. Vltimo sequitur, qualitatem gratiæ tam esse nitidam, & deiformem, ex natura sua; vt subiectum habens illam qualitatem, non possit non placere Deo, & ab eo diligi, non tātum generali complacentia, sicut placent omnes aliæ qualitates positiuæ, sed speciali etiam ratione, quatenus obiectum, etiam informatum illa qualitate, necessariò diligitur à Deo, vt amicum, & dignum æterna Beatitudine: nam quamuis hominem quemuis iustum possit Deus non acceptare ad vitam æternam, quia potest operari præter exigētiam subiecti; tamen non potest non complacere in illo, & non reputare illum dignum æterna hæreditate. Ex dictis infertur falsitas omnium dicendi modorum Aduersariorum.

CAPVT III.

Sola Gratia habituali nos à peccato mundari.

§. I.

1 Secunda conclusio: eadem qualitas gratiæ, natura sua, & sine nouo fauore, purgat hominem à peccato. hanc docet D.Tho. & Caiet. 2.2.q.24.art. 12. & ponderari debet Diuus Thom. in argumento; *Sed contra*; & in principio corporis. Constituit enim oppositionem inter habitum Charitatis, & peccatum, ex natura rei; ac proindè, vtrunque se expellet physicè à subiecto, & non demeritoriè tantum: Eandem tenet Soto 2. de natur. & grat. c. 18. & Ruardus art. 8. *§. occurrit*, vbi docet Iu- Secūda conclusio D.Th. Caiet. Peccatum, & gratiam physicè se expellere ab eodem subiecto. Soto. Ruard.

Iustitiam inhærentem non posse esse in eo, qui est ingratus, Deo inimicus, & dignus odio.

Prima ratio. 2 Probatur autem prima conclusio: quia si post renouationem iustitiæ inhærentis, adhuc esset necessarius nouus fauor ad abstergendam maculam peccati, sequeretur, post infusionem gratiæ, & charitatis, denuò applicari nobis merita Christi ad remittendum peccata: quia ipsa remissio, & condonatio, formaliter accepta, est donum Dei, quod nobis cōfertur in sanguine Mediatoris; & ità tunc applicantur nobis merita Christi, quando, intuitu eorum, vel remittitur peccatum, vel confertur quodlibet aliud donū; sed cōsequentis absurditas conuincitur, Trident. ex Tridentino sess. 6. c. 7. vbi, cum dixisset, Iustitiam inhærentem esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis; ne videretur detrahere aliquid meritis Christi, adiecit: *Quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi applicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, cum eius sanctissimæ Passionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & eis inhæret*. vbi nota, applicationem meritorum Christi, quorum intuitu homo desinit esse inimicus, & incipit esse amicus Dei, tunc solum à Concilio constitui in iustificatione, quando per iustitiam inhærentem renouatur anima iustificari. Cumquè hæc propositio dogmatica sit, & doctrinalis, vniuersalis esse debet; erit ergo eius sensus: Merita Christi, post infusam iustitiam inhærentem, non amplius applicari ad soluēdam maculam peccati; sed in eo applicari nobis, quod intuitu Passionis eius, infunditur nobis forma, quæ radicitus abstergit omnem contagionem peccati.

§. II.

Secūda ratio. 3 Secundò, probatur, Iustitiam inhærentem, se sola, ex natura rei, eradicare maculam peccati; quia ex opposito sequitur, renouationem Iustitiæ inhærentis, & remissionem peccati esse duas mutationes, non quidem connexas inter se, sicut generatio, & corruptio; sed concomitanter se habentes, & inter terminos disparatos: ac proindè, falsam esse hanc propositionem, *Homo ex peccatore renouatur interius, & fit iustus vera iustitia; ex inimico fit amicus Dei*: Prima consequentia probatur, quia mutationes inuicem connexæ non inueniuntur inter terminos disparatos, quales, in sententia Aduersariorum, sunt, status peccati, & iustitia renouationis; quos terminos existimant, suaptè natura, non esse incompossibiles in eodem subiecto. Secunda consequētia probatur, quia particulæ *ex*, *et*, *de*, in propositione, cum nō denotat materiam, denotant terminum *à quo*, physicè repugnantem termino *ad quem*. Quatè, cum cera, alias frigida, & concreta, admouetur igni; quia ibi reperiuntur duæ mutationes, concomitanter, solum se habentes, scilicet, calefactio, & liquefactio; ineptè diceremus, Cera ex concreta fit calida; ex frigida fit liquida; quia hi termini non sunt physicè repugnantes. Dicemus ergo, ceram ex concreta fieri liquidam; ex frigida calidā; ergo si renouatio iustitiæ inhærentis, & status peccati sunt duæ mutationes, tantum concomitanter se habentes, falsa erit hæc propositio. Homo ex peccatore renouatur interius, & fit iustus vera iustitia; ex inimico fit amicus Dei.

4 Sed concedit libenter consequentiam Scotus in 4. dist. 16. Ast consequētis absurditas, scilicet, infusionem iustitiæ, & remissionem peccati, non esse mutationes connexas, ostenditur ex Tridentino sess. 6. c. 3. vbi, cum adduxisset verba illa Pauli ad Coloss. 1. *Qui nos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ*. cap. 4. sequenti in princip. affirmat Concilium, illis verbis insinuasse Apostolum descriptionem iustificationis impij; vt sit translatio ab statu peccati, ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. Admittit ergo Concilium enim transitum, quem Scotus negat; & concedit, hominem ex peccatore renouari, Iustitia inhærente; & ità dicere oportet, peccatum, & iustitiam inhærentem opponi ex natura rei; Alioquin, nec iustificatio internæ renouationis esset remissio peccati; neque peccatum esset terminus à quo in infusione iustitiæ; omnis enim mutatio est inter terminos suaptè natura incompossibiles. Responsio Scoti impugnatur. Trid. D. Paul.

§. III.

5 Sed respondent aliqui, peccatum opponi ex natura rei toti statui iustificationis; & ita, veram esse propositionem Pauli, & Concilij: statum autem gratiæ, & adoptionis includere, & renouationem internam, & cōdonationē extrinsecam peccati. Quorundam Responsio.

6 Sed

Impugnatur. 6 Sed contra, quia saltem sequitur, infusionem gratiæ, & remissionem peccati concomitãter se habere in subiecto; sicuti siccatio, & calefactio ceræ; quia iustitia inhærens non pugnat natura sua cũ peccato: hoc autem absurdum est: quia tunc falsa esset hæc propositio; *Homo, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, quibus renouatur, fit ex iniusto iustus; & ex inimico amicus*; non .n. fit amicus ex inimico, secundum hos DD. formaliter, per susceptionem iustitiæ, sed

Trident. aliundè. Ast Tridentinum sess. 6. c. 7. diffiniens iustificationem inquit; *esse non tantum remissionem peccati, sed renouationẽ interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorũ Dei; vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus*; vbi vrgenda est particula illa (*vndè*) quæ denotat, non aliundè fieri hominem amicum ex inimico, quàm ex ipsa renouatione, & susceptione gratiæ.

2. impugnatur. 7 Secundò, falsum est, toti illi statui gratiæ, & adoptionis opponi peccatum: quia nõ opponitur, nisi parti posteriori; quod si ideo dicatur opponi toti statui, quia status ille est quid coniunctum ex parte repugnãte cum peccato, & ex gratia habituali; proinde esset, ac si diceret, coniunctum ex albedine, & condonatione peccati, pugnare cum peccato; quod esset ridiculum: patet consequẽtia: quia, ex sententia aduersariorum, non habet maiorem oppositionem gratia habitualis cum peccato; quàm albedo, aut quid simile.

Vlt. impugnatur. 8 Vltimò: non possunt negare, iustitiam inhærentem, vt præintelligitur fauori Dei, esse renouationem animę: ergo eo ipso intelligitur facta mutatio ad illã qualitatem, ex vetustate peccati, & vitæ præteritæ: patet consequentia; nam renouatio est mutatio à vetustate in nouitatem, metaphora sumpta ab Architectis, qui non dicuntur renouare domum; nisi, cũ loco veteris parietis, nouum extruũt;

D. Pet. vnde primæ Pet. 4. dicitur. *Qui passus est in carne; hoc est, qui per pœnitentiam renouatur, desijt à peccatis; vt in nouitate vitæ, quod reliquum est temporis, viuat in carne.*

§. IV.

3. probatur 2. conclusio. 9 PRæterea probatur nostra conclusio alia ratione. Iustitia inhęrens, & macula peccati, ita repugnant natura sua, vt per nullam potentiam possint esse simul in eodem subiecto; ergo sine nouo fauore pellit peccatum: antecedens probatur: quia iustitia inhærens est vera sanctitas animæ; & proinde reddit hominẽ dignum amore Dei, & æterna Beatitudine: peccatum autem, natura sua, reddit hominem dignum odio, & priuatione æternæ Beatitudinis; sed impossibile est, hominem simul, & semel, esse dignum Beatitudine æterna; & æterna illius priuatione; ergo repugnat, simul habere gratiam, & peccatum.

10 Respondẽt: aliam esse dignitatem Phisicam, prouenientem ex forma, quasi naturali; aliam moralem, prouenientem ex actu libero, qui dignus sit laude, aut vituperio: gratia ergo reddit hominem dignum vita, phificè; peccatum verò reddit hominem dignum morte, moraliter tantum: dicuntq., non esse inconueniens, hominem esse phisicè dignum Beatitudine, moraliter verò æterna pęna; quia istæ dignitates sunt diuersi generis; quod exẽplo probant: nam filius naturalis, qui cõmisit patricidium, est phisicè dignus hæreditate patris: quia hæc dignitas resultat ex solo iure sanguinis: & moraliter est dignus priuari hæreditate, propter commissum crimen. Solutio aduersariorum.

11 Sed contra: nam dignitas æterni præmij, aut supplicij, nil aliud est, quàm, debitum habendi æternum præmium, vel supplicium; sed impossibile est, debitum gloriæ, quacunq. ex causa oriatur, perseuerare cum debito priuationis illius, etiam, quacunq. ex causa proficiscatur: quia gloria, & priuatio gloriæ, per nullã potentiam possunt esse simul; ergo nec debitum vtriusquè: patet consequentia; quia respectu rei impossibilis non potest esse debitum habendi in subiecto; maximè si res à Deo obtineri debeat; nam absurdum est, Deum cõstituere debitorem rei impossibilis, qualis esset gloria, perseuerante priuatione illius. Impugnatur.

12 Adde; quia, si ideo possunt esse in eodem subiecto peccatum, & gratia; quia gratia est nitor phisicus, & peccatum est macula moralis: sequitur, vnionem hypostaticam posse esse etiam cum peccato naturæ lapsæ; v.g. si Deus assumeret humanitatem, alias peccatricem, non infundendo illi aliquem habitum: patet sequela: quia sanctitas, quæ proueniret ab vnione hypostatica, non minus esset phisica, quàm quæ prouenit à gratia: nam natura Deificata per vnionem non suscipit formam aliquam liberam, quæ Conf.

sit

sit fundamentum dignitatis moralis; sed consequēs absurdum esse probatur; quia alias Christus Dominus non fuisset Sanctus per Essentiam ipsa Deitate, tāquam forma; contra doctrinam Patrum: nam sanctitas per Essentiam in nulla opinione potest secum admittere labem peccati: aut ostendant nobis, vnde probetur à priori, Deum nō posse peccare? nisi quia Essentia sua est illi prima sanctitas, atque iustitia.

13 Nec exemplum illorum aliquid probat; nam filius naturalis, post commissum patricidium, nullo modo manet dignus Paterna hæreditate; hæc.n. dignitas non oriebatur ex sola participatione sanguinis; sed connotata negatione delicti: hoc est: filius naturalis est dignus hæreditate Patris, natura sua, quandocunq. non impedierit reatus delicti: adueniente autem Patricidio, simpliciter manet indignus hæreditate, immò dignus morte.

§. V.

Alia Responsio ad idem arg.

14 RESpondent alij argumento; non repugnare hominem esse dignū amore Dei in habitu; & sic, in habitu esse amicum Dei; & inimicum per affectum; nam inter homines contingere potest; vt duo, qui habebāt habitum amicitiæ mutuæ, multis affectibus fiant inimici; & tamen non continuò corrumpitur habitus amicitiæ; quia hæc non tollitur, nisi pluribus actibus contrarijs: poterit ergo manere inimicitia in affectu peccati actualis cum amicitia habituali gratiæ.

Impugnatur nota discrimē inter Diuinam, & humanam amicitiam.

15 Sed contra est discrimen inter Diuinam, & humanam amicitiam; nam habitus amicitiæ humanæ non reddit simpliciter hominem amicum; sed promptum, & habituale ad diligendum alium amore beneuolentiæ: amicitia autem cōstituitur in mutuo moris affectu, vtriq. noto, & beneficijs confirmato: ex quo fit, amicitiam humanam, quæ in affectu beneuolentiæ consistit, non constitui à D.Th.2.2.q.114.art.1. peculiarem virtutem: tantum .n. assignat pro virtute speciali, affabilitatem inter amicos, quæ est in verbis; eo quod ea, quæ in affectu beneuolentię consistit potest consequi quācunq. virtutem; & ita est affectus generalis: ratio autem est, quam benè assignauit Henric. quodl.10.q.12. quia sine culpa eius, qui habet habitum amicitiæ potuit dissolui mutuitas amoris; ex eo tantum, quia alter ipsum non amet: & ita manere potest habitus ille beneuolentiæ erga alium, dissoluto vinculo amicitiæ; vel quia in ipso habente habitum incipit odium erga alterum, quem diligebat antea; vel, quia in altero cessat reciprocus amor; & in odium conuertitur; habitus.n. beneuolentiæ non subit rationem amicitiæ; de cuius ratione est, quod sit mutuus amor, vtriq. notus, & beneficijs confirmatus; nisi ex vtraq. parte amor præteritus dicatur perseuerare; quod fit, si nō interrumpatur per odium, & affectum contrariū: at habitus amicitiæ erga Deum talis naturæ est, vt non tribuatur ad solam facilitatem diligendi; sed ad hoc, vt reddat hominem simpliciter amicum; propter ea, quæ, cum non potuerit homo habere habitum gratiæ, nisi Patris Deus illum dilexerit; quia velle ei bona supernaturalia est quædam species amoris; sequitur, vt cum primo gratia inest homini, reddat amicum simpliciter; quia ex parte Dei non potest cessare mutuitas amoris; nisi prius homo incipiat, violatione legis: perseuerante autem habitu sub expressa relatione amicitiæ, etiam inter homines, non contingit, simul esse inimicitiam in affectu.

§. VI.

Probatur à priori 2. conclusio.

16 SEd ratio à priori nostræ conclusionis est; quia gratia habitualis est vera sanctitas, & iustitia animæ nostræ: de ratione autem veræ sanctitatis est, vt per nullam potentiam possit esse simul cum deformitate peccati: ea.n. sanctitas, quæ secum admitteret peccati labem non esset vera iustitia, ac sanctitas; sed tantum imperfecta, apparens, ficta, &c.

Respōsio aduersariorum.

17 Sed Respondent alij; de Essentia veræ iustitiæ non esse, vt se sola excludat macullam peccati; sed, vt iam existens in subiecto, postulet fauorem illum, quo remittatur peccatum; sicut de Essentia frigiditatis non est, se sola, expellere calorē; sed, quod semel producta in subiecto, postulet à Deo negationem influxus, quo conseruabat qualitatem contrariam.

Impugnatur 1.

18 Sed contra primò; quia quando forma, quæ expellenda est à subiecto, excluditur immediata subtractione influxus, necesse est, formam illam conseruari ab agente; sed status peccati non conseruatur à Deo; ergo post renouationem iustitiæ inhærentis, non potest tolli noua condonatione Dei, aut subtractione influxus.

19 Deindè; Deus non potest, sola sua voluntate, conseruare in aliqua re denominationem, nisi conseruet id, à quo talis denominatio procedit: vt si fuerit intrinseca denominatio, qualis est albi; debet conseruare albedinem in subiecto denominato; si vero, extrinseca, debet conseruare fundamētum, à quo sumpta est huiusmodi denominatio, & sine illo eam conseruare non potest; v.g. si columna maneat dextera, cōseruare debet animal in ea loci positione, vt habeat ipsam à dextris suis; similiter, talē denominationem auferre non potest, sola sua voluntate; sed adesse debet sufficiens fundamētum contrariæ denominationis; quia nō potest facere columnam de sinistra dexteram, & è contra; & parietem ex albo nigrum, & è contra, sola sua voluntate, sed mutato fundamēto, aut forma; & rursus, semel inducta forma, aut fundamento contrario, non potest nō euerti denominatio illa præexistens: quando Deus non potest formas contrarias, aut fundamenta contraria simul in eodem subiecto cōseruare; v.g. quia fundamenta denominationis dexteræ, vel sinistræ, respectu columnæ, non potest Deus simul conseruare; ideo, posito fundamento denominationis dexteræ, statim recedit denominatio sinistræ; quod secus contingere potest in frigore, & calore; quia Deus vtrumquè potest conseruare. Sed status peccati habitualis, & denominatio peccatoris prouenit à relatione ad actum præcedētem, non emendatum; ergo non potest aliter tolli, quàm inductione iustitiæ inhærentis; & ea semel inducta, tolli debet necessario: patet consequentia, ex posita doctrina.

§. VII.

20 Sed aduertite ex his, quæ docuimus Disputatione præcedenti, quod si in rigore loquamur, & de facto; hic ordo considerandus est in iustificatione; ita vt primo intelligamus, per actum contritionis perfectè retractatum actū peccaminosum; & ex consequenti, destructam denominationem illam, quæ in relatione ad talem actum fundabatur; quam diximus, esse primarium effectum peccati; nempè, maculam illam essentialem; ante quam intelligamus gratiam in anima; adueniente autē gratia, intelligimus iam totum peccati statum penitus destructū, & animam sanctificatam vera sanctitate, ac iustitia; quia adueniente gratia, tollitur priuatio eius, quæ erat effectus secundarius peccati; & iustificatur perfectè anima; & sic nulla prorsus indigebit alia cōdonatione: nam non ad primarium effectum, cum ille sufficienter intelligatur emendatus per actum contritionis, præcise; non ad secundarium; cum per aduētum ipsius formæ sit phisice, & ex natura rei emendata priuatio; ergo ad quid cōdonatio deseruiet? Nota.

21 Cum autem dicimus, gratiam, se sola, ex natura rei emendare peccatum; non ideo excludimus, secundum legem ordinatiam, contritionem præcedentem in priori naturæ, vt dispositionem; sed quemlibet alium fauorem, de nouo ab extrinseco superadditum ipsi gratiæ: benè verum est, quod, etiam si non esset cōtritio, & daretur gratia, (vt patet in iustificatione, quæ sit mediante Sacramento, vbi tantum reperitur attritio, quæ non sufficit, se sola, efficere id, quod contritio operatur: nam attritio non est conuersio simpliciter ad Deum; sed potius dolor quidam de peccatis propter pœnas Inferni, ignominiam ipiusmet culpæ, &c. & non propter Deū summè dilectum:) tunc (inquam) ipsa gratia se sola, ex natura rei, expellet, & destruet totum peccati statum; Ast vbi interuenit contritio; puto, quod per ipsam sufficienter tollatur macula, modo exposito; & per gratiam cōpleatur totius peccati status euersio, & vera nostra iustificatio conferatur.

§. VIII.

22 Sed adhuc quidam recentiores, cōcedentes, condonationem non requiri ad tollendam maculam peccati; volunt nihilominus, præter maculam, esse in peccatore offensam, & iniuriam Deo illatam, & respectu huius, requiri necessariò condonationem offensi Dei; quam doctrinam probant, quia illa iniuria est quid morale, & non potest tolli per entitatem phisicam gratiæ. Vnde necessariò per aliud morale debet emendari; nempe, per condonationem offensi; addunt exemplum alicuius Regis, qui, adhuc post purgatam maculam per condignam satisfactionem ab aliquo homine, qui ipsum offendit, exigit pœnas debitas delicto, ratione offensæ, & iniuriæ: ergo offensa est quid distinctum à macula; & ex consequenti, necesse est emendetur per condonationem, &c. Alia aduersariorū euasio, distinguētiū in peccato iniuriam, & offensam.

23 Sed

Impugnatur.

23 Sed hæc sententia nunquam placuit: quia macula, & offensa nil aliud sũt, quàm status peccati habitualis, qui, comparatione ad subiectũ, quod reddit immutandum, dicitur macula: comparatione verò ad voluntatem Dei, quam transgreditur, dicitur offensa; quod ita probatur, quia offensa nil aliud est, quàm illud, quod reddit Deum offensum, & prouocat ad odium, & ad iram; offensa .i. dicitur relatè ad amicitiam; quia est factum contra voluntatem amici; & ideo reconciliatio habet pro termino *à quo*, offensam præteritam: sed purgata macula peccati, nil remanet, ratione cuius Deus prouocetur ad irã, aut odio habeat peccatorem; ergo post maculam, nulla alia iniuria, aut offensa dimittenda relinquitur; probatur min. primo testimonio Augustini lib. 1. ad Simplic. q. 2. propè finem to. 4. vbi inquirens; quod Malachiæ 1. dicitur Deus odio habuisse Esau, cum Sap. 11. scriptum sit: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Respondet Augustinus, Deum non odisse Esau, quatenus homo erat, sed quatenus in se peccatum habebat: quod (inquit) nil aliud est, quã auersio à Deo, & conuersio ad creaturas: ergo ex sententia Augustini, mutata auersione, & conuersione peccatoris per renouationem iustitiæ inhærentis, nil remanet, quod Deus odio habeat. Secundò, quia si purgata macula maneret offensa, ratione cuius Deus maneret iratus; ergo post renouationem interiorem, maneret homo punibilis, atq. dignus damnatione æterna. Consequens est absurdum; quia in renatis per baptismum nil dãnationis est, vt definitur à Tridentino; deindè sequeretur, statum offensæ contra Deum non esse intrinsecum peccatori; atq. adeo nõ perseuerare verè offensam in ipso intrinsecè, post peccatum commissum, sed imputatiuè tantum.

Aug. Malach. Sap.

Euertitur quędam aduersariorum ratio de moralitate peccati, & phisico esse Gratiæ.

24 Ad argumẽtum de phisico, & morali, Respondeo, hoc nil obstare: nam licet turpitudo, quę in peccato est, sit quid morale; adhuc tolli potest per ipsã gratiã: quia pugnat natura sua cum pulchritudine iustitiæ inhærentis; & sic pulchritudo illa ponit natura sua, impedimentũ peccato, ne perseueret; illudquè penitus euertit; nec ideo debemus dicere, gratiã, & peccatum nõ esse sub eadem ratione, & genere; quia alterum sit morale, & alterum phisicum; nam, cum alterum sit iustitia inhærens; & alterum iniustitia inhęrens, sub eodem genere continẽtur, sicut cętera opposita; oppositio .n., ex parte formalis regulæ, & obiecti vtriusq. contrarij, sumenda est, non ex entitate, quasi materiali.

Satisfit cuidã exemplo ab aduersarijs adducto. Arist. Not.

25 Nequè exemplum Regis aliquid probat: primò, quia (vt docet Arist. 5. ethic.) inter personas damni, & lucri capaces, post mutatum affectum iniuriæ, perseuerat iniustum materiale; .i. perseuerat inæqualitas, non perseuerante culpa; quia subsequens pęnitẽtia præcedẽtis criminis non potest impedire damnum, aliàs factum; sicut nec potest homo, proiectum semel lapidem, reassumere. At respectu Dei, qui ex nostris actibus damnum pati non potest, emendato peccatoris affectu; nil aliud manet, quod habet rationem iniuriæ, etiam materialis; & ideo, post pęnitentiam cum Rege, manet locus nouæ remissioni, & indulgentiæ; Ast, post pęnitentiam cum Deo, hoc est, post purgatam maculam, nulla alia remissio manet.

Alia solutio ad idem exẽplum.

26 Vel dicas: quia Rex potest sibi cõfigere obiectum odij; quod non potest Deus; nam Rex potest odio habere personam; quia, etiam exhibita compensatione delicti, potest retinere in memoria delictum illud, & ratione illius odio habere: sed Deus, semel purgata macula, non potest odio habere personam: *nil odisti eorum, quæ fecisti*; nam post renouationem internam, obliuioni tradit actum præcedentis peccati; nam intuitu illius non amplius irascitur aduersus hominem: vnde inquit: *Quotiescunq. ingemuerit peccator: omniũ iniquitatum eius non recordabor amplius, &c.*

CAPVT. IV.

Euertitur quoddam fundamentum Scoti de infinitate peccati.

§. I.

1 Restat solum in præsenti disp. soluere argumenta contrariæ sententiæ; quorum non nulla soluta manent inter disputandum, & sic superfluum esset illa repetere; reliqua autem, quæ obijci solẽt fundantur in eo, quod sentiunt aliqui ex authoribus contrariæ sententiæ, Pecca-

tum, & offensam in Deum esse infinitæ malitiæ; & sic, per gratiam, quæ qualitas est finita, nisi accedat gratuita condonatio ipsius offensi, remitti, aut tolli non potest; & sic oportet breuiter examinare; an peccatum sit infinitum? vbi præmittenda sunt quædam fundaméta satis necessaria.

1. fundamentum de infinitate peccati. 2 Primum fundamentum sit; quod perfectio essentialis rei, dicétis ordinem ad obiectum, vel finem extrinsecum, non commensuratur cum entitate extrinseci obiecti, vel finis, sed cum suo intrinseco specificatiuo: hoc est, cum modo, & ratione formali, qua ipsum obiectum, aut finem attingit.

2. fund. 3 Secundum fundamétum sit; quod, sicut in genere quantitatis, potest quantitas intelligi, quæ secundum vnā dimensionem habeat infinitatem, & secundum aliam sit finita: vt, si daretur tantum quātitas secundum longitudinem infinita: ita in quantitate perfectionis alicuius actus, potest intelligi, actum esse infinitæ perfectionis, secundum vnam rationem; hoc est, secundum vnam commésurationem perfectionis: esse tamen finitum, & limitatum, secundum aliam rationem, & secundum aliquem alium modum; & sicut illa quātitas, quæ esset infinita, secundum longitudinem tantum, non esset simpliciter infinita, in genere quantitas, sed infinita secundum quid; ita ille actus.

3 fund. 4 Tertium fundamentum sit: quod circa obiectum infinitum potest reperiri actus intellectus, aut voluntatis, qui, cum ipso obiecto, habeat adæquationem; non tantum in eo, quod attingat ipsum obiectum, secundum quod est formaliter infinitum; sed etiam, quod ipsum attingat modo infinito, quatenus attingibile est; & huiusmodi actus est simpliciter infinitus, sicut ipsum obiectum; & hac ratione, cognitio, & amor, quo Deus suam Essentiam comprehédit; & diligit bonitatem, sunt actus simpliciter infiniti. Potest etiā reperiri actus circa obiectum infinitum, attingens quidem ipsius obiecti infinitatem: sed non modo infinito; ita vt, obiectum attingatur, quātum attingibile est; & talis actus est infinitus, solum secundum quid, ratione obiecti, & termini infiniti; est tamen simpliciter finitus; vt actus visionis in patria; & actus charitatis, siué in patria, siué in via. Similiter, si per impossibile daretur malus Deus, qui tanto odio nostrum bonum Deum prosequeretur, quāto amore ipse semet diligit; hic actus odij esset infinitus simpliciter.

§. II.

5 His notatis, dicimus cū communi sententia, quam docuit D.Th. in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 1. & etiam Soto in 4. dist. 19. q. 1. ar. 2. ad 1. & 3. & lib. 3. de nat. & grat. c. 6. &, vt dixi, est hodiè communis in Scholis; peccatum non habere infinitatem simpliciter; sed solum secundum quid, ex parte auersionis, quatenus separat nos à Deo, qui est infinitus; hæc autem infinitas non est peccato intrinseca, sed extrinseca, & ex parte obiecti; & reperitur etiam in actu charitatis, quatenus coniungit nos Deo, qui est infinitum bonum nostrum; nō quia ipse actus charitatis infinitus sit, sed quia versatur circa obiectum infinitum. Hoc dictum manifestissimè probatum, & stabilitum videtur ex positis fundamentis. D.Th. Sot. Peccati maliciam non esse simpliciter infinitam.

6 Sed vlterius probatur; & primò à posteriori: quia (vt in materia de peccatis dicitur Contra Stoicos.) Peccara sunt inæqualia, non solum in ratione malitiæ, sed etiam in ratione iniuriæ. & offensæ: negari .n. nō potest, magis offendi Deum vno peccato, quàm altero, & magis irasci aduersus vnum, quàm aduersus alterū peccatorem: sed si offensa peccati essee infinita simpliciter; necesse esset, omnia peccata esse æqualia; vel saltem vnum non esse maius altero, contra expressam sententiam Saluatoris, dicentis. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Repugnat. n. rectæ rationi, vnum infinitum esse maius altero, in illo genere: quia maius, & minus sunt passiones quantitatis determinatæ, & certæ; sunt. n. relationes secundum mensuram: quantitas autem infinita non est subiecta mensuræ: quia infinitum pertransiri, & mensurari nequit; nam mensura est, qua cognoscitur quantum: de infinito autem non possumus id cognoscere, cum careat extremis; & omne mensurabile necesse sit exauriri per mensuram. 1. probatur à posteriori.

7 Præterea: quia, minus, dicitur id, quod in quantitate exceditur à maiori: sed infinito repugnat, excedi; ergo & esse minus; probatur min. quia excessus est adiectio nouæ quantitatis, quæ in præexistenti non censebatur inclusa; nam si in præexistenti includeretur quantitas illa, vel tantundem cum illa quantitate, non excederetur in quantitate quantitas præexistens; sed ad minimum, esset æqualis: impossibile autem est adijcere infinito quantitatem aliquam, quæ in ipso nō com- Conf.

comprehenderetur; nam cum infinitum nunquam exauriatur, qualibet quantitas excogitabilis includitur in eo: alias, si nō includeretur, ex illa parte clauderetur fine; ergo contradictio est, quod vnum infinitum excedatur ab alio; sicut contradictio est, quod in duratione excedatur, saltem ex illa parte, quod nunquam desinit.

§. III.

Probatur 2. a priori.

8 PRobatur secundò à priori, quia vel ratio offensę, & iniuriæ in peccato consistit in positiua contrarietate; vel in priuatione aliqua: vtroq. modo sequitur, ipsam non esse infinitam simpliciter; nam si consistit in contrarietate, necessariò debet habere formam aliquam creatam; (nam substantiam ipsam Dei, quæ est extra omne genus, pro contrario habere non potest:) sed omnis forma creata, cui peccatum opponatur contrariè, finita est: ergo & ipsa offensa peccati manebit simpliciter finita: nam si vnum contrariorum infinitum non est; neq. alterum esse potest: collocantur .n. sub eodem genere: quod si malitia offensæ consistat in priuatione aliqua, etiam debet esse finita: quia malitia illa non priuat Deo, tanquā forma, sed tanquā obiecto, & fine; sicut cęcitas non priuat colore, tāquam forma: sed visu; ergo grauitas offensæ non est desumenda ex bonitate Dei; sed ex bonitate virtutis, coniungentis nos Deo, sicut malitia cęcitatis non desu nitur proximè ex bonitate coloris; sed ex bonitate potentiæ visiuæ; & in vniuersum, siuè offensa peccati opponatur contrariè, siuè priuatiuè, cum virtute: hac ratione colligitur, non esse infinitam simpliciter, sed tantum secundum quid: nam non est excogitabile aliud genus malitiæ moralis in actibus nostris, præter illud, quod habent actus ex violatione legis; quia si aliquid est in actu nostro, quod non prohibetur lege, illud nō posset esse malitia moralis, neq. culpa; non .n. esset factum, nec dictum, nec concupitum contra legem æternam; quæ est definitio peccati, (ex Augustino 22. contra Faustum;) siuè ergo malitia moralis consistat in priuatione moralis rectitudinis, siuè in relatione contrarietatis ad virtutem; necessariò finita est; quia tam malitia priuationis; quàm habitus oppositi commensurantur adequatè ex bonitate habitus oppositi, cui opponuntur, vel priuatiuè, vel contradictoriè; at verò bonitas moralis, quæ deberet esse ex lege in nostris actibus, finita est; ergo nulla malitia peccati poterit esse infinita simpliciter.

§. IV.

9 DIces primò, offensa crescit, crescente dignitate personæ, quam offendimus; sed Deus, quem offendimus per peccatum, est infinitus simpliciter; ergo & ipsum peccatum infinitum simpliciter est. Respondeo, consequentiam hanc esse vitiosam: sunt .n. multæ instantię illius; quia certum est, eo esse nobiliorem amicitiam, quo dignior est amicus, quem diligimus; ex quo non licet inferre, bonitatem charitatis infinitam esse: quia Deus, quem charitate diligimus, vt amicum, in infinitū exedit omnes alios. Idem de visione beatifica, &c. & eadem est ratio in materia offensæ, & iniuriæ; quia cum grauitas iniuriæ crescit ex dignitate illius, qui passus est iniuriam; nō crescit vniocè intra idē genus: hoc est, non crescit secundum proportionem arithmeticam, quæ dicitur vnius ad vnū; sed crescit analogicè, & in alio gēte, iuxta proportionem geometricam, quæ dicitur, duorum ad duo; v.g. benè possumus inferre: si quo maior est numerus militū, maior etiam est numerus armorum: si fuerint infiniti milites, numerus armorū infinitus erit: hoc autem ideo est, quia in hac proportione obseruatur habitudo vnius ad vnum; singuli .n. milites indigent singulis armis: quando verò in casu nostri argumenti, ex infinitate Dei infertur infinitas iniuriæ; non seruatur illa proportio; sed altera, .f. duorum ad duo; nā sicut ex dignitate hominis, quem lęsimus per iniuriam, & ex operatione praua in tali materia contra ipsum, resultat offensa, & violatio iustitiæ, ita ex infidelitate promissionis factæ Deo, qui summè dignus est, cui adimpleantur promissa, resultat offensa, & iniuria in alia specie, .f. irreligionis; & quemadmodum dignitas patris offensi, inhumanis, extrahit actum à communi ratione iniustitiæ, & transfert ad speciem impietatis; ita dignitas Dei offensi per peccatum transfert iniuriam ad grauiorem speciem; nimirum, vel contra fidem, vel charitatem, &c.

Obiectio 1.

Nota de proportione arithmetica, & geometrica.

10 Se-

§. V.

2. Obiectio. 10 Secundo dices, peccatum priuat nos Deo summo, & infinito bono; ergo infinitum, &c. Respond. peccatum non esse priuationem Dei, secundum se sumpti, sed vt participatur à nobis, medijs actibus, & habitibus supernaturalibus, quæ participatio finita est. Vel secũdo, vt supra, priuat Deo, tanquam forma; nego: tanquam obiecto, concedo.

Solutio.

3. Obiectio. 11 Tertiò, peccatum, quantum est ex se, destruit ipsum Deum; nam quantũ est ex se, tollit à Deo rationem summi boni, & vltimi finis; nam si esset capax tristitiæ, de peccato mortali tristaretur, & cum tristitia non compatitur essentialis Dei Beatitudo, &c. Respondeo, idem esse dicere, peccatum, quantum est de se, esse destructiuum Dei, ac dicere; calorẽ, de se, esse calefactiuum Angeli: & quamuis Deus mori, aut destrui possit, peccatum minimè eum destrueret: quia peccatum solum tollit à Deo rationem vltimi finis, extrinsecè; quod licet cedat propriè in offensam Dei, nullum tamen damnum Deo infert: & si per impossibile, Deus esset capax tristitiæ, aut peccatum, non contristaret Deum, quia illi nõ noceret; aut si tristitiam afferret, non cõtinuo ipsum extingueret: Haberet enim infinitam virtutem, qua posset ferre omnem tristitiam: peccator ergo, ex vi mortalis culpæ, in affectu solum vult, Deum non esse vltimum finem, quia cum conuertatur ad creaturam, ponatq; in ea rationem vltimi finis; cum non possint esse duo vltimi fines, hinc dicitur, Interpretatiuè, tollere à Deo rationem vltimi finis.

Solutio.

Nota. 12 Et nota, quod licet esset possibile, hominem directè & formaliter velle tollere rationem intrinsecam summi boni & ipsum destruere: Adhuc non esset peccatum infinitum simpliciter: quia licet voluntas hæc respiceret obiectum extrinsecum infinitè malum; nempè, destructionem actualem ipsius Dei; limitaretur tamen intrinsecè ex modo finito, & limitato, quo in istud obiectũ ferretur voluntas.

4. Obiectio. 14 Quartò, peccatum punitur pœna infinita; non tantum extensiuè, & secundum durationem, sed etiam intensiuè; quia talis infinitas reperitur in pœna damni, quæ cõsistit in perpetua Dei priuatione, & visionis beatificæ carentia. Pœna autem proportionatur culpæ; ergo culpa infinita. Respondetur, pœnam damni, præter infinitatem extensiuam, & secundum durationem, esse tantum infinitam, secundum quid, & obiectiuè; quia tantum priuat hominem perfectissima Dei participatione. Neque refert, quod illa participatio possit in infinitum intendi; tum quia illa priuatio solum est carentia visionis Dei, vt sic; abstrahendo ab intensione, sicut peccatum mortale, per se, priuat gratia, vt sic, non vt dicit intensionem; tum etiam quia in illa pœna est magis, & minus; nõ solum ratione tristitiæ, sed etiam ratione propriæ priuationis, quia non tota illa carentia habet rationem pœnæ; sed tantum prout erat aliquo modo debita, ex quo tantum intelligitur infinitas obiectiua peccati. Ex æternitate autem pęnę, tantum infertur, peccatum esse humanis viribus irreparabile; atq; ita, ex se, æternum, quoad maculam. Solutio

5. Obiectio. 13 Quintò dices: satisfactio Christi fuit infinita simpliciter, ratione personæ satisfacientis, ergo ratione personæ offensæ, iniuria erit simpliciter infinita. Respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia suppositum habet se, quasi forma moralis, dignificãs intrinsecè naturam, per quam operatur, & consequenter, omnes eius actiones. Vndè si suppositum operans est infinitũ, infinitè quoque suam naturam, & operationes dignificabit: è contra verò, obiectum extrinsecum non est forma physica, aut moralis actuum, qui ad ipsam terminantur; neque enim illis coniungitur immediatè; neque etiam aliter concurrit, quam terminando habitudinem intrinsecam huiusmodi actuum; & ideò, licet obiectum sit actu infinitum, non sequitur, infinitos simpliciter etiam esse actus, qui circa illud versantur: neque in immediatè ab eo oriuntur, sed à potentia operante per concursum finitum, & limitatum. Itaq. ideò satisfactio Christi fuit simpliciter infinita, quia suppositum per se, & immediatè ad actum cõcurrit, dando se ipsum, & offerendo se, mediàte eo actu, personæ cui satisfecit; tantus ergo censendus est valor moralis satisfactionis, quãta est dignitas intrinseca suppositi, & personæ, à qua elicitur; non enim potest pro libito dignificare moraliter actum à se elicitum; sed totum, quem illi pôt valorem communicat; cũ non liberè, sed necessariò operetur, in genere

Solutio

Nota. Doctrinam inter supposi tum satisfaciens & suppositũ offendens.

genere causæ formalis: & sic persona Verbi, & concurrit ad actus satisfactorios, in genere causæ efficientis, per diuinam voluntatem liberè operantem; & in genere causæ formalis, quatenus terminabat naturam, dignificando ipsam in ordine ad actus exercendos; non sic obiectum, vt dixi.

Vlt. obiectio 14 Vltimò, malitia moralis aduersatur rectitudini morali, & est destructiua illius: non tantum prout est in homine, aut Angelo; sed etiam prout est in Deo; omnis enim moralis rectitudo habet conuenientiam cum rectitudine morali Dei, saltem analogicam; ergò malitia moralis est intrinsecè infinita. Respondeo, negando antecedens; nam malitia moralis peccati opponitur solum immediatè rectitudini morali, quæ debebat esse in actu nostro; & sic non habet infinitam grauitatem; simili enim argumento probaretur, mortem v.g. canis esse infinitum malum: quia priuat vita animalis, quæ cōuenit cum vita Dei, saltem analogicè. Malitia ergò peccati tantum opponitur Deo, tanquam obiecto habitus oppositi, quo immediatè priuat, vt dictum est. Et hæc de infinitate peccati; Vndè Aduersarij mordicus inferebant, non posse tolli peccatum sola entitate gratiæ, sed necessariam omninò esse extrinsecam condonationem; & sic satisfit motiuo desumpto ex infinitate peccati, ad probandam condonationem extrinsecam.

Solutio.

CAPVT V.

An possit homo iustificari per extrinsecam acceptationem.

§. I.

Scot. Gabr. 1 AST quia Scotus in 4. dist. 1. q. 6. & dist. 16. q. 2. Gabr. in 4. d. 14. q. 1. art. 1. notab. 3. & cæteri Nominales existimant, iustificari posse hominem absque aliqua sui mutatione intrinseca; sed per solam acceptationem extrinsecam. Quā sententiam nonnulli ex Recentioribus amplectūtur; licet non ex eodem fundamētō, & ratione moti. Scotus enim ideo id fieri posse existimauit, quia credidit, transeunte actu peccati, nil remanere in peccatore, præter relationem rationis, consurgentem ex actu Dei, destinantis ad pœnam; qui modus dicendi optimè confutatur à Caiet. art. 2. quæst. 113. cit. ex eo, quod vere intrinsecè remanet habitualiter maculatus, & dignus illa pœna; & alij alia incedunt via: in eo tamen conueniunt, vt fateantur, posse, sine interiori renouatione aliqua, iustificari, solū, per extrinsecam illam condonationem, seu acceptationem Dei.

Sententia Scoti, & aliorum de acceptatione extrinseca.

Caietan.

2 Potest autem primò probari sententia hæc, quia homini cōstituto in puris, si peccasset, posset Deus, sine infusione gratiæ, remittere peccatum; alias impossibilis esset remissio peccati intra limites illius status: eo enim ipso, quo supernaturalia dona infunderentur, cessaret status puræ naturæ.

Probatur primo hęc sententia de homine in puris naturalib.

3 Secundo, quia homo futurus esset necessariò miser in eo statu; quoniam cū solo concursu generali vitare non posset peccatum mortale; & postquam in aliquo laberetur, non posset sine gratia resurgere. Nec sufficit respōdere, posse habere gratiam Dei ad resurgendum: quia ex eo sequitur; intra limites illius status, esse necessario miserum; quia gratia cōtritionis, & quæcumque alia supernaturalis est indebita illi statui, absolutè considerato; Vndè prouidētia debita illi statui ex se insufficiens esset, perducere hominem in suum finem.

Secundo.

4 Tertiò, peccatum illius status, nec destrueret aliquod bonū, ad cuius reparationem gratia esset necessaria; neq; induceret aliquod malū, quod non nisi per gratiam posset expelli: benè ergo remitti posset sine omni gratia supernaturali: patet conseq. quia forma, ideo dicitur necessaria, vel quia expellit malum subiecti; aut quia reparat bonum eius. Anteced. prob. quia ex vi illius status, homo non esset acceptus ad bona supernaturalia; non ergo per peccatum priuaretur illis, neq. incurreret auersionem ab eis.

Tertiò.

5 Quartò, peccatum illius status nō esset cōtra Deum authorem supernaturalem; ergo per solam naturalem prouidētiam posset remitti; scilicet, libera cōdonatione culpæ; vel acceptatione alicuius operis naturalis; ac si esset æqualis compensatio pro illa.

Quartò.

Idem

§. II.

Probatur de homine in natura lapsa.

6 IDem probant de homine in statu lapso; ordinato, inquam, ad bona supernaturalia. Primo si aliquid de nouo productum in peccatore, requiritur ad remissionem peccati; vel requiritur, vt forma peccato opposita, priuatiuè; aut contrariè: non primum, quia peccatum habituale non consistit formaliter in priuatione alicuius doni supernaturalis: si secundum, sequitur, sine omni mutatione posse expelli ab homine peccatum; potest .n. Deus, citra controuersiam, expellere à subiecto quamcunq. formam, sine inductione contrariæ; vt calorem sine aduentu frigiditatis, &c.

7 Secundo: per solum habitum gratiæ, sine aliqua alia dispositione, potest Deus remittere peccatum homini dormienti, & postea auferre ab homine illum habitum; ergo maneret sine peccato, & sine supernaturali conuersione: potuit ergo id ipsum facere à principio; neq. .n. virtus Dei alligatur illis transmutationibus.

Conf. 8 Confirmatur, quia eadem est oppositio doni inhærentis cum peccato; & peccati cum dono inhærenti; sed non implicat, donum inhærens auferri ab homine sine peccato: ergo nec implicabit, auferri peccatum sine dono inhærenti.

Vlt. 9 Vltimò: gratia, & peccatum non sunt immediatè opposita, sed est status quidam medius inter hæc duo, .s. (puræ naturæ:) non ergo implicat, post peccatũ, transferri hominẽ in hunc statum tertium; quia, qualem potest Deus condere à principio, talem potest post lapsum reparare.

Conf. Confirmatur, quia vel remissio peccati est effectus primarius alicuius qualitatis; aut non. ergo sine omni dono, aut mutatione supernaturaliter poterit fieri; sicut expulsio albedinis sine alia qualitate superinducta; si verò est effectus primarius; ergo non solum non potest peccatum remitti sine illa qualitate, sed neq. remissionem factam conseruare sine præsẽtia eiusdem qualitatis: effectus .n. primarius formæ non tantum in fieri, sed etiam in conseruari dependet ab illa: sed potest Deus v g. suspendere concursum, quo conseruat gratiam in puero baptizato: & tamẽ adhuc peccatum remaneret remissum: reproduci .n. non posset ex sola subtractione illa; ergo remissio non est effectus primarius gratiæ.

§. III.

Nec de potẽtia Dei absoluta potest remitti peccatum sine intrinseca mutatione peccatoris.

10 HIs tamen non obstantibus, omnino vera est nostra sententia; loquendo etiam de potentia Dei absoluta; nempè, necessariam esse aliquam intrinsecam mutationem in anima, cum fit remissio; & nec de potentia absoluta, posse remitti peccatum, sola extrinseca acceptatione, seu condonatione, & hoc docet D.Th. dum ait; non posse intelligi remissionem peccatorum, nisi adsit infusio gratiæ, seu interior mutatio: *Quod* (vt benè notat Caiet.) intelligitur, de potentia absoluta: probat autem D.Tho. sic: Ratio D.Th. quia nequit intelligi, de nouo fieri expulsionem peccati, nisi fiat mutatio aliqua, aut in Deo, aut in peccatore: rebus .n. eodem modo se habentibus: si ille abbominabilis erat à principio, exosus manebit sicut antea: sed in Deo nequit mutatio fieri. *Ego Deus, & non mutor.* Malach. 3. ergo necessaria est in peccatore.

Responsio aduersariorũ. 11 Respondent communiter, sufficere mutationẽ in aliquo tertio; videlicet, in solo temporis elapsu: potuit .n. hæc lex promulgari ab æterno: quod homo, qui semel commisit peccatum mortale, vsq. ad certum tempus maneat obnoxius pœnæ, & inuisus Deo; quo tempore elapso, liber sit à pœna, & à statu peccati; sicut Exod. 1. seruus emptitius, elapso septimo Exod. anno seruituris, transibat de seruo ad liberum, solo elapsu temporis, sine reali mutatione, nec in Domino, nec in seruo.

Impugnatur 1. 12 Sed hæc solutio nulla est; quia licet negari non possit, solo lapsu temporis, posse hominem liberari à pœna, (vt contendit Scotus.) Scot. A dignitate verò pœnæ, non video, quomodo elapsu temporis liberari queat: quia, commisso semel peccato: licet homo liberetur à reatu, vel sentẽtia supplicij æterni: tamen, quantum est ex se, & ex parte peccati commissi, dignus manet pœna: donec condignè satisfaciat: ergo manet in statu peccati: quia manet in ea dispositione. ex qua sequitur dignitas pœnæ.

13 Secundò: nam, licet inter aliqua prædicata contradictoria, quæ conueniunt subiecto, sola denominatione extrinseca, posset fieri transitus, solo elapsu temporis vt patet: quando Rex vult, monetam valere tanti, vsq. ad certum tempus: eo transacto, sine aliqua mutatione intrinseca ipsius monetæ, cessabit ille valor: tamen inter prædicata, quorum vtrumquè, vel saltem alterum est subie-

ꝺo intrinsecum, constat fieri non posse transitum sine subiecti mutatione; non. n. potest intelligi, quod quis, solo elapsu têporis, fiat ex vidente cęcus; aut è contra; sicuti potuit fieri ex seruo liber; sed peccatum habituale non est sola denominatio extrinseca, & destinatio ad pęnam, (vt falsò Scotus) sed est inhęrens macula, & intrinseca vnicuique; vnde intrinsecè quis denominatur peccator: ergo vt homo ex peccatore in non peccatorem transeat, impertinens est quęcunq. alia mutatio extrinseca, nisi in ipsomet peccatore fiat.

Conf. 14 Confirmatur: si ad tempus certum statuat Deus, hominem sibi esse amicû, & à pęna ęterna immunem; elapsus temporis non facit hominem, quantum est ex se, dignum amicitia Diuina: ergo & illo tempore accedente est ex se dignus ęterna pęna; ergo inimicus, sicut antea; quia sicut non potuit non displicere ex illa tantum dispositione, ex qua sequebatur dignitas pęnę; si perseueret homo in ea dispositione, respectu voluntatis diuinę, immutata manebit ratio, propter quã habebatur odio: ergo erit vas irę, sicut antea; probatur antecedens; q. a vt homo, quantum est ex se, non sit dignus pęna ęterna, & inimicitia Diuina; non sufficit, ab alio liberari; sed necessarium est, ex parte sua retractare priorem volûtatem; alias non iam, quantû est ex se; sed quantum est ex alio, liberatur. Et explicatur magis; quia, si per impossibile, voluntas Dei mutari posset; & postquam destinauit ad certum tempus, hominem immunem esse à pęna; tempore nondum accedente reuocaret illam voluntatem, & hominẽ punire vellet, sicut antequam priorem legem statuisset; accedente tempore, licet esset Infidelis sibi, puniendo hominem; pęna tamẽ illa non esset iniusta, quantum est ex meritis eius, qui punitur; ergo elapsus temporis nô abstulit ab homine dignitatem pęnę. Vnde infertur, implicare, vt fiat lex, quę hominem, dignum pęna; solo lapsu temporis; non dignum faciat; sed ad tollendam dignitatem, necessaria est ex natura rei satisfactio; & sic intrinseca mutatio peccatoris.

§. IV.

Ex peccato actuali, macula, & reatus. 15 EX his colligo: ex actu peccati non tantum manere reatum, i. destinationem ad pęnam; sed etiam manere maculam, & turpitudinem, ex qua resultat dignitas ad ęternum supplicium: ex his, reatum ad pęnam, cum nil aliud sit, quàm sententia Dei lata contra peccatorem, potest Deus mutare pro sola sua voluntate: vt in comminatorijs sentẽtijs: posset. n. Deus ferre sententiam contra peccatorem sub aliqua côditione, etiam extrinseca; nempè, mutatione temporis, aut loci; dummodo talis Dei destinatio non sit absoluto actu suę voluntatis; tunc . n. non posset reatus tolli; quia voluntas Dei non potest incipere velle, aut non velle in tempore; macula verò, & dignitas ad pęnam nullo modo possunt tolli sine mutatione peccatoris; ratio est; quia macula peccati non oritur ex peccato actuali, pro sola voluntate; sed ex natura, & merito pręteritę actionis, independenter omninò à quouis tempore, & loco; & est effectus, veluti formalis, qui sequitur actionem pręteritam, ex natura rei, donec emendetur mutatione sufficiẽti; qua non adueniẽte, perseuerabit semper relationis illius fundamentum, vnde homo dicitur peccator; & sicuti implicat, quod columna incipiat animali esse sinistra, quę dextera erat, nisi posito sufficienti fundamento denominationis sinistrę; ita in peccato, &c.

Quid reatus.

Dignitas ad pęnam non potest tolli sola Dei voluntate.

16 Ratio autem, quarè Deus statuere potest, vt lapsu temporis no perseueret lex; & Rex, quod vsq. ad certum tempus tâti valeat moneta: & non statui potest, vt peccatum duret ad tempus? est; quia in his, quę pendent ex voluntate Dei, aut Regis: rectè potest vterq. statuere, vt lapsu temporis res non perseueret amplius, absque sui mutatione, sic valor monetę: lex etiam Diuina; quę non aliûdè obligat, quàm ex voluntate Dei; & obligatio voti similiter; quia pendet ex Dei voluntate: nam si Deus acceptare nollet, maneret irrita voti obligatio; At macula peccati oritur absolutè ex natura malę actionis; & ideo nô potest Deus determinare tempus, quo duret macula peccati; nam quandiù perseuerat fundamẽtum malę actionis, quouis tempore, & quouis loco durare debet macula peccati: perseuerat autem fundamentum malę actionis donec emendetur, vel per actum oppositum; nempè, per contritionem; vel per habitum gratię; & iustitię inhęrentis.

Cur nô possit statuere Deus, vt peccatum duret ad tempus.

§. V.

Cur non possit peccator acceptari ad statum amicitiæ Dei per solam ipsius Dei voluntatem.

17 PEtes: cur homo non potest fieri iustus, & amicus Dei per solam voluntatem ipsius Dei, acceptando ipsũ ad suam amicitiam de præsenti, sine aliqua mutatione ipsius hominis: Ita vt statuat Deus sic; volo, quod Franciscus peccator sit amicus meus; Cur inquam, per hunc actum non poterit intelligi Franciscus amicus? Respondeo, quia status amicitiæ est status mutuæ redamationis; & sic, si peccator eodem modo se habeat, non consurget amicitia: quia ex parte peccatoris deest mutuitas redamationis necessaria ad amicitiam. Præter quam quod amicitia est inter similes, & aliquo modo æquales in natura; vnde quo vsque homo non fiat particeps Diuinæ naturę per gratiam, non potest dici amicus.

Satisfit argumentis Aduersariorum. Primò ad primum de homine in puris.
Caietan.
Medin.
Victor.

18 Restat ergo, solum, satisfacere argumentis. & Primò, ad primum Resp. eamdem prorsus esse rationem de homine, si in puris naturalibus peccasset, & de lapso contra finem supernaturalem in statu naturæ lapsæ, vt optimè Caiet. & Medin. super art. 2. q. 113. licet aliter Victor. Cæterum ratio facilis est; nam quodlibet peccatum mortale, in quocumque statu committeretur, constitueret hominem indignum amore Dei, & dignum, quantum est ex se, pœna æterna: & sic auerteret hominem à Deo fine supernaturali. Peccatum enim, vt sic, secundum se, semper est iniuria Dei, vt est in se ipso. Vndè in quocumque statu, semper auerteret à Deo, vt est in se ipso; atque adeò in quocumque statu est necessaria conuersio ad Deum, vt finem supernaturalem; vel per actum charitatis; vel per gratiam habitualem. Et sic dico, quod si homo peccaret in statu naturæ puræ, iam non amplius diceretur esse in statu naturæ puræ; sed in statu naturæ lapsæ: quia status puræ naturæ consideratur sine peccato mortali, & sine aliquo dono supernaturali; & tunc si illi remitteretur culpa per gratiam, vel per actum contritionis à se elicitum, mediante auxilio, iam esset ordinatus ad finem supernaturalem, & non esset amplius propriè in puris.

§. VI.

Ad secũdum.

18 AD secundum Respondeo, verum esse, statum illum secundum se fuisse miserrimum, siquidem esset ibi negatio cuiuslibet doni supernaturalis: in quo tamen si peccasset homo (vt dixi) iã intelligeretur ad alium statum trãslatus: & quia adfuisset illi præsto gratia Dei; ideo dico, quod felicior efficeretur, siquidem iam esset bonis supernaturalibus cumulatus, & ad finem supernaturalem ordinatus. Nego autem, quod Prouidentia illi statui debita fuisset insufficiẽs ad perducendum hominem ad suum finem: nam finis debitus illi statui fuisset tãtum naturalis; & ad talem finem vtiq; potuisset perduci per prouidẽtiam naturalem illi debitam. Quod si dicas, quod per illã prouidentiam non potuisset homo vitare peccata mortalia, & tentationes inducentes ad peccata mortalia. Ad hoc mihi videtur dicendum, (quicquid alij sentiant) quod Deus, si voluisset talem statũ cõdere, & perseuerare, taliter hominem ordinasset, rerumq; causas, vt nunquam tentaretur tentatione inducente ad peccatum mortale; (stando in nostra sententia, qua dicimus, quod eo ipso, quo mortaliter peccasset, iam non amplius diceretur esse in statu naturæ puræ.) Benè tamen potuisset venialiter tentari, & leuiter; & sic per solam prouidentiam naturalem perduci ad suum finem naturalẽ. Et hoc tantum rationabiliter possumus de tali statu coniecturare; cum alias nil certi rationabilius habeamus vsque modo ab antiquioribus traditum Doctoribus.

Ad Tertium, & quartum.

29 Ad tertium Respondeo, quod per peccatum incurreret homo, & contraheret debitum habendi gratiam: vel conuertendi se supernaturali conuersione; & sic illa carentia gratiæ, saltem auxilij supernaturalis, quo indigeret ad conuertẽdum, quæ antea negationis rationem habebat in homine puro, & non imputabatur illi ad culpam; post peccatum, haberet rationem priuationis, & imputaretur ad culpam. Dico, quod diceretur priuatus gratia supernaturali, quia teneretur retractare actum præcedentem; cumque non posset proprijs viribus, necessarium illi esset auxilium; en quomodo id, quod indebitum erat, tunc inciperet deberi, ad resurgendum à culpa; & sic negatio transiret in priuationem

tionem, & præter hanc priuationem, quã peccatum induceret, macularet etiam animam; sicuti in nobis; vnde esset necessaria supernaturalis conuersio, vt dictum est, & per hoc patet etiam, quid dicendũ sit ad quartum.

§. VII

Ad 1. de homine in statu lapso.

21 AD primum eorum, quæ obijciuntur, de homine in statu lapso, Respondeo, quod ex vtroque capite dicere possumus, requiri terminum mutationis, vt oppositum peccato habituali, cõtrariè, & priuatiuè; non quidem ea contrarietate, quæ reperitur inter duas qualitates oppositas, sed ea, quę reperitur inter duas relationes oppositas, vt æquale, & inæquale: est. n. homo, per peccatum, inæqualis Diuinæ regulæ; & fit æqualis per gratiam: quod, si duæ quãtitates omninò immutatæ permaneant, impossibile est, ex inæqualibus æquales fieri; ideo, ex hac parte, requiritur mutatio in peccatore; sed non ad expellendam formam præcisè contrariam; verum ex parte fundamenti relationis, quæ, sine illa, nequit consurgere, supposita immutabilitate Diuinæ regulæ. Priuatiuè etiam opponitur peccato ipsa mutatio: quia, vt dictum est, ex natura rei sequitur ex peccato debitum habendi gratiam: non quia hoc debitum sit ratio formalis peccati, (vt aliqui sentiunt,) sed quia inseparabiliter coniungitur cum illo (vt optimè Caiet.) Pro quo nota id, quod etiã supra annuimus; quod in peccatore duæ sunt maculæ; altera est substantialis, seu essentialis, quæ in omni statu macularet subiectum; & nil aliud est, quãm conuersio habitualis ad obiectum, repugnans legi Dei, & auersio à Deo vltimo fine. Altera est, quę cõsequitur essentiam peccati, & nil aliud est, quàm priuatio spiritualis pulchritudinis. Hæc vltima procul dubio tolli potest sinè mutatione subiecti, remoto debito habendi supernaturalem formam, quod fieri potuit per legem, secundum quam, vsq. ad certum tempus deberetur subiecto gratia; & illo elapso, inciperet non deberi; & sic transiret priuatio in negationē: priori verò macula, in quocunq. euentu, etiam si homo non haberet priuationem gratiæ habitualis, maneret tamen maculatus, per illam inordinatam, àuersionem; nec posset ab illa emundari macula, absq. interiori renouatione.

Obiectio.

22 Sed dices: potest Deus auferre gratiam ab homine, sine peccato, sinè culpa ipsius; ergo inter hæc non est priuatiua oppositio, ex natura rei: constat enim, ęqualem esse immediationem inter huius oppositionis extrema. Respondeo; Solutio. manente in subiecto debito habendi gratiam, quod est necessarium ad priuatiuã oppositionem; impossibile est, auferre gratiã ab illo, sine peccato. Quod si gratia, ex mera voluntate Dei, auferatur, eo ipso aufertur debitum, & cessat oppositio priuatiua. Est. n. hoc discrimen inter priuationem hanc, & cęteras merè naturales; quod, cum in his, debitum habēdi formã sequatur ex pura natura subiecti; quãdiu manet subiectum sine illa, sequitur debitum, necessario; & cum illo, priuatiua oppositio; secus autem est in præsenti: nam, cum debitum habēdi gratiam nõ oriatur ex natura subiecti, sed ex Dei voluntate, ordinante hominem ad bona supernaturalia; potest bene debitum auferri, & cum illo, oppositio priuatiua, illęsa natura subiecti, vt ex superius dictis satis patet.

§. VIII.

Ad 2. Cur à statu gratię potest fieri immediatè transitus ad statũ naturę puræ: nõ vero ex statu peccati.

23 AD secundum, negatur vltima cõsequentia; siquidem tota ratio, propter quam ex gratia habituali potest fieri transitus in statum naturæ puræ, qui ex peccato fieri non potest; ea est; quia, gratia dependet in fieri, & conseruari à cõcursu Dei, cuius est donum: vnde per solam negationem concursus, potest auferri à subiecto; & ea ablata, remanent necessario pura naturalia; & cum peccatum neq. in fieri, nequè in conseruari dependeat à Deo, nõ potest auferri ab homine, per negationem concursus Diuini; sed necessaria est forma incompossibilis, quæ excludat dictum peccatum; & cum hæc forma nequeat esse naturalis (vt ex dictis satis patet) implicat, fieri transitũ à statu peccati, immediatè, ad statum naturæ puræ.

Ad conf. & ad vlt.

24 Ad confirmationem patet etiam ex dictis solutio. Et ad vltimum Respondeo cum Caiet. gratiam, & peccatum, respectu hominis, absolutè considerari, nõ esse opposita immediata: datur. n. status medius. s. puræ naturæ: at respectu hominis lapsi in peccatum, immediata. Ratio discriminis est; nam post peccatum non restituitur rectitudo naturalis, sine supernaturali; tunc. n. reduceretur homo ad naturalem, quando nec esset dignus,

nec indignus Diuina amicitia: homo .n. per peccatum fit formaliter indignus illa, & formaliter est auersus à fine supernaturali. Hæc autem indignitas tolli nõ potest, nisi Deus conuertat animum ad se, vt finem supernaturalem;& faciat illũ dignum eius amore, saltem dispositiue, per actum contritionis; vt dictum est supra. Tandem ad confirmationem Respõdeo, remissionem peccati esse effectum formalem secundarium conuersionis ad Deum; sicut expulsio cęcitatis potentię visiuæ; & licet in his oppositis, quæ à cõcursu Dei dependent, valeat argumentũ; nimirum, quod possit vnum expelli fine aduentu alterius, per solam subtractionẽ concursus, quo conseruabatur; tamen quando alterum ipsorum non dependet a concursu Dei(vt diximus de peccato,) non poterit, sine noua mutatione, & sine aduentu oppositæ formæ, expelli, & hæc de ista Disputatione.

Ad conf.

DISPVTATIO TERTIA.

De reliquis requisitis ad impij iustificationem.

CAPVT PRIMVM.

Vltima dispositio ad Gratiam non procedit à gratia.

§. I.

D.Th.

1  Ro tituli intelligentia nor. est, quod postquã D.Th. probasset, requiri infusionem gratiæ ad impij iustificationem, art.3.4.5.& 6. petit; An ad impij iustificationem requiratur motus aliquis liberi arbitrij, quo peccator se disponat ad gratiam iustificationis recipiẽdam? An requiratur motus fidei? An detestatio peccati? & An peccatorum remissio sit numeranda inter requisita ad nostram iustificationem? Quæ omnia, quia facilia sunt, & optimè dilucidata à Sancto Doctore, poterunt apud ipsum videri; nos eum breuiter ea absoluemus.

2 Et quidem, circa motum liberi arbitrij, iam dictum est supra disput. præcedenti, vbi disputauimus; An requiratur aliqua dispositio ex parte nostra ad recipiendam gratiam? Eadem.n. prorsus est quæstio hæc cum illa; & præsertim, hic sermo est de motu amoris, .i. de actu dilectionis Dei: & diximus loc.cit. in adultis talẽ motum esse omninò necessariũ, ex lege, & de facto loquendo; & hoc est definitum cõtra Lutherum à Sacro Cõcilio Tridentino sess.6.c.5.& 9. & can.5. & 9. Preterquam quod manifestè ex Scriptura sacra hoc idem colligitur, ijs locis præsertim, vbi videtur Deus à nobis exigere præparationem cordis nostri, conuersionem, orationes, lachrymas, pœnitentiam, &c. Verùm esset hic examinãda quæstio, de potentia absoluta: An .s. absq. aliquo motu liberi arbitrij, Peccator per solã gratiã habitualẽ, possit à peccato adęquatè emundari, & iustificari, saltem, per Dei omnipotentiam? Attamen, quia adhùc intellectus meus non nouit, cui ex opinionibus acquiescat, examinãdam relinquimus difficultatem hanc infra Quod.16. Disp.2.cap.2. videte ibi.

Trid.

3 Aliquale dubium tãtum esse poterat: an huiusmodi motus nostri liberi arbitrij: nempè, contritio; sicut in genere causæ materialis, & vt vltima dispositio præsupponitur in priori naturæ ad iustificationem, & habitualem gratiam; ita etiam, sit prior illa in genere causæ efficientis; & sic eliciatur à voluntate cum solo auxilio supernaturali: an verò sit effectus ipsius gratiæ habitualis: & sic, in genere causæ efficientis, prior sit gratia iustificans ipsa contritione? Quæ difficultas examinatur à D.Th.ar.8. & ibidem à recentioribus omnibus; vbi optimè Medina ait, eam esse potius subtilem, quàm vtilem. Ast, quia Philosophica est, & non Theologica, breuiter ab illa me expediam.

Status difficultatis.

4 Quæ-

§. II.

Conclusio responsiua.

4 QVarè dicendum censeo; vltimam dispositionem ad gratiam nullo modo procedere effectiuè ab ipsa gratia habituali, sed ab auxilio Dei; immò potius, per eam effectiuè produci ipsam gratiam; & sic, non solum in genere causæ dispositiuæ esse priorem; sed etiam, in genere causę efficientis. Vbi notate, quod licet D. Tho. de verit. q. 28. art. 8. videatur expressè docere huius oppositum: tamen p. p. q. 62. art. 2. ad 3. Expressè dicit, quod triplex est conuersio in Deum; Vna per dilectionem Dei perfectam; quæ est creaturę iam fruentis Deo; & hæc est propria Beatorum. Alia est cōuersio meritoria Gloriæ; & ad hāc requiritur gratia habitualis, quæ est principiū merēdi. Tertia conuersio, præparatoria, qua quis se disponit ad gratiā; & ad hanc non requiritur habitualis gratia; sed sufficiet operatio, siue auxilium Dei; ergo D. Tho. sentit, quod vltima dispositio ad gratiam non est effectus gratiæ habitualis: benè tamen auxilij specialis Dei; & ex consequenti, præcedit ipsam gratiam, etiam in genere causæ efficientis. Idem etiam docet 3. p. q. 85 art. 5. vbi ait in corpore; quod habitus pęnitentiæ immediatè nobis infūditur à Deo, sine nobis principaliter operantibus; non tamē sine nobis dispositiuè cooperātibus per aliquos actus: ergo vltima dispositio, quæ se tenet ex parte liberi arbitrij, est causa effectiua habitus gratiæ. Idem etiam docet q. 89. art. 1. ad 2. vbi ait, quod actus primus pęnitentis se habet, vt vltima dispositio ad gratiam consequendam, .s. contritio; alij verò sequentes actus pęnitentiæ procedūt iam ex gratia, & virtutibus; ergo primus actus pęnitentiæ, ex mente D. Tho. nempè, contritio, non est effectus gratiæ habitualis. Immò Medina art. 8. q. 113. ad 1. postquam hanc nostram sententiam probabilem esse docuisset; docet; D. Th. posse aliquando interpretari, dum dicit, quod infusio gratiæ est prima, ordine naturæ; quod vocet, Gratiā, gratuitam Dei motionem; sicut ipse insinuat solutione ad 1. 2. & in corpore. Sed quicquid sit de mente D. Tho. Certè hodie iam noui oppositam sententiam esse communiorem apud Doctores; Ast quidem nescio, quo stabili fundamento valeat probari; *Quarè* (quicquid sit de ista communi sententia,) prior mihi semper visa est probabilior satis, eamq. vnico fundamento communi, sed indissolubili sic probo: Omnis dispositio, disponens subiectum ad recipiendam aliquam formam, necessariò prior est ipsa forma introducenda; sed contritio, vt vidimus, est huiusmodi; ergo præcedere debet habitualem gratiam in anima; ergo nō potest esse effectus illius, hæc vltima consequentia probatur facile: nam id, quod est effectus alicuius debet supponere illud, cuius est effectus, & esse posterius eo; ergo si contritio est prior gratia habituali, non potest esse effectus illius; implicat. n. idem esse simul, & semel prius, & posterius respectu eiusdem.

Nota sententiam D. Th. de triplici cōuersione ad Deū.

Opposita sententia ferè cōmunis, sed nullo stabili fundamento sustinetur.

Probatur conclusio.

§. III.

5 VAriè solet Responderi ad hoc argumētum; sed certè omne subterfugium inane est; illa tamen solutio communiter circumfertur, quam tradit Cano relectione de pęnitentia circa finē; quod .s. contritio potest considerari, vel vt dispositio, & in genere causæ materialis, & sic antecedit gratiam; at verò si consideretur in genere causæ formalis, & quodam modo efficientis, est posterior gratia, & effectus illius; nihil autem prohibet, quod vna res sit prior, & posterior respectu eiusdem, in diuerso genere causæ. Sed hæc solutio ridicula est; nam sic argumentor: hic actus amoris, qui est dispositio vltima; vel entitatiuè procedit à gratia; vel non; si non; habemus intētum; si sic, tunc arguo; vel ille actus, secundum suam entitatem, est dispositio ad gratiā; vel non? hoc secundum dici non potest; nam contritio, quatenus est actus amoris erga Deum, dicitur vltima dispositio; si secundum entitatem est dispositio; & alias, secundum eandem entitatem est effectus gratiæ: ergo, secūdum quod dispositio est, est effectus gratiæ: ergo secūdum quod dispositio est, non potest esse prior ipsa gratia: sed nullo alio pacto consideratur contritio, in genere causæ materialis, nisi quatenus dispositio est; ergo falsa omninò est assignata solutio.

[illegible] Solutio [illegible] Cano.

Impugnatur.

6 Neque aliquod argumentum video alicuius momenti contra hanc nostram sententiam; licet multa congerant Doctores, ex sacra Scriptura, Patribus, & Concilijs; in his locis, præsertim in quibus dicitur Charitas in nobis esse ex infusione Spiritus Sancti, & gratiæ Dei, &c. Tamen hæc loca explicari possūt, vel de charitate habituali, quæ non nisi per infusionem gratiæ habitualis nobis,

Interpretatio generalis omniũ locorũ S. scripturę Patrum, quę possent aduersarijs adduci.

bis infunditur; vel si sermo est de actu dilectionis; distinguendum est, de actu dilectionis meritorio de condigno vitæ æternæ; & sic certum est, procedere effectiuè ab habitu gratiæ; & vt sic, non esse dispositionē ad ipsam gratiam, sed præsupponere ipsam in subiecto; vel sermo est de actu amoris imperatorio gratiæ, & disponente ad illam moraliter; & vt sic, dictum est, quod non procedit ab ipsa gratia, sed potius, quodammodo, & instrumentaliter est causa efficiens gratiæ; moralis tamen, & meritoria; quo modo soluuntur innumera argumenta.

Disparitas inter dispositiones naturales, & morales.

7 Vltimò, illud notabile est, quod etiam si Philosophi doceant, quod vltimæ dispositiones naturales, sint quodāmodo effectus formæ generandæ, vt calor productus in ligno, qui est effectus ignis generādi in ipso ligno; non tamen est par ratio de actu contritionis, qui nō est dispositio naturalis, & physica, sed tātum moralis, & impetratoria, vt dictum est supra: sufficit autem, quod talis contritio sit effectus eiusdem agentis principalis, cuius & ipsa gratia effectus est; nēpè, Dei, qui, mediante auxilio, eleuat potentiam, & adiuuat ad eliciendum talem actum.

CAPVT II.

Ad iustificationem requiri motum fidei; detestationem peccati, eiusq; remissionem.

§. I.

De motu fidei

1 SEcundum, quod ad nostram iustificationem requiritur, est, motus fidei: iuxta illud, *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deū*, & illud *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus eum sit remunerator*. Credere ergò debet iustificandus, Deum esse iustificatorem hominum, per ministerium Christi: iuxtà illud, *Credenti in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam*, & hoc est verum, immò (vt benè Medina art. 3.) primum principium doctrinæ Christianę. Et sic diffinitum est in Concil. Tridentin.

Medina.

Trident.

sess. 6. cap. 6. & 8. Cęterum, cum quis iustificatur, non tenetur cogitare de omnibus mysterijs fidei, & sigillatim, & explicitè singulis credere: sed sufficit tunc credat, (vt dixi, & docet D.Thom. ar. 3.) Deum esse hominum iustificatorem per Christi ministerium; & vera esse quæ Diuinitus reuelata, & promissa sunt. Legite Trid. c. 6.

Quid de inuincibiliter ignorante pręcepta fidei.

2 Hic solent aliqui disputare: *An iustificemur per solam fidem?* contra Luteranos; sed supra uos hanc quæstionem discussimus; & sic, circa motum fidei, tantum est adnotandum, quod si aliquis inuincibiliter ignoraret præcepta fidei, & prædicationem Euangelij: & tamen honestè secūdum naturæ legem viueret, & faceret, quod in se est; Deus proculdubio illuminaret ipsum, & instrueret intèriùs de rebus fidei: vel mitteret ad illum prædicatorem, vt saluaret eum per gratiam; quod si moreretur cum illa inuincibili ignorantia, non damnaretur; sed Deus prouideret illum de congruo habitaculo; nō. n. esset dignus æterna gloria, cum non haberet in se gratiam habit.

Motus fidei sine charitate imperfectus.

3 Secundo notandum est cum Diuo Thoma ad primum, quod motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus, vnde simul in iustificatione impij, cum motu fidei, est etiam motus charitatis; mouetur autem liberum arbitrium in Deum, ad hoc, vt ei se subijciat; vndè etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis. Contingit .n. vnum, & eundem actum liberi arbitrij diuersarum virtutum esse, secundum quod vna imperat, & alia imperatur, put .s. actus est ordinabilis in diuersos fines, & hoc quantum ad motum fidei.

§. II.

De peccati detestatione.

4 TErtium, quod requiritur ad impij iustificationem est peccati detestatio: est definitum in Tridentin. sess. 6. can. 6. & 14. vbi illud not. pręsertim cum D.Thom. at. 5. ad tertium, quod, in tempore præcedente iustificationem, oportet, quod homo singula peccata, quæ commisit, detestetur, quorū memoriam habet, & ex tali consideratione præcedēti subsequitur in anima quidam motus detestans vniuersaliter omnia peccata commissa; inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita; quia homo in statu illo est sic dispositus, vt etiam de his,

Trident.

his, quæ non meminit conteretur, si memoriæ adessent.

5 Ratio autem, quam huius detestationis assignat in corpore, ea est: quia in omni motu locali non potest mobile accedere ad terminum *ad quem*; nisi recedat à termino *à quo*; sed iustificatio impij est ad modum cuiusdam motus à statu peccati ad statū gratiæ; ergo non posset homo esse in statu gratiæ; qui est quasi quidam terminus *ad quem*, huius motus, nisi recederet à statu peccati, qui est terminus *à quo*; hic autem accessus, & & recessus nostræ voluntatis accipitur secundum detestationem, & desiderium; ergo cum accedit ad gratiam, necessè est detestetur peccatum.

D. Tho. Destatio peccati est actus Penitentię, & Charitatis.

6 Nota tamen cum eodem D. Tho. ad primum, quod detestatio peccati requisita ad iustificationē, est actus pœnitentiæ, & charitatis; sub diuersa tamen ratione; nam, in quantum peccatum, est quasi malum Deo, detestatio est actus Charitatis; siquidem ad eandem virtutē pertinet (docet Sāctus Doctor) prosequi vnum oppositorum, & detestari alterum; vndè sicut per Charitatem diligimus bonum Diuinum; Ità etiam per eandem virtutem odio habemus peccatū, quod est contrarium Diuino bono: Ast in quātum detestatio peccati fit propter satisfactionē offensæ factæ Deo; sic est actus pœnitentiæ, quæ est quædam iustitia vēdicatiua, seù punitiua, vt docet D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 2. ad 1.

Eodem actu detestamur peccata, & diligimus Deum.

7 Item nota; esse eundem actum voluntatis, quo detestamur peccata, & diligimus Deum super omnia (quicquid dicat Caiet.) Ità D. Th. ar. 7. ad 2. & ratio est facilis: nam idem est actus, quo volūtas vult media, & finem, saltem virtualiter, vt docet D. Th. p. 2. q. 8. ar. 3. qui quidem actus, respectu medij, dicitur dilectio; At respectu finis, est intentio; ergo idem est actus voluntatis, quo detestamur peccata propter Deum summè dilectum. Antecedens patet, ex eo axiomate Philosophorum; *ubi unum propter aliud, ibi unum tantum*; Benè verum est, quod quando voluntas diuisè fertur in peccatum, & in Deum, duobus actibus fertur; nempè, actu desiderij in Deum, & detestationis in peccatum: & hoc videtur voluisse D. Tho. in fine huius art. Ast quādo fertur in peccatum propter Deū simul; tunc vnicus est tantum actus eius, qui respectu peccati est detestatio, & respectu Dei est dilectio.

§. III.

De remissione peccatorum.

8 TAndem dicamus de peccatorum remissione, quæ requiritur etiam ad nostram iustificationem; vt optimè D. Th. art. 6. & cum eo omnes Doctores; & habetur Isaiæ 27. *Iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum*; cum .n. homo, sit solum ratione peccati, Deo inimicus, & iniustus; nequit amicus, & iustus euadi, si in peccato remaneat; nec per potentiam Dei absolutam (vt ex prædictis constat;) Imò docet D. Th. quod iustificatio per se tendit ad destruendam culpam; Vbi notā est discrimen, quod versatur inter expulsionem oppositæ formæ, in naturalibus motibus, & expulsionem peccati; Agens enim naturale non intendit sua actione expulsionem formæ contrariæ, principaliter; forma .n. contraria, quæ præerat in materia, est quoddam bonum; & ideo nulla naturalis actio, seù inclinatio tēdit per se ad destructionem illius; sed tātum de per accidens; .i. quatenus est impedimentum formæ introducendę; & incompossibilis cum illa. At peccatum mortale omnibus modis est malum; & ideo in iustificatione per se intenditur expulsio eius, & directè, & ab homine iustificādo, & à Deo iustificante: non solum .n. peccatum ponit obicem gratiæ, & est omninò incompossibile cum illa; sed etiam malum est, & contra Deum.

Discrimen inter expulsionem formę naturalis, & peccati.

9 Et sic in mea sententia, qua substineo, actum contritionis non esse effectum gratiæ habit. talem ordinem fateor statuendum in nostra iustificatione; Ità vt primo, sit Charitatis actus, & dilectionis. Secundò, pœnitentiæ, & detestationis peccati. Tertiò, fidei. Quartò, sit gratię infusio; Vltimo, euersio status tenebrarum. Quæ prioritates sunt ad summum naturæ, non temporis; nam vt optimè D. Th. art. 7. hæc omnia in instanti fiunt; in eodem .n. instanti, quo elicitur contritionis actus, infunditur gratia; licet quando fit iustificatio per alias præuias dispositiones; vt, per timorem pœnarum, verecundiam ignominiæ, &c. benè possint huiusmodi dispositiones tempore præcedere; quia non sunt vltimæ: ast, cum vltima adest; nempè, contritio, non subsequitur tempore aliquo iustificatio; sic etiam, licet deliberatio iustificationem præcedens fit in tempore, quemadmodum alteratio, quæ præcedit generationem; non tollit quin iustificatio fiat in instanti; cum sit veluti via ad illam, &

Ordo in anima iustificatione.

non

non pertineat ad eius substantiam; vt optimè D.Th.ar.7.ad 1.legite totum articulum, in quo multa doctè decet Sanctus Doctor circa hoc; videte Medinam, & Vasq.

DISPVTATIO QVARTA.

De Merito effectu Gratiæ, & pariter fine proximo,

CAPVT PRIMVM.

Quid meritum, & quotuplex?

§. I.

D.Th. 1 Ro intelligentia huius disputationis, quæ facilis est, & satis clarè tractatur à D.Thom. q.114.p.2. per decem articulos, vnde & à nobis breuiter etiam pertractabitur; notandum est; quod, De Merito agũt Scholastici communiter in 2.dist.27.& in 1. dist.17. & in 3.dist.18. Soto lib. de nat. & grat.c.7.& deinceps. Caiet.in opusc.de fide,& operibus. Castro lib.de hæresibus, verbo; *meritum*; & recẽtiores cum D.Th. loc. cit.sed vt quid per ly *Meritum* intelligatur, innotescat; sciendum, quod hoc nomen *Meritum* impositum est ad significandum id, cui debetur merces; seu, ratione cuius alicui debetur merces; vt labor, obsequium, vel quid simile. Vnde Matth.20.dicitur, *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Deinde transfertur ad significanda illa beneficia, quibus amici solent se afficere mutuo; qua ratione dicitur; Petrus est de me benè meritus; vnde sic potest meritum diffiniri propriè; *Quod sit ius acquisitum ad aliquam mercedem habendam ex proprio opere, & labore libero, & volũtario*; ex quo sequitur, quod ad meritum tria requirũtur, (vt colligitur etiam ex D.Th.1.2.q.21.ar.3.) Primũ est, libertas, .i.quod actio meritoria sit libera; nam in naturalibus neq. meremur, neque demeremur; & similiter non meremur quãdo operamur coacti; sed aduertite, quod benè stat, hominem non posse peccare, & nõ habere libertatem ad peccandum: & tamen esse liberum ad merẽdum; vt patet de Christo Domino in via; de Beata Virgine, & cõfirmatis in gratia; & sic non est necesse, quod sit liber ad peccandum, ad hoc, vt quis liber sit ad merendum: ad rationem namq. veræ libertatis sufficit, quod, quoad exercitiũ, homo liber existat; .s. quod possit facere hoc, vel illud bonum; licet non sit liber, quoad specificationẽ, sed determinatus ad faciendum bonum, vt sic; vt de Christo Domino confitemur.

[Margin: Quid significet Meritum Caiet. Castro]

[Margin: D.Matt.]

[Margin: Diffinitio Meriti.]

[Margin: Tria requirũtur ad meritum 1.]

[Margin: Benè stat, hominẽ non habere libertatẽ ad peccãdum, & esse liberum ad merendum.]

2 Secũdum, quod requiritur ad meritum est, bonitas operis, .i.quod sit opus alicuius virtutis. Cęterũ ad hoc, vt illud opus sit meritorium vitæ æternæ; vltra bonitatem moralem operis, requiritur, quod sit opus iusti, & amici; vt sępius dictum est. Tertium, quod requiritur ad meritum est, vt cedat in bonum alterius: quia meritum est opus iustitiæ, quæ est ad alterum; & quidẽ, ex operibus nostris bonis nulla vtilitas potest Deo redundare: sed tantum glorificatio, seu materia laudis; iuxta illud Matth.5. *Videant opera vestra bona; & glorificent Patrem vestrũ, &c.* quod satis est, ad hoc, vt opera nostra sint meritoria apud Deum, vt docet D.Th. ar.1.ad 2. D.Matt.

3 Iterum not. quod licet simpliciter, & absolutè loquendo, homo non possit aliquid mereri à Deo; quia cum meritũ, & merces dicantur relatiuè; Deus nulli debitor est: tamẽ, supposita Diuina ordinatione, & lege; proculdubio potest homo aliquid à Deo mereri; vt optimè D.Th. Dixi (*Homo,*) nam certum est, solam creaturam rationalem esse meriti, demeritiq. capacem; cum sola ipsa se liberè moueat; & cum in remuneratione meri-

[Margin: Deus nulli debitor: & sic homo tan tũ potest aliquid à Deo mereri, supposita ipsius met Dei ordi natione.]

meritorum interueniat quidam modus iustitiæ; breuiter explicemus, quæ nam sit ista iustitia? commutatiua, an verò distributiua?

Quid iustitia comutatiua. 4 Pro quo iterum notandũ est, quod iustitia commutatiua est illa, quæ attendit, & seruat æqualitatem rei ad rem; quę dicitur æqualitas Arithmetica; ita vt, vnusquisq. tantum recipiat, quantum ipsa res mereatur; vt patet in contractibus humanis; emptionibus, & venditionibus. Iustitia .n. commutatiua non considerat dignitatem personarum, sed valorem, & pretium rerum; Quid iustitia distributiua? iustitia verò distributiua considerat, & ponderat merita personarum; & ita attendit æqualitatem geometricã, quæ appellatur æqualitas proportionis; ita; vt quantus fuerit excessus inter merita personarum, tantò plus recipiat de pręmio, quod distribuendum est; Soto D.Th. ita docet Soto lib. 3. de iustitia, & iure q. 5. ar. 2. & D.Th. 2.2. q. 60. & est communis doctrina.

§. II.

Meritũ pertinet ad iustitiam distributiuam. 5 Dico secundò, quod meritum, de quo loquimur in præsẽti disputatione, simpliciter loquendo, est opus pertinens ad iustitiam distributiuam. D. .n. Th. p. 1. q. 21. ar. 1. docet, in Deo nõ dari iustitiam commutatiuam in rigore: quia munus iustitię commutatiuæ (vt diximus) est constituere æqualitatem inter datum, & acceptum. In Deo autem nulla est ratio accepti; D. Paul. iuxta illud Rom. 11. *Quis prior dedit illi, vt retribuatur ei?* & sic Deus non retribuit alicui mercedem vitæ æternæ, ex motiuo præcisè iustitiæ commutatiuæ; cumq. in retribuendo attendat Deus ad dignitatem personæ; & quo quis dignior, dignitate supernaturali participationis Diuinæ inuenitur, eo largius præmietur, & honoretur in Cęlis; in quo ratio distributiuæ iustitiæ consistit; fit, quod ex huius iustitiæ motiuo, retribuat, & pręmiet dignos, & puniat peccatores. Etiam seruat Deus in remunerando quẽdam modum iustitię cõmutatiuę; largo tamen modo accepto. Licet illud etiam negari non possit, quod, in remunerando, videatur Deus, & quendam modum iustitiæ commutatiuę etiam seruare (vt optimè D.Th. 2.2. q. 61. art. 4. ad 1.) in quantum .s. pro quantitate meritorum, & gratiæ, tribuit quantitatem glorię; sed hæc iustitia largo potius modo dicitur commutatiua; nã hæc ęqualitas, in rigore, non est arithmetica, sed proprius proportionis, iuxta supra adnotata.

Obiectio. 6 Nec ex hoc valet inferre, quod si Deus ex iustitia reddit præmia iustis; ergo est ipsius debitor; Solutio. nam Respondeo, quod Deus nõ dicitur propriè nobis aliquid debere; sed potius sibi ipsi, ratione promissionis, & legis suæ, qua statuit, se daturum esse vitã æternam his, qui operarẽtur ex charitate. Meritum refertur ad duo Ex quo infero, quod meritum habet duplicem relationem. Vnam ad Deum præmiantem; alteram ad ipsum præmium. Si referatur ad Deũ præmiantem; sic non potest esse iustitia strictè in merito: quia Deus nihil debet; si verò meritum referatur ad præmium; sic est vera ratio iustitiæ in ipso merito, respectu præmij; qua ratione præmium dicitur corona iustitiæ, & merces nostra.

De potentia absoluta posset Deus absque gratia hab destinare hominem ad gloriam. 7 Iterum adnotate, quod licet de facto nõ possit homo mereri vitam æternam absq. gratia, (vt sępius dictum est;) tamen loquendo de potentia absoluta, benè posset statuere Deus, quod homini benè moraliter operanti, ex auxilio peculiari, vel plantanti vineas, vel danti eleemosynam, & quodcunq. aliud faciẽti bonum, etiam sine gratia habituali, detur vita æterna; non quod Iudicem, huiusmodi opera esse de condigno meritoria talis præmij; sed solum ex pacto, & lege Dei; nec propterea ille talis homo diceretur amicus Dei formaliter; vt ex supra dictis satis manifestum est.

§. III.

Quid meritũ ex rigore iustitiæ. 8 Sed explicemus, quid sit meritum de condigno, ex rigore iustitiæ, & de congruo? sunt .n. satis vsitati huiusmodi termini in Sacra Theologia; & primò dicimus breuiter, quod meritum ex rigore iustitiæ illud dicitur, quod non innititur gratiæ, sed habet valorem ex se ipso, & ex persona merẽte; quale fuit meritum Christi Domini, D.Th. de quo agit D.Tho. 3. p. q. 1. art. 2. & cum eo eius discipuli; reliqui verò in tertio. Quid meritũ de cõdigno? Quid meritũ de congruo? Meritum de condigno est, quod licet innitatur gratiæ Diuinæ: dicit tamen quandam æqualitatem, & condignitatem ad præmium; ita quod, illi operi ex iustitia debetur merces. Tãdem meritum de congruo est, quod dumtaxat fũdatur in liberalitate acceptantis; ita vt, nil illi ex iustitia debeatur, sed tantum ex quadam congruitate.

Vt opus etiã ex gratia sit meritorium, debet referri in Deum. 9 Aduertendum insuper est; quod non sufficit habere gratiam, ad hoc, vt dicatur opus esse meritorium vitæ æternę; sed necesse est, quod sit etiam relatum in

Xxx

in Deum, vel actualiter, vel ad minus virtualiter; quam sententiam tenet Caietan. & est consentanea doctrinæ Diui Thom. 1 par.q.63.art 6. vbi dicit, quod Angeli non meruerunt per primũ actũ; quia licet habuerint gratiam; nõ tamen retulerunt actum illum in Deum: ergo ad hoc, vt opus sit meritoriũ vitæ æternæ, necesse est, referatur in Deum. Intelligo autem relationem virtualem sic, vt homo quando primo iustificatur, referat se, & omnia sua in Deum; quæ relatio durat per totum tempus, quo est in gratia, & ista relatio sufficiens est ad rationem meriti. Neque enim simile est de homine idolatra, qui retulit se, & omnia sua in idolum; non .n. consequenter sequitur, quod in omnibus operibus peccet, etiam quando ex pietate naturali largitur eleemosinam. ratio discriminis est: nam opus bonum ex genere, à quocumque exercetur, semper respicit Deum; & ideo nisi per intentionem operantis referatur in malum finem, non tendit in illum: quia ille motus respectu illius operis boni, est quasi violentus. Vndè idolatra non peccat in omni opere, nisi actu illud exerceat propter idolum, itum etiam, quia idolatra, cum operatur benè moraliter, virtualiter reuocat primam intentionem, quia operari benè moraliter, & propter idolum, sunt intentiones sibi repugnantes. His adnotatis sit,

D. Thom.

Quid relatio virtualis.

CAPVT II.

Quid possit homo mereri à Deo.

§. I.

An iustus possit alteri mereri primam gratiã.

1 ET certè non est morandum in illa quæstione, quæ solet disputari art. 5 quæst. 114. *an scilicet homo possit sibi mereri primam gratiam?* nam plusquam centies supra partem negatiuam, vt certam, & tutiorem probauimus. posset tamen dubitari, *An homo iustus possit alteri primam gratiam mereri?* in qua re non est sermo de Christo Domino, qui de rigore iustitiæ meruit nobis redemptionem, & omnia dona supernaturalia; vt dici solet, & comodius 3.par.quæst. 1. art.2. & q.19. nec sermo est: *An potuit Deus tribuere tantam gratiam homini puro, vt mereretur de condigno primam gratiam, & iustificationem alteri?* nam de hac etiam fusè disputant Doctores loc.cit. 3.par.q.1. sed tantum quæritur de facto; & breuiter dicendum est, nullũ purum hominem posse alteri aliquam gratiam de condigno mereri; benè verũ; de cõgruo. prima par. patet ex his, quæ dici solent 3 par. loc.cit. vbi decernitur, in communiori sententia, nec per potentiam Dei absolutam, id potuisse, seu posse euenire; nam gratia habitualis est gratia filij adoptiui, & tantum respicit de condigno hæreditatem filij adoptiui, quæ est æterna gloria; non autem ad filij hæreditatem spectat cõcessio alicuius gratiæ alicui inimico patris, qualis est peccator. Non est autem par ratio de Christo Domino; nam operationes eius erãt Theandricæ, idest Dei, & hominis, & gratia ipsius erat gratia capitis, quæ diffundenda erat in membra.

2 Secunda autem pars, de merito de congruo, est euidens; ita enim Stephanus Pauli gratiam meruit; & Monica Augustini, &c. congruum namq. est, vt Deus exaudiat amicum suum, & filium, rem à se iustam petẽtem; licet hoc meritum de congruo, non semper sit efficax, sed sæpè impediatur per peccata.

§. II.

3 NOtandum est aũt cum Medina art.6. vbi quærit: Cur primus Parens, cum fuerit caput generis humani, non potuit alijs mereri primam gratiam, & iustificationem, præcipuè, cum innexerit peccatum suum in omnes posteros in condemnationem? Cui dubitationi, Respondet. Id ideo esse, quia non fuit caput, quantum ad influxum, sed solum quantum ad receptionem; recepit autem iustitiam originalem, in omnes posteros per natiuitatem transfundendam, si in illa iustitia perseuerasset.

Cur Adam non potuit mereri posteris gratiam? Medin.

4 Mouet & aliud dubium Medina, An Beati in Patria mereantur alijs primam gratiam, & iustificationem de cõgruo? cui respondet; verosimile esse, Beatum nulla ratione mereri, nec de congruo, nec de condigno, cum iam sint extra statum merendi constituti. Fatetur tamen, eos impetrare nobis primã

An Beati in Patria mereantur alijs iustificationẽ, & primam gratiam de congruo? Opin. Medi.

gratiam

Medina ludit vocabulis.

gratiam, & iustificationem. Cęterum mihi videtur Medina vocabulis ludere; cum nil aliud sit, de congruo alteri aliquid mereri, quàm intuitu alicuius operis, vel obsequij alterius, alteri gratiam concedere: sed sic est, quod ipse fatetur, Deum nobis concedere multoties primam gratiam, & iustificationem, ex impetratione Sanctorum; ergo verè possumus dicere, Sanctos mereri nobis de congruo illam gratiam. Nec Medinę ratio aliquid valet; nam cum dicitur Beatus non posse mereri, quia est extra statum merendi; intelligẽdum est, demerito respectu sui ipsius; non .n. potest amplius sibi mereri; sed alteri benè potest.

§. III.

An peccator possit de congruo alteri gratiam mereri?

5 SEd posset tandem aliquis petere: An homo peccator possit, saltem de congruo, alteri gratiam mereri? Ad hoc mihi videtur dicẽdum, primò, quod Deus quando dat auxilium alicui peccatori ad operandum, mouet eum ad opera ordinata ad propriam salutem principaliter; cũq. otare pro alijs sit opus perfectæ charitatis; & exiſtens in peccato nõ habeat charitatis habitum; quando quis pro alijs orat feruenter, signum est, quod proximè disponatur ad gratiam, charitatemq. recipiendam; cum ille actus credatur esse actus amoris, principaliter, erga Deum, & erga proximum propter Deũ; &, vt sic, dicere possumus, quod credibile est, talem orationem acceptari à Deo, vt congruentẽ ad dandam gratiam illi peccatori; sicuti & oranti, sic disposito, iustificationem: Ast si quis oret ex affectu naturali sanguinis, amicitię, &c. Distantissimam proportionem, & congruentiam habet hic actus cum præmio, quod alteri desideratur; secus autem est de Sacerdote peccatore celebrante pro aliquo in peccato; nam cum illud sit sacrificium, ibi immolatur Christus Dominus; quæ oblatio, de se, digna est infinito præmio, etiam si minister, per quem fit, sit malus; dummodo habeat intentionem consecrandi; licet ipse maximum sacrilegium committat; vt alibi dicitur.

Quid de Sacerdote in peccato celebrante.

§. IV.

An iustus possit sibi mereri reparationem post futurum lapsum?

6 PEtes cum D. Tho. ar. 3. An quando homo est in gratia possit aliquo modo mereri reparationẽ, post lapsum? Sit exemplum: ego hodie sum iustus, & peto à Deo; vt si (quod absit) cecidero in aliquod peccatum mortale, dignetur me sua gratia iustificare? An, inquam, hoc possim aliquomodo mereri? In qua re illud certissimum est, non posse de condigno talem reparationẽ post lapsum aliquem iustum mereri; estquè secundum Fidem Catholicã; si .n. aliquis iustus hoc posset de condigno mereri, qui semel iustus est, infallibiliter saluaretur; nam etiã si peccaret, teneretur Deus ex iustitia illũ reparare in pristinam dignitatem; quod est Hęreticum. Item nam omne meritum de condigno fundatur in gratia; sed qui cadit in mortali amitrit gratiam; ergo nullum remanet in illo meritum de condigno, respectu suæ reparationis: Adde, illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non recordabuntur.*

Nõ potest de condigno.

Ezech.

7 Idem etiam tenet D. Th. de merito de congruo. Sed in hac re iure optimo à multis relinquitur; nam certè decens est, atq. congrua satis petitio, & vsitata inter amicos; cum quis, noscens se esse v.g. impetuosum, & in primis motibus facilem ad offendendum, &c. Dicat amico suo; Quæso te, quod si aliquando fortè, te verbis contumeliosis, iratus, seu furore ebrius, affecero, & offendero, parcas furori meo, & prauæ meæ conditioni. Congruum inquam est, vt ille, si aliquando id eueniat, recordetur excusationis, & petitionis antea factæ, & reconcilietur. Ita cum quis est in gratia, & conscius suæ fragilitatis, petat à Deo, vt dignetur semper se in gratia custodire; quod si ex fragilitate suæ conditionis, & naturæ aliquando reincidat in peccatum, parcat conditioni suæ, recordetur quæ sua substãtia; vnde Dauid orabat, *Cum defecerit in me virtus mea, ne derelinquas me*; & hoc probant argumenta, quæ adducit in contrarium suæ conclusionis D. Tho. art. cit. immò si rectè responsiones perpendantur, tantum excludunt meritum de condigno, & potius inferunt meritum de congruo; præsertim ad primum; legite ipsum.

Negat etiam de congruo D. Th. sed oppositum sustinetur.

Dau.



CAPVT III.

Nonnulla breuiter resoluuntur.

§. I.

D.Th. An possit sibi homo mereri augmentum gratiæ?

1 PEtes primò cum D.Tho. art.8. vtrum homo possit sibi mereri augmentum gratiæ habitualis? dictum est in superioribus, posse? Et assignauimus, quomodo augeatur in nobis talis gratia, & p quos actus? licet de augumento charitatis, & quomodo crescat nostris operibus, disputent iuniores cum D.Th.2.2.q.24.vbi de hac re ex professo agitur:legatur Bannes præsertim. Edidit etiam Victoria relectionem egregiam de augumento charitatis. Legantur etiam Vasq.& Medina art.8.

Ban. Vasq. Med.

An possit mereri perseuerantiam?

2 Quæres secũdò, vtrum homo possit mereri perseuerantiam in bono? Respondet D.Th.ar.9. iustum posse vtiq. de condigno promereri perseuerantiam in gloria; siquidem illud dicitur homo de condigno mereri, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, directi à Deo mouẽte, sicut terminus eius; sed perseuerantia in gloria est terminus prædicti motus; nam ex natura illius status est perpetuitas; ergo cadit sub merito de condigno. Non autẽ posse mereri de condigno perseuerãtiam in statu gratiæ in via; vt egregie docet Augustinus in lib. de bono perseuerantiæ; vbi ait, perseuerantiam esse donum speciale Dei; & non cadere sub merito; vnde ex duobus hominibus, æqualem omninò gratiam habentibus, alterum rapit Deus, ne malitia mutet intellectũ ipsius, animamq. decipiat fictio. Alterum vero labi permittit in culpam, ob occultissima Dei iudicia. Et posset hoc confirmari: nam si caderet sub merito de condigno perseuerantia; qui semel iustus esset, infallibiliter saluaretur, siquidem deberetur illi à Deo ex iustitia perseuerantia in bono; quod est Hæreticum; quare concludũt Doctores, perseuerantiam non se habere ex parte termini, sed potius ex parte principii: principium autem meriti nõ cadit sub meritum; vt alibi dictum est. Non esset autem inconueniens asserere, posse hominem, ad minus, de congruo mereri sibi perseuerantiam in bono. Congruum.n.est, vt Deus exaudiat iustum, amicum, ac filium suum, in re, præsertim, vbi agitur de ipsiusmet iusti salute propria, & permanentia in illa.

Aug.

Obiectio. 3 Dices: potest homo iustus mereri de condigno augumentum gratiæ, & cõtinuationem augumẽti, & perfectionem ipsius; ergo & perseuerantiam in gratia; si .n. continuetur augumentum, necesse est gratiam cõtinuari. Respondetur neg. consequentiam; ad cuius probationem dico, quod non est eadem ratio de augumento gratiæ; & de perseuerantia; nam gratia, quæ augetur, seu id, quod augetur in gratia, est gradus distinctus gratiæ habitualis; qui gradus habet rationem termini; & sic potest mereri de condigno à iusto: At perseuerantia, & conseruatio eiusdem gratiæ non habet rationem termini; cum nõ sit aliquis gradus habitualis gratiæ, sed potius habet rationẽ principii, & motionis; seu auxilii peculiaris, quod se tenet ex parte principii, vt docet D.Th.& communiter Doctores; ergo nõ potest cadere sub merito de condigno; & sic gratia perseuerantiæ dicitur beneficium particulare Dei, quod concedit ipse cui vult; cum nemini illud debeat. Vel dicas, quod perseuerantia est gratiæ habitualis continuatio; vnde sicut ipsa gratia non cadit sub merito de cõdigno, ita neq. ipsa continuatio. Solutio.

Obiectio. 4 Dices: saltem poterit vir sanctus in via per orationem infallibiliter perseuerantiam impetrare, ex fidelitate Diuina, qua promisit, daturum orantibus quicquid petierint: iuxta illud Io.15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunquè volueritis, petitis, & fiet vobis*: & c.14. *Quodcunq. petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Respõdeo, quod homo iustus per orationem tantum potest impetrare à Deo id, quod pertinet ad conditionem viatoris: at quod homo habeat volũtatem determinatam ad bonum vsum gratiæ, potius est conditio existẽtis in termino; quia quandiù nostrum liberum arbitrium non peruenit ad vltimum terminum, semper est flexibile ad vtramq. partem; & sic lex orationis non extenditur ad donum perseuerantiæ; sed illud tantum est referendum ad solam Dei misericordiam; benè verũ est, quod homo sanctus, perseuerans in vera, & feruenti oratione, (docet D.Th.2.2.q.83.) infallibiliter saluabitur, & donum perseuerantiæ consequetur; tamen quod perseueret in tali feruenti oratione vsq. ad finem; hoc maximum Dei donum est, ex gra-

D.Io. Solutio. D.Th.

gratuita Dei beneuolentia paucissimis concessum.

§. II.

Vtrum bona temporalia cadant sub merito.

5 Tandem peces. Vtrum temporalia bona cadant sub merito? Respondeo, quod, si temporalia bona, vt sic, & secundum se præcisè, considerentur, præscindendo à fine, propter quem appetuntur: Tunc dicuntur cadere sub merito, non simpliciter, sed secundum quid: Siquidem non dicuntur simpliciter bona, sed secundum quid; quatenus scilicet aliquis ad temporalia bona mouetur; Ita vt non in eis finem vltimum constituat: sed potius in vero bono, ac Diuino. Cæterum si considerentur, pro vt sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducitur iustus ad vitam æternam, simpliciter cadunt sub merito, sicut augumentum ipsius gratiæ. Dicitur enim

Dauid.

Psal. 35. *Timentes Dominum non minuentur omni bono*; & Psal. 36. *Non vidi iustum derelictum, &c.* Itaque tantum dat Deus veris iustis de bonis tẽporalibus; quantum eis expedit ad salutem; & talia bona in tantum dicuntur simpliciter bona, in quantum necessaria sunt ad salutem.

Nullum bonum opus adhuc iniquissimi peccatoris sua mercede caret.

6 Vltimo loco illud adnotandum est, ad Diuinæ clementiæ, ac liberalitatis laudem, quod nullum opus bonum est, quantumuis peccatoris, ac inimici, quod sua debita mercede careat. Solet enim Deus opera bona moralia peccatorum temporali premio præmiare, nẽpè, temporaria gloria, dignitatibus, ac honoribus huius seculi, diuitijs, sanitate, existimatione, &c. Cum opera inimici non sint alia condigna mercede, v. g. iniquissimus vir elargietur copiosas eleemosinas: orabit frequentissimè: ieiunabit, & alia huiusmodi opera faciet; cũ tamen luxurijs, vsuris, ac odijs anima ipsius sit inquinata, & nolit pœnitere veraciter; tunc Deus illi copiosiores elargietur facultates, honores mundi maximos, dignitates, liberos, omnemq. mundanam felicitatem. Ità vt beatum illum dicant diuinæ prouidentiæ ignari: Idq. vt suo tẽpore valeat illi respondere Dominus, si in talibus confisus operibus, aliquid æterni premij præsumpserit postulare: Amice iam recepisti in mũdo mercedem tuam.

Finis Quodlibeti Duodecimi.



QVODLI.

QVODLIBETVM DECIMVMTERTIVM.

De Scientia Dei.

DISPVTATIO PRIMA.

An ſcientia Dei ſit cauſa rerum, & quomodo?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus,& quotuplex ſit Dei ſcientia?



Ratio D.Th. qua probat, ſciẽtiam Dei eſſe rerum cauſam.

1 

DIuus Th. 1.p.q.14 ar.8. diſputans; *An ſcientia Dei ſit cauſa rerum?* Reſpõdet,affirmatiuè; & probat ex eo; quia ſicut ſe habent opera artificiata, in ordine ad ſcientiam artificis; ita ſe habent omnes creaturæ exiſtentes, in ordine ad ſcientiam Dei; ſed ſciẽtia artificis eſt cauſa rei artificiatæ; cum ipſi aliquo modo aſſimiletur effectus; nam talis eſt effectus, qualis præceſſit Idea,& ſciẽtia artificis; ergo etiam ſcientia Diuina erit cauſa rerum. Tùm ex Auguſtino,relato ab eodem D.Tho.in argumento, *Sed contra*;& ab Aegid.in 1. diſt.38. principio 1.q.1. qui ita ait. *Vniuerſas creaturas; & ſpirituales,& corporales, non, quia ſunt,ideo nouit Deus; ſed ideo ſunt,quia eas nouit Deus* Vnde videtur comprobatum, ſcientia Dei eſſe rerũ omnium cauſam. Cęterum, cum Doctores, noſtro modo intelligendi, diſtinguant in Deo ſcientiam;ideo vt ſciamus, quæ nam ſcientia ſit rerum cauſa; videndum eſt, quotuplex ſcientia reperitur in Deo?

Ex D.P.Aug.

2 Theologi in vniuerſum duplicem diſtinguunt in Deo ſcientiam.ſ.ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; quæ diſtinctio non eſt præciſè, ratione ſui:ſed ratione obiectorum. Scientiam ſimplicis intelligentiæ vocant notitiam eam, qua Deus cognoſcit res poſſibiles tantum; ſiuè aliquando futuras,ſiuè non.Scientiam verò viſionis,dicunt eſſe notitiam illam,qua Deus cognoſcit res omnes,quæ vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt in aliqua temporis differentia.Dixi(non diſtingui has ſcientias præciſè, quatenus ſunt in Deo; ſed ratione obiectorum.)Ratio eſt:quia vna ſimpliciter ſcientia eſt,qua Deus cognoſcit omnia in ſe vno,vt in obiecto primario,& formaliter adæquato. Cęterum ſecundum quod illa intelligitur terminari ad res poſſibiles;etiam ad eas, quæ nunquam erunt; dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ;ſiuè (vt aliqui dicunt)ſcientia abſtractiua; quia præſcindit ab actuali exiſtentia; at verò ſecundum quod intelligitur terminari ad creaturas exiſtentes in aliqua temporis differentia, dicitur ſcientia viſionis; ſiuè intuitiua (vt alij dicunt) per quandam analogiam ad oculũ corporeum,qui non videt,niſi res exiſtẽtes,& pręſentes.Difficultas ergo non eſt; An ſcientia Dei, præciſè ſecundum ſe conſiderata,quatenus eſt in Deo,ſit cau-

Duplex in Deo ſciẽtia.

Quid ſimplicis intelligẽtiæ, & quid viſionis?

ſa

sa rerum? quia, vt sic, certum est, vtramq. scientiam esse rerum omnium causam; cum vtraq. sit vna, & simplicissima scientia; sed tantum controuertitur à Doctoribus; quæ nam illarum sit rerum causa, sumptis in ratione, qua dicuntur esse duę scientiæ distinctæ, ratione diuersorum obiectorum, ad quę terminantur? Impertinens etiam esset quærere: An scientia visionis, prout est cognitio rerum iam factarum, sit causa illarum? si.n. supponitur, quod sit cognitio rerum iam factarum, iā supponuntur res factæ; & sic illa scientia non potest dici, aliquo modo, vt sit illarum causa: cū illas omninò supponat; sed difficultas consistit; An hæc cognitio, in quantum primo terminatur ad existētias creaturarum, possit dici causa earū; ad eum modum, quo cognitio nostra, qua efficimus ens rationis, est causa illius, eo ipso, quo illud primo cognoscit; & in quantum primo cognoscit; & qua etiam ratione in Deo cognitio productiua verbi est simul intuitiua illius existentis, & productiua eiusdem; An etiam eodem modo det Deus esse creaturis, primo, intelligendo, & volendo, illas esse; atq; adeo, per scientiam visionis, & non solum intelligendo illas esse possibiles, & factibiles; quod intelligit per scientiam simplicis intelligentiæ. Et tandem, vt certa omnia statuamus; nemo approbatorū Theologorum negat, sciētiam Diuinam esse causam creaturæ, prout est scientia simplicis intelligentiæ: hoc.n. ad minimū probant rationes D.Tho. vt sic .n. dirigit voluntatem Diuinam ad operandum, per modum scientiæ practicæ, & artis, ostendendo modum, & rationem, qua quælibet creatura fieri potest, & debeat, iuxta has, vel illas formas; qua ratione comparatur scientia Dei scientiæ artificis, vt egregiè etiam docet Aegid. noster in 1. dist. 38. principio 1. q. 1. quarè solum dubitatur de scientia visionis, sub ista consideratione præcisè, modo exposito.

Status dispositionis.

Certum est scientiā simplicis intelligentię esse rerū causam.

Aegid.



CAPVT II.

Referuntur duæ sententiæ; & verior eligitur, & explicatur?

§. I.

1 IN qua re, nonnulli ex recentioribus, præsertim Hispanis, hac ætate, in suis manuscriptis docent, scientiam visionis esse causam rerum, itaut res ideo sit futura; quia videtur à Deo fore; non verò è conuerso: quorum fundamenta infra tangam, & soluam; quæ sententia licet aliquam videatur habere probabilitatem, (vt ex asserendis pro illa rationibus patebit:) tamen longè probabilior, & communior est opposita sententia; .s. scientiam visionis, præcisè sub hac denominatione, quatenus est cognitio intuitiua creaturarum existētium; non esse causam earum, quasi primo dantem illis esse; sed supponere illas aliundè futuras; hoc est, ex scientia simplicis intelligentiæ; ita Greg. in 1. dist. 38. q. 2. art. 2. in solutione cuiusdam argumenti Marsil. in 1. q. 40. ad 5. ratione. Vgo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis p. 2. c. 16. Molin. in concord. in comment. ar. 8. q. 14. 1. p. qui est antè primam dispositionem; & disp. 50. *Ex his facilè*, & 1. p. q. 14. ar. 13. disp. 17. Vasq. p. 1. disp. 68. cap. 16. Valent. super art. cit. punct. 8. Zumel ibidem dist. vnica; & Suar. ibidem.

1. sententia.

2. sententia verior.

Greg. Marsil. Vgo. Mol. Vasq. Val. Zum. Suar.

2 Pro cuius explicatione not. quod D.Th. & Aegid. locis cit. docent, sciētiam Dei eatenus esse causam rerum, quatenus habet rationem artis; Artifex namq. operatur per intellectum, cognoscentem varia genera artificiatorū; vnde ars cōstituitur à Philosophis virtus intellectualis; & hinc est, quod Sap. 7. dicitur, *Omnium artifex docuit me sapientiam.* Prouerb. 3. *Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt.* Hierem. c. 51. *Qui præparat orbem in sapientia sua, & prouidētia sua extendit Cœlos.* Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* & 135. *Qui fecit Cœlos in intellectu*; & passim hoc eodem modo loquitur Scriptura sacra. Hinc infert D.Th. formam, quæ est in intellectu artificis, esse principium operationis, & ex consequenti, ipsam scientiam Diuini intellectus esse principium rerum effectarum,

D.Th. Aegid. Not. ex D. Th. & Aegid.

Sap. Prouer. Hierem. Dau.

D.Th.

rum,

Arist.

rum; sed (vt docet Arist. 9.met. tex.10.) Agentia, quæ operantur per rationem, ex eo distinguuntur ab agẽtibus per naturam; quod ex his statim sequitur operatio, post applicationem materiæ: ex illis verò non ita. Cuius ratio est, quia hæc posteriora agentia operantur per formã determinatam ad vnum: illa, autẽ secus; nam ars est principium contrariorum; videlicèt ædificandi, & destruendi; iuxta indigẽtiã operis artificialis; ex quo fit, vt ex sola sciẽtia artificis non statim sequatur opus; nisi indifferẽtia artis, qua se habet ad opposita, determinetur ad vnũ ex appetitu, & electione artificis.

Ratio qua probatur solam sciẽtiam simplicis intelligẽtię esse causã rerũ.

3 Ex hac notatione sequitur, scientiam visionis Dei non esse causam rerum futurarum; sed solum scientiam simplicis intelligentiæ: quia sola scientia Dei, nisi determinetur per subsequentem voluntatem, non est causa rerum; sed sola sciẽtia simplicis intelligentiæ per subsequentem voluntatem determinari potest: ergo illa sola est causa rerum: probatur maior; quia scientia Dei est scientia artificis; & ita dicitur scientia approbationum; quia voluntas probat, & decernit, in effectu fieri id, quod sciẽtia indicatum est. Quarè Ephes.1. dicitur, *Qui operatur omnia secundum Consilium voluntatis suæ.* Apoc.4. *Propter voluntatem suam erant, & creata sunt.* Psal.32. *Ipse dixit, & facta sunt.* Et alibi. *Omnia, quæcunq. voluit fecit.* Modo probatur minor; quia inter scientiam visionis, & rem futuram non potest mediare actus liber Diuinæ voluntatis; nam, necessitate consequẽtiæ, euidenter sequitur, rem illam fore necessario, cuius Deus habet scientiam visionis; impossibile .n. est, videri à Deo futuram in suo tempore, nisi in tempore futura sit; ergo scientia visionis potius supponit voluntatem Dei circa res futuras, quam ad illam præsupponatur, quod si semel præsupponit voluntatem Dei liberam, præsupponet etiam esse futurum rerum; tum quia voluntas Dei est sola Essentia comparata ad rem futuram per modum decreti; tùm quia ex voluntate Dei efficacissimè immediatè sequitur, res ipsas fore.

D. Paul.

Apoc.

Explicatur precedẽs ratio.

4 Quæ ratio non paruifacienda est; & potest sic melius explicari; supponendo id, quod annuimus, ex cõmuni Theologorum placito, in quo consistat scientia visionis, & in quo scientia simplicis intelligentiæ? Hanc nimirum consistere in notitia rerum possibilium, vt sic; siuè aliquando futuræ sint, siuè non: priorem verò; nempè, visionis, in notitia rerum existentium in aliqua temporis differentia. Tunc sic, scientia artificis, quæ dicitur ars, non consistit in cognitione rei existentis; sed in ea cognitione, quam habet artifex de re facienda, per quam scit, ita, & ita rem fieri debere, vt sit proportionata fini, propter quem fit: vnde ars consistit in collectione quadam præceptorũ, & in Idea, quam habet artifex rei faciendæ; vt certum est apud omnes; cum ergo doceat D.Th. eam scientiam Diuinam esse causam rerum, quæ se habet, sicuti scientia artificis ad artificiata; videtur apertè sentire, non aliam scientiam in Deo esse rerum causam; nisi eam, per quam cognoscit res, ita, & ita posse, & debere fieri, vt sint suis finibus proportionatæ; atq. adeo, per quam cognitionem, medio decreto voluntatis, fiat opus simile arti: Hæc autem non est scientia visionis; cũ hæc terminetur ad creaturas existentes; ergo est tantum scientia simplicis intelligentię. Item: ea scientia, ex D.Tho. est rerum causa, quæ ex se est indifferens ad opposita; & propterea indiget determinari, decreto voluntatis, ad vnum potius, quàm ad aliud (vt patet ex tex.) sed scientia visionis, vt sic, non est indifferens ad opposita, sicuti est scientia simplicis intelligentiæ; nam per scientiam visionis videt Deus determinate, res esse vno modo, quo sunt; Vnde hæc scientia est ad vnum determinata: per scientiam verò simplicis intelligentiæ, Deus videt se varijs modis posse operari; atq. adeo est, veluti indifferens: videt etiam, quod hæc res, ita, & ita facienda est; si debet fieri congruenter tali fini: & quod aliter facta, non fieret congruenter illi fini; & ideo dicitur scientia oppositorum; quia artifex, per suam scientiam, cognoscit, quod res ita, & ita fieri debet, & consequẽter, si aliter fieret, nõ benè fieret; sic etiam Medicus, qui cognoscit, calida frigidis curari; etiam cognoscit, frigida frigidis augeri; & propterea (secundum Arist. à quo sumpsit D.Th. hanc doctrinam) dicuntur hæ artes se habere ad opposita; vnde indigent determinatione voluntatis ad ita operandum; ex quo etiam colligit D.Th. quod scientia artificis; (& ita etiam sciẽtia diuina;) licet secundum se possint dici causatiuæ; tamẽ non possunt dici causæ; s. actu causantes, nisi determinentur ad vnum; hoc autem fit in Deo, decreto volũtatis; ex quo integro discursu D.Th. du-

D.Th.

Arist.

dubitari non potest, quin ipse, solū scientiam simplicis intelligentiæ voluerit, hoc loco, esse causam rerum. Eadem ratione ad idem probandum vtitur in 1. dist. 38. q. 1. ar. 1. & alibi sæpè.

Orig. Damasc. Chrisost. Hieron. August. Athan. Cirill. Leo. Boet. Beda.

5 Hanc doctrinam probarunt antiqui Patres communiter; Origenes lib. 7. in epist. ad Rom. Damasc. dialog. aduer. Manich. Chrisostomus homil. 60. in Matt. Hieron. supra Isai. 16. & 26. Hierem. Ezech. 2. & dial. 3. aduer. Pelagianos. Augustinus 5. de Ciuit. cap. 10. Athanas. de Cruce, & Passion. Domini, in principio, Cirill. lib. 9. in Io. c. 10. Leo Magnus serm. 16. Boet. 5. de Consol. prosa 3. Beda lib. quæstionum q. 13. to. 8. quorum communis vox est; prænotionem Dei non esse causam futuri; sed, quod futurum est causa prænotionis, aliquo modo; (vt ex infra dicendis patebit; non absolutè: nam, vt sic, id falsum esset;) & futura, quæ eueniūt non ideo euenire, quia præscita sunt; sed ideo præsciri, quia ventura sunt.

Nota modū loquendi Patrum.

6 Illud autem est in his Patribus adnotandum, quod omnes loquuntur, non de operibus virtuosis præcisè, sed de peccatis: agebant. n. vel de proditione Iudæ; vt Orig. vel de scandalis paruulorum, vt Chrisostomus; vel de peccato primi Parentis, vt Hieronym. & Augustinus, vel de peccato Crucifigētium Christum, vt Leo Magnus; vel generaliter de omni peccato, vt Damasc. & Cirill. ex quo forsitan inferunt Aduersarij, prædictos Patres nil nostræ sententiæ fauere; quia opera peccati, ideo non sunt futura, ex scientia visionis, tanquam ex causa; quia Deus causa peccati esse nō potest; operis autē virtuosi, & boni, esse potest; & ideo Patres, id, quod de opere peccati futuri affirmāt, forsitan de opere virtutis non affirmarent.

Patres nostrā stabiliunt sententiam.

7 Cęterum adhuc testimonia Patrū apertissimè confirmant sententiam nostram: quia licet loquātur de opere peccati: vtuntur tamē propositionibus communioribus; nam vt probent, peccatum non ideo esse futurum; quia præscitum est; assumunt hāc vniuersalē (*Futurū non ideo est futurum, quia præscitū à Deo; sed potius è conuerso*;) ergò etiamsi id specialiter de peccatis probent: ratione tamen illius propositionis vniuersalis, quam assumunt, ad concludendum de peccatis, non ideo esse futura, quia præsciuntur; proculdubio pro nobis sunt, sentientes vniuersim, futurum potius esse causam prænotionis, quàm è contra.

8 Præterea addo; quod, licet de solis peccatis loquuti essēt; ex eo solum, quod ipsi conceduut, sequitur, idem debere affirmari in omni materia; nam, quod opus peccati non ideo sit futurum, quia præscitur; verum esset quidē, eo solum, quod opus peccati nequit esse à Deo. Cęterum ad hoc necesse erat, quod prænotio Dei nullius futuri esset causa; aut esset affirmandum, Deum non præuidere peccatū futurum. Nam si Deus, præuisione sua, est causa euentus; etiam erit causa peccati, si illud semel præuideret; nam ex eo, quia voluntas Dei est causa futuri, cogimur affirmare, Deum esse causam peccati; si semel admittamus, velle peccatū; & ita, ne concedamus, esse causam eius; dicimus, non velle ipsum, efficaci voluntate; quinimò, nolle, voluntate quadam displicentiæ. Defendi ergo non potest in bona Theologia, Deum non esse causam peccati; si semel admittamus, scientiam visionis Dei esse causam rerum futurarum.

9 Tandem: si Patres solum affirmarent, peccatum non ideo esse futurum, quia præscitum est; accommodari posset vbicunq. prædicta solutio; nam peccati, & virtutis diuersa ratio est, quantum attinet ad causalitatem diuinam: cęterum Patres non id affirmāt, solum: sed aduertunt etiam, peccatum ideo esse præcognitum, quia futurum est, quod verum esse non posset, nisi generaliter omne futurum, ideo esset præscitum, quia futurū est: in peccato. n. nulla specialis ratio esse poterat, propter quam, futuritione sua, esset causa prænotionis, nisi generalis ratio futuri; quæ etiam in actu virtutis reperitur: cum ergo Patres duo affirment: alterum; peccatum non ideo fore, quia præscitum. Alterum; peccatum ideo præsciri, quia futurum est; consequitur, ipsos existimare, omne futurum, in vniuersum, ordine rationis, præsupponi ad sciētiam visionis; & ideo nullum futurum esse effectum eius.



CAPVT III.

Proponitur quædam ratio à priori.

§. I.

Friuolæ aliquorũ rationes quibus probant, sciẽtiam visionis non esse causam rerum.

1 DIfficile autem est assignare rationem à priori; cur sciẽtia visionis non possit esse causa creaturarum, licet nō per modum artis, saltem per modum cuiusdam potentiæ exequutricis? aut sicuti est ipse actus liber voluntatis, & qua ratione, in nobis, cognitio est causa entis rationis; nam, quod aliqui dicunt, talem scientiam esse merè speculatiuam; nihil conuincunt, nisi id probent. Posset.n. aliquis Respondere, hanc scientiam simul esse practicam, & speculatiuam; quatenus.n. est contemplatio rerum existentium, dici posset speculatiua. Quatenus verò dat illi esse, posset dici practica; qualis etiam est cognitio, qua producitur verbum in Diuinis; quæ simul est speculatiua, & productiua; sic etiam, & aliæ multæ rationes, quæ circumferri solent, insufficiẽtes sunt: & omnes, fere, non paruas patiuntur difficultates.

Nota quoddam fundamentum pro assignanda ratione a priori.

2 Quibus omissis, potest hęc sententia sufficienter a priori probari. Si primò supponamus, pro nunc, in sententia aliquorum, valdè probabili: quod Deus per scientiam visionis videat creaturas in sua Essentia, tanquam in obiecto primario; ita vt, non videat eas, cognitione, primò, & per se termina ad illas; sed ad Essentiã suam, in qua continentur; ita vt Deus, intuendo Essentiam suam, in ipsa, & per ipsam videat omnes creaturas; non quia Deus nihil aliud videat, nisi suam Essentiam; & solum dicatur videre creaturas, quia præcisè videt id, in quo ipsæ eminẽter continentur: sed quia, licet videat esse distinctum, quod habent creaturæ ab Essentia sua, videt tamen hoc esse in ipso esse in creato, in quo continentur eminenter, tanquam in obiecto primario; ita videtur docere D.Tho.p.1.q.14.art.5.ad 1. dum ait *(dicendum, quod verbum Augustini, dicentis, quod Deus nil extra se intuetur non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit extra se intueatur. Sed quia id, quod est extra se ipsum non intuetur, nisi in se ipso,)* & ex hoc, in Responsione ad tertium dicit, *(Ipsum intelligere non specificari per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum.n. ipsum intelligere specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principiũ intellectualis operationis: nam omnis operatio specificatur per formã, quæ est principium operationis; sicut calefactio per calorem; vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu; & hæc est species principalis intellecti, quæ in Deo nihil est aliud, quàm Essentia sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur; Vnde non oportet, quod ipsum intelligere Diuinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud, quàm per Essentiam Diuinam.)* Et in corpore eiusdẽ articuli habet hanc per pulchram doctrinam, dicens: *(Dupliciter aliquid cognosci; vno modo in se ipso; alio modo in altero; in se ipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciẽ propriam adæquatam ipsi cognoscibili; sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis; in alio autem videtur id, quod videtur per speciem continentis; sicut cum pars videtur in toto per speciem totius; vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi; vel quocunq. alio modo contingat aliquid in alio videri; sic igitur dicendum, quod Deus se ipsum videt in se ipso; quia se ipsum videt per Essentiam suam; alia autem à se, videt, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum Essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso,)* & ar.6.ad 1. sic concludit: *(sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in se ipso; sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura; & tantò perfectius, quãto perfectius est vnumquodq. in ipso)*

Quod Deus alia à se videt in se ipso.

D.Th.

Quid in hac re sentiant, Scotus, Vasq. Suar. & alij Doctores. Mol. Gabr. Ocham.

3 Licet citari soleat Scotus in 1.dist. 35.& 36. ac si dicat, Deum non cognoscere creaturas, nisi in se ipsis. Cęterum Molina p.1.q.14.ar.6.disp.vnica concl.2. & §. Obijcies: existimat, Scotum non fuisse in ea sententia, vt simpliciter verba sonant; licet obscurè, & incongruè loquatur; sed prorsus in communi sententia aliorum. Citantur etiam à Vasq. eod.loc. disp.60.c.1. Gabr. & Ocham; ac si dicant, creaturas à Deo ita videri, vt non videãtur in sua Essentia, tanquam in obiecto primario; verum Suar.p.1.to.1.lib.3.c.2. n.12. existimat, hos authores simul cum Scoto non negare, creaturas videri in Deo, tanquam in medio, quo videntur, nempè, tanquam in specie, veluti impres-

sa;

ſa; ſed ſolum negare, videri in Deo; tanquam in cauſa, & medio antecedenter; videntur .n. exiſtimaſſe hi Doctores, Eſſentiã Diuinam, ſicuti eſt loco ſpeciei reſpectu ſui ad intellectum Diuinum, ita etiam eſſe loco ſpeciei in eo ad omnes creaturas; atquè adeò poſſe repræſentare creaturas immediatè in ſe ipſis, & non in alio, tanquam in obiecto prius viſo; qua ratione ſpecies vniuerſalis vnius Angeli poteſt repræſentare plura obiecta in ſe ipſis, & non vnum in alio. Ab hac ſententia parum videtur diſcedere Vaſq. loc. cit. c. 3. qui exiſtimat, Deum videre creaturas in ſe ipſo, non tanquam in cauſa, neq. vt in ſpecie impreſſa, ſed vt in ſpecie expreſſa; ſeu verbo mentis. Putat. n. Eſſentiam Diuinam, reſpectu cognitionis, quæ in Deo dicitur eſſentialis, prout diſtinguitur à notionali, habere ſe vt terminũ intrinſecum, & quoddam verbum eſſentiale; atq. adeo eſſe ſpeciem expreſſam; in qua, tanquam in quodam ſpeculo, videntur creaturæ: qua in re ipſe diſcrepat à communi ſententia Theologorum; qui videntur fateri cum D. Th. Deum cognoſcere creaturas in ſe, tanquam in cauſa; ita vt primus terminus cognitionis Diuinæ ſit vna Eſſentia, in qua ſecundariò intelligantur creaturæ, propter eſſentialem connexionem, quam habent ad Eſſentiam, & virtutem Dei, tanquam ad cauſam; atq. adeo, propter eminentem continentiam, quæ eſt in Diuina Eſſentia, reſpectu creaturarum; quam D. Tho. appellat, ſimilitudinem increatam, in qua continẽtur creaturæ ſecundum modum intelligibilem.

Eſsẽtia Diuina eminẽter eſt ſpecies omniũ creaturarũ: tamẽ prius ſe ipſã repræſentat, & in ſe, tanquam in cauſa, ipſas creaturas.

4 Vbi aduertendum eſt, quod licet Eſſentia Diuina ſit eminẽter ſpecies omnium creaturarum; atq. ita in ordine ad earum cognitionem ſufficere poſſet loco ſpeciei impreſſæ; tamen nullo modo poteſt hoc officio fungi immediatè, .ſ. ſolas illas directè repræſentando, ſine vllo ordine ad ſe ipsã; ſed neceſſariò prius repræſentat ſe ipſam intellectui Diuino; & in ſe ipſa, tanquam in increata ſimilitudine; atquè adeo, tanquam in cauſa, & virtute, creaturas: & in hoc ſenſu verum eſt, Deum nil cognoſcere extra ſe; neque cognoſcere creaturas in ſe ipſis; itaq. Eſſentia Diuina neq. ſolas creaturas repræſentare poteſt Deo; neq. & ſimul, ſine illa dependentia, repræſentare ſe ipſam, & creaturas; ſed neceſſario prius repræſentat, immediatè, & primariò ſe ipſam: ſecundariò vero, creaturas in ſe ipſa; vnde impoſſibile eſt, vt cognitio Diuina vllo pacto præſcindat ab hoc obiecto, quod eſt Deus; ſed ſi fertur in creaturas, neceſſe eſt, vt primario in ſe ipſam feratur, in qua videntur creaturæ. Hoc ergo modo videtur exiſtimaſſe D. Tho. videri à Deo creaturas in ſe ipſo. D. Th.

§. II.

5 NEq. obſtat, ſi cõtra hoc obijcias primò, quod res non cognoſcitur, niſi ſicuti eſt in cognoſcẽte; ſed creaturæ non ſunt in Deo, niſi ſecundum eſſe increatum; ergo non cognoſcuntur, niſi ſecundum eſſe increatum. Nam Reſpondeo cum D. Tho. ar. 6. ad 1. diſtinguendo particulam illam, (*ſicuti*,) vel. n. tenet ſe præciſe ex parte obiecti; vt ſit ſenſus: res tantum cognoſcitur, ſecũdum illud eſſe, quod habet in cognoſcente: & ſic eſt falſa propoſitio: nam lapis non habet eſſe reale in oculo, ſed intentionale; & tamen non cognoſcitur ab oculo, ſecundum eſſe intentionale: ſi verò illa particula, *ſicuti*, ſe teneat ex parte modi cognoſcentis; vt ſenſus ſit; res non cognoſcitur, niſi cognitione proportionata modo, quo res eſt in cognoſcente; vt, ſi ſit in cognoſcente per ſpeciem propriam, aut intuitiuam; cognoſcatur intuitiuè; ſic vera eſt propoſitio; ſed ex ea nihil infertur, niſi quod Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſo, diſtinctè; quia modus, quo sũt in Deo eſt excellens ſimilitudo illarum. Obiectio. Solutio ex D. Th.

6 Neque obſtat ſi ſecundò obijcias; quod creaturæ, antequam exiſtãt; & multo magis illæ, quæ ſunt ſolum potẽtiales; nullo modo habent eſſe in ſe ipſis, diuerſum ab eſſe Diuino; ergo non poſſunt cognoſci niſi ſecundum eſſe Diuinum; nam Reſpondeo, non habere eſſe actuale; habere tamen eſſe poſſibile; quod eſſe poſſibile, licet nihil ſit actu, re ipſa diſtinctum ab eſſe Diuino, eſt tamẽ diſtinguibile ab illo. Has ergo rationes creaturarum poſſibilium cognoſcit Deus, quod neq. ſunt actu idem cum ipſo Deo, neq. actu re ipſa aliquid diuerſum; quia nihil ſunt actu in ſe ipſis; ſed ſunt rationes poſſibiles, & diſtinguibiles ab ipſo eſſe Diuino; quod in ſui ratione connotat, tanquã primam cauſam omnis entis. 2. obiectio. Solutio.

§. III.

Prima ratio à priori ex supposita Doctrina.

7 PRæsupposita ergo hac doctrina, & sententia, potest à priori sic probari, quod intendebamus; nimirum, scientiam visionis creaturarum nullo pacto posse esse ipsarum causam. Necessario, in priori aliquo signo rationis, est futuritio, & existentia creaturarum, quam essentia Diuina sit proximè representatiua illarum, aut actu illas repręsentet: ergò existentia, & futuritio creaturarum præsupponitur ad scientiam visionis; Et consequenter non potest esse eius effectus. Consequentia patet, quia scientia visionis tunc est, quando Essentia actu representat; Vndè quicquid supponitur ad hanc actualem representationem, supponitur ad scientiam visionis. Antecedés verò probatur, quia essentia Dei, ex se præcisè, est indifferens ad illas actu representandas, vel non representandas: vndè potuisset nullas de facto representare, si Deus nullam creaturam voluisset producere. Vt ergò actu representet, necessario supponit mutationem in creatura, quod. s. de esse possibili transeat ad esse futurum, ex decreto Diuinæ voluntatis. Quare hic transitus, seu futuritio creaturæ, & actus liber Diuinæ voluntatis omnino præsupponitur ad actualem hanc representationem, & & consequenter ad scientiam visionis, ergo hæc scientia non potest dare esse primo Creaturis.

Cur scientia simplicis intelligentiæ dicatur necessaria, visionis verò libera.

8 Ex hac ratione colligitur, cur scientia simplicis intelligentiæ dicatur necessaria: scientia verò visionis creaturarũ, libera? Dicitur. n. illa necessaria, non solum ratione suæ entitatis, sicuti sunt omnia, quæ sunt in Deo: sed etiam ratione terminationis ad tale obiectũ; nam simpliciter impossibile est, Deum non cognoscere quicquid est possibile, & quocumque modo est possibile; cum possibilitas rerum non depédeat ab vllo actuali libero decreto præexistenti Diuinæ voluntatis. At vero scientia visionis creaturarum, licet sit necessaria primo modo, cum non sit aliud à scientia simplicis intelligentiæ; tamen nõ est simpliciter necessaria secundo modo, quo ad eam. s. denominationem, sed solum ex suppositione; posito. s. quod creaturæ existant; vndè si creaturæ non fuissent, sicuti potuerunt non esse; scientia Dei non fuisset ad has creaturas; & propterea hæc scientia dicitur libera: est tamen necessaria necessitate infallibilitatis: quia Deus per hanc scientiam non potest falli. Vtrum autem possit dici cõtingens? quęstio est de nomine; sed videtur propriè, non posse dici, quia hoc vocabulum significat nescio quid defectibile, & casuale. Vndè quæcumque homo facit ex perfecta electione, non dicitur propriè, facere contingenter, sed liberè. Cum ergo talis sciẽtia supponat Deum operantem per electionem, potius dicenda est libera, quam contingens.

An scientia visionis possit dici contingens.

Ordo causalitatis scientiæ Diuinę.

9 Colligitur secundo, hunc esse modũ causalitatis scientiæ Diuinæ ad creaturas. Deus sua illa scientia necessaria, non solum cognoscit res omnes possibiles: sed etiam quomodo, & sub quibus circunstantijs, & qualitatibus, & ordine; & ratione sit quælibet res facienda; posito hoc, vel illo fine illius rei: siue hęc creatura à solo Deo fieri debeat, siue etiam cum concursu secundæ causæ creatæ; per quam scientiam Deus constituitur, veluti perfectissimus artifex, in actu primo; postea intelligitur accedere decretum Diuinæ voluntatis eligentis aliquam creaturam, aut aliquem ordinem creaturarum, atque adeo determinantis ad illũ. Quo posito, applicat Deus potentiam suam exequutiuam, quæ est eius omnipotentia, iuxta modum illum præscriptum in sua diuina scientia, & electum à sua voluntate. Hac ergo ratione dicitur sciẽtia Diuina causa per modum artis.

CAPVT IV.

Potior ratio à priori.

§. I.

1 CÆterum, licet præcedens ratio à priori optima sit, tamen quia tota vis eius fundatur supra doctrinam illam de cognitione creaturarum in propria essentia, quam præsupposuimus, & non est ità certa, vt non negetur à multis, tum Antiquis, tum etiam Recentioribus Theologis, qui mordicus tenent, Deum in res ipsas figere immediatè cognitionem, & videre eas in se ipsis proprio, & quasi oculari conceptu; quæ sententia non minus

est

est probabilis, quam opposita; ideo quicquid sit de hoc, possumus aliter rationē à priori sic efformare ad idem probandum.

Alia ratio à priori. 2 Omnis affectus translatus ab humanis ad Diuina, transferri debet cum ea conditione, quam includit essentia, ex parte formalis obiecti, alioqui, variata ea conditione, aliud esset obiectum actus; & ex consequenti, affectus ipse nō maneret in Deo formaliter; sed cognitio intuitiua, qualiter esse debet scientia visionis, siue per sensum, siue per intellectū habeatur, est posterior, saltem ratione, suo obiecto, & causa illius esse nō potest; ergo huiusmodi operatio, translata ad Deum, formaliter continet eandem cōditionem. Maior supponitur, vt euidēter nota; minorem vero docet Augustinus 4. de Genes. ad literā c. 32. in hæc verba: *Nec. n. cognitio fieri potest nisi cognoscēda praecedāt.* Et in vniuersum, omnis notitia speculatiua, ēt si intuitiua non sit, supponit esse suū obiectum, circa quod versatur; & patet à simili; quia notitia simplicis intelligentiæ non est causa potentialitatis rei creabilis, sed illam supponit; ergo scientia visionis nec erit causa rei futuræ; sed supponet illam. Probatur antecedens, quia in eo priori rationis, quo omnipotentia præcedit cognitionē, qua Deus cognoscit, se esse omnipotentem, resultat denominatio possibilis in re creabili, iuxtā regulam Aristot. quam assignat circa Relatiua tertij generis; nimirum ideo referri ad alia extrema, quia extrema prius referuntur ad ipsa; vt scibile ad scientiam, mensurabile, ad mensuram.

August.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones.

§. I.

Prima obiectio. 1 SED dices primò contra hoc; scientia approbationis (secundū D. Thomam art. cit. in fine corporis) est illa, quæ est causa rerū: sed hæc videtur esse scientia visionis, ergo, &c.

Solutio. 2 Respondeo ad maiorem. Scientiam approbationis posse dupliciter accipi. Primo, pro scientia simplicis intelligentiæ, adiuncto decreto voluntatis: Ipsa .n. scientia, qua Deus cognoscit, hoc, vel illo modo esse operandum, ad hunc, vel illum finem, vt connotat decretum voluntatis eligentis, dicitur scientia approbationis, veluti prima; & de hac loquitur D. Thomas loc. cit. vt colligi potest ex toto corpore art. posito autem hoc decreto voluntatis, intelligitur creatura existere in aliqua differentia temporis, & consequenter intelligitur Deus cognoscens illam, per scientiam visionis: Et quia per hanc etiam scientiam cognoscit, res factas omninò benè se habere, sicut factæ, & volitæ sunt: Hinc fit, vt hæc ēt scientia possit dici scientia approbationis, veluti secunda, & consequens; & vt sic, potest dici causa rerum, non primo dans esse, sed veluti conseruatiua in esse. Nisi enim Deus videret, bona esse ea, quæ fecit, illa non conseruaret; & hoc indicatur per illa verba Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Genes.

1. Obiectio. 2 Dices secundo, si scientia visionis non esset causa futurorum, sequeretur hanc causalem esse veram. (Ideo Deus scit futura, quia illa futura sunt.) non autem è contra: Sed D. Thom. loc. cit. ad primum, non concedit illam causalem, sed potius videtur indicare, propositionem illam esse à posteriori; ergo hæc propositio (secundum D. Thomam) videtur esse à priori, (Ideo res futura est, quia Deus sciuit, illam esse futuram.) sed hæc scientia pertinet ad scientiam visionis, per quam videntur res futuræ; nam per scientiam simplicis intelligentiæ non videntur res futuræ; sed possibiles, ergo. &c.

Solutio ex D. Thom. 3 Respondeo ex eodem Diuo Thoma, distinguendo consequens antecedentis: si particula illa (*ideo*) dicat causam consequētiæ, veram esse propositionem: si verò dicat, causam consequentis; neq. esse causalem, neq. veram. Ratio primi dicti est, quia re vera valet in hac nostra sententia illa propositio: (Res sunt futuræ, ergo Deus illas sciuit futuras.) Quarè cum antecedens sit causa consequentiæ; poterit fieri hæc causalis: (Ideo Deus sciuit res futuras, quia sunt futuræ.) dummodo particula illa (*ideo*) dicat solum causam consequentiæ.

Nota, quod existentia rerum non solū non causa entitatis scietię Dei, sed neq. est causa, vt hęc scientia tractatur ad illas. Ratio verò secundi dicti est, quia existentia rerum non solum non est causa ipsius entitatis diuinæ scientiæ, (vt certum est,) sed neque etiam est causa, vt

hæc scientia terminetur ad illas; *Quod* diligenter est aduertendum: nam si deberet assignari aliqua ratio: cur Diuina scientia terminatur ad illas; etiam posita earum existentia? hæc non est alia, nisi intrinseca ipsa perfectio, & infinitas ipsius scientiæ; quæ tanta est, ut necessariò cognoscat omne cognoscibile; cum ergo res existentes sint cognoscibiles, necesse est, ut illa ad eas terminetur; itaq. existentia creaturarum non est causa, ut cognitio terminetur ad illas; sed est merum obiectum secundarium, nullam habens causalitatem in Diuinam scientiam; quia Deus non cognoscit illud per speciem acceptam, aut dependentem à tali obiecto; sed per suam Essentiam (ut paulo supra dicebamus in probabiliori opinione.) Vnde non ualet in Deo hæc consequentia: hoc est obiectum Diuinę cognitionis; ergo causa: concludo igitur, quod si particula illa *(ideo)* dicat causam consequentis, est falsa.

§. II.

Replica. 9 Sed dices; hæc propositio: (Deus ideo scit res futuras, quia sunt futuræ) est ne aliquo modo à priori? Respondeo, non esse à priori per causam consequentis; posse tamen dici esse à priori, per aliquod prærequisitum prius ratione ad ueritatem consequentis: hoc autem prærequisitum non est propriè, vt conditio, sed vt obiectum secundarium, à quo nullo modo dependet Diuina cognitio propriè. In hoc ergo sensu hæc propositio est vera, & aliquo modo à priori; (ideo Deus nouit, quia res est futura.) & in eo casu intelligi possunt Origen. citatus à D. Th. & multi etiam alij Patres, qui eodē modo loquuntur; vt Chrisostomus, Iustinus, Damascenus, Cirillus, Hieron. Beda, Boet. quos citat Vasq. disp. 68. 1. p. c. 6. quod si D. Iustinus dicat; *Id, quod futurum est, esse causam prænotionis Diuinæ*; accipit *causam* latè, pro omni eo, quod præexigitur ad aliquid. Nam alioqui certum est, creaturas non esse verè causas cognitionis Diuinæ; sed Deum ex sua infinita perfectione habere, vt cognoscat omnia: vnde si Deus non esset ex se infinitè intelligens, possent res esse futuræ, & non præintelligi à Deo. Cum ergo plures negant, hanc esse veram; (ideo res est futura, quia Deus illam pręsciuit:) & concedunt hãc. (Ideo Deus præsciuit, quia res est futura.) Loquuntur præcisè

Respondetur

Orig. Chrisost. Iustin. Damasc. Ciril. Hieron. Beda Boet. Vasq.

de scientia visionis, & de causa consequentiæ, per rationem à priori; & sic vera est eorum doctrina, & nostræ omninò conformis.

§. III.

5 Sed quæres: qua ratione hæc alia propositio sit vera: (ideo res sunt futuræ, quia Deus præsciuit?) Respōdeo, quod, si loquamur de præscientia, quæ sit scientia visionis; ea propositio est vera; si particula illa *(ideo)* dicat causam consequentiæ: non autem si dicat causam consequentis, propter rationes supra factas, quibus probauimus, scientiam visionis, vt sic, non esse causam primò dantem esse creaturis; huiusmodi autem consequētiarum, per causas solius consequentiæ, habemus exempla multa in naturalibus; sæpè .n. duo ita sunt connexa, vt ex vno necessariò inferatur aliud; & tamen neutrum sit causa alterius: v.g. valet hæc consequentia (hic paries est similis alteri; ergo alter est similis huic,) & tamen neuter paries est causa alterius; & hac ratione multa demonstrantur in Mathematicis. Petitio. Responsio.

6 Dixi autem, (si præscientia accipiatur pro scientia visionis;) nam, etiam aliquo modo scientia simplicis intelligētiæ potest dici præscientia respectu futurorum; quatenus per eam Deus cognoscit, non quidem aliquid futurum absolutè; sed futurum, si ipse velit hac, vel illa ratione operari: quomodo & artifex (secundum D. Th. 1. con. gen. c. 66. art. 2.) in sua arte præuidet quid futurum sit, si ipse velit secundum artem operari; atq. adeo potest hæc scientia rectè dici præscientia futurorum; immo (secundum D. Th. in 1. dist. 38. q. 1. ar. 5. in corpore iuxta sententiam Boetij, quam ipse sequitur) scientia uisionis, qua Deus uidet creaturas futuras, melius dicitur præuidentia, quam præscientia; quia per illam Deus uidet omnia, ut sibi præsentia, & non ut futura; licet possit dici præscientia, quia uidet id, quod nobis est futurum; idem habet q. 2. de uer. art. 12. in corpore; & uidetur hoc desumptum ex Augustino lib. 2. ad Simplic. si ergo ita accipiatur præscientia; dico, hanc esse ueram causam; (ideo res est futura, quia præsciuit,) sed non est causalis adæquata, & necessaria, nisi adiuncta uoluntate, qua Deus uoluit, sicut præsciuit; fiet autem integra causalis, si dicatur: (ideo res est futura, quia Deus eam pręsciuit scientia approbationis ante-

Etiam scientia simplicis intelligētię potest dici pręsciētia, respectu futurorū.

D.Th. Boet.

Aug.

tece-

Orig. ‑ ‑ accedente,) & in hoc sensu D.Th. ad primum explicat propositionem Origenis dicentis: *Non ideo rem esse futuram, quia Deus sciuit*, .i. sciuit tantum, quod si addatur determinatio uoluntatis; sic ista propositio', (ideo res sunt futuræ, quia Deus præsciuit) est uera, & à priori per causam.

§. IV.

Intelligentia authoritatis August. adductę supra c.1.n.4. D.Th.

7 ET ex his potest colligi intelligentia loci superius adducti ex D.P. Augustino, quo utitur D.Th. in argumēto; *Sed contra*, ar. illo 8. nempè; *Vniuersas creaturas, &c.* illis .n. verbis noluit Sanctus Pater loqui de causalitate solius cōsequentiæ; quia hoc modo vtraq. propositio est vera; (vt diximus,) sed loquutus est de causalitate consequentis; nam sciētia Dei est vera causa creaturarum, modo explicato. Quarè Respondendum est ad dictum locum, quod Augustinus ibi assumit probandum, Deum non acquirere nouam cognitionem, ex experimēto sensuum, quos non habet; neq. nuncijs, aut testibus indigere, vt cognoscat res, postquam factæ sunt: neq. ex orationibus nostris nostras necessitates addiscere: inconcussa etenim manet illa Euāgelij vox. Matt. 6. *Nouit Pater vester, quibus indigetis, priusquam petatis ab eo*; hæc autem inde colligit; quia sapientiæ illius nil potest accidere, nec ipsa variare; nam quæ futura sunt cum variatione in tempore, ipse nouit cognitione æterna, & inuariabili; vnde rursus infert; (non ideo Deum cognoscere res, quia sunt:) hoc est; non expectate euentum earum, vt eas ab experimento certissimè cognoscat; sed potius, omnes eas ideo esse, quia ab eo scitę sunt. Vbi non loquitur de sciētia visionis, vt sic; sed de scientia approbationis; & in hoc sensu adducitur à D.Tho. pro sua sententia: Augustinus .n. ludit vocabulis, more Rethorum, & ex identitate verbi, eleganter ab vna scientia gradum facit ad aliam.

Aug. loquitur de sciētia approbationis.

8 Porrò quod de hac sciētia loquatur Augustinus d. cap. paret: nam totam illam doctrinam probat his verbis; (*quia ergo sciuit, creauit: nō quia creauit sciuit*;) ac si diceret; non, increato intuitu, ac velut humanus artifex, creauit res efficere, quarum faciendarum rationes non rectè prospectas habent: sed quia eas apud se habebat perspectissimas, suo operi admouit manum. Vnde constat, Augustinum, cum negat; ideo Deum scire res, quia sunt; denegare Deo omnem notitiam, etiam visionis, ortam ex experimento temporali; cum vero affirmat', (res esse, quia Deo notæ sunt;) de sola scientia approbationis esse intelligendū; nam familiare est Augustino, eleganti lusu, ex ambiguitate vocabuli, augere enargiam orationis; quod etiam constat clarissimè ex c. 10. lib. 6. de Trinit. vbi eādem propositionem eodem sensu affirmat. In c. verò 9. lib. 5. de Ciuit. aperte loquitur de scientia visionis rerum futurarum: nam disputat cum Cicerone, qui, vt libertatē arbitrij defēderet, negabat Deo præscientiam futurorum. Et post multa, quæ tractat eo capite subiungit hæc verba. *Quod vero Cicero negat, ordinem omnium causarum Deo esse certissimum: plus eum, quàm Stoicum detestamur; nam & voluntates nostra tantum valent, quantū Deus eas valere voluit, atq. præsciuit; & ideo quicquid valent, certissimè valent; quia ille valituras præsciuit, cuius scientia falli non potest*; quibus verbis non affirmat, voluntates nostras ideo aliquid valituras, quia Deus præsciuit; sed ideo certissimè valituras, quia id ille pręsciuit, qui falli nō potest. Causalem ergo illam non refert ad euentum, sed ad euentus certitudinem; cumq. certitudo sit passio intellectus, & affectio veri iudicij; proindè est, certitudinem rerum esse effectum scientiæ visionis; atquè, ex scientia visionis prouenire, quod res certo, & infallibiliter cognoscatur futura: hoc autem nullum est inconueniens; quia, rem certò, & infallibiliter fore, denominatio extrinseca est, ex parte futuri; sumpta à vero iudicio Dei, tanquam à forma: quo pacto etiam interpretandi sunt omnes alij Patres, cum eodem modo loquūtur; & concordandi, cum diuerso modo loquuntur.

§. V.

9 PAtet etiam ex dictis intelligentia responsionis D.Th. ad 1. vbi satisfacit testimonio Origenis super epist. ad Rom. dicentis; *Quod nō propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat*; cui respondet D.Th. ea verba intelligenda esse secundum consequētiam, non verò secundum causalitatem: vnde dicitur, quod Origen. loquutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ra- *Nota intelligentiam responsionis D.Thom. ad Orig.*

tio causalitatis, nisi adiuncta voluntate, (vt dictum est;) sed quod dicit (ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura,) intelligendum est, secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi; sequitur.n. si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat; ita ad illam authoritatem Respondet; vbi non affirmat D.Tho. futura esse posteriora, secundum rationem, scientia visionis Dei; sed solum docet, non esse causam essendi, respectu scientiæ eius; quod verissimum est, quia scientia Dei est eius substantia, quæ à nulla re, veluti effectus, dependere potest; & multo minus à re extranea sibi, qualis est res futura. Cum hoc tamen benè stat, respectū illius rationis, quo Essētia Diuina, quasi completur in ratione præscientiæ futurorum, consurgere ex re futura, tanquam ex fundamento præsupposito ex necessitate; quo sensu dicimus, præscientiam, non mansuram in Deo, si nil esset futurum; mansuram nihilominus sub ratione generali scientiæ; quod eisdem verbis affirmat Vgo de S.Victore, lib.2. de Sacramentis p.2.c.16. Vgo.

§. VI.

3. obiectio ex D.Th. 10 SEd potest tertiò loco obijci ex eodem D.Tho. qui ad secundum, soluens illud argumētum, cur creaturæ non sint ab æterno, cum scientia Dei, quæ est causa illarum, sit æterna? Respondet, ***Quod creaturæ sunt effectus, secundum quod sunt in scientia; sed non est in scientia Dei, quod creaturæ sint æternæ, sed quod sint in tempore; & propterea non esse æternas;*** quæ Responsio optima est; sed videtur conuenire soli scientiæ visionis; per quam, licet Deus ab æterno videat creaturas, non tamen videt æternas; Respondeo, etiam si talis conditio conueniat scientiæ visionis; tamen adhuc optimè conuenire scientiæ approbationis antecedenti, per quam Deus cognoscit, se non posse facere creaturas æternas, aut certè posse facere in tempore; & ita voluit illas facere: quarè creaturæ, prout sunt sub hac scientia approbationis, non sunt æternæ; immò hæc potest assignari ratio à priori, cur Deus per scientiam visionis non cognoscat creaturas æternas? quia .s. creaturæ, vt substant scientiæ approbationis antecedenti, non sunt æternæ. Vnde licet illa propositio sit vera; (Deus non cognoscit creaturas æternas, Solutio. ergo creaturæ non sunt æternæ,) si sermo sit de scientia visionis: non est vera, nisi per causam consequētiæ: si verò sermo sit de scientia approbationis antecedente, sic est vera, etiam per causam consequētis.

11 Sed petes: cur communiter Theologi affirmant, hanc esse præcipuam differētiam inter intelligere, & amare Dei; & intelligere, & amare nostrum; quod nostrum intelligere, & amare supponunt in obiectis intellectis, & amatis, veritatē, ac bonitatem: at verò intelligere, & amare Dei non supponunt, sed causant in obiectis veritatem, & bonitatem; Siquidem, saltem scientia visionis, non causat in obiecto veritatem existētiæ, sed illam præsupponit? Respondeo, quod non est hoc intelligendum de omni actu intellectionis, & volitionis intellectus, & voluntatis Diuinæ; sed ideo id asserunt Sacri Theologi; quia intellectus humanus, nullo actu suo, potest rei veritatem causare; sed semper illam præsupponit aliundè causatam; sic etiam humana voluntas; secus est de intellectu, & voluntate Dei: nam licet non causet per scientiam visionis ipsum fore rerū, sed illud potius præsupponat; sicuti per actum complacentiæ, & delectationis non causat in re, bonitatem, qua delectatur, sed eam supponit aliundè in obiecto causatam; tamen, per scientiam approbationis, causat rerum fore, (vt diximus) ad modum artificis; & per voluntatem affectam affectu efficaci desiderij, producit in rebus bonitatem diligibilem, & non præsupponit. Vel dic, quod scientia uisionis dicitur merè speculatiua; quia non habet adiunctum Diuinum decretum. Similiter uoluntas complacentiæ neq. se habet per modum decreti, & ideò, &c. Petitio. Responsio. Vel glosa hæc propositionem, verum esse de actibus liberis Diuinis, non verò de necessarijs.

§. VII.

12 SEd nota; quod licet dicamus, creaturas, in aliquo priori signo rationis, existere, antequàm intelligamus, illas cognosci à Deo, scientia uisionis: cum prioritas illa non sit prioritas, *in quo*, sed solum, *à quo*; non inde sequitur, creaturas in aliquo instanti esse, & non cognosci à Deo; ut patet in similibus prioritatibus; in Diuinis.n. prius intelligimus, Patrem esse, quàm Filium gignere: non tamen sequitur, prius fuisse Patrem, quàm Filium. Item nota, quod hæ scientiæ, simplicis intelligentiæ, & uisionis, (ut dictum est supra) Nota.

pra, nec ratione quidem distinguntur, secundum id, quod dicunt in recto, sed tantum (vt diximus) per ordinem ad obiecta; & ideo Diuus Thomas cum soluit obiectiones, quæ fiunt contra causalitatem diuinæ scientiæ in ordine ad futura contingentia art. 13. illius quæstion. 14 non distinguit inter scientiam visionis, & simplicis intelligētiæ: sed loquutus est de hac scientia, tanquam de verè vna; maximè quia ad solutionem illorum argumētorum, parum refert, quænam scientia dicatur causa, vt infra videbimus.

D.Thom.

13 Item not. cum Bañes loc. cit. ad secundum, quod actio naturæ potest cōparari, vel ad interna rei, vel ad externa; sic etiam actio voluntatis, & rationis: quando tam actio voluntatis, quam naturæ comparatur ad id, quod est ad intra; tunc actio voluntatis est præstantior actione naturæ; habēt. n. se tunc voluntas, & natura, sicut agens principale, & eius instrumentum; sic etiam quando vtraq. terminatur ad aliquid ad extra, semper actio potentiæ rationalis præstantior est actione naturæ. Ita etiam D. Thomas de potentia q. 3. art. 15. Ast, quoniam actio naturæ terminatur ad id, quod est intrinsecum, & intimum rei; & actio agētis per rationem ad id, quod est extrinsecum; tunc actio interna, quæcumque illa sit, nobilior est actione terminata ad extra: etiam si sit actio voluntaria. Hoc adnotat Bañes, occasione cuiusdam argumenti, quo potest probari, antequam accedat actus rationis, iam per actionem naturæ, præcedentem actionem rationis, intelligendas esse creaturas productas à Deo: nam nobilior, & præstantior videtur esse actio naturæ actione rationis: Cū productio Filij, & Spiritus sancti spiratio, actiones naturæ sint, in Diuinis; cum sint ex necessitate naturæ; Alias nobiliori actione dicerentur productæ creaturæ, quam Diuinæ personæ. Ad hoc Respondet Bañes, disparem esse rationem; nam productio Diuinarum personarum terminatur ad id, quod est intra Deum: Productio autem creaturarū ad aliquid extrinsecum. Cumq. actio ad intra, quæcumque illa sit, præstantior sit actione ad extra, quæcūq; etiam illa sit; sit, quod etiam si productio personarum, sit actio naturæ; & creaturarum sit actio rationis, Illa longè præstantior, & nobilior sit ista.

Nota ex Bañes.

D.Thom.

§. VIII.

14 Ad calcem, obijcies ex eodem Bañes, contra id, quod diximus, scientiam Dei esse causam rerum, adiuncta voluntate, & non aliter: si hoc esset, aut id esset, quia voluntas tribueret causalitatem effectiuam scientiæ Diuinæ, aut exemplarem: non effectiuam: Nam opus alicuius artificis participat formā conceptam ipsius in mente: ergo scientia artificis format ipsum opus; & sic causalitas effectiua propria est ipsius scientiæ, non voluntaris: nō exemplarem; nam voluntas est posterior ipso exemplari; quia Deus est causa exemplaris, ob id, quia omnia sunt in eo intelligibiliter, ergò. Respondet idem ad tertium, quod Diuina voluntas, non tribuit causalitatem exemplarem diuinæ scientiæ: sed cū diuina scientia intelligatur, vt indifferēs, & non determinata; oportet præintelligere determinationem factam à voluntate; sicut sola ars non efficit artificiata, nisi à voluntate artificis determinetur (vt diximus) sic Diuina scientia non dicitur esse practica, nisi adiūcta hac determinatione, quæ fit, accedente voluntate; & sic dicitur sciētia approbationis. Hinc Capreol. (vt idem Bañes notat) in 1. dist. 35. docet, scientiam habere causalitatem effectiuam, & exemplarem ex eius plenitudine, quia est actus perfectissimus, & ideo est effectiuus rerum; non autem dicitur actu causans, nisi accedente voluntate (vt dictum est supra.)

Obiectio ex Bañes.

Solutio eiusdem.

Capreol.

15 Postremo potest esse obiectio. Scientia Dei, quæ rerum causa est; est scientia necessaria, & naturalis (vt dictum est:) sed ex causis necessarijs, & naturalibus non proficiscuntur, nisi effectus necessarij; ergo nullus effectus poterit esse cōtingens, & liber in rerum natura; & sic tollitur omnimoda contingētia, & libertas actuum.

vltima obiectio.

16 Occasione huius molesti argumenti, oporter hic disputare, secundo loco, de futuris contingentibus, & liberis, de quibus agit D. Tho. art. 13. quæst. cit. & cum eo omnes eius discipuli diffusissimè; cumq. res sit magni momenti, & satis difficilis, videbimus nonnulla de scientia futurorum contingentium, & liberorum, eorumq. causalitate, & Primò sit.

Hæc obiectio soluitur disp. seq.

DISPVTATIO SECVNDA.

Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia, vt præſentia?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & quotuplex futurum contingens abſolutum?

Quid futurũ contingens abſolutum, & quid conditionatum.



1 Vtura contingẽtia ſunt, vel abſoluta, .i. quæ aliquando erũt abſolutè; vel conditionata, idest, quæ de facto nũquam erunt; atque adeo abſolutè non ſunt futura; eſſent tamen futura, ſi poneretur aliqua cõditio; vt ex infra dicendis ſatis patebit. Pro modo erit ſermo de futuris contingentibus abſolutis: Dicturi poſtea de conditionatis.

Abſoluta in duplici differentia.

2 Hæc autem futura contingentia abſoluta ſunt in duplici differentia. Alia .n. procedunt à cauſis non liberis. Alia à cauſis liberis. Priora ſunt, quoties cauſa à qua proueniunt, non eſt ex ſe determinata ad illos effectus, ſed caſu accidit, vt illos habeat; ex aliqua .ſ. fortuita coniunctione rerum; vt, quod fulgur cadendo, percutiat hominem inuenctum in agro, &c. de quibus agitur in Phyſicis, dum ſermo eſt de cauſis per accidens. Effectus verò liberi, qui ſunt ſecundi generis, dicuntur contingentes; non quia fortuitò, aut caſu accidant: ſed quia ita fiunt à ſuis cauſis, vt potuerint ab illis non fieri; atque adeò, ex libera electione habeant, vt fiant. Supponimus aũt hic, dati huiuſmodi effectus contingentes, & liberos; & illos cognoſci à Deo ab æterno; cum Deus cognoſcat omne cognoſcibile; & cum etiam ad hos effectus concurrat, vt cauſa vniuerſalis: quod eſt certum ſecundum fidem: vndè Sap. 8. dicitur de Diuina Sapientia, *Quod ſigna, & monſtra ſcit, antè quàm fiant, & euentus temporum, & ſeculorum*. Eſai. 48. *Prædixi tibi ex tunc; antè quàm venirent pronunciaui tibi*: multa alia loca huiuſmodi habentur in Scripturis ſacris. Quare præſens difficultas eſt: quomodo Deus hæc futura cognoſcat? Cum enim Diuina ſcientia infallibilis omninò eſſe debeat: (nam cognitio dubia, & cui falſum ſubeſſe poſſit, nullo pacto eſt in Deo ponenda, ratione maximæ imperfectionis, quã includit.) conſequens eſt, vt ſi Deus cognoſcit futura contingentia, v.g. volitiones liberas hominum futuras; eas infallibili, atque adeo, euidenti intuitu cognoſcat, nempè, ſcientia ipſa viſionis, quæ perfectiſſima ſcientia eſt. Cum autem hi effectus non habeant determinationem in ſuis cauſis, antè quàm fiant, quia cauſæ ſunt indifferentes ad vtrumlibet. Ex alia parte, hi effectus non ſint ad huc in ſe ipſis; non videntur quomodo poſſint eſſe obiectum infallibilis cognitionis Diuinę: nam ſi Deus cognoſcit aliquid infallibiliter, debet ipſa res eſſe apta infallibiliter cognoſci; nam Deus cognoſcit res, ſicuti ſunt cognoſcibiles; at verò nihil eſt aprum cognoſci infallibiliter, niſi vel habeat exiſtentiam in ſe ipſo; vel certè contineatur in ſua cauſa neceſſaria; vndè neceſſarium ſit, eam rem euenire; & nullus ſit alius nobis naturalis modus, quo infallibiliter cognoſcamus exiſtentiam alicuius rei, vt patet conſiderauti.

Supponitur dari effectus contingẽtes à Deo cognoſci.

Sapient.

Eſai.

Status difficultatis.

CAPVT II.

Ponitur D. Thomæ doctrina, & explicatur.

§. I.

Nota, hanc doctrinam D. Tho. quo Deus cognoscere futura, vt præsentia, in eorum differentia temporum, & etiam Aegid.

1 PRopter hanc difficultatem D.Tho. art.cit. & in 1.dist.38. ar.1.q.5.& q.2.de verit.art.12. & 1.contra gent. cap.63.dat hanc doctrinam; quod .s. Deus non cognoscat hæc futura, vt futura, respectu suę cognitionis; sed vt præsentia; sicuti ergo, licet cursus Petri v.g. verè contingens sit; tamen quando est præsens, potest esse obiectum euidentis cognitionis meæ; quia id, quod est, dum est, necessariò est; cum sit determinatum in se ipso; sicuti quicunq. alius effectus necessarius; cum hac solum differentia, quod id, quod necessarium est, sæpè interrumpi nō potest: contingens autem potest interrumpi: tamen dum est, secundum quod est, necessario est; ita si aliquæ res verè contingenter fiant à suis causis; si tamen cognoscātur, vt præsentes in se ipsis, possunt infallibilem, & euidentem cognitionem terminare; cum ergo à Deo cognoscantur effectus contingentes, vt præsentes, in sua illa differētia temporis, in qua sunt; hinc fit, vt possint infallibilem Dei cognitionem terminare. Probat D.Th. quod, respectu cognitionis Diuinæ, hi effectus terminant, vt præsentes in se ipsis; non autem vt futuri: quia tunc aliquid est futurū respectu alicuius cognitionis, quando inter cognoscentem, & rem ipsam cognitam intercedit aliquod tempus, quo mensuretur illa cognitio; vt accideret nobis, si vellemus nunc cognoscere aliquam rem, cras futuram; nam inter cognitionem nostram, vt nunc elicitam, & existentiam rei, intercederet totum tempus hodiernum: at verò inter cognitionem Diuinam, & rei existentiam, nullum tēpus per se intercedit; cum cognitio Diuina mensuretur æternitate, non tempore; vnde habet, vt immediatè feratur eius intuitus in omnia tempora. Quarè inter cognitionem Diuinam, & quamcunquè rem futuram, nullum intercedit tempus, quo ipsa .s. mensuretur; & sic cognitio Diuina simul fertur in omnes res, vt præsentes suis temporibus: qua ratione, qui ex alta turri simul videret plures homines, sibi inuicem succedentes per aliquam viam; quamuis vnus homo in motu alteri succederet; respectu tamen illius visionis; vterq. simul videretur; vnus vt antecedens, alter vt subsequens: ita & visio Dei intuetur res sibi inuicem succedentes in existentia per totam æternitatem: respectu tamen sui, nihil verè succedit; sed omnia sunt præsentia: propter quā causam Diuina scientia, potius prouidentia, quam præuidentia, seu præsciētia dici deberet (vt supra annuimus) Hæc D.Th. Et clarius eandē tradit doctrinam Aegid. noster in 1.dist.38. princ.3.q.vnica, vbi hanc rem ęgregiè pertractat; legite illum.

§. II.

2 CIrca dicta D.Th. duo aduertenda sunt. Primum, non existimasse D.Th. quod præsentialitas rerum sit causa infallibilitatis scientiæ Diuinæ: nam scientia, & eius infallibilitas in Deo nullam habent causam; sed ex se, & ex sua Essentia est infallibilis: sed solum explicasse D.Th. conditiones obiecti, vt possit hac infallibili cognitione cognosci; sicuti .n. falsum non potest à Deo cognosci, vt verum; quia non est ita cognoscibile; ita nequè infallibiliter cognosci posset futurum, nisi esset infallibiliter cognoscibile. Explicauit ergo D.Th. conditiones ex parte obiecti, vt aptum esset infallibiliter cognosci; non autem causam infallibilitatis scientiæ Dei. *Not. 1. pro intelligentia huius doctrinę.*

3 Secundò notandum est; non existimasse D.Th. hos effectus fuisse ab æterno existentes in se ipsis; & propterea fuisse cognitos, vt præsentes: illud .n. esset manifeste falsum; sed solum voluisse, hos effectus ab æterno fuisse cognitos, vt præsentes, in ea differētia temporis, in qua sunt; sicuti .n. per decretum æternum Diuinæ voluntatis, medijs causis secundis, habēt, vt sint præsentes, tunc, quando sunt: ita per scientiam Dei æternam cognoscuntur, vt præsentes, tunc, quando sunt; & in ordine ad se inuicem, vt priores, & posteriores; atq. adeo, vt futuros antequam sint; & respectu aliorum, quod iam sunt, & vt præteritos respectu eorum, qui sunt post ipsos: omnes tamen vt præsentes respectu diuinę cognitionis; sicuti quamuis immensitati Diuinæ omnia corpora sint præsentia: in ordine tamen ad se ipsa, vnum est distans ab alio, & magis, & minus; si ergo intelligeremus immēsitatem *2 not.*

cognoscere, videret omnia corpora sibi præsentia, quamuis ab inuicem distantia.

Doctrina D.Th.confirmatur. 4. Potest autem hoc modo explicari doctrina D.Thom. vlterius confirmari hoc pacto. Intellectus Diuinus, ex infinita sua efficacitate, potest ab æterno cognoscere quicquid prorsus est cognoscibile: vnumquodque autem est cognoscibile, secundum quod est; sed futura hæc contingentia re ipsa aliquando sunt præsentia suis temporibus, & æternitati, quæ complectitur omnia tempora, (vt supponimus.) & ex parte Dei, Essentia Diuina, posito æterno decreto, quo vult ad illa concurrere, apta est illa repræsentare, vt præsentia pro eo tempore, quo sunt; ergo cognosci possunt à Deo, vt præsentia æternitati, pro eo tempore, quo sunt; ad hoc .n. parum refert, quod res liberè sit futura, & dummodo sit futura, & aliquãdo sit præsens, vt æternus Dei intuitus in ipsam, vt sic, ferri possit; quandoquidem ipse non mensuratur tempore, sed æternitate. Et confirmatur, quia si intellectus

Conf. Diuinus inciperet nũc primo cognoscere hanc volitionem liberam, quæ nunc actu est, posset illam infallibiliter attingere, propterea, quia iam actu est determinata in se ipsa; ergo id ipsum potuit ab æterno, propter infinitatem suæ virtutis; & quia eius cognitio non mensuratur tempore, sed æternitate; .i. si nunc est, semper fuit, & erit; & quatenus quicquid Deus potest de nouo cognoscere, necessariò nouit ab æterno. Et ita sentire de Dei cognitione, dignissimum est; vt patet consideranti, & hæc dicta sint in confirmationem sententiæ D.Th.

§. III.

Quid aliqui Thomistæ sẽtiant circa hanc D.Tho. doctrinam. 5 Cæterũ aliqui Recentiores Thomistæ eam satis per se claram, & certam, inutilibus quibusdã speculationibus, non parum, vel obscurarunt, vel alijs occasionem præbuerunt, vt falsum existimarent: vnde communiter iuniores Theologi, vel illam, non benè intellectã, pluribus confutant; vel saltem non conantur defendere. Docent .n. Deum cognoscere infallibiliter futura contingentia; quia illa, & nunc, & quouis alio momento, & tempore; immò etiam ab æterno, sunt præsentia æternitati; non quia ipsa in se ipsis, aut in propria mensura (vt loquuntur) .i. in tempore, quo mensurantur, fuerint ab æterno; sic .n. esset manifestus error; sed quia, secundum suum esse existens, omnia simul, & semper coexistunt æternitati.

Quid de horum Doctorum intelligẽtia sentiẽdum. Vasq. 6 Quæ explicatio vel nullum prorsus habet sensum intelligibilem; vel omninò falsum, & impossibilem; & ita diffusissimè, & optimè confutatur ab authoribus, vt à Vasq. ibidem disp. 65. in principio, vbi etiam ostendit, contrarium fuisse antiquorum Thomistarum sentẽtiam, de mẽte D.Th. à Suar. opusc. 2. lib. 1. & 8. Molina disp. 13. Valentia q. 14. p. 5. §. 1. & alijs. Confutationes autem relinquo, ne prolixus videar in re prorsus inutili. Solum addo; quod, cum dicunt, (omnia futura simul nunc coexistere æternitati;) vel accipiunt particulas illas, (*nunc, & simul*) vt conditiones æternitatis; vt sensus sit: æternitas, quæ est indiuisibile quoddam, nunc, & tota simul existens, sine vlla successione sui, coexistit omnibus futuris: & sic verum est: nil .n. potest esse extra æternitatem; sed necesse est, vt illa, licet indiuisibilis in se, claudatur, & contineatur; sic autem nihil dicunt ad rem. Verum .n. est, quod ipsum *nunc* æternitatis, totum simul coexistit omnibus temporibus; quando .s. illa tempora sunt, & dum sũt; & his verbis expressis loquutus est D.Th. in corpore art. cit. Vel accipiunt particulas illas, (*nunc, & simul,*) vt afficiẽtes res futuras, seu vt conditionem se tenentem ex parte rerum futurarum; vt sensus sit: licet res successiuè sint futuræ; tamen ipsæ, *nunc*, omnes simul coexistunt æternitati; & in hoc sensu si loquantur, vt vidẽtur loqui, falsa est propositio; sicuti .n. non potest dici, quod aer, qui est generandus hinc ad 10. annos, v.g. nunc coexistat immensitati Diuinæ; licẽt immẽsitas comprehendat in se omnia corpora; ita neq. potest dici, quod nunc coexistat æternitati; sed solum quod coexistat suo tempore ad nunc æternitatis, sed non simul, ex parte sui; verum vnaquæq. res suo tempore, & in sua successione, & præsentialitate: ratio vero est, quia res coexistit quidem toti æternitati, sed non totaliter; sicut vnumquodq. corpus coexistit toti immẽsitati, sed non totaliter. Omissis igitur alijs argumentis contra hanc sententiam; ostendam, nulla ratione eam reperiri in D.Th. sed potius contrariam.

Suar. Mol. Val.

Confutatur hic sensus.

Quod longè diuersa sit D.Th. mens. 7 Primò ergo quilibet aduertere potest in D.Tho. quod dum agit de hac difficultate, nunquam mentionem facit æternitatis, nisi cum docet, cognitionem Diuinam non mensurari tempore, sed æter-

æternitate; & præterea, dum docet, creaturas non posse esse, nisi coexistant aliquando æternitati; vt ex eo ostenderet, quod respectu cognitionis Diuinæ, præcisè, nil est futurum; sed eam ferri immediatè in res omnes præsentes æternitati, quando sunt præsentes: nunquam autem D.Tho. eo modo loquendi vtitur, quod creaturæ omnes coexistant æternitati; neq. id fuisse necessarium ad eius institutum; sufficit .n. si coexistant successiuè; dummodo non possint non coexistere. Quarè mirum est, quod hi Authores talem sententiam tribuant D.Th. cum eius institutum solum fuerit, docere, quod omnes creaturę, simul quidem, & semper cognoscuntur, vt præsentes æternitati; quia particulæ illæ (*simul, & semper*) tenent se ex parte cognitionis; non tamen cognoscuntur, vt simul, & semper præsentes; sed vt præsentes pro sua differentia temporis, quando sunt; ita vt *simul*, & *semper*, non teneant se ex parte creaturarum.

§. IV.

Exponuntur quædam D. Th. loca.

8 Verba verò, quæ videntur aliquam difficultatē habere apud D.Th. (licet reuera nullam habeant) sunt, primò in corpore art. cit. nempè 13. dum .n. docet, cognitionem Diuinam mensurari æternitate, subdit: *Aeternitas autem, tota simul existens, ambit totum tempus*; quæ verba nil aliud significant, nisi, quod æternitas, quæ est indiuisibilis in se, & tota simul, ita comparatur ad tempus, vt nihil temporis, aut temporaneum esse possit, quod non contineatur hac æternitate; immò & non superetur, (vt ipse docuerat p.1. q.10. art.4.) quæ doctrina verissima est: sed nihil ad opinionem illam. Malè.n. inde infertur; *ergo res temporaneæ semper, & simul coexistunt æternitati*; vt mox dicam. Deinde subdit D.Th. *Vnde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes*, (*vt quidam dicunt*; .i.) (Ideas increatas rerum, quæ dicuntur rationes rerum, & quasi formę, & exemplaria; quasi Deus dicatur cognoscere creaturas; quia cognoscat præcisè has rationes increatas,) *sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra creaturas, prout sunt in sua præsentialitate*, .i. (prout sunt in sua duratione, in qua sunt præsentia.) Et consequēter infert. *Vnde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscuntur, inquantum subduntur Diuino conspectui, secundum suam præsentialitatem; & tamen sunt futura contingentia, suis causis comparata*. Hæc D.Tho. quibus apparet, ipsum nulla ratione vti hac propositione; *Deus cognoscit futura contingentia, quia illa sunt præsentia omnia simul æternitati*,

9 Alia verba D.Th. in quibus potuerunt errare Doctores citati sunt illa, vbi D.Th. vtitur ea propositione, .s. *Deus cognoscit infallibiliter futura contingentia, quia cognoscit illa, secundum præsentialitatem, quam habent ad æternitatem; seu vt præsentia æternitati*; Quæ sentētia verissima est; sed lōgè diuersa ab eorum authorum explicatione. Primum quidem; quia dum res est præsens in se ipsa, necesse est, vt sit præsens, & coexistat æternitati: quarè omnis res existens, in quacunquè differentia temporis, potest cognosci, vt aliquando præsens æternitati; & hoc pacto ea propositione vtitur D.Th. 1. contra gent. c.66. ar.6. vbi rectè explicat, qua ratione æternitas tota simul coexistat omnibus temporibus sibi inuicem succedentibus; vnde concludit. *Quicquid igitur per totum decursum temporis agitur, Diuinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens*. Ne tamen aliquis putaret, omnia simul esse præsentia æternitati, statim subdit. *Nec tamē quod quadam parte tēporis agitur, semper fuit existens*; quasi dicat; nec tamen omnia simul coexistunt æternitati; sed vnumquodquè suo illo tempore coexistit; & paulo post etiam vtitur eodem modo loquēdi, dum ait. *Non.n. Deus rerum, quæ apud nos nōdum sunt, videt solum esse quod habent in suis causis; sed etiam illud, quod habent in se ipsis, in quantum eius æternitas est præsens sua indiuisibilitate omni tempori*; & eodem modo loquendi vtitur p.1. q.57. art.3. in corp. quos modos loquendi non negamus; quod tamen omnia simul, & semper ex parte sui coexistant æternitati, nunquam D.Th. docuit; neq. vlla ratione id necessarium erat ad veritatem suæ doctrinæ; neq. ex aduersariorum sententia aliquod est solidum argumentum, præter metas aliquas æquiuocationes.



CAP.

CAPVT III.

Soluuntur quædam obiectiones contra positam Doctrinam.

1. Obiectio. 1 Obijcies tam primò, æternitas tota simul coexistit tempori; ergò tempus totum simul coexistit æternitati. Respondeo, negando consequentiam: sicuti ego nunc coexisto huic tempori, totus simul, & tamen hoc tempus non coexistit mihi totum simul, ratio autem est; quia antecedens significat, æternitatem non habere partes; & ita, si coexistit, tota simul coexistit; at verò, cum tempus habeat partes, sibi inuicem succedentes, non potest totum simul coexistere æternitati; sed simul Deus cognoscit, idest (vnica cognitione,) quod totum tempus coexistit æternitati per partes sibi inuicem succedētes: sicuti oculus hominis, existentis in Turri, simul videt, idest vnica visione, transeuntes homines, & sibi inuicem succedentes; nō tamen videt, homines esse simul. Neq; ex hoc sequitur, quod æternitas Dei mutaretur, ex eo, quod semper aliquid illi de nouo coexistat; sed solum mutatur creatura, quæ de nouo esse incipit.

Solutio.

2. Obiectio. 2 Obijcies secundò: si Antichristus, v.g. nunc non est præsens æternitati; ergo non potest à Deo nunc cognosci, vt præsens, quia res sicuti se habet ad esse, ita ad cognosci. Respondeo, particulam illam (*nunc*) posse coniungi cum cognitione Diuina, seù tenere se ex parte ipsius, vt sensus sit: Cognitio Diuina nunc existens non potest videre Antichristum, vt præsentem suæ æternitati pro sua differentia temporis; & sic est falsa consequentia. Secundo, particulam illam (*nunc*) potest se tenere ex parte obiecti cognitionis, vt sensus sit: Deus non cognoscit Antichristum, vt nunc præsentem æternitati; & sic est verissima consequentia: tamen quamuis Deus non cognoscat, quod Antichristus, prn hoc nunc, est præsens æternitati; cognoscit tamen nunc, quod est præsens pro illa sua differentia temporis, pro qua est; & idem dici debet de præterita re. Et sic cognitio Diuina non fallitur; sicuti, si aliqua res fuit alba, v. g. ex eo, quod fuit alba, & nunc, & semper; verum erit dicere, quod fuit alba; non tamen verum est dicere, quod nunc, & semper fuit alba; nā in primo sensu particulæ illæ (*nunc, & semper*) tenent se ex parte dictionis, seu affirmationis, & cognitionis. In secundo verò sēsu, ex parte rei dictæ, & obiecti; eodem prorsus modo, & nunc, & semper verum est dicere, quod Deus cognoscit oēs res, vt præsentes æternitati, pro sua differētia temporis, nō tamen verū est dicere, quod Deus cognoscit omnes res, vt nunc, & sēper præsentes suæ æternitati à parte rei; quæ, & similes æquiuocationes sunt benè aduertendæ.

Solutio.

3 Dices tertiò: si consideretur æternitas, secundum se, nihil est illi futurum respectu sui; ergo omnia sunt semper illi præsentia. Antecedens probatur, quia inter æternitatem, & Antichristum, v.g. qui nobis est futurus, non intercedit, neque intercedere potest tempus; ergo nihil est illi futurum, sed præsēs, nam tunc aliquid dicitur esse alicui futurum, quando inter illa duo intercedit tempus. Respondeo distinguendo antecedens. Si æternitas consideretur adæquatè, & totaliter, .i. secundum suam totam virtualem illam extensionem, secundum quam comprehendit omnia tempora; Concedo antecedens; si verò consideretur inadæquatè, vt præcisè coexistens præsenti tempori, v.g. Nego antecedens; & eodem modo concedenda est, aut neganda consequentia; licet enim æternitas sit formaliter indiuisibilis: Virtualiter tamen æquiparatur toti successioni temporis diuisibilis, sicuti immensitas extensioni locali; & ita secundum hanc virtualem extensionem possunt accipi adæquatè, & inadæquatè: sicuti ergo si quis diceret, inter hanc aulam, & immensitatem Dei nulla intercedit distantia, ergo hæc aula est, vbicumque est immensitas Dei, atque adeò, vt præsens omnibus alijs corporibus, quæ comprehenduntur ab hac immensitate; nihil concluderet; ita quamuis Antichristus, dum est, immediatè coexistat æternitati; non tam semper coexistit æternitati, aut alijs rebus, æternitati coexistentibus; quia non coexistit æternitati totaliter; in eo ergò verò sensu explicato, verissima est ea propositio, quod respectu Dei, & eius æternitatis nil propriè est futurum, neq. tamen aliquid sequitur, ex hoc, pro contraria sententia.

3. Obiectio.

Solutio.

4 Dices quartò: Antichristus, v.g. nunc non est præsens, tantum obiectiuè, in

4. Obiectio.

in mente Dei, ergo realiter, vt præsens æternitati; antecedẽs probatur: quia alioqui D.Th. dum docet, Deum infallibiliter cognoscere hæc futura, quia cognoscit vt præsentia; sensus esset, quia cognoscit vt præsentia obiectiuè in mente sua; qua ratione nil excogitari posset absurdius: nam hoc ipsum quærimus; *An tales creaturæ futuræ possint esse obiectiuè præsentes in mente Dei?* Respondeo neg. antecedens; nam reuera, pro hoc instanti temporis, Antichristus non est, nisi obiectiuè præsens in mente Dei: præsens tamen obiectiuè secundum suam existentiam actualem; quam habet ad æternitatem, in sua differentia temporis. Ad probat. verò Respondeo, omninò negando, talem esse sensum, & modum probationis D.Th. Deum. cognoscere infallibiliter futura, quia illa sunt præsentia obiectiuè in mente sua; sed cognoscere infallibiliter; quia intuitus Diuinus fertur in illa, vt habentia proprium esse præsens in sua differentia temporis; atq. ita, quia cognoscuntur vt præsentia; pro eo tunc, quãdo sunt, possunt terminare cognitionem infallibilem; quare ita nunc Antichristus est obiectiuè præsens in mente Dei, vt cognoscatur secundum pręsentialitatem suam, quam habet ad nunc æternitatis, pro sua illa differentia temporis.

Solutio.

5 Dices vltimò: immensitas Diuina est simul præsens omnibus corporibus, etiam ad inuicem distantibus; & omnia corpora simul illi coexistunt: ergo etiam æternitas omnibus temporibus: nam ita se habet immensitas ad corpora, sicut æternitas ad tempora; Respondeo, neg. consequentiam, & ratio est; quia omnia hæc corpora distantia habent existẽtiam simul, vnde possunt simul existere immẽsitati: non autem idem dici potest de tẽpore, & de rebus successiuis; vnde sicut immẽnsitas Dei non est præsens corporibus non existẽtibus; ita neq. æternitas, pro eo tunc, quando non existunt. Ad probat. autem respondeo, paritatem solum esse, quod sicuti immensitas claudit omnia corpora, & est virtualis quædam extensio permanens; ita æternitas claudit omnia tempora, & æquinalet extensioni successiuæ; vnaquæquẽ tamen suo modo; & eodem modo soluenda sunt similia argumenta, si quæ fiant, ad hunc finem.

Vlt. obiectio

Solutio.

DISPVTATIO TERTIA.

An futura contingentia possint infallibiliter cognosci in suis causis?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & duæ sententiæ referuntur.

1 DIximus, causam infallibilitatis Diuinę non aliundè sumi posse, nisi ex ipsa perfectione scientiæ & intellectus Diuini; tamen exigere in obiecto, vt illud aptum sit infallibiliter cognosci. Ostendimus autem primò; ex eo, quod res futura aliquando est existens, & præsens æternitati, posse esse, ex hoc, sufficiens obiectum cognitionis Diuinæ infallibilis: nũc quærimus: An etiam, vt est virtute in sua causa (cum omnis effectus virtute contineatur in causa) si cognoscatur, vt sic, possit cognosci infallibili cognitione? quã ratione effectus, necessariò futurus, potest cognosci, vt infallibiliter futurus, cognita vi, & efficacia suæ causæ non impeditæ: vnde Astrologi in motibus Cęlorum cognoscunt eclypsis futuras; & sine dubio Deus, prout comprehendit causas secundas necessarias, videt etiam in illis effectus necessariò futuros, si non impediantur: eodem ergo modo quærimus; An ex vi cognitionis, quam habet Deus de causa contingenter operatura, possit infal-

Sensus disputationis.

infallibiliter cognoscere effectum contingenter futurum; si ea causa non impediatur? loquimur autem de causa contingenter operatura, qualis est libera voluntas hominis, aut Angeli: quærimus ergò: An etiam, ex hoc præcisè, quod Deus comprehendat meam voluntatem, possit cognoscere omnes eius liberas volitiones, & operationes, si non impediatur? nā hoc est cognoscere effectum in causa.

1. sententia. 2 Prima sententia est dicentium, talia futura contingentia non posse infallibiliter cognosci in suis causis, non solum remotis, sed etiam proximis, & completis ad operandum. Dicitur autem voluntas causa remota v.g. nunc in ordine ad aliquam volitionem, quam habitura est hinc ad decem annos; respectu cuius nullam habet nūc proximam conditionem prærequisitam ad agēdum; dicitur autem causa proxima, quando cōsideratur cum omnibus circumstantijs, in quibus hic, & nunc est operatura. Dicunt ergo hi authores; voluntatem, siuè cognoscatur vt causa remota, siuè vt proxima, non esse sufficientem, vt in ipsa possit infallibiliter cognosci effectus liber futurus; sed solum secundum aliquam cōiecturam maiorem, vel minorem, iuxta qualitatem circumstantiarum, & aliarum rerum, quæ solent homines ad volendum, vel nolēdum allicere, aut inclinare; ita Suar. opusc.2. lib.1. à cap.3. vbi etiam citat alios sectatores huius sententiæ, quorum rationes infra proponam.

Quādo causa dicatur remota, & quā do proxima ad operandū

Suar.

2. sententia. 3 Secunda sententia est dicentium; posse effectus contingentes cognosci, vt infallibiliter futuros, etiam in causa proxima, & completa ad operandum; dummodo non impediatur; & non solum in se ipsis (vt diximus supra,) non autem in causa remota: ita docent multi, quos refert idem Suar. loc. cit. & eandem sententiam sequitur Valentia par.1. q.14. pun.5. §.2. assert. 3.

Val.



CAPVT II.

Quid sentiendum?

§. I.

1 Dico primò: si consideretur voluntas, secundum quod se habet, vt causa remota ad suum effectum contingentem, non potest in ipsa, vt sic, certò, & infallibiliter cognosci effectus futurus. Conueniunt in hoc omnes Authores vtriusq; sententiæ. Et ratio efficax est; quia si consideretur voluntas, vt sic, est omninò indifferens ad volendum, & nolēdum; ergo ex vi illius non potest infallibiliter cognosci potius hic effectus futurus, quā alius; v.g. si consideretur nunc voluntas alicuius pueri, nō potest, ex vi ipsius præcisè, cognosci, an hinc ad 30. annos, tali die, & tali hora habitura sit volitionem nauigandi, aut non nauigandi; & potest sine dubio esse tanta distantia, & tanta improportio alicuius voluntatis, prout nunc existit, ad aliquem effectum, ab ipsa, longo post tempore, futurum, vt ex vi præsentis status, vix illa coniectura colligi possit, quid factura sit tunc talis volūtas; aliquando verò potest esse maior, vel minor coniectura; iuxta proportionem huius voluntatis ad illum effectum. 1. conclusio.

2 Dico secundò, quando dicitur Deus cognoscere hæc contingentia, etiā in suis causis, ex quibus tamen non potest haberi, nisi cognitio coniecturalis: non est sensus, quod Diuina cognitio sit coniecturalis, quatenus cognoscit hæc futura, etiam in suis causis; sed sensus est, quod Deus infallibiliter, & certò cognoscit, quod cognitio, quæ potest haberi de contingentibus, prout sunt in suis causis explicatis, non est, nisi coniecturalis. Ad cuius rei explicationem, sciendum est; quod sæpè D.Th. docet, Deum nō solum cognoscere futura contingentia in se ipsis, sed etiam in suis causis; secundū quod magis, vel minus causæ aptæ sunt ducere in cognitionem illorum effectuum. Secundò idem D.Th. docet, quod cognitio, quæ habetur de contingentibus per tales causas, non potest esse certa, & infallibilis, sed solum coniecturalis; ex quo videtur sequi; quod in Deo sit etiam hæc cognitio coniecturalis contingentium, pro vt cognoscuntur in suis causis; quę tamen cogni- 2. conclusio.

Nota, Deum nō cognoscere cōiecturaliter aliquem effectum etiā nō cognoscibilē, nisi per coniecturas.

cognitio diceret magnam imperfectionem in Deo; nam cognitio coniecturalis est ex se fallax, & incerta. Ponere autem talem cognitionem in Deo est absurdũ. Ad excludẽdam ergo hanc imperfectionẽ à cognitione Diuina; dico, quod cum dicitur Deus cognoscere fututa hæc, etiã in suis causis; non est sensus, Deum elicere quandam probabilem opinionem de illis: sed est, Deum cognoscere infallibiliter, quod si spectetur præsens dispositio causæ, non potest effectus, nisi coniecturaliter cognosci futurus, aut non futurus; non tamen, quia Deus eliciat hanc coniecturam; & sic perfectè cognoscit Deus effectum, quantum cognoscibilis est, etiã in causa; neq. propterea elicit cognitionem probabilem; sed solum cognoscit, quod, quantum est ex vi causę, talis effectus non habet infallibilitatem; sicuti Deus cognoscit, quod veritates reuelatę, quantum est ex vi motiui, vt à nobis creditur, non habent euidentiam; neq. tamẽ propterea Deus dicitur habere actum ineuidentem, ex vi illius motiui, quia talis actus dicit imperfectionem, quæ res non indiget alia probatione.

§. II.

3. conclusio. 3 Dico tertiò: si consideretur voluntas in tali statu, in quo est proximum principium suæ operationis, dici potest, in tali voluntate, vt in causa proxima, cognosci effectus; non quidem vt necessariò futuros, sed vt certò, & infallibiliter; loquendo respectu Diuinæ cognitionis. Hoc dictum est contra primam sententiam; sed existimo esse expressam sententiam D. Th. 1. con. gen. vbi cum cap. 66. post 6. art. bis dixisset, quod Deus cognoscit futura, non solum secũdum quod sunt in se ipsis; sed etiam in suis causis; & c. 67. art. 2. idem in particulari dixisset de futuris contingentibus, sicuti sæpè alibi. ar. 3. sic concludit; *Amplius sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter; ita ex causa contingenti completa, si non impediatur; sed cum Deus cognoscat omnia, (vt ex supra dictis patet;) scit non solum causas contingentium, sed etiam ea, quibus possũt impediri; scit igitur per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint*; hæc D. Tho. vbi ex ipsa cognitione causæ proximæ non impeditæ, docet, posse cognosci à Deo certitudinaliter effectum contingentem; & addit rationẽ; *quia ex tali causa, vt sit, certitudinaliter sequitur effectus*; *quæ* est potissima ratio, à nobis infra ponderanda, & eandem rationem indicat ibid. ratione 6.

D. Th.

4 Neque verum est, D. Th. solum loqui de causis naturalibus, nõ liberis, quatenus aliquando habẽt effectum contingẽtem; nam eius doctrina est prorsus vniuersalis; & multò magis eius ratio, vt videbimus. Voco autem, voluntatem, principium proximum, quando est in eo instanti, in quo ita est disposita, vt ex se ipsa exigat cõcursum causæ primæ ad operandum hoc, vel illud: tũe. n. dicitur principium proximum operationis.

5 Probatur ergo dictum primò ratione ipsa D. Tho. ponamus autem v. g. in hoc instanti, voluntatem Francisci liberè elicere actum volitionis alicuius naturalis, qua velit v. g. currere; (nam de volitionibus supernaturalibus dicam infra, & ferè est eadem ratio, posita gratia supernaturali.) Tunc sic argumentor: Deus infallibiliter cognoscit, pro aliquo priori signo rationis, quod, ex vi huius voluntatis, prout existit sub his circumstantijs, in hoc instanti sequuturus sit hic effectus, potius quam alius, si ipse Deus non impediat, denegando concursum suum; ergo in hac causa cognita, prout præexistit in hoc instanti, potest Deus cognoscere effectum; non quidem necessario futurũ, sed certitudinaliter: nam certitudo potest esse sine necessitate antecedenti. Cõsequentia probatur, quia non alio modo cognoscit Deus in causa necessaria effectum necessariò futurum, nisi quia cognoscit vim, & efficaciam causæ, ex qua necessariò futurus est effectus; si ipse non deneget concursum suum; ergo pariter si cognoscat, quod ex vi, & efficacia istius causæ liberæ infallibiliter sequatur hic effectus, si ipse non deneget concursum suum; poterit in illa infallibiliter cognoscere effectum futurum; dixi tamen sub illa conditione communi, (*si Deus non deneget concursum suum*,) nam nil potest Deus cognoscere, vt infallibiliter, & absolutè futurum, sine tali conditione. Antecedens ergo primum probatur, quia ille effectus non est ex se, sed ab aliqua causa creata particulari; quę non est alia, nisi voluntas illa Francisci, concurrente Deo vt causa vniuersali: quarè re vera ille effectus, ex vi illius causæ, est futurus; ergo poterit omninò cognosci à Deo, vt futurus, ex vi illius causę, & consequenter cognosci in causa. Probatur 1. 3. conclusio.

6 Secundò idem probatur, quia cõ- Probatur 2.

Aaaa fide-

siderata voluntate illa Francisci, pro eo priori naturæ, Deus infallibiliter videt, quod ea volūtas,ex vi sua,exigit concursum Diuinum ad eam operationem volendi currere,& non ad aliam:ergo in ea exigentia causæ, quæ præintelligitur in priori naturæ,necessariò Deus cognoscit effectum infallibiliter futurum, quod est ex vi talis causæ;& absolutè futurum,nisi impediatur. Consequētia patet ex dictis; antecedens probatur: quia Deus in tantum præstat in posteriori naturæ concursum suum ad hanc potius volitionem, quàm ad aliam, quia videt voluntatem ipsam Petri id exigere;cum alioqui Deus ipse sit paratus ad contrarium concursū, si voluntas illum exigeret; proptet quam causam communiter Theologi dicunt, Deum non esse causam peccati; quia nō concurrit ad actionem illam peccati;nisi propter indigētiā talis causæ liberæ; quæ ex vi sua exigit talem Dei concursum, quem Deus non tenetur impedire. Atq. ex hoc assignari potest proxima ratio; cur Deus primo illo modo, quo videt res futuras,vt præsentes æternitati,potius videat cursum Petri futurum, quam non cursum? non.n.ad hoc potest assignari,vt sufficiens ratio, solum decretum ipsius Dei, quo voluit concurrere ad cursum Petri; nam ideo Deus habuit hoc decretum,quia pro aliquo priori signo cognouit Petrum hic, & nunc existentem, exigere,ex vi suę libertatis,hunc concursum. potius,quam alium; quarè in his effectibus,qui à sola Dei voluntate depēdent, po.est quidem sufficere eius decretum, vt res intelligatur futura; in ijs verò, qui proximè à causis naturalibus pendent, non potest assignari pro sufficienti ratione,solū.Dei decretum; quia huius etiam decreti aliqua alia ratio prior assignari potest, quæ est ipsa exigentia causæ; & propterea etiam in ipsa, vt sic, potest effectus certitudinaliter cognosci, vt futurus,si non impediatur, vt loquitur D.Th. & idem de causa libera dicendum est.

Probatur 3. 7 Tertiò probatur; quia posito, quod Deus infallibiliter cognoscat futura contingentia sub conditione,quę proueniunt ex causa libera,(vt infra ostendimus.) necessario asserendum est, id quod probamus.In tantum.n.Deus cognoscit, quod si ponatur Franciscus in his, vel in illis circumstantijs.faciet infallibiliter hoc,vel illud;in quantum cognoscit vim, & efficaciā talis causæ, quæ sub illis circumstantijs, quantum est ex se, ita esset operatura; atq. adeo operatura, si nullū ponatur impedimentum; si ergo cognoscit,quid,ex vi illius causæ,sequuturum esset,si ea causa poneretur:consequenter in ipsa vi,& exigentia talis causæ,poterit cognoscere infallibilem futuritionem effectus; quod est,cognoscere effectum in causa; atq. hæc quidem satis mihi videntur conuincere,quod Deus possit infallibiliter cognoscere effectum in sua causa proxima,& completa, quantum est ex vi causæ; atq. adeo,sub ea conditione,si ipse Deus velit concurrere;non autem in sua causa remota; quia dum causa stat sub illa remotione, neq. vllam determinationem, neq. exigentiam habet ad talem effectum: habet autem exigentiam tunc, cum est causa proxima,& completa.

CAPVT III.

Soluuntur aliqua obiectiones.

1 Sed obijcies primò pro priori sētentia: voluntas,in quocunquè priori naturæ antecedat effectum, semper est indifferens, & libera: non.n.determinatur voluntas,nisi per suum actum; vndè, pro quocunquè priori intelligatur antecedenter ad actū, semper est indifferens; (vt supponimus;) alioqui non esset causa libera, ergo non potest in illa,antecedenter ad actum,cognosci infallibiliter futurus effectus;quare eadem videtur esse ratio, siuè voluntas intelligatur esse causa proxima, siuè remota. 1. obiectio pro 1. sententia.

2 Respondeo, distinguendo antecedens.Voluntas in eo priori est indifferēs, indifferentia,quæ opponitur determinationi ad vnum; atq. adeo,necessitati:cōcedo: non .n. determinatur voluntas ad vnum, ea determinatione, quæ tollit indifferentiam,nisi per suum ipsius actum, si supponatur operari liberè. Voluntas in eo priori est indifferens, indifferentia, quæ opponitur exigentiæ; neg. antecedens: nam pro eo priori voluntas est talis,vt exigat concursum immediatum ad talem actum; & hoc,ex vi suæ libertatis; hoc .n. est proprium causæ liberæ,vt possit exigere potius talem concursum, quā alium, sine vlla sui antecedente determinatione,per quam tollatur libertas;& in hoc differt voluntas, vt causa proxima, Solutio.

& vt

& vt causa remota; quia, vt causa remota, omni prorsus ratione est indifferẽs; cum neq. exigat, vt sic, concursum ad illum effectum: vt causa verò proxima, & libera, exigit talem concursum; in hac ergo vi, & exigentia proxima potest cognosci infallibiliter effectus futurus, nõ minus, quàm in ipsa vi, & determinatione causæ necessariæ. Et eodem ferè modo Respondendum est, si quis dicat, effectum non contineri in causa libera certò, & determinatè; & consequenter, non posse in illa certò cognosci: si .n. per verba illa (*certò, & determinatè*) intelligat certitudinem, & determinationem, quæ tollit sufficiẽtem indifferentiam, & indicat necessitatem; concedendum est: si verò intelligat certitudinem, & determinationem, quæ opponitur fallibilitati, & coniungi potest cum exigentia talis causæ: neg. est. nam reuera ea voluntas, pro eo priori, certè, & determinatè exigit illum concursum; & consequenter, certò, & determinatè poterit talis effectus in illa causa cognosci.

2. obiectio. D.Th.

3 Obijcies secundò D.Tho. art. cit. q. 14. 1. p. & sæpè alibi; vbi docet, non posse infallibiliter cognosci in istis causis contingentibus effectus futurus; Respondeo,

Solutio.

D.Tho. omninò loqui de causis remotis; & pro eo tempore, quo antecedũt suos effectus: non autem de causis proximis, prout solum in priori naturæ antecedunt illos; atq. adeo D.Th. non est sibi contrarius. Vbi aduertendum est, quod si velimus loqui secundum modum loquẽdi, & intentionem D.Th. effectus propriè futurus est ille, qui comparatur ad causam, vt præexistentem tempore; atquè adeo, ad causam remotam; nam si comparetur ad causam, vt solum natura præexistentem; effectus non dicitur propriè futurus, sed præsens in posteriori naturæ; dicitur tamen fututus, latè, pro eo, quod non intelligitur adhuc existere. Quarè, in rigore loquendo, concedi potest, quod effectus contingens futurus non potest infallibiliter cognosci in sua causa; quia hic modus loquendi, in rigore, significat causam remoram; & in hoc sensu sæpè loquutus est D.Tho. non tamen hinc sequitur, non posse cognosci in causa proxima, prout solum natura præcedit effectum; vnde D.Tho. loco illo contra gent. in quo fundatur nostra doctrina, non loquitur primo modo, sed secundo; quod .s. in causa contingenti completa, & non impedita potest cognosci certitudinaliter effectus; atq. hoc satis aduertendum est, circa modum loquendi D.Th.

In quo sensu verum est, effectum contingentem futurũ non posse cognosci in sua causa.

3. obiectio.

4 Obijcies tertiò: potest esse, vt nunc voluntas mea ita sit disposita; vt, ex vi presentis dispositionis, exigat concursum ad aliquem actum, cras futurum; ergo etiam potest in causa præexistenti tempore cognosci effectus infallibiliter futurus: Respondeo, disting. antec. potest esse,

Solutio.

vt voluntas exigat, absolutè, talem concursum futurum. neg. antec. exigat, ex suppositione: s. s. talis dispositio voluntatis non mutetur, vsquè ad illud tempus; concedo; sed hoc non est cognoscere infallibiliter aliquem effectum futurum ex vi causæ, vt solum præexistit tempore; sed in quantum duratura est vsq; ad instans operationis, in quo instanti perficitur illa exigentia. Ratio autem huius est: quia reuera, nisi illa causa esset sub his dispositionibus duratura, vsq. ad tale instans, non sequeretur ille effectus; & consequẽter, exigentia talis causæ cõpletur in illo instanti, & prout præexistit in hoc instanti, est sufficiens, vt infallibiliter in ipsa cognoscatur effectus.

4. obiectio.

5 Obijcies quartò: hæc exigentia voluntatis ad hunc effectum nil addit supra ipsam voluntatem indifferentem, & indeterminatam; ergo si prius in voluntate non poterat cognosci effectus futurus, neq. poterit vnquam. Respondeo, hanc

Solutio.

exigentiam duo dicere; vnum in recto; quod non est aliud, nisi ipsa vis intrinseca libertatis in voluntate; & sic nil addit supra entitatem volũtatis; aliud in obliquo; & sic connotat omnes circumstantias, siuè extrinsecas, siuè intrinsecas; quibus potius voluntas, vi sua, factura est hic, & nunc talem actum; atq. adeo connotat ipsum actum, vt futurum; & quia hæ circumstantiæ non semper sunt eædẽ; ideo aliquando est hæc exigentia in voluntate, aliquando non est: cęterum hoc est proprium libertatis, & potentiæ liberæ; vt vi sua, sine vlla antecedenti determinatione tollente libertatem, faciat potius hunc effectum, quàm alium.

5. obiectio.

6 Obijcies quintò, si ita esset, posset Angelus, qui comprehendit voluntatem humanam, cognoscere naturaliter in illa, vt in causa proxima, volitiones liberas: quod tamẽ est absurdum: Respondeo,

Solutio.

Angelum non comprehendere voluntatem humanam, secundum quod est causa libera, actu operans; vndè, sicuti naturaliter non potest videre ipsam volitionem liberam, & existentem; nisi ali-

quo modo ipsi reueletur; ita neq. potest certò cognoscere exigentiam voluntatis liberæ ad hunc, vel illum actum, de qua re alibi disputatur.

Corollarium de actibus liberis supernaturalibus.

7 Colligo demum ex dictis; etiam operationes supernaturales liberas posse cognosci in voluntate excitata auxilio efficaci; eo prorsus modo, quo cognoscuntur volitiones naturales in voluntate disposita dispositionibus naturalibus; dummodo non denegetur ei æquiualens concursus; videt.n. pariter Deus, quod voluntas, tali gratia, hic, & nunc præmota, ex vi sua, cum tali gratia, & ipso concurrente, factum est hoc, vel illud infallibiliter; neq. hic est peculiaris aliqua difficultas, aut diuersitas; nisi quod debet intelligi voluntas excitata auxilijs gratiæ præuenientis; sine quibus nunquam dicitur volūtas potentia proxima, & completa ad eas operationes.

DISPVTATIO QVARTA.

An hæc scientia contingentium tollat libertatem à creaturis?

CAPVT VNICVM.

Veritas Catholica statuitur, & satisfit obiectionibus, quæ fieri possunt.

§. I.

Scientia Dei non tollit libertatem.



1 IN qua re, certum esse debet secundum fidē; sciētiam Dei non tollere libertatem hominibus; cum eadē certitudine certum sit, Deum omnia præscire ab eterno; & similiter, hominem liberè operari merendo, & demerendo; quarè, siuè scientia Dei ponatur causa rerum; siuè non; nullo pacto obest nostræ libertati; immò etiam si poneretur causa, in quantum scientia, id verum adhuc esset; & propterea D.Thodum de hac difficultate agit, non distinguit inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ; sed quomodocunquē causa sit causa, Respondet, non obstare voluntati, eiusq. libertati; Deus.n. cooperando cum creaturis, accommodat se exigentiæ creaturarum; vndē cum causis necessarijs, concurrit iuxta earum exigētiam; & similiter cum causis liberis; quarè scientia Dei, quomodocunq. ponatur causa, potius supponit, quam destruat libertatem; vndē ne in probādo rem adeo certam immoremur, sufficiat breuiter Hæreticorum argumenta dissoluere, & explicare modum, quo scientia Dei non impediat libertatem, sicuti neq. impedit Dei voluntas; & qui circa hanc difficultatē plura desiderat, poterit legere Vasq. super illum art.13. disp.68. & deinceps Suar.opusc.de scientia Dei l.1.à c.9.Molin.p.1.dist.14.& seq. Valent.super ar.cit. puncto 1.§.3. Albert.corollar.1. 4.principij à principio. 9.& omnes Thomistas ibidem.& alios, quos ipsi citaut, qui cōtra Hæreticos nostri temporis fusè de hac re scripserunt.

D.Th.

Vasq. Suar. Mol. Val. Albertin.

1. obiectio Hæreticorū.

2 Obijcies ergo primò pro Hæreticis argumentum supra positum. Causa necessaria habet effectum necessarium, sed scientia Dei est causa necessaria omnium futurorum: ergo omnia futura sunt necessaria. Respondet D.Th. art.cit.ad 1. 1.contra gen.c.86.& alibi: à causa necessaria, quæ sit adæquata, & proxima, & particularis, procedere quidem effectum necessarium: si verò causa sit solum vniuersalis, & concurrat cum causa particulari defectibili, aut libera, effectum potentiæ esse contingentem; sicuti, inquit, motus Cęli est causa necessaria generabilium; tamen potest esse, vt germinatio huius plantæ impediatur, ob defectum principij particularis germinationis; vnde non

Solutio D.Th.

de non sequitur necessario, ex motu Solis germinatio talis plantæ: sed potius effectus quidam contingens; etiam si motus Solis sit causa necessaria; & ita multi alij effectus casu, & contingenter fiunt in natura, (vt Arist. & multi Philosophi cognouerunt,) etiam si causæ vniuersales creatæ sint necessariæ.

Explicatur solutio. D. Th. 3 Quam Responsionem existimauit D.Th. sufficere ad solutionem argumenti; vnde non curauit explicare, an, & quomodo scientia Dei sit causa necessaria? Ad quod tamen aduertendum est, quod si loquamur de scientia simplicis intelligentiæ; vera est illa propositio, quod hæc scientia sit causa necessaria: quia, quantū est ex se, non habet libertatem; per illam .i. nō liberè, sed necessariò Deus cognoscit, quomodo res sint factibiles; neq. tamen propterea potest Deus dici causa necessaria eorum, quæ facit; nam hæc scientia non est causa in actu, nisi per voluntatem Dei: voluntas autem Dei libera est in ijs, quæ facit ad extra; licet directio, quā habet ab intellectu, sit necessaria. Vndè, absolutè, dicendus est Deus causa libera creaturarum. Item si ponatur scientia visionis, etiam vt sic, esse causa futurorum: non tamē posset Deus dici causa necessaria; .i. necessariò operans; quia etiam hęc scientia esset causa, vt cōiuncta cum voluntate; & quantum ad determinationem ad obiecta creata, esset libera (vt supra diximus) At D.Th. non adhibuit has solutiones; sed aliam vtiliorem, desumptam ex rebus naturalibus; quia voluit afferre communem solutionem pro omnibus, siuè Hæreticis, siuè Philosophis, qui fortè hanc libertatem in Deo negarent: quam tamen benè defendit D.Th. 1. con. gen. c. 81. & 2. Vtrum autē, si Deus esset reuera causa necessaria; aliquis effectus posset esse contingēs? existimo dicēdum, quod si ita esset causa necessaria, sicuti sunt causę vniuersales creatæ, & sicuti aliqui existimant putasse Arist. posset omnino sequi aliquis effectus contingens, propter rationem allatam à D.Th. si autem esset causa necessaria, aliquo alio modo, posset vtiquè tolli contingentia: sed quia hoc est absurdum, nil mirum, si aliud absurdum ex eo sequatur. Legatur Molina de con. dist. 9. Mol.

§. II.

2. obiectio. 4 Obijcies difficilius argumentum. Secundò: quia in omni propositione conditionali vera; si antecedens est necessarium, consequens debet esse necessarium, iuxta regulas Summularū; v.g. hæc conditionalis est vera, *Si Sol est, dies est; si homo est, risibilis est.*) & quia antecedens est necessarium, consequens est etiam necessarium: sed hæc conditionalis est vera, (*si Deus sciuit, aliquam rem esse futuram, illa erit futura;*) quia scientia Dei nō est, nisi rei veræ; in hac autem conditionali, antecedens est absolutè, & simpliciter necessarium, ergo & consequens; atq. adeo nulla res futura erit cōtingens; minor, in qua est difficultas, probatur primò ex expressa sententia D.Th. art. 13. cit. ad 2. & alijs statim citandis locis. Secundò etiam: quia omnis propositio de præterito est absolutè, & simpliciter necessaria: nam id, quod fuit, non potest non esse, quin fuerit. At verò hæc propositio (*Deus sciuit,*) æquiualet propositioni de preterito; & reuera impossibile est, nunc Deū non sciuisse. Demum, quia scientia Dei necessariò est immutabilis, & infallibilis; vnde dicitur necessaria, necessitate immutabilitatis, & infallibilitatis; ergo id, quod semel Deus sciuit, impossibile est, non esse; igitur necessariū est esse; iuxta regulas æquipollentiæ: sed Deus iam sciuit, res omnes futuras; ergo necessarium est illas esse.

5 Ad hoc argumētum subtilissimè Respondent omnes Authores citati, & in primis ipse D.Th. tūm ar. 13. cit. ad 2. tūm in 1. dist. 38. q. 1. art. 5. præsertim ad 4. ex cuius dictis breuiter hāc doctrinam colligo; quod aliqua propositio dicitur interdum simpliciter vera, aut simpliciter necessaria: quæ, consideratis omnibus, de facto necessitatem habet in aliquo vero, & formali sensu, secundum regulas Logicas; vnde dicere possumus, hanc propositionem (*Deus est homo*) absolutè, & simpliciter esse necessariam; quia consideratis omnibus, ita de facto est; & impossibile est non esse. Aliquando verò dicitur propositio absolutè, & simpliciter necessaria, quæ non est necessaria ex suppositione aliqua contingenti; sed ex obiecto suo, sine vlla tali suppositione; sic dicimus, hanc propositionem esse absolutè, & simpliciter necessariam, *Deus est; Homo est animal, &c.* Hanc autem non esse simpliciter necessariam (*Deus creauit mundum*) quia hæc non habet necessitatem, nisi ex suppositione; primò tamen modo potest hæc etiam dici simpliciter necessaria: quia de facto, consideratis Nota pro solutione doctrinā D.Th.

omni-

omnibus, impossibile est, illam non esse veram. Secundum ergo hanc distinctionem, hæc propositio (*Deus sciuit hãc rem esse futuram*) potest dici simpliciter, & absolutè necessaria, primo modo: quia considetatis omnibus, quæ de facto sunt, iam Deus eam rem cognouit, & impossibile est, eam non nouisse; sed secũdo modo ea propositio non est absolutè, & simpliciter necessaria; sed ex suppositione contingenti, (posito quod illa res contingenter esset futura, cum potuisset non esse.)

Soluitur 2. obiectio.

6 Ad argumentum ergo in forma, ad mi. Respondeo cum distinctione posita; illud antecedens est simpliciter, & absolutè, necessarium; idest (nulla prorsus facta suppositione contingenti) nego: est necessarium (de facto consideratis omnibus) concedo: sed ex hoc nihil contra nos sequitur; nisi, quod effectus futurus, posita scientia Dei, & consequenter, posita futuritione eius, & præsentia ipsius ad æternitatem; simpliciter, & absolutè verum est, quod sit futurus; quia res dum est, absolutè, & simpliciter est: vnde etiã soluitur tertium argumentum, quod D.Th. proponit dict. ar. quod s. omne scitum à Deo, necesse est esse; sed futura contingentia sunt scita à Deo: ergo, &c. ma. est ex suppositione; posito s. quod res illa sit, & Deus sciat: vnde non est ibi nisi necessitas consequens, non autem antecedens.

Replica.

7 Sed dices: id, quod est necessariũ solum ex suppositione contingẽti, potest absolutè, & simpliciter dici contingens; sicuti hæc propositio. (*Petrus currit.*) simpliciter est contingens; quamuis ex suppositione sit necessaria: ergo si hæc propositio (*Deus sciuit hanc rem futurã.*) est necessaria solum ex suppositione; absolutè poterit dici contingens; quod tamen expressè negat D.Th. in responsione ad 2.

Responsio. Duplex necessarium ex suppositione

8 Respondeo, quod dupliciter potest aliquid esse necessarium ex suppositione: primò ex suppositione sui ipsius, primò, & per se: sicuti est illa propositio, (*Petrus currit.*) Secundò potest esse aliquid contingẽs, ex suppositione alterius, quo posito, ipsum sit necessarium: & ita se habet cognitio, quam habet Deus rei futuræ; quamuis .n. cursus Petri futurus sit contingens; eo tamen posito, cognitio Diuina essentialiter, & simpliciter ex se, ipsa est ad illum; quarè non potest dici, contingens, nisi præcisè ratione obiecti; quo tamen posito, ipsa simpliciter sit necessaria, & in hoc sensu negat D.Th. cognitionem Dei esse simpliciter contingentem, .i. ratione sui, sine vllo addito: est ergo hæc scientia Dei libera, vt connotat decretum liberum Diuinæ voluntatis, sine quo non esset creatura. & consequenter hæc scientia non terminaretur ad illam: posito autem decreto, & futuritione creaturæ, ex Essentia sua est simpliciter necessaria.

9 Quarè ad argumentum in forma, distingo antecedens. *Id quod est necessarium primò, & per se, ex suppositione contingenti sui ipsius*; potest dici absolutè contingens; concedo: *Id quod est necessarium ex suppositione contingenti alterius, non autem sui ipsius*; potest dici absolutè contingens, nego: hoc .n. non potest dici contingẽs, nisi ratione alterius; atq. adeo cum isto addito; & ita non absolutè, & simpliciter.

§. III.

10 Et ex hoc facilè intelligi possunt multi difficiles textus D.Th. in hac sententia, qui prima fronte videntur contrarij, & primò rectè intelligi potest doctrina, quam habet art. 13. cit. ad 2. vbi initio confutat duos modos dicentium, (scientiam Dei absolutè esse contingentem,) quod iam explicauimus. Secundò cõcludit, eam propositionem, (*Deus sciuit hanc rem esse futuram.*) esse absolutè necessariam, modo, item explicato. Sed iterum confutat modum quẽdam explicandi, qua ratione ex hac necessitate scientiæ non sequatur necessitas rei futuræ? aliqui .n. dicebant, id non sequi ex eo, quod scientia Dei esset causa remota; quod optimè impugnat D.Th. quia si nihil aliud consideraremus in Dei scientia, nisi, esse causam remotam; tunc ea conditionalis non esset vera: (*Deus scit rem esse futuram, ergo res est futura*:) quia non valet argumentari à causa remota ad effectum, qui potest impediri per causas proximas; sicuti non valet, si quis dicat, (*Sol mouetur, ergo cras pluet*;) quarè ea consequentia sequitur ex infallibilitate scientiæ Dei. Demum affert D.Th. suam solutionem; quod s. si Deus sciuit rem esse futuram, res est futura; ex eo, quia scientia Dei inuoluit existentiam rei futuræ; & res illa cognoscitur à Deo, vt præsens pro sua differentia temporis: posito autem, quod res sit, necesse est esse. Quado-

Not. intelligentiam aliquorum locorum D.Th.

doctrina significat D. Tho. esse quidem scientiam Dei absolutè necessariam, s. ratione sui; non tamen sine suppositione contingenti obiecti, quod respectu cognitionis Dei est præsens; in his autem rebus semper aduertẽdum est; quod cum dicimus, (*scientiam Dei esse necessariam*,) non intelligimus ratione suæ entitatis; sic .n. non esset difficultas; cum, vt sic, omnimodo sit necessaria: sed esse necessariam in ratione terminationis ad talem effectum.

11 Secundò facilè intelligitur, quomodo D. Tho. loc. cit. in 1. ad 3. doceat; quod hæc consequentia (*Deus sciuit fortem currere sursum; ergo necessariò curret*) est vera, necessitate consequentiæ, non consequentis; item, esse necessariam, necessitate conditionata, .i. ex suppositione; non autem absoluta; dicitur autẽ necessaria, necessitate consequentiæ: quia posito antecedente, non potest negari consequentia: etiam si consequens sit contingens: sicuti, si ego reuera video Petrum sedere; necessariò sequitur, quod Petrus sedeat; licet contingenter Petrus sedeat; similiter facilè intelliguntur ex dictis alia, quæ ibidem docet D. Th.

Vlt. obiectio 12 Vltimò obijci solet argumentum quoddam populare, hac ratione: quicquid sit (inquiũt) de his speculationibus: tamẽ de facto Deus verè videt quicquid ille homo est facturus; ergo cum Deus decipi non possit, neque mutari in cognitione, necessariò totũ illud erit; alioqui si posset aliqua res ex illis non esse, posset etiam Deus falli.

13 Respondeo, has res omninò necessariò futuras, solum ex suppositione, quod sint futuræ; qua suppositione facta, Deus illas videt; vnde hæc eius præuidẽtia, vt sic, præcisè, speculatiua est; aut æquiualet speculatiuæ, in ordine ad necessitatem, vel contingentiam obiecti: neq. verò sequitur, quod Deus possit falli; licet .n. ego v.g. possim non facere cras id, quod liberè sum facturus; possim, inquam, absolutè, & simpliciter, .i. nulla facta suppositione ipsius liberæ futuritionis; & consequenter, ipsius visionis Dei: nil aliud infertur, nisi, quod in eodem sẽsu, absolutè, & simpliciter potuit Deus non cognouisse opus futurum: suppositione tamen facta, quod res sit futura; in qua suppositione inuoluitur vsus libertatis meæ; sicuti impossibile est, rem non esse futuram; ita impossibile est, Deum illam non cognoscere; aut falli: vnde hæc necessitas dicitur solum consequẽs vsum libertatis; & proindè fieri potest idem argumentum, etiam si Deus non cognosceret res futuras; nam re vera quælibet res vel est futura, vel non est futura.

DISPVTATIO QVINTA.

An in Deo sit scientia futurorum conditionatorum?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & quid futurum conditionatum, & quotuplex?

§. I.

Quid futurũ conditionatũ 1 Vtura conditionata (vt supra annuimus) dicũtur à Theologis illa, quæ de facto nũquam erunt; atq. adeo, absolutè, non sunt futura; essent tamen futura, si poneretur aliqua conditio; v.g. si Deus crearet aliquem hominem ex ijs, quos nunquam creauit; ille homo aliquid faceret, iuxta varias circumstantias, & conditiones, in quibus crearetur; vnde in hac propositione, (*Si Deus crearet talem hominem, ille faceret hoc, vel illud*,) hic effectus dicitur futurũ conditionatum; cuiusmodi quotidiè in sermonibus vulgaribus hominũ experi-

mur,

mur; & audimus, cum quis dicit; (*si hoc, vel illud fuisset, aut esset, hoc vel illud sequeretur, vel sequuturum esset;*) & alius (*si ego essem Princeps, vel Diues, sicuti Franciscus, elargirer maximas eleemosynas, facerem hoc, &c.*) & alia huiusmodi; & effectus sic futuri dicuntur conditionati; in quibus conditio dicitur antecedens: futuritio autem dicitur consequēs: quare propositio conditionata semper constare debet ex antecedenti, & consequenti.

Quotuplex tale futurum

2 Quamuis autem hæc futura varijs modis distingui possint; quantum tamen satis est ad intelligentiam difficultatis; primò distingui possunt in ea, in quibus nulla prorsus est connexio consequentis cum antecedente; vnde huiusmodi, reuera, non deberent dici futura conditionata; sed solum ex modo loquendi dicuntur, ac si essent futura conditionata; vt si quis diceret. (*Si Petrus nunc esset Romæ, Panhormi fontes fluerent,*) aut (*si nunc Panhormi fluerent fontes, Petrus esset Romæ;*) quamuis.n. verè Petrus esset Romæ, & Panhormi fontes fluerēt, vel è contra: tū conditionalis illa esset falsa; quia nulla supponitur esse cōnexio inter antecedens, & consequens; & ita Deus semper in his videt cōtradictoriam conditionalem esse veram; contradictoria autem est, secundum regulas Logicas, per appositionem negationis ante conditionem: v.g. hæ duæ erunt contradictoriæ, (*si nūc Petrus esset Roma, Panhormi fontes fluerent; non si nunc Petrus esset Romæ Panhormi fontis fluerent,*) & hoc obiter dictum sit. Secundò tamen alia futura conditionata sunt, in quibus verè consequēs; aut certè oppositum consequentis habet connexionem aliquam cum antecedenti: vt (*si nunc Petrus Romæ esset, pergeret ad D. Petri templum, vt oraret; vel non pergeret, &c.*)

3 Rursus hæc futura, quę habent aliquam connexionem in antecedenti, & consequenti, possunt habere eam connexionem; vel ratione sui; vel solum ratione alterius: v.g. si Prorex haberet hanc voluntatem efficacem, faciendi gratiam, etiam vitæ, primo delinquēti, vel primò, qui ab eo gratiam petierit: tunc hęc conditionalis esset vera; (*si Petrus, qui deliquit primò gratiam pro patrato crimine à Prorege petat, habebit.*) Sed consequens in hac conditionali non habet cōnexionem cum antecedenti, præcisè ratione sui; sed ratione extrinsecæ volūtatis Principis; & idem potest contingere respectu Dei decernentis aliquid facere, si poneretur aliqua conditio; quæ tamen, ex se præcisè, non haberet connexionem cum tali effectu; qua ratione 4. reg. 13. dixit Eliseus Regi Siriæ; *Si percussisses quinquies, aut sexies, siuè septies, percussisses Sirium vsq. ad consummationem.* Aliquando verò in conditionali, antecedēs habet connexionem cum consequenti, ratione sui; vt, (*si alius Sol crearetur, illuminaret.*) 4.Reg.

4 Demum, hæc conditionalia, in quibus antecedēs habet ex se connexionem cum consequenti, possunt esse duplici rationis. Primò, vt connexio illa sit simpliciter necessaria; quia antecedens sit causa necessaria consequentis; vel aliquid simile; vt (*si nunc hic esset ignis, calefaceret hunc aerem; si Sol alius crearetur illuminaret, &c.*) & hæc dicuntur futura cōditionara necessaria. Secundò potest esse, vt connexio sit contingens, & dependens à libertate alicuius operantis; vt; (*si Petrus esset hic, studeret, aut loqueretur, aut sederet, &c.*) & hæc dicuntur futura conditionata contingentia. Et hęc quantum ad explicationem terminorum.

§. II.

5 Qua proposita, sciendum est; certum debere esse apud omnes, Deum procnldubio cognoscere futura conditionata necessaria, secūdum omnem necessitatem; quam habent, ex vi suarum causarum; cum etiam hæc cognoscātur à nobis, cognita efficacia causæ; & ratio esse potest, quia Deus cognoscit creaturas, & quicquid est in potentia creaturarum; atq. adeo in potētia causæ necessariæ, cognouit effectus necessarios; omnes .n. hi effectus sunt cognoscibiles in suis causis; sed quia illa creatura non potest quicquam operari, nisi concurrente Deo cnm illa; hinc est, quod neq. hæc futura Deus cognoscat, vt simpliciter futura, sine aliquo ordine ad suum decretum de concurrēdo. Quare antecedenter ad hoc decretum, solum Dens potest cognoscere illa vt futura, quātum est ex vi causæ; v.g. Deus cognoscit, quod si alius Sol crearetur, ille, quātum est ex vi sua, illuminaret; & ita cognoscit effectum illum, vt necessariò futurum, quantum est ex vi causæ: non tamen potest illum cognoscere, vt absolutè, & simpliciter futurum, sine aliquo ordine

Deus cognoscit omnia futura conditionata necessaria.

dine

dine ad suum decretum de concurrẽdo; & ita Deus cognoscit, quod si alius Sol crearetur, & ipse Deus vellet cum ipso concurrere ad illuminationem, iuxta exigentiam ipsius; sequeretur illuminatio absolutè, & simpliciter: antecedenter autem ad omne suum decretum, non potest videre effectum, vt futurum; nisi cum hoc addito, (*quantum s. ex vi, & exigentia sua causa*,) & de hoc, inquam, nemo est, qui dubitet, propter dictam causam: sicuti etiam certum est; quod, si Deus decreuisset efficaciter, se facturum aliquid, si poneretur aliqua conditio; sicuti de facto decreuit dare gratiam dignè recipienti sacramenta; sine dubio infallibiliter cognosceret effectum futurum, sub illa conditione: quia decretum efficax Diuinæ voluntatis affert infallibilitatem effectui. Quarè tota cõtrouersia est: An Deus cognoscat futura contingentia conditionata, vt infallibiliter futura, quantum est ex vi suæ causæ; atq. adeo antecedẽter ad quoduis decretum Diuinæ voluntatis? v.g. An Deus infallibiliter cognoscat, quod si Petrus esset in his, vel illis circumstantijs, quantum est ex vi suæ voluntatis, & dispositionis, faceret hoc, vel illud? ita vt, si intelligatur Deus consequenter velle concurrere, omninò id faceret: sicuti diximus de futuris necessarijs; & qua ratione etiam in futuris contingentibus absolutis Deus cognoscit quicquid homo in his, vel illis circumstantijs positis facturus est, quantum est ex vi sua; in hoc ergo sensu controuersa est hæc propositio. *An Deus infallibiliter cognoscat futura contingentia conditionata, dependentia à causis liberis, quæ tamen nunquam erunt, quia nunquã ponetur conditio?*

CAPVT II.

Percursis minus probabilibus sententijs, verior statuitur.

§. I.

Suar. Val. Vasq. Mol. Zum. Nazar.

1 AGunt autem fusè de hac re Suar. opusc. de hac ipsa re. Valentia super illum ar. 13. cit. 1. lib. §. 2. Vasq. disp. 67. Molina ibidem vrà dist. 74. Zumel dist. 8. Nazar. ibidem controu. 1. & recentiores omnes communiter eodem loco. Ex antiquioribus verò Theologis nemo est; qui de hac re ex professo disputet; quia, vt existimo, neque dubitarunt de veritate huius doctrinæ; & licet res hæc difficilis sit reddita à Thomistis; & sic longiori, quàm fas est, cõcertatione examinetur; mihi tamen semper facilis visa est; & sic, suppositis ijs, quæ diximus de futuris absolutis; breuiter eam expediam; & prætermissa commemoratione variarũ opinionum; tum illorum Thomistarum, qui fatentur, Deum non cognoscere infallibiliter hæc futura conditionata; sed solũ per quandam cõiecturam, maiorem quidem, quàm esset à quouis intellectu creato; non tamen omninò infallibilem; cuius opinionis mentionem faciunt Vasq. & Suar. locis cit. Tũ etiam aliorum, qui; licet fateantur, huiusmodi futura infallibiliter, & certò cognosci à Deo; conuicti authoritatibus, & rationibus infra ponẽdis; & non in libera prædeliberatione suæ voluntatis, seu prædiffinitione, prædeterminatione, & decreto positiuo, in quo (inquiunt) cognoscit Deus infallibiliter omnia, quæ fiunt, facta sunt, vel erũt in aliqua temporis differentia; cum nil decreuerit de futuritione istorum contingentium conditionatorum; cum potius in eo decreto cognouerit Deus, quod nunquam erunt futura, neq. habitura esse; subdunt tamen, quod in volitione posita futurorum, & in negatione decreti aliorum, infallibiliter nouit, quæ futura, & non futura erunt; & sic huiusmodi futura conditionata contingentia nouit Deus, vt possibilitet futura: quia potuit de futuritione eorum Deus decernere, & statuere; nec posse huiusmodi futura cognosci infallibiliter in ipso libero arbitrio creato, antequã se determinet; & concludunt, Deum futura libera, & contingentia cognoscere, non ex eo solo capite, quod de illis prædeliberauit; sed etiam, quia comprehendit suam Essentiam, & per Diuinas Ideas, Diuinamquẽ Essentiam cognitam, vt obiectum primarium, certò repræsentari Deo, qui tùm suam Essentiam, tùm singula, quæ in ea ipsa infinitè perfectius, quàm in se ipsis continentur, altissimo, ac eminentissimo modo comprehẽdit; & sic fatentur, quod in eadem Essentia, antecedenter ad expressam, & formalem prædefinitionem futurorum contingentium, etiam repræsententur actiones omnes contingentes, Variæ opiniones referuntur.

& liberæ; & in hac eadem Essentia (concludunt) Deum cognoscere futura contingentia conditionata, vt possibilia, modo dicto; Quam sententiam præcipuè defendit Zumel. disp. 8. cit. per quinque conclusiones, quam fatetur esse ex mente D. Bonauent. in 1. dist. 39. art. 2. q. 3. D. Th. art. 13. cit. & Caiet. ibidem. Et tandem relictis alijs modis dicēdi adductis à recentioribus; statuamus nostram sententiam, explicemus illam, probemus efficacissimè, & tādem satisfaciamus obiectionibus, quę possunt contra illam obijci.

Bonauent. D. Th. Caiet.

§. II.

1. conclusio. 2 Dicimus ergo primò; Deum omninò infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata: & hoc negare, parum mihi videtur tutum. Ita docent omnes Doctores communiter, ex Societate Iesu præsertim; præter quos id idem fatetur expresse Zumel disp. 8. cit. conc. 1. quam probat ex D. Augustino lib. de bono perseuerantiæ c. 10. vbi explicans locum Matt. 11. *Veh tibi Corozaim, &c.* dicit, Deum optimè cognouisse, quod Tyrij, & Sidonij acturi erant pęnitentiam; verum etiam ait, Deum certò cognouisse, quod post peractam pęnitentiam, iterum in peiorem vitam erant reuersuri; & hanc fuisse causam, propter quam signa, & virtutes in illis oppidis facere noluit; & lib. de 6. quęstionibus contra Paganos q. 2. vbi docet, Christum nō alio tempore, vel loco venisse, quam de facto venit; quia præuidebat Deus, quod si alio loco, aut tempore venisset, pauciores, aut nulli fuissent in ipsū credituri. Idem habet de prædestinatione Sanctorum cap. 10. tùm etiam hoc idem probat alijs authoritatibus Sanctorum Patrum, & Scripturæ sacræ, ex quibus sic efformo efficaces rationes.

Aug.

D. Matt.

1. ratio fundata in Sacr. Scriptura. 3 Prima sit; Deus in Scriptura sacra reuelauit multa futura contingētia conditionata, quæ tamen nunquam fuerunt; quia nunquam fuit posita conditio: ergo Deus illa cognouit; & cum non sit maior ratio vnius, quā alterius; sequitur, quod omnia prorsus cognouit; & cum nō possit Deus illa per coniecturam cognoscere, ratione imperfectionis maximæ, quā includit coniecturalis cognitio; consequitur, quod infallibiliter cognoscat. Antecedens certum est, ex tot locis sacræ Scripturæ: illud n. Matt. 11. *Veh tibi Corazaim, veh tibi Bethsaida, &c.* euidentissimum est: vbi Dominus prædicit actus liberos, ex hypotesi, futuros; qui tamen absolutè non erant vnquam futuri, & c. 16. *Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neq. si quis ex mortuis resurrexerit credent.* Nequę valet dicere, hæc loca, & alia similia non conuincere de cognitione infallibili; sed potius de coniecturali, more humano: Quod posset confirmari ex eo, quod in huiusmodi reuelationibus aliquando opponitur particula illa (*fortè,*) quæ solet esse dubitantis, non autem scientis; vt est in eodem c. 11. Matt. *Si in Sodomis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, fortè mansisset vsq. ad hanc diē.* Item Gen. 3. *Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*; & Exodi 23. *Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me*; & Hierem. 26. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & conuertantur*; & alia huiusmodi, in quibus particula (*fortè*) videtur infallibilitatem excludere, & potius coniecturalem, & incertam indicare notitiam futurorum, ex hypothesi. Hoc n. absurdissimum est: ex eo namq. absurda innumera sequerentur; & quod Deus absolutè, & simpliciter posset falli, etiam in suis reuelationibus; nam si per solam coniecturam, seclusa euidentia, & infallibilitate, sciret ea, quæ reuelat, posset res reuelata non euenire, adhuc posita hypothesi; & consequenter falli; & quod Deus haberet dubiam de euentu alicuius rei cognitionem: nam ab intellectu Diuino nil potest dubitationem excludere, nisi euidētia; ergo de quibus non habet euidentiā, habet cognitionem dubiam, simpliciter, & incertam; sed rei incertitudo, & dubietas maximam dicit imperfectionem; ergo, &c. Ad loca autem illa Respondeo particulam illam (*fortè*) non significare dubiam, incertam, siuè coniecturalem cognitionem; sed potius arbitrij libertatem, secundum communem modum loquendi, propter similes causas: vnde aliquando etiam ponitur in rebus certissimis, & sic Act. 8. dicitur, *Pænitentiam age, si fortè remittatur tibi*; & alia similia. Quæ doctrina desumpta est ex Sanctis Patribus; hinc Hieron. in cap. 2. Ezech. explicans illud, (*Si fortè, vel ipsi audiant, &c.*) *Loquitur* (inquit) *Deus ambiguitatis affectu, vt liberum homini monstret arbitrium*; *ne præscientia* (sic namq. legendum est,) vt benè notat Lessius c. 29. n. 4.)

D. Matt.

Solutio aliquorum.

Gen.

Exo.

Hierem.

Impugnatur.

Respōsio ad quędā loca ab Aduersarijs adducta.

Act.

Hieron. Ezech.

Lessius.

n.4.) *Futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit: non .n. quia ille ventura cognoscit, necesse est, nos facere, quod ille præsciuit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum, quasi Deus*; in quibus verbis, (aureis quidem) tria docet D. Hieronymus maximè notanda (vt optime adnotauit Lessius) primò; ideo Deum vsum fuisse particula illa (*fortè*) quasi dubitaret; vt ostendat, hominem esse liberum, & ad neutram partem determinatum. Secundò; non reuelare Deum euentum ipsum, quem optimè nouit; ne homo desperet; vel securus, cesset; apprehendendo, tanquam immutabile, quod Deus prædixit. Tertiò; Dei præscientiam non afferre necessitatem. Itaq. supponit hic, euentum, in omnibus hisce loquutionibus, à Deo in particulari cognosci; eãdē doctrinam, quoad tria prædicta, colligit idem Lessius ex Theodoreto in cap. 26. Hier. *Dicit* (inquit) *fortasse; non quasi ignorans: nouerat .n. illorum incredulitatem; sed ambigua dictione vsus est, ne diuina sententia attendentes, desperarent de salute. nō absimile dictum est ab Ezechiele. si fortè audiant, &c. si fortè videant: non .n. hoc ignorandi verbum est.* Eandem solutionem colligit Zumel loc. cit. ex Theophil. Lucæ 10. Remigio; & D. Tho. Matth. 11. Ambros. lib. 2. de pęnit. c. 5. & iterum ex D. Hieron. hom. 9. super Ezech. & Ionæ 3. vbi videtur docere, quod ambiguè, & sub dubio loquitur interdum Scriptura sacra, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pęnitentiam. Item ex Abulens. Matt. 11. q. 52. Glosa interlinealis dicit particulam illam (*fortè*) idem interdum valere, quod (*certè*) super illud Matt. 11. Caiet. autem, & Iansen, notant, quod pro particula (*fortè*) grecè habetur (*vtiquè*,) vt Io. 15. *Si me sciretis, forsitan, & patrem meum sciretis*; & Matth. 7. *Noli mittere margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas*; non licet ergo ex illis locis colligere, Deum non habere infallibilem, & euidentem notitiam futurorum conditionatorum.

Theodor. — Zum. Remig. Ambrol. Hieron. — Abulen. — D. Io.

§. III.

2. solutio aliorum ad loca pro nostra sententia adducta.

4 Neq. secundò valet Respondere locis adductis ex sacra Scriptura, ideo Deum, Matt. præcisè 11. præsciuisse, Tyrios, & Sidonios facturos pęnitētiam; quia statuerat illis dare gratiam prædeterminantem ad pęnitentiam, si apud eos signa illa facere voluisset; hoc .n. ridiculum satis est; non .n. esset scientia conditionalium liberorum effectuum; nam hæc propositio: (*Si, visis signis eos determinauero ad pœnitentiam, agent pœnitentiam*:) non est conditionalis libera, sed necessaria, vt ex terminis patet; præterquam quod si eos determinasset ad pęnitentiam; etiam, non visis signis, egissent pęnitentiam; illa .n. determinatio nullam connexionem dicit cum signis; neqnè aliqno pacto depende tab illis; sed est Phisica, & absoluta præmotio; & sic cum illa etiam egissent pęnitentiam. Ciues Corozaim, & Berhsaidæ; etiam si nulla vidissent signa; & sine illa, quibuscunq. signis positis, nec illi, nec isti pęnitentiam egissent. Debet ergo esse comparatio inter Tyrios, & Ciues Corozaim sub eadem gratia; iisdem auxilijs, & conditionibus; & sic quod omnia sint patia.

Impugnatur.

5 Neque tertiò valet Respondere, Deum ea futura, quæ de facto reuelauit, cognouisse certo, & infallibiliter; non autem cętera: disparem autem rationem esse; quia respectu illorum, quę reuelauit, habuit efficax decretum de ponendis illis in rerum natura, si poneretur conditio; de alijs verò, de quibus non habuit hoe decretum, non est eadem ratio: posito verò tali decreto, nō est mirum, quod ea cognouerit, vt infallibiliter futura: v. g. habuit Deus ab ęterno efficax decretum faciēdi conuersionem Sidoniorum, si apud illos fuissent facta miracula, quæ ad Iudæos facta sunt. Sed hæc solutio est omninò insufficiēs. Primò quidem; quia, ad effugiendam difficultatem, ponunt hæc decreta in Deo; quæ nullum vnquā habitura sunt effectum. Secundò, quia hi effectus non fututi fuissent ex vi solius decreti Diuini, non concurrente causa libera, (vt per se notū est;) vel ergo Deus præuidit exigentiam causæ liberæ in ordine ad illum effectum; & propterea decreuit cum illa cōcurrere ad eum actum secundum; vel non præuidit talem exigētiam; sed ex sua mera voluntate voluit illum effectum, si poneretur illa conditio. Si primum, habemus intentum; nempè, Deum præuidisse futuram fuisse talem exigentiam causæ ita dispositæ, si poneretur illa cōditio. Hoc autem est cognoscere futurum conditionatū contingens.

3. solutio. — Impugnatur.

6 Secundum verò dici non potest, maximè in ijs, vbi Deus reuelauit peccata futura aliquorum: non .n. potuit ea reuelare, vt futura, nisi ex malitia volunta-

tis eorum, exigentis concursum Dei ad tales operationes malas; non autem ex aliquo decreto actuali, quod Deus de facto habuerit deponendo tali peccato, nô cognita exigentiâ voluntatis eorum, qui peccaturi erant; sicuti poneretur Deus Author peccati: *Quare* cum reuelauit (vt

3.Reg. habetur 3.Reg.21.) quod si filij Israel ingrederentur ad mulieres alienigenas, essent commissuri peccatum Idolatriæ; id fecit, quia præuidit futurum ex malitia voluntatis eorum, positæ in talibus occasionibus; non autem ex aliquo actuali decreto, antecedente ad exigentiam talis voluntatis; alioqui Deus manifestè esset causa peccati.

Probatur etiam nostra sententia alio Sacr. Script. loco. 1.Reg. 7 Solet etiam communiter adduci locus ille; 1.Regum 23. vbi dicitur, quod cum Dauid fuisset in Ceilam; & Saul, hoc audito, statuisset illum exercitu concludere inter Vrbem; consuluit Dauid Dominum primò. An si maneret in Oppido Ceilæ Saul esset venturus ad obsidendum Oppidum? Respondet Dominus; Saulem venturum. Secundò: vtrum Ciues Ceilæ tunc ipsum, & viros eius essent tradituri in manus Saul? Respondet Dominus; tradent. En quomodo sciebat Deus in particulari, & Saulem venturum ad obsidendum Oppidum, si Dauid ibi maneret; & Ciues tradituros Dauidē, & socios eius, ad se liberandos obsidione, si Saul obsideret eos; quo loco certè nil clarius dici potest in confirmatione scientiæ Dei futurorum conditionatorum.

§. IV.

Responsio aliquorum. 8 Neq. valet dicere ad hoc, eo loco solum prædici, quod esset futurum, spectata affectione, in qua Saul, & Ciues Ceilæ erant; Saul .n. iam statuerat firmiter Oppidum cingere, si Dauid ibi maneret, (vt ex Scriptura sacra constat.) & credibile est, Ciues Ceilæ iam etiam cogitasse de tradendo Dauide, si præmerentur. Quod potest confirmari; quia sæpè in Prophetijs nil aliud prædicitur, quàm quod futurum est, spectata causarum dispositione; vt cū dicitur Ezechiæ; *Dispone domui tuæ; quia morieris tu, & non viues*; & Niniuitis: *Adhuc quatraginta dies, & Niniue subuertetur*, Ionæ 3.

Impugnatur à Lessio. 9 Sed optimè contra hoc insurgit Lessius n.7.c.19. nam si hoc esset, nullam certitudinem potuisset Dauid habere de euentu futuro; & meritò potuisset dubitare, adhuc consulto Domino. Item hæc communia poterat Dauid, absq. illa Dei reuelatione, sibi coniecturaliter persuadere; cui non erat abscondita mala Saulis erga ipsum affectio. Adde, quod hoc modo etiam Dæmon consultus potuisset Respondere. Conf. 2. Conf. 3.

10 Ad loca autem adducta pro confirmatione dictæ solutionis, Respondeo; in illis, & alijs similibus reperiri tacitam conditionem; vt ex Scriptura sacra apertè colligitur, v.g. *Nisi pœnitentiam agas; nisi aliud à Domino impetres, &c.* Hic autem nulla est alia conditio, præter eam, quę expresè ponitur in locis à nobis adductis; & illa supposita, euentus asseritur absolutè, absquè alia cōditione, futurus. Deindè quādo aliquid absolutè asseritur à Deo, non licet fingere nouas conditiones, vel restrictiones, nisi certum habeāt fundamentum in sacris Scripturis; alioquin nil erit certum in Prophetijs, de euentibus futuris, quandiù non dum existunt; semper .n. poterit dici, subintelligi aliquam conditionem; vel considerari dispositionem causarum secundarum. Ita Lessius. Quibus addo, quod Ciues Ceilæ, ignorantes aduentum Saulis, non poterant habere tunc talem dispositionem, vt secundum illam potuerit Deus Respondere Dauidi, quod essent illum tradituri Sauli; & quamuis eam habuissent: tamen debuisset illa durare vsq. ad aduentum Saulis, vt haberet effectum; ergo debuisset Deus cognoscere, quod illa esset duratura vsq. ad Saulis aduentum; quod omninò contingens fuisset, & sic nulla solutio. Respondetur ad loca adducta in præcedenti solutione.

11 Est alius locus etiam Illustris allatus à Lessio n.8. Hier.38. Cum Hieremias suasisset fugam Sedechiæ Regi ad Babilonios, Respondet Rex. *Sollicitus sum propter Iudæos, qui transfugerūt ad Caldæos, ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi.* En timor Regis, spectata causarum dispositione; & cognitio quædam coniecturalis. Sed Respōdet Hieremias; *Non te tradēt, audi quæso vocem Domini*; vbi si tantum Hieremias, ex eadem causarum dispositione, hoc respondisset Regi; nulla responsio; sed certè indubitāter respondet, certificans Regem, id nequaquam futurum, si transiret ad Caldęos; & eodem cap. habetur. *Hæc dicit Dominus exercituū: si profectus exieris ad Principes Regis Babilonis; viuet anima tua; & Ciuitas hæc non succendetur igne, & saluus eris tu, & domus tua*; ergo ex his, & alijs sacræ Scripturæ locis, Alius locus Sacr. Script. pro nostra sententia. Hierem.

qui

qui videri poſſunt apud recentiores, ſatis manifeſtum eſt; Deum reuelaſſe in ſacra Scriptura multa futura contingētia conditionata; & ex conſequenti, illa nouiſſe; & non incertitudinaliter, ſed infallibiliter, & euidenter; & hæc ſit prima ratio pro noſtra ſententia.

§. V.

12 SEcundò poteſt probari authoritatibus Sanctorum Patrum; ſed illæ breuitatis cauſa videri poſsūt apud Doctores pluries citatos; illud tamen mihi certiſſimum ſemper fuit, eos loqui eodē prorſus modo, quo Scriptura ſacra loquitur; præſertim Auguſtinus hanc certitudinem ſcientiæ futurorum contingentium cōditionatorum multis locis apertè indicat; & præſertim lib. illo 1. ad Simplic. q. 2. ferè per totam; vbi paſſim docet, gratiam efficacem cauſam eſſe, qua ſic hominem vocat, ſicut nouerat cōſenſurum. Vnde cum dicit Auguſtinus. *Cuius Deus miſeretur, ſic eū vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem nō reſpuat*; en ſcientia conditionalium: ſi ſic vocat hominem, quomodo cognoſcit, & ſcit, reſponſurum; ergo etiam cognoſcit, & ſcit, eadem infallibilitate, quod ſi aliter vocet, non conſenſiet; & ſic paulo ſupra dixerat, *Ad alios autem vocatio quidē peruenit, ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* Ex quibus verbis colligitur, inanem eſſe aliquorum reſponſionem ad verba Auguſtini, cuius meminit Leſſius n. 10. nempè, Deum ſic vocare, ſicut nouit hominem ſequuturum: ita vocat, ſicut nouit ſe facturum, vt homo ſequatur; ſicuti ſi quis diceret, Chriſtum vocaſſe Lazarum, ſicut ſciebat ipſum reſuſcitandum: quia ita vocabat, ſicut ſciebat ſemet facturum, vt reuiuiſceret. Hęc .n. interpretatio eſt prorſus contra mentem Auguſtini; nam ſi ipſe dicit, *Deum ſic hominem vocare, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat*; & iuxta aptitudinem, & contemperationem vocati, reſpectu vocationis. Quis, adhuc cęcutiens: quis adhuc indoctus non intelligat, Auguſtinum ſemper in hiſce verbis prærequirere aptitudinē, congruitatem, diſpoſitionem ex parte ipſius voluntatis vocatæ; & iuxta aptitudinem, & exigentiam eius illam Deum vocare ſic, vel ſic, ne vocantem reſpuat? Dicere autem, eodem modo eſſe intelligenda Auguſtini verba; ſicut, ſi quis diceret, Chriſtū vocaſſe Lazarum, ſicut ſciebat ipſum reſuſcitandum; quia ita vocabat, ſicut ſciebat ſemet facturum, vt reuiuiſceret, & ita vocare hominem, ſicut nouit ſequuturum; quia ita vocat ſicut nouit, ſe facturum, vt ſequatur; neſcio quo pacto poterit arbitrij vocati ſaluari libertas; cū quicquid ſequitur ex hac ſuppoſitione, quod Deus efficaciter ſit facturus; non liberè, ſed neceſſariò ſequatur: hoc eſt, ita vt nullo prorſus modo à voluntate valeat impediri; & ſicut, Chriſto vocante Lazarum, non erat in poteſtate Lazari reſurgere, & non reſurgere; reuiuiſcere, & manere in morte: & non vocante, nulla erat in eius poteſtate, reſurgere; ita, Chriſto vocante, non eo modo, quo hi Doctores dicunt; ſed alio non efficaci, peccatorem iam mortuum vita ſpirituali, nullo pacto in eius eſt libertate, etiam ſi aliter ſit vocatus, ſaltem ſufficienter, reſurgere à culpa; & eo vocante, eo modo, quo ſciuit ſe facturum, vt reſurgeret; nullo etiam pacto in eius erit libera poteſtate reſurgere, vel non reſurgere; ſed neceſſario reſurgeret; falſa ergo prorſus eſt hæc ſolutio, & contra mentem Auguſtini. Ad exemplum autem de vocatione Lazari, facilè reſpondeo; diſparem omninò eſſe rationem vtriuſq. vocationis: Lazarus .n. mortuus merè paſſiuè (vt ita dicam:) ſe habuit, reſpectu vocationis Chriſti; ſiquidem nullam prorſus habuit actiuitatem ad ſuam reſurrectionem; ſed abſolutè, tanquam vnicæ, & totali cauſæ, tribuenda eſt Chriſto vocanti. Aſt vocata voluntas non ſe habet merè paſſiuè reſpectu ſuæ reſurrectionis ad vitam ſpiritualem; ſed etiam actiuè: non tamen ſine gratia Chriſti, eiuſq. vocatione, vnde extat dictū Auguſtini, *Qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*; & aliter dicere, hæreſis eſt damnata in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. vnde reſurrectio peccatoris à culpa non eſt tribuenda ſolum vocationi, tanquam vnicæ, & totali cauſæ; ſed etiam ipſi, & voluntati ſimul, actiuè conſenſienti, & operanti, opere gratiæ excitantis, & cooperantis opera diſponentia ad vitam ſpiritualem conſequendam. Leſſius nu. 11. citat multos alios Sanctos Patres, qui hoc idem manifeſtè fatentur, & docent, quos breuitatis cauſa omitto.

[Margin notes: 1. noſtra ſententia probatur ex Auguſtino P. noſtro. — Refellitur quædam interpretatio aliquorum. — Aug. — Tridens.]

13 Non-

§. VI.

Tertio loco nostra sententia probatur rationibus.

13 Nonnullas congerit rationes ad hoc idem probandum, idem Lessius à nu. 13. & deinceps, inferens nonnulla absurda ex opposita sententia, vt videre est apud ipsum, & alios recentiores citatos supra: sed in re tam certa, seu saltem, quæ omnibus certa esse deberet, triplici tantum breuiter ratione vtar; quarum prima sit, ex inconuenienti desumpta: quia si in Deo non poneretur hæc scientia conditionalium, tolleretur infallibilitas prouidentiæ diuinæ in ordine ad creaturas liberas, quod sic probo; supponendo pro vi huius sequelæ antecedentis, tanquam certum; Diuinam prouidentiam, in omni prorsus rigore, non solum moraliter esse infallibilem, sed quocumque alio modo possibili, & certo, sicut infallibilis est ipsemet Deus. Aliter enim sentire de eo absurdissimũ esset. Quo posito, probatur illa sequela antecedentis: si Deus non cognosceret infallibiliter, quid hic, & ille homo esset facturus in his, vel illis circumstantijs, non posset infallibiliter prouidere illis, iuxta fatum à se præfixum: ergo tolleretur infallibitas diuinæ prouidentiæ, & consequenter prædestinationis. Antecedens probatur. Ponamus enim, quod Deus velit, Petrum saluare per cooperationem liberam voluntatis ipsius. Tunc sic arguo. Deus non præcognoscit infallibiliter, quid Petrus sit facturus liberè, si ponatur in his, vel illis circumstantijs? ergo Deus nescit, in quibus circumstantijs debeat illum ponere, & gubernare tota vita, vt infallibiliter, per suas operationes liberas consequatur vitam æternam; quia in quibuscumque circũstantijs decernat illum, potest esse, vt fallatur Deus, & non sequatur effectus.

Prima.

2 Ratio.

14 Secunda ratio sit: quia impossibile est dare medium inter contradictoria: si ergo ponatur Petrus v. g. in his circumstantijs, in quibus excitatur ad aliquod opus; vel operabitur, vel non operabitur: ergo intellectus infinitus Dei, qui omni modo comprehendit omnem creaturam, poterit certò cognoscere, quid Petrus determinatè facturus sit in illis circumstantijs. Probatur consequentia, quia nulla veritas potest latere diuinum intellectum: sed hæc est aliqua veritas, quod Petrus vnum ex his determinatè faciet; ergo certò cognoscetur à Deo. Maior huius probationis vltimæ certissima est, cũ eodem prorsus modo diuinus intellectus se extendat ad omne verum, sicuti diuina voluntas ad omne bonum apprehensum & omnipotentia ad omne possibile; & immensitas ad omnia spatia immaginabilia: & æternitas ad omne tempus. Minor autem probatur à Lessio ex Augustino libr. de bono perseu. cap. 14. super illa verba Matt. 11. *Si in Tyro, & Sidone, &c.* Sed potest à nobis sic roborari facilè: hæc propositio conditionalis, *Si Petrus in talibus, & talibus circumstantijs positus in Pratorijs Pontificum, & aliorum Iudicum Gentilium, & Hebreorum, sequẽs captum Magistrum, vt finem videat, hoc modo ter fuerit tentatus; antè secundum Galli cantum, ter erit Dominum negaturus.* Hæc inquam propositio, antè quam Christum negasset, erat vtique verissima: Euentus enim rei non facit, vt incipiat res esse vera; sed potius eius latentem veritatem detegit, & patefacit; omnis propositio de futuro, si vera sit, est ab æterno vera, ergo in propositione conditionali, quacumque, (cum non sit maior ratio vnius, quàm alterius;) vnũ erit è duobus determinatè verũ, saltem obiectiuè, & per consequẽs necessè est, quod à Deo clarè, & distinctè cognoscatur, quantum est præcisè ex vi suæ causæ liberæ, positæ in illis circumstantijs.

Less. Augustin.

§. VII.

15 Tertia ratio sit, & efficacior, quã tangit quidam Recentior in suis manuscriptis: Supponendo prius, quod Deus antequam quicquam intelligatur velle ad extra, cognoscit, scientia simplicis intelligentiæ, euidenter, & infallibiliter omnes creaturas possibiles, & omnem modum possibilitatis earum, v. g. non solum cognoscit esse possibilem creaturam aliquam; sed etiam cognoscit esse possibilem, siuè à se ipso Deo immediatè, siuè ab Angelo, siuè ab alia creatura, liberè, vel necessariò operante.

3. Ratio.

Nota bene

16 Item cognoscit, actum charitatis esse possibilem à voluntate humana, necessariò agente, vt est in cęlo, & liberè agente, vt est in terra: & consequenter cognoscit, eundem actum charitatis esse possibilem cum necessaria connexione ad voluntatem; vt scilicet, illa posita in talibus circumstantijs, necessariò, quantum est ex vi sua, trahat secũ talem actum

Item nota.

actum; & etiam non cum necessaria connexione ad talem actum, sed solum cum infallibili; ita vt, posita eadem voluntate in alijs circumstantijs; non quidem necessario, sed solum infallibiliter, quātum est ex vi sua, trahat secum illum effectū. Quod sic vlterius euidenter probari potest; quia de facto voluntas humana, in aliquibus circumstantijs posita, infallibiliter trahit secum illum effectum, & non necessariò simpliciter; qualis est voluntas præmota per gratiam congruam: sed esse, quod de facto est, sicuti est, in aliquo priori signo fuit possibile; ergo possibilis fuit actus charitatis cum infallibili connexione ad voluntatem humanam, ita dispositam: ergo Deus in eo priori signo, in quo cognouit omnia possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ, & omnem modum possibilitatis eorum, cognoscit consequenter, esse possibilem voluntatem humanam in quibusdam circumstantijs cum infallibili connexione ad actum charitatis, quantum est ex vi sua. Et idem dico de alijs operationibus liberis, etiam malis, ad quas nulla peculiaris gratia requiritur. *Quæ* doctrina certa esse deberet omnibus; quandoquidem in ea nil asseritur, nisi quod Deus, in aliquo priori signo rationis, videat omnes res futuras, tāquam possibiles, & omnem modum, quo de facto futuræ sunt, tanquam etiam possibilem; necesse autem est, Deum in quodam priori signo videre omnia possibilia, & omnē modum possibilitatis eorum.

Ex his notabilibus efformatur ratio efficax pro nostra sententia. 17 Hoc ergo posito, sic efformatur tertia nostra ratio. Vel idem est dicere, vel certè euidēter connexa sunt hæc duo, s. voluntatem Petri esse possibilem in quibusdam circumstantijs repeniri, in quibus infallibiliter sit cōnexa, ex vi sua, cum actu charitatis; licet non necessariò: seù cum infallibili connexione ad talem actum cum illis circumstantijs; & cognoscere infallibiliter talem actum, si voluntas ponetur in illis circumstantijs: sed Deus euidenter cognoscit primum illud, quod reuera est aliquid possibile; ergo & secundum: min. supponitur ex dictis in præsupposito; ma. est ita euidens, vt non indigeat, nisi explicatione terminorum; quia, esse hanc voluntatem possibilem cum his circumstantijs infallibiliter connexam cum tali actu, est, esse voluntatem dispositam trahere secum infallibiliter talem actum; hoc. n. intelligimus per eam propositionem; & sine dubio, hoc est aliquid possibile; ergo si ponatur ea voluntas, ita disposita, trahet secum infallibiliter illum actum; sed hoc est, esse futurum conditionatum contingens, vt constat ex terminis, ergo.

Quomodo Deus cognoscat conditionata necessaria. 18 Et ex hac ratione intelligere possumus, quo pacto Deus infallibiliter cognoscat futura conditionata necessaria, v.g. quod si crearet alium Solem, ille illuminaret; quia s. cognoscit, esse possibilē, cum necessaria connexione ad illuminationem, ex vi sua; atquè adeo, si talis Sol poneretur, quantum est ex vi sua, sequeretur illuminatio.

Conf. 19 Et potest sic illa ratio confirmari facilè. Si Deus alicui reuelaret, quod est possibile, reperiri voluntatem Petri in talibus circumstantijs, in quibus infallibiliter sit connexa cum actu; ille procul dubio eo ipso euidenter sciret, quod si talis voluntas poneretur in illis circumstātijs, infallibiliter sequeretur ille actus, quantum est ex vi sua; quia illæ duæ propositiones solo explicandi modo differunt; cum ergo Deus euidenter cognoscat primam, cognoscet & secundam. Adde ad hæc: futurum conditionatum non esse aliud, nisi aliquid merè possibile, sub quodam determinato modo possibilitatis, sed Deus infallibiliter cognoscit omnia possibilia, & omnem modum possibilitatis eorum, ergo & hæc futura.

§. VIII.

2. conclusio. 20 EX dictis sequitur secundum nostrum dictum; nimirum, hæc futura conditionata non cognosci a Deo in suo decreto, seù prædefinitione, sed potius in se ipsis; tanquam aliquid in se ipso possibile; & etiam in suis proximis, & completis causis possibilibus; quatenus videt, esse possibiles proximas causas, ex vi sua, exigentes, & infallibiliter connexas cum his effectibus; sicut diximus de futuris absolutis; licet id secundariò: nam primario, (in probabiliori opinione D. Tho. quam supra annuimus, & explicauimus) ea videt Deus in sua Essentia, tanquam in primario obiecto, repræsentāte omnes creaturas possibiles, & omnem modum possibilitatis earum; vnde cum cętera possibilia cognoscit, videt etiam hæc. Quod dictum est contra alios Thomistas, qui concedentes infallibilem scientiam futurorum conditionatorum in Deo; docent, non tantum Deum prædifinuisse suis decretis quidnā

Nota modū dicendi quorundam Thomistarum.

abso-

absolutè sit futurum; sed & quidnam, quacunquè hipotesi facta fieri deberet, Impugnatur. Quæ sententia videtur docere quandam implicantiam euidentem; si .n. euentus est prædefinitus ab æterno, iam non erit effectus conditionalis liber, sed necessarius; nimirum, ex suppositione Diuini decreti, quod cum conditione externa est connexum; v.g. hæc erit necessaria (*Si sie vocauero Petrum, sequetur*;) quia vocationi coniunctum est decretum, quo efficaciter, & absolutè consensus eius est volitus, & prædefinitus, ex quo necessariò sequetur; ergo est quædam implicantia asserere, conditionales liberas cognosci à Deo in suo Diuino decreto.

Nota hanc doctrinam Lessij. 21 Sed animaduertenda summoperè pulchra doctrina Lessij n. 19. quod absolutè futura pendent à decretis Dei liberis, quibus voluit causas creare, & eas in tali rerum ordine ponere; vel tales eis occasiones dare, aut permittere; idcirco omnes actus liberi absolutè futuri possunt præsciri à Deo, & re ipsa sunt præsciti in decretis liberis, supposita eorum præscientia conditionata; nam per præscientiam conditionatam, ante omne decretū, sciebat certissimè de singulis actibus liberis, tàm malis, quàm bonis in particulari, ipsos futuros tali tempore, loco, modo, &c. si causas liberas crearet; & in tali rerum ordine collocaret; vnde hoc ipso, quod vult causas liberas creare, & in tali rerum ordine constituere, nouit absolutè, istos actus futuros; posita .n. hipotesi sui decreti, præscientia conditionata transit in absolutam; & hoc modo dici potest, quod Deus præscit futura in determinatione suæ voluntatis, suisq. decretis; non quibus decreuit, vt omnia sic fierent; sed quibus decreuit causas creare, & tales dispositiones circa illas ponere, vel permittere; sic, cum sciret Petrum negaturum, si permitteret illum poni in illo discrimine, & tentari; hoc ipso, quo voluit permittere, sciebat hoc absolutè futurum; ita Less. loc. cit.

3. conclusio. 22 Et hinc etiam colligere liceat tertium nostrum dictum; nimirum, hanc Dei cognitionem, qua hæc futura conditionata libera nouit, pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ, qua (vt supra vidimus) possibilia omnia intuetur; cum .n. hæc futura, eorumq. principia, causæ, & reliqua ad illa spectantia repræsententur à Diuina Essentia, vt possibilia, non possunt ad visionis scientiam pertinere, qua videt Deus futura, vt futura in aliqua temporis differentia: siquidem præsupponit decretum Diuinæ voluntatis; possibilium, autem notitia illud antecedit.

CAPVT III.

Quo nomine hæc scientia debeat appellari?

Sententia Molinæ de scientia media. 1 QVo nomine autem peculiari debeat appellari scientia hæc? Quæstio quidem de nomine est. Molina, & ferè omnes doctissimi viri eiusdē Societatis, illam, *Mediam*, appellant; & sic, triplicē statuunt in Deo scientiam; naturalem .s., liberam, & mediam; siuè, simplicis intelligentiæ, visionis, & mediam. Naturalem, cuius obiectum est omninò necessarium, nullo modo depēdens à libertate Dei, vel creaturæ; vt notitia Essentiæ Diuinæ, & eorum omniū, quæ in illa eminenter, vt possibilia continentur. Liberam, cuius obiectum dependet à decretis Dei liberis; qualis est scientia visionis, vt supra diximus, & explicuimus nos: Mediam tandem scientiā vocant hi Doctores, quæ versatur circa obiectum, cuius veritas non pendet quidem absolutè à decreto Dei libero; cum illud potius anticipet, & præueniat; pendet tamen à libertate creaturæ: & sic docent, hanc scientiam partim conuenire cum naturali; cum ex parte subiecti sit omninò necessaria; siquidem Dei libertatem præuenit; partim etiam cum libera: ex parte .n. obiecti, libera est: & talem esse notitiam omnium actuum liberorū, (& eorum, quæ his sunt necessariò cōnexa,) qui re ipsa nunquā sunt futuri; tamen possent esse futuri, posita certa conditione mentem excitante.

2 Cæterum, licet subtilissimè sit hæc media scientia inuestigata, & non sine fundamento: tamē, iuxta modum dicēdi, quem vsq. adeo sectari sumus; illam, primò dicimus, absolutè pertinere ad notitiam simplicis intelligentiæ, quæ tendit ad rem possibilem, vt possibilem: quod autem effectus futurus conditionatus sit possibilis, à causa libera, siuè à necessaria, siuè quomodocunquè, parum interesse videtur: sufficit, quod sit effectus possibilis, nunquam tamen futurus.

3 Poterit etiam congruo nomine appel-

Hęc scientia conditionatorum liberorum potest appellari prę scientia conditionata.

appellari, pręscientia conditionata, vel conditionalium; nam licet, propriè, & in rigore, sola scientia visionis, qua futura, vt futura prævidentur, dicatur præscientia; tamen cũ aliquo addito, poterit optimè & hæc, præscientia dici: nempè, futurorum ex hypotesi; seu præscientia conditionata, vel conditionalium; quod si ponatur conditio in rerum natura, iam transiret in præscientiam absolutam, & futurorum, qualis est scientia visionis; licet etiam possimus eodem nomine illam appellare: quid enim absurdi est, eam dicere mediam, siue quocumq. alio nomine, adhuc nouiter excogitato, dũmodo sanus, & integer sensus rei, inuariatusq. permaneat? siue igitur dicatur media, siue præscientia conditionalis, siue quomodocumque, dummodo pro scientia media intelligatur id, quod nos explicauimus, parum refert.

Noua diuisiones scientię & subdiuisiones.

4 Verum, si velimus propriè de hac scientia philosophari, eamque sub suo immediato genere, & in propria specie collocare; dicendum existimo, Dei scientiam, in genere, duplicem esse; nempè simplicis intelligentiæ, & visionis, (vt dictum est.) scientiam autem simplicis intelligentiæ esse adhuc diuidendam, in scientiam simplicis intelligẽtiæ conditionatam; quæ, scilicet, terminatur ad possibilia conditionata: & in scientiam simplicis intelligentię absolutam, quæ terminatur ad possibilia sine conditione: & hoc modo euaditur omnis difficultas, & periculum, quod aliqui recentiores ponunt in nomine scientiæ mediæ.

Obiectio.

5 Sed dices: Deus per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscit, nisi res necessarias, & quæ aliter se habere non possunt: propterea enim ea scientia dicitur naturalis, & necessaria; sed futura conditionata contingentia aliter se habere possunt absolutè, & simpliciter: quamuis enim, si poneretur Petrus in talibus circumstãtijs, facturus esset hoc: posset tamen illud non facere, ergo, &c.

Solutio.

Respondeo, distinguendo maiorem. Potest enim aliquid dupliciter esse necessarium. Primò, in sua possibilitate, quia, scilicet, necessariò est possibile, sicut cognoscitur. Secũdo, in sua existentia, quia .s. fit aliquis effectus necessarius: ad hoc, ergo vt aliquid cognoscatur à Deo per scientiam naturalem, satis est, sit necessarium primo modo; & ità Deus per scientiam simplicis notitiæ, non solum cognoscit possibilia necessaria; sed etiam possibilia contingentia, & omnem modum possibilitatis eorũ. Dicitur autem hæc scientia, necessaria, etiam vt terminatur ad possibilia contingentia, quia nullum supponit actuale liberum decretum voluntatis Dei.

Corollarium D. Thom.

6 Collige ex dictis, Diuus Thom. cum sæpè docet, Deum cognoscere futura contingentia propter præsentiam ad æternitatem: loqui in illis locis, de futuris, quoad eorum existentiam, secundum quod sunt simul in se ipsis; atque adeo, de scientia visionis. At verò futura conditionata non cognoscuntur hac scientia, neque sunt, nisi merè possibilia, determinato quodã modo: Ad cognoscenda autem possibilia, non est necesse, vt ea sint pręsentia æternitati.

CAPVT IV.

Soluuntur argumenta in contrarium.

§. I.

1. Obiectio.

1 SED possunt esse aliqua argumenta, quæ videntur militare contra hanc sententiam, & sic illa soluenda remanẽt, pro exacta dilucidatione eorum, quæ de hac re statuimus. Sit ergo primum argumentum, desumptũ ex Scriptura sacra Exod. enim 14 Deus ita loquitur ad Moysen, *Si non audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis: quod si nec duobus his audierint, credent tertio.* Ex quibus verbis videtur Deus dubitasse, & anceps fuisse, quid futurum, vel non futurum esset ex illis signis? Respond. ex hoc loco nil prorsus colligitur nam ea futura non fuere conditionata, sed absoluta, quia re vera futura erant illa signa; & ita Deus absolutè sciuit, quod fuit futurum ad quælibet signa. Illo ergo modo loquendi significauit Deus, non omnes fore credituros primo signo, sed quosdam secundo, & tertio, quod explicauit modo illo loquendi vsitato.

Exod.

Solutio.

2. Obiectio.

2 Secundo obijcies multa loca Sanctorum Patrum, in quibus videntur negare Dei præscientiam rerum, quæ nunquam futura sunt, etsi futura essent, po-

sita aliqua conditione: hoc videtur manifestè inter alios indicare Augustinus de prædestinar. Sanct. c.14. vbi sic habet. *Hae est tota causa; cur dictum est: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est n secundum pericula vita huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod non futurum erat.* Quid hoc loco clarius adduci potest pro contraria sententia? & idem ferè docet lib.1. de orig. animæ cap.12. contra eos, qui dicebant, Deum permittere, vt aliqui infantes moriantur in peccato originali; quia præuidit, eos futuros fuisse malos, si viuerent: vbi negat, Deum habuisse huius rei præscientiam. Et idem videtur asserere Prosper in epistola ad Augustinum, cuius occasione cōscripsit librum *de prædestinat. Sanctorum*; & idem videntur etiam sentire uonnulli alij Patres.

Aug.

3 Respondeo ad hæc, & alia loca Patrum, & præsertim Augustini, eos loqui de præscientia absoluta; quæ, in rigore, dicitur præscientia, quæ terminatur ad futurum, vt futurum; qualem esse, diximus, scientiam visionis futurorum; non autem de præscientia, cum addito; nempè, *conditionata*; immò & illam admittūt libenter Patres; præsertim Hieron. loco supra adducto c.2. Ezech. Theodoret. Cirill. Damasc. & alij citari à Lessio cap.19. n.11. & c.20. nu.5. Item Augustinus lib.9. de prædestinat. Sanctor. de hac loquens, multoties vtitur verbo, *præsciēdi*, & *præscientia*.

Solutio vniuersalis ad modos loquēdi Patrū.

Theod Ciril. Damasc.

4 Et ad locum Augustini, in particulari, Respondeo; extitisse illis temporibus quosdam Catholicos, quos Augustinus non nominat: creduntur tamen fuisse, Massilienses; qui dicebant, paruulis morituris conferri baptismum propter merita, quæ erant habituri, si mansissent in vita: alijs non conferri, propter similia demerita; & sic docebant, paruulos, propter merita, vel demerita, quæ Deus præsciebat illos habituros, si vixissent, consequi, vt cū baptismo, vel sine baptismo exeant ex hac vita; & contra hos agit Sāctus Pater lib. cit. c.12.13. & 14. docens, eos multum errare; siquidem homo solū debet iudicari ex ijs, quæ gessit; non ex ijs, quæ nunquam gessit; licet potuisset agere; vel facturus fuisset, sub aliqua conditione, nunquam tamen fecit; vt c.12. idem Augustinus. Deindè, quod re ipsa nunquam est futurum, non potest præsciri futurum; nam hoc nihil est aliud; quā non futurū esse futurum, quod implicat; vt eodem loc. idem Augustinus insinuat, cum ait: *Sed vnde hoc talibus viris in mētem venerit, nescio; vt futura, qua non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum*: itaq. meritò Sanctus Pater negat, illa esse præscita; nempè, absolutè, & per scientiam visionis; sicut merita, & demerita præscita esse debent. Et eodem modo intelligendus est D. Prosper, qui ista D. Augustino proposuerat; cuius verba sunt. *Sed in tantum quibuscunquè commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt præterita, qua non extant; futura qua non sint futura, contingant: nouoq. apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

Ad Aug.

M. Massilienses.

Prosper.

§. II.

5 Obijcies tertiò: hæc futura conditionata non habent determinationem in se ipsis, neq. in suis causis; ergo non sunt determinatè vera; & ex consequenti, non poterunt infallibiliter præsciri à Deo. Respondeo, huiusmodi futura non habere determinationem actualem in se ipsis; sicuti futura absoluta; neq. in suis causis existentibus; habere tamen determinationem possibilem in se ipsis, & in suis etiam causis proximis possibilibus; non quidem determinationem, quæ opponatur libertati; sed quæ opponatur non exigentiæ (vt diximus de futuris absolutis:) nam omnia, quæ habent futura absoluta, secundum suam actualitatem, habent illa in suo esse possibili: atq. hæc etiam est ratio; cur Deus videat; quod, si Petrus poneretur in his circumstantijs, potius faceret hoc, quam contrarium; quia infinita sua intelligendi vi ita comprehendit voluntatem creatam, vt videat, quid in tali casu ex se ipsa esset factura: neque in hoc est maior difficultas, quàm in futuris absolutis; nam eodem modo potest quæri; cur Deus videat Petrum tali die potius hoc facturum, quam aliud? certè non est alia ratio; nisi quia supponitur Petrus illud facturus, vi suæ libertatis, quā necesse est Deum apprehendere; vt supra vidimus: eodem ergo modo cognoscit Deus determinatè, quid Petrus faceret in quibuscunq. alijs circūstātijs: & nota, iuxta superius dicta, quod hoc est cognoscere effectum conditionatum liberum futurum, quantum est ex vi causæ præcisè, & non simpliciter, & absolutè:

3. obiectio.

Solutio.

luee: nam si Deus nollet concurrere, adhuc posita conditione, non sequeretur effectus; quare ad hoc, vt dicatur cognosci simpliciter, & absolutè; necesse est, cognoscatur decretum Diuinum, de volendo currere, iuxta exigentiam voluntatis liberæ creatæ.

6 Neq. alia alicuius momenti argumenta occurrunt contra nostram sententiam. Illud solum, ad calcem huius dubij, notandum est; quod licet aliquando in sacra Scriptura videatur significari alicuius rei euentus, spectata ipsius rei dispositione; non tamen inde licet colligere vniuersaliter, nullam fieri mentionem in sacris literis de scientia futurorum conditionatorum liberorum; huius. n. oppositum satis patet ex superioribus.

Nota.

7 Adde, satis mihi persuasum esse, D. Th. huius fuisse sententiæ, vt expresse præsertim colligi potest, ex eo, quod dicit super illum locum Matt. 20. *Quid hic statis tota die otiosi?* vbi ait. *Vnde nouit Dominus, quod si antè vocasset eos, non stetissent.* Et idem colligere solent sectatores huius sententiæ ex 3. p. q. 1. art. 5.

D. Th. huius fuisse sententiæ.

Finis Quodlibeti Decimitertij.



QVODLIBETVM DECIMVMQVARTVM.

De Diuina Prædeſtinatione.

DISPVTATIO PRIMA.

Quid ſit prædeſtinatio, & in quo conſiſtat? & pariter in quo ſita ſit Reprobatio?

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur neceſſaria, pro tituli explicatione, & nonnulla prædeſtinationis deſcriptiones.



§. I.

1 

DE Prædeſtinatione diſputat D.Thomas, & eum eo Recentiores omnes par.1.q.23.Antiquiores verò Theologi cum Magiſtro in 1.diſt.40.41.& 42. & pro huius nominis *Prædeſtinatio*, eorumq. quæ de illa tractanda breuiter ſunt à nobis, faciliori intelligẽtia ſciendum ex D. Thoma in 4.diſt.40.q.1.art.1.in eorpore; quod Prouidentia in communi accepta, eſt veluti quædam ars gubernationis rerum, per quam, ſcilicet, intellectus rectè cognoſcit, poſito hoc, vel illo fine, quæ media ſint adhibenda, vt ſufficientia, & neceſſaria ad aſſequutionem illius: vndè quia Deus omnibus ſuis rebus, iuxtà ſuos fines, media ſufficientia prouidit; hinc dicitur omnium rerum habere prouidentiam. Hæc autem ars gubernationis poteſt non ordinari ad aſſequutionem operis; & ſic conſiſtet in ſola ſpeculatione; ſicuti, ſi artifex haberet quidem artem faciendi aliquid, ſed non ordinaret hanc ad operandum. Secundo, poteſt ordinari ad aſſequutionẽ operis, & ſic connotat, primò, voluntatẽ finis: ſecundo, voluntatem dandi talia media ad illum finem requiſita. Pôt aũt finis intentus à prouidente eſſe duplex; Primus, connaturalis rei, quę talem finẽ acquirere debet; & qñ talis eſt finis, tũc res ad illum finem naturaliter ordinata, non dicitur propriè deſtinata ad illum, ſed connaturaliter ordinata: Nam deſtinare propriè, eſt aliquid efficaciter ordinare ad aliquem finem vltra rationem, & exigentiam ſuã; (& hic eſt alter finis) ſicuti dicitur: Sagitta deſtinari à Sagittario ad talem ſcopum, quo, præter ſuã naturam, mittitur, vt aduertit D.Thom. art.1.in eorp. & ad primum in 1.par. q. 23.& loc.cit.in 4.art.2. licet interdum latius ſumatur, Deſtinatio, pro quacũq. ordinatione ad finem; & quia deſtinatio præcedit in intellectu ante aſſecutionẽ operis: hic dicitur Prædeſtinatio; vndè colligitur, homines, & Angelos propriè dici prędeſtinatos, quia sũt ex illis multi, ex

D.tho.

Magiſt.

Quid Prouidentia.

Quid deſtinare?

Vnde dicatur Prędeſtinatio.

ex diuina prouidētia, efficaciter ordinanati ad finem ſupernaturalem Beatitudinis; Cætera verò, quæ pertinere poſſunt ad hæc vocabula, *deſtinandi, & prædeſtinandi*, legi poſſunt apud Doctores infra citandos.

Prędeſtinatio, pars prouidentiæ.

2 Cumque Prædeſtinatio, (vt conſtat) ſit quædam pars prouidentiæ, nempè, præordinatio quædam creaturæ rationalis in finem Beatitudinis; neceſſariò in ſuo conceptu includere debet hęc omnia. Primò, infallibilem Dei ſciētiam, per quam cognoſcat, hæc, vel illa media eſſe apta ad perducendas has creaturas infallibiliter ad ſalutem, quam infallibilem notitiam Deus habet per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, etiam ex ea parte, qua complectitur ſciētiam conditionalium, (vt ſupra explicauimus.) Secundo, connotat, voluntatem efficacē perducendi creaturas ad talem finem; & conſequenter, voluntatem efficacē dandi talia media, quæ pręuiſa ſunt efficacia, & infallibiliter connexa cum tali fine; vndè ſi Deus haberet ſolam ſcientiā, qua cognoſceret, hæc media fore efficacia ad illum finem, non tamen haberet voluntatem efficacem dandi talia media, tunc non diceretur homo prædeſtinatus; & ſi Deus haberet voluntatem dādi huiuſmodi talia media, ſed neſciret illa fore efficacia ad ſalutem; neque ille homo eſſet prędeſtinatus, prędeſtinatione infallibili, qualem decet eſſe diuinam. Ex qua explicatione facilè intelligi poſſunt multæ deſcriptiones, quæ, tum à D. Th. tum ab alijs dantur de Prædeſtinatione, videlicet: *Quod prædeſtinatio ſit certa ratio ordinis, per quam rationalis creatura efficaciter tranſmittitur in vitam æternam*, vt colligitur ex D. Th. 1. p. q. 23. ar. 1. in corp. ſeù: *eſt ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam, in mente diuina exiſtēs*; vt habetur ibid. ar. 2. in corp. ſeù: *eſt præparatio beneficiorum Dei in mente diuina præexiſtens*: vt habetur ibid. ad tertiū, & aliæ huiuſmodi, quarum aliquę magis, aliquæ minus explicant completam rationem prædeſtinationis.

Quid in conceptu Prędeſtinationis includatur.

Deſcriptiones Prędeſtinationis ex D. Thoma.

§. II.

Integra deſcriptio prędeſtinationis.

3 INtegra autem deſcriptio ſic videtur formari poſſe: *Prædeſtinatio eſt efficax præparatio, & præordinatio beneficiorū ad ſalutem æternā, infallibiliter aſſequēdam, in mente diuina exiſtēs.* & coincidit cū illa Aug. lib. 2. de bon. perſeu. c. 14. vbi dicitur: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberātur: quicūq. liberātur.*

August.

In noſtra aūt deſcriptione, per illas particulas *præparatio, & præordinatio*, tria ſignificantur. Primo, cognitio beneficiorum, quæ Deus ab æterno præparauit. Secundo, efficax volitio dandi illā. Tertio, anteceſſio prędeſtinationis ad exequutionem ipſius. Per ea verò verba (*Beneficiorum ad ſalutem æternam infallibiliter acquirendam*) explicatur finis talium beneficiorum, & obiectum talis præparationis, cum infallibili connexione ad inuicem. Per vltima verò verba magis explicitè declaratur, quod hæc præparatio non eſt per modum diſpoſitionis formæ ignis, quæ dicitur, præparatio paſſiua: ſed eſt per modum præſciētiæ, & deſtinationis in mēte, & voluntate artificis, quæ dicitur, præparatio actiua: Nam aliud eſt, prędeſtinatio; & aliud, exequutio prædeſtinationis. vt benè aduertit D. Tho. q. 23. cit. art. 2. & in 4. ad tertium.

Explicatur.

D. Thom.

4 Ex qua doctrina ſoluitur difficultas, quam facit D. Th. d. ar. 2 & alibi: *An ſcilicet prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato?* Solutio verò, breuiter, in hoc conſiſtit, quod prædeſtinatio dupliciter accipi poteſt. Primo, ratione ſui. Secundo, ratione obiecti. Primo modo nil dicit in prædeſtinato, ſed actum increatū in Deo prędeſtinante, vt ex dictis patet. Secundo modo, dicit aliquid in prædeſtinato; nēpè, receptionem beneficiorū, & gratiarum, per quas in vitā æternā ordinatur. Vndè vlterius infert D. Th. art. illo 1. in 4. quod, prædeſtinatio denominat Deum per modum formæ intrinſecæ, ſicuti intelligere denominat intellectum. Prædeſtinari verò denominat creaturā per modum formę extrinſecæ; ſicut, intelligi, denominat parietem; neq. hac in re eſt particularis difficultas: atq. hæc quidem ex D. Th. communiter recipiuntur ab omnibus; ſicut & illud, quod ipſe probat art. 1. q. 23. cit. .ſ. quod multi homines prædeſtinātur à Deo, quod ex fide certum eſt: & ratio eſt manifeſta, quia certum eſt, multos homines ſaluari per auxilia gratiæ, quę à Deo illis tribuūtur: quidquid autem Deus facit in tempore, neceſſariò intellexit, & voluit ab ęterno; ergo Deus ab ęterno voluit dare his hominibus auxilia gratię talia, per quę infallibiliter cōſequerentur ſalutem, quod eſt, illos prædeſtinaſſe.

An prędeſtinatio ponat aliquid in prędeſtinato.

Prędeſtinatio denominat Deum.

Prędeſtinari verò creaturam, & quomodo.

CAP.

CAPVT II.

In quo actu principaliter consistat prædestinatio; intellectus ne, an voluntatis?

§. I.

Exponitur titulus. 1 Hoc posito: difficultas aliqua est: quid dicat, velut in recto, & essentialiter, prædestinatio; An operationem intellectus, connotando in obliquo operationem voluntatis; an è contra; an tandem ex æquo, & pariter vtramque? Et licet hæc quæstio, magna ex parte, existimetur esse de nomine: tamen etiam aliquid refert in hac re scire nominum vsus; & quid in posterum sub tali, & tali nomine intelligendum sit?

Prędestinatio dicit duplicem volũtatẽ Diuinã. 2 Ad intelligentiam ergo difficultatis; notandum, quod prædestinatio, quæ (vt vidimus) secundum omnes, dicit ordinationem, & præparationem beneficiorum Dei ad finem Beatitudinis; dicit voluntatem Diuinam efficacem, sub duplici terminatione; atq. adeo, duplicem volitionem Diuinam, ex modo nostro concipiendi, in ordine ad obiectum: Primò, voluntatem, qua Deus vult prædestinatis efficaciter vitam æternam gloriæ, quæ dicitur, salus æterna. Et hæc, proprio vocabulo, dicitur à Theologis, Electio hominum ad salutem; quæ secundum D.Th. loc.cit.1.p.art.4.& alibi, veluti duplicem conceptum habet; Dilectionis, & Electionis: est .n. Dilectio, quatenus est amor, quo Deus efficaciter vult his hominibus hoc bonũ salutis; & est Electio, quatenus Deus vult his salutem prę alijs; & secundum priorem conceptum, est aliqua ratione prior ad se ipsum, secundum posteriorem. Secundò, dicit volitionem, qua Deus vult efficaciter exequi media, quæ præordinauit his electis ad cõsequutionem salutis; & demum dicit prædestinatio, ex parte intellectus, ipsam præordinationem, & infallibilem notitiam cõnexionis mediorum cum tali salute. Dubium ergo est; an in hoc tertio solum formaliter, & in recto consistat prædestinatio: an in solo actu volitionis, vel priori, vel posteriori: an verò in his omnibus, aut aliquibus? Multos Authores in varias sententias refert Vasq.p.1.disp.84. qui in eam partem inclinat, vt prædestinatio, in recto, dicat actum vltimum volitionis explicitum. Aliquos etiam citat Valẽtia in hac materia puncto 2. Molin.disp.2. Suar. lib.1. de prædestin. qui existimat, omnem opinionem posse defendi; & alij etiam recentiores; sed cum hæ omnes opiniones probabiles censeantur, sequamur nos D.Th. sententiam.

(Margin: D.Th.; Quid dicat ex parte intellectus.; Sensus quæstionis.; Varietas opinionũ Vasq.; Val. Mol. Suar.)

§. II.

1. conclusio. 3 Quatè dicendum primò, quod volitio efficax Dei dandi gloriam his, vel illis hominibus, quæ proprio vocabulo dicitur, Electio; non potest dici propriè prædestinatio; ita D.Th. expresse loc.cit. 1.p.ar.4.& q.6.de verit.ar.1.& in 1.dist.41.q.1.ar.2.& alibi; & ratio huius congrua esse potest; quia destinare non est: velle alicui aliquem finem, (vt colligimus ex ipso vocabulo destinationis;) sed est, supposita voluntate finis, aliquem dirigere, & ordinare ad talem finem assequendum; vnde non dicitur propriè sagittarius destinare occisionem feræ; sed intendere: Destinare autem sagittam ad occidendam feram. In casu ergo nostro, voluntas, qua Deus vult homini salutem, nõ erit propriè destinatio: sed intentio finis, & electio hominis: Prædestinatio autem erit præparatio, & præordinatio mediorum ad assequendum talem finem: Dixi tamen (*propriè:*) quia, latè sumpto vocabulo; posset etiam talis electio dici destinatio hominis in talem finem; & ex hac diuersitate vocabuli, sine dubio originem habent hæ opiniones; sed quandoquidem possumus has rationes distinguere; melius omninò est, vt distinguamus; cum ergo, secundum hanc nostram doctrinam, dicuntur aliquando prædestinati, esse illi, qui sunt electi à Deo ad salutem; hæc definitio non erit formalis, vt dicitur, sed causalis; quia electio est causa prædestinationis; seu, vt aliqui putant, erit definitio per effectum; aliqui.n. existimant, electionem esse effectum prædestinationis.

(Margin: D.Th.)

2. conclusio. 4 Dicendum secundò: prędestinatio formaliter consistit in scientia approbationis mediorum ad consequendam infallibiliter beatitudinem; quæ propriè dicitur efficax præordinatio, & præparatio beneficiorum Dei; atq. ita, in recto, & veluti primariò, dicit actum infallibilem diuini intellectus, præordinantis media; connotat tamen essentialiter, & intrin-

trinsecè actum voluntatis circa eadem media, vt concausam in ordine ad talem effectum, & sine quo non esset scientia approbationis; ex his ergo duobus, tanquam ex principijs intrinsecis, integratur totum significatum nominis, *prædestinatio*; connotatur etiam voluntas finis, quæ est electio; sed vt quid extrinsecum, & in priori signo rationis præsuppositum: connotatur etiam præscientia absoluta futuri euentus; sed vt quid consequens, quod pertinet ad scientiam visionis; vnde diuerso modo connotatur electio, & scientia visionis; & diuerso modo volitio efficax mediorum. Et hanc existimo esse mentem D.Tho. in hac materia: nam expressè art. 1. & 4. & alibi ponit, prædestinationem esse actum intellectus; quod autem prædestinatio includat actum voluntatis efficacem, vt côcausam ad suum immediatum effectum; probatur ex eodem D.Th. in corp. 1. ar. vbi ait, prædestinationem, ex parte sui, addere, supra prouidentiam, actum voluntatis, his verbis; *Sed prædestinatio importat prouidentiam, secundum quod est ordinata ad assiquutionem operis per voluntatem, & ideo definitur per propositum, & per præparationem, &c.* Quam rē benè explicat D.Th. q. illa de veritate in corpore art. cit. & idē indicar in solutione ad 1. & 2. eiusdem art. 2. & dist. 41. q. 1. art. 2. ad 1. hæc habet: *Prædestinatio dicit actum voluntatis, absolutè, qui consequitur ordinem sapientiæ Diuinæ: Electio .n. Diuina est, qua aliqui ex ordine Diuinæ sapientiæ ordinātur ad finem beatitudinis; sed prædestinatio est secundum quod præparantur eis ea, qua per ducūt in finem; & ideo, sicut voluntas ordinans in finem præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ ducunt in finem; ita electio prædestinationem præcedit;* Vbi D.Thom. alio modo vult, voluntatem, & propositum mediorum includi in prędestinatione, quam cõnotetur electio: nam hæc connotatur, vt antecedens; illa verò, vt quid intrinsecum prædestinationi. Et q̄stione illa de veritate art. 1. ad 7. docet, prædestinationem nō esse quamnis præscientiam; sed præscientiam eam practicam, quę necessario includit volitionem; (vt diximus de scientia approbationis;) vnde si aliquando D.Tho. dicit, prædestinationem consistere in solo actu intellectus; intelligendus est secundum id, quod dicit primario, & in recto; sicut scientia practica, & scientia approbationis; quæ tamen essentialiter includunt actum voluntatis, vt ordinantur ad opus. At verò prædestinatio (secundum D.Tho.) dicit præscientiam, vt ordinatam ad opus.

§. III.

5 Dices: hæc ordinatio, & dispositio mediorum in mente Diuina pertinet ne ad scientiam visionis, an ad scientiam simplicis intelligentiæ? Respondeo, cum hæc scientia sit causa, secundū D.Th. non pertinere, nisi ad scientiam simplicis intelligentiæ; secundum quod, per connotationem voluntatis, est sciētia approbationis; sicuti vniuersaliter supra diximus; scientiam, quæ est in Deo per modum artis, esse ipsam scientiam simplicis notitiæ; neq. hic est aliqua peculiaris difficultas in hac re. Vnde idem D.Th. dist. 40. q. 1. art. 2. in corp. distinguit prouidentiam, in qua consistit prædestinatio, à pręscientia absoluta futuri euentus, quę consequitur ad prædestinationē; quomodo autem prædestinatio sit posterior electione, dicam infra. Petitio. Responsio.

6 Et ex his patet solutio ad multa argumēta, quæ ab alijs fieri solent, ex eo, quod interdū prædestinatio diffiniatur, vel explicetur, siuè in Scripturis sacris, siuè in Patribus, per aliquam operationē voluntatis; vt cum dicitur; *Prædestinatio est propositum, & voluntas, &c.* tales .n. diffinitiones sunt per essentialia connotata, vel intrinseca, vel extrinseca. Solutio generalis ex dictis ad multa quę obijci possunt.

7 Demum colligitur, omninò sine fundamento asserere aliquos, D.Th. existimasse, hunc actum intellectus, in quo consistit prædestinatio, non esse actum cognitionis, sed quendam actum Imperij, continentis cognitionem: cum tamen vbiq. satis clarè loquatur D.Thom. nam quod ipse docet art. 4. prædestinationem consequi actum voluntatis eligentis, & esse pręceptiuam mediorum; longè aliud est, quàm hi tribuunt D.Th. qui nil aliud ibi voluit; nisi, prædestinationem esse prouidētiam, & præscientiam quandam practicam, per modum prudentiæ, ordinantis media in finem; & hoc est, esse pręceptiuam; & nihil præterea; & propterea supponere electionem finis, in ordine ad quem præcipiat media; quare quicquid hi contra putatam sententiam D.Thom. probant, non facit contra ipsum; & hæc quantum ad intelligentiam primæ partis puncti propositi; nempè, quid sit, & in quo consistat prædestinatio? Et quia valdè conducit ad notitiam vnius oppositi, Actus hic intellectus ex mente D.Th. est actus cognitionis. Et quid sit apud ipsum; prędestinationem esse pręceptiuā mediorū.

noti-

notitia alterius; videamus secundum pũ-ẽti membrum; quid sit reprobatio?

CAPVT III.

Quid sit reprobatio?

§. I.

Reprobatio quomodo etiã sit pars prouidentiæ.

1 PRo quo notandum, quod reprobatio, quatenus opponitur prædestinationi, est etiam prouidentiæ Diuinæ pars; licet soleat etiam à Doctoribus, hoc nomen, alijs modis vsurpari; tamẽ, sic prout est pars Diuinæ prouidentiæ, vt accipitur à D.Th.art.3.) vsurpetur, ita explicari potest, cum quadã proportione ad prædestinationem; sicuti .n. prædestinatio duo dicit, Primum, rationem mediorum in mente Diuina, per quæ aliqui infallibiliter consequantur vitam æternam: & præterea, propositum efficax dandi talia media; ita reprobatio includit duo; vnũ in intellectu Diuino, l.f. rationem, & præscientiam futuri aliquorum defectus ab æterna felicitate per ipsorum peccata. Et præterea, voluntatem permissiuam talium peccarorum. Et ex his duobus integratur ratio reprobationis, prout opponitur prædestinationi, quæ vnico vocabulo dici potest, ratio permissiua cadendi, & moriendi in peccato, in mente Diuina præexistens. Dicitur autem Reprobatio pertinere ad prouidentiam Diuinam; non quia Diuina prouidentia esse non possit sine hac permissione: sed quia illi non repugnat permittere talem euentum, qué potest Deus ordinare ad ostensionem iustitiæ suæ, puniẽdo taliter peccata; & ad alios huiusmodi bonos fines; maximè quia talem permissionem interdum exigit vis libertatis creatæ, natura sua, defectibilis.

1. acceptio nominis Reprobationis.

Alia Reprobationis acceptio.

2 Aliquando reprobatio accipitur pro voluntate puniẽdi æterna pęna peccatores morientes in peccato; nam quicquid Deus in tempore facit, ab æterno, aliqua ratione, voluit; cum ergo in tempore puniat hos peccatores; ab æterno voluit illos ita punire. Et hæc voluntas dicitur Reprobatio, & tunc effectus reprobationis erit, immediatè, ipsa dãnatio passiua; cui in electis Respondet, Beatificatio, & sic opponitur Reprobatio Beatificationi; & hæc acceptio est valdè communis inter recentiores: immò hoc putant esse præcipuum significatum huius vocabuli Reprobationis; & D.Tho. ar.3.in fin.corporis, etiam docet, talem voluntatem includi in Reprobatione; & de hac videtur loqui in responsione ad primum.

Alia acceptio.

3 Aliqui etiam accipiunt Reprobationem, prout opponitur electioni, supra explicatæ, quæ antecedit prædestinationem; & sic nil erit aliud Reprobatio, nisi, non electio ad gloriam; seu voluntas nõ eligendi efficaciter aliquos ad gloriam; de quibus rebus infra dicam, cũ erit sermo de causis prædestinationis, & reprobationis; nunc sufficiat tradidisse varias eius acceptiones; & quomodo sumpsit eam loco cit. D.Th.& qua ratione putauerit, pertinere ad prouidentiam Diuinam; non .f. per modum rei per se intentæ, & volitæ: sed solum permissæ; & non ordinando per se media ad damnationẽ: sed permittẽdo, vt aliqui deficiant à medijs ordinatis ad salutẽ; vnde iustè Deus, voluntate solum consequẽti, velit eorum damnationem, in pęnam peccati; & ita facilè intelligentur loca sacræ Scripturæ, & Patrum, in quibus Deus dicitur, neminem velle perire; ex hoc .n. posset aliquis inferre, quod neminem reprobet: tamen illa loca intelliguntur, de voluntate antecedẽti, & absoluta; non autem de voluntate permissiua, consequente, & conditionata.

Cur Reprobi non dicantur prędestinati ad pęnã, sed pręsciti.

4 Colligitur ex hoc etiã; cur reprobi non dicantur propriè prædestinati ad pęnam æternam; sed solum dicantur præsciti? Ratio .n. est; quia Deus non intendit talem pęnam, voluntate antecedenti; vnde moueatur ad applicanda media ad talem finem; quod esset propriè, destinare homines ad talem finem: sed solum id vult voluntate consequenti; posita præscientia peccati finalis; & propterea Reprobi dicuntur solum, præsciti, vocabulo, veluti generico.

§. II.

1. obiectio.

5 SEd posset esse hoc loco duplex difficultas. Prima, ex eo, quod diximus in prima acceptione huius vocabulis, *Reprobatio*, secundum D.Th. quod nil aliud sit, quam ratio permissiua cadendi, & moriendi in peccato, in mente Diuina præexistens; ex hoc .n. sequi videtur, quod reprobatio non posset esse causa damnationis, nisi sit causa peccati: nam per-

permissio respicit immediatè peccatum; quare si non est causa peccati, non est causa damnationis; & si est causa damnationis, erit etiam causa peccati; quod est contra D.Th. qui vult esse causam dānationis, non tamē peccati. Secunda difficultas: quia videtur absolutè permissio esse causa peccati; saltem sicut remouēs, prohibens; sicut.n. qui subtrahit impedimentum lapidi, & permittit, vt cadat, dicitur causa per accideus illius motus; ita Deus subtrahendo gratiam efficacem, & permittendo, quod homo cadat, videtur dici posse causa peccati, per accidens; maximè, quia nisi Deus permitteret peccatum, nunquam homo peccaret.

2. obiectio.

Ad 1. resp. Permissio peccati neq. culpę, neque pęnę causa est.

6 Cęterum facilis est vtriusq. solutio, & ad primam Respondeo: Reprobationem (secundum D.Th.) non solum dicere permissionem peccati, sed etiam connotare voluntatem consequentem Diuinam puniendi tale peccatum; sine qua, de facto, nullus homo esset reprobus; & ratione huius connotati, putauit D.Th. reprobationem esse causam damnationis q. cit. a 3. art. 3. circa responsionē ad 3. nam reuera voluntas Dei de puniēdo peccatore est causa punitionis: nequè hæc voluntas mali pęnæ, supposito peccato, repugnat Deo: Reprobatio ergo, prout præcisè dicit permissionem peccati, non est causa neq. culpæ, neq. pęnæ.

Ad 2.

7 Ad secundam difficultatem dico, Reprobationē nullo modo esse causam peccati, neq. etiam per accidens; & quidem, si accipiatur Reprobatio, vt dicit voluntatem consequentem puniēdi peccata; cum hæc supponat peccatum, non poterit esse eius causa: si verò accipiatur pro permissione peccati; in quo est difficultas; neq. etiam vt sic est causa: nam ille dicitur causa per accidens, qui subtrahit præexistens impedimentum, quo sublato, ex necessitate sequitur effectus; vnde, duo requiruntur ad hanc causalitatem; primò, vt impedimētum præexistat, aut vi sua præexisteret, nisi tolleretur. Secūdò, vt, eo sublato, ex necessitate sequatur effectus; at verò vtrunq. deest in nostro casu; nam Deus nulli subtrahit gratiam efficacem præexistentem, aut quæ naturaliter deberet præexistere: sed solū aliquibus non dat: ille autem, qui non ponit impedimentum, cum posset, nunquam est causa phisica effectus; sed ad summum potest esse causa moralis, si teneatur ponere impedimentum. v.g. ille, qui videt ignem comburere, & nō extinguit, cum posset, non dicitur esse causa phisica combustionis, neq. per se, nequè per accidens, vt certum est apud Philosophos; sed esset causa moralis, si teneretur extinguere, & non extingueret; & cōsequenter Deus, ex eo, quod non ponat omne impedimentum peccato, non poterit dici causa phisica; neq. etiam causa moralis; quia non tenetur omne impedimētum ponere; sed sufficit, si impediat prohibendo, &c. ita .n. exigit natura hominis, & gubernatio illi conueniens; quarè ex hoc capite Deus neq. causa phisica, neq. moralis est peccati, siuè per se, siuè per accidens. Deest etiam in casu nostro alia conditio ad causam per accidens: Deus .n. non subtrahit impedimentū, quo sublato necessariò sequatur peccatum; cum peccatum liberè fiat ab homine; vnde ille, qui mane aperit portas Vrbis, non potest dici causa cur Petrus egrediatur ex Vrbe; etiam si non egrederetur, si portæ essēt clausæ: quia ille egressus ab Vrbe fuit à libera voluntate Petri; & potuisset nō esse, etiam apertis ianuis: diceretur tamen ianitor causa moralis; si debuisset non aperire fores. Ex quibus omnibus infertur, Deum, in quantum permittit peccatum, nulla prorsus ratione esse causam peccati; sed perditionem nostram ex nobis esse.

Permissio peccati neq. per accidens causa peccati est.

8 Atq. ex hoc patet; quod Reprobatio nil subtrahit à potentia reprobati; vnde non possit gratiam consequi, & non peccare; nam permissio peccati supponit potētiam liberam; & expeditam ad non peccandum, si velit. Vnde infert D.Th. loco cit. quod hæc propositio; (*Reprobus non potest saluari*:) est solum ex necessitate conditionata, & consequenti; nempè, ex suppositione, quod reprobus moriturus sit in peccato; & ita præuisus; sicuti hæc alia propositio (*Prædestinatus nō potest damnari*) intelligitur de possibilitate consequenti, & conditionata; hæ verò necessitates, & impossibilitates nūquam tollunt libertatem, sed potius eam supponunt, vt docent omnes Theologi.

Reprobatio nil subtrahit à potentia Reprobi.

D.Th.

DISPVTATIO SECVNDA.

An electio ad Gloriam intelligi debeat, in aliquo priori signo, esse in Deo, quam sit prædestinatio, vel è contra?

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur aliqua necessaria pro tituli explicatione.

Duplex modus possibilis procedendi Dei in nostra prędestinatione.

1 Mouent hanc difficultatem Recētiores super art.4. q.23. citatæ; & pro intelligentia not. est; quod,in vniuersū, dupliciter possumus intelligere se habuisse Deum in hoc negotio glorificationis hominum. Primò

1.modus.

vt voluerit, voluntate quadam antecedenti,omnibus communi, omnes homines saluos facere,neminem eligendo,aut excludēdo; quæ voluntas sit affectus quidam simplicis complacentiæ;non autem efficax omninò voluntas respectu illius; secundò, quod Deus prouiderit his omnibus hominibus media ad talem salutē; sed aliquibus efficacia, aliquibus verò sufficientia; atq. adeo hæc prouidentia, respectu eorum, quibus efficacia media præparauerit, dicitur, prædestinatio, respectu verò aliorum, sit simplex prouidentia. Tertiò demum,cognitis meritis prædestinatorum, quæ sunt effectus prædestinationis, sequatur, veluti in vltimo signo, voluntas eligendi hos ad gloriam, & damnandi cęteros,propter eorum peccata; sic.n. prædestinatio esset prior electione ad gloriam.

2 Alio modo possumus intelligere Deum, hoc pacto, in hoc negotio se gessisse; primò quidem,vt voluntate antece-

2.modus.

denti voluerit omnes homines saluos facere, sed aliquos, efficaciter; alios verò, non efficaciter; & ita primos eligat, relictis secundis.Secundò disponat,& prouideat de medijs: sed,respectu primorum, prouideat media efficacia;& sic eos prædestinet; respectu verò aliorum,sola sufficientia, & permittat illos peccare; demum postea, illos beatificet: positis eorum meritis; hos verò damnet: hoc.n.pacto electio præcederet, & esset, veluti causa prædestinationis; atq. hi quidem sūt duo modi vniuersales, in quibus possunt varij particulares reperiri, quos, infra tangam:quo ergo modo se Deus gesserit in hac re, quærimus, sicuti idem petit D.Tho.ar.4.cit.& cum eo recentiores omnes.

3 Not. præterea, hanc quæstionem non fieri propriè, nisi inter illos, qui aliqua ratione distinguunt electionem à prædestinatione; seu volitionem finis, & volitionem mediorum; nam sunt aliqui, qui confundunt electionem, & prædestinationem; & ita,secundum hos,non potest fieri,quæstio: An electio ad gloriam sit prior præparatione mediorum ad eādem gloriam;an è contra? Sed reuera hi Authores nihil dicunt: nam,quicquid sit de vocabulis, etiam ipsi tenentur Respōdere ad hanc quæstionem: quandoquidem in obiecto voluntatis Diuinæ illa duo reperiuntur ad inuicem ordinata. Similiter hæc quæstio non est ad inquirendum; an in priori aliquo signo rationis intelligatur in Deo voluntas saluandi omnes homines, & in posteriori signo,prædestinatio? Omnes.n.in hac re conuenimus; & supra, ex ipso nomine prædestinationis, ostendi, quod prædestinatio supponat intentionem finis; sed quæstio est, an voluntas illa antecedens, in eo priori signo, sit voluntas efficax respectu aliquorū; & ita sit reuera electio; an verò sit simplex quædam complacentia,æqualiter se habens ad omnes; ita,vt vera electio non sit, nisi post prædestinationem.

Status quæstionis.

CAP.

CAPVT II.

Referuntur tres sententiæ, & verior eligitur, explicatur, & probatur.

§. I.

1. sententia. 1 PRima ergo sententia est, dicentium, in priori signo rationis fuisse prædestinationem hominum, quam efficacem eorũ electionem ad gloriam; iuxta primum modum explicatum; aliquos pro hac sententia citat Suar. loc. cit. nu. 14. vt Argent. Bonau. & Alex. quod etiam docet Molina super illũ art. 4. D. Th. disp. 1. n. 8. circa medium; eamq. sententiam fusius defendit Vasq. eod. loco disp. 89. per totam; & dicit, esse multorum Recentiorũ: eamque defendunt omnes Theologi; qui simpliciter affirmãt, electionem ad gloriam esse ex præuisis meritis, vt absolutè futuris; quo titulo defendit eam Vasq. cum .n. hæc merita sint effectus prædestinationis, si electio est post merita, erit post prædestinationem. Et quamuis hæc quæstio, ex modo, quo illã tractat Vasq. videri posset alicuius momenti; tamen re vera nullius momenti est in hac materia; sed merè philosophica: nam difficultas propria huius loci est, an hoc totum negotium sãctificationis, & glorificationis sit ex meritis, nec ne? quicquid sit, an voluntas sanctificandi sit prior voluntate glorificandi, vel è contra? & propterea existimo, antiquos Authores nõ multum hac in re laborasse.

Suar. Argent. Bonau. Alex. Mol. Vasq.

2. sententia. 2 Secunda sententia est, aliquos insignes prædestinatos, vt B. Virginem; & similes, fuisse, prius quidem, efficaciter electos ad gloriam, & postea prædestinatos; reliquos verò fuisse prius prædestinatos, & postea electos; ita Ocham. Gab. & Cathar. quos citant Vasq. disp. 90. & Suar. loc. cit. nu. 28. sed reuera hi sine fundamento loquuntur, nam tùm argumenta propriæ sententiæ, tùm tertiæ, si quid probant, de omnibus probant, vt infra videbimus.

Ocham. Gab. Cathar. Vasq. Suar.

3. sententia. D. Th. 3 Tertia sentẽtia expressè est D. Th. loc. cit. & sæpè alibi, locis supra citatis; .s. in omnibus prorsus prædestinatis, electionem efficacem ad gloriam intelligi diffiniri in priori signo, quàm intelligatur eorum prædestinatio. D. Tho. sequuntur Suar. loc. cit. & omnes Thomistæ: Valentia super illum art. 4. puncto 2. Caiet. Bañes, & alij, & omnes illi, qui putant, electionem ad gloriam non esse ex præuisis meritis; & quamuis, vt dixi, hæc res prçcisè parum referat ad præsentẽ materiam: tamẽ existimo probabiliorem sententiam D. Tho. & conformiorem bonæ Philosophiæ.

Suar. Val. Caiet Bañes.

§. II.

4 AD solutionem difficultatis, not. est id, quod sæpè aduertit D. Th. in his .s. quæstionibus; non esse difficultatẽ; an in Deo sint plures volitiones, quarum vna sit prior, & alia posterior; vt est in nobis; cum certum sit, Deum vnica, & indiuisibili volitione omnia voluisse, quę voluit; quod sic explicatur. Cognouit Deus, in priori quodam signo rationis, ab æterno, ante quam intelligatur quicquam liberè voluisse; cognouit, inquam, per scientiam simplicis notitiæ, omnem rerum possibilitatem; atquę ideo cognouit, inter cętera, esse possibilem hũc modum; cum omnibus prorsus suis circumstantijs, momẽtis, conditionibus, & connexionibus causatum, & effectuum; sicuti de facto huc vsq. fuit, & erit in æternũ; in qua scientia includitur cognitio futurorum contingẽtium conditionatorum, vt omnino pertinens ad scientiam naturalem; & quamuis multos alios, & infinitos eorum ordines cognouerit, in quibus res alio modo se habuissent; tamen, præ omnibus, hunc ordinem elegit, & ita, vno simplicissimo, & immutabili actu volitionis suę, voluit hunc ordinem rerum cũ omni illa variatione, dependentijs, causalitatibus, & euentibus, quæ in ipso sunt, fuerunt, & erunt: sed quia in hoc obiecto adæquato voluntatis suæ infinitæ sunt rerum dependentiæ, & causalitates ad inuicem; hinc fit, vt distinguere possimus in Deo, veluti plures volitiones, nõ quidem ratione sui, sed ratione terminationis ad creaturas; & ita quærimus; An Deus hoc; vel illud prius voluerit? .i. an eius voluntas, in priori aliquo signo rationis, intelligi debeat terminari ad hoc obiectum, quam ad aliud? & in hoc sensu nunc quęrimus; an prius fuerit in Deo voluntas electiua Beatorum, postea verò prædestinatio, an è contra?

Deus vna simplicissima volitione vult omnia, quę vult, explicatur hoc.

Quomodo possit duplex voluntas efficax ad idem obiectum referri, nota aliquot exẽpla.

5 Nota secundò, ad explicandam doctrinam D.Thomæ, secundum ea, quæ nobis nota sunt euidenti lumine naturę; quod sæpè contingit in nobis, vt circa aliquod obiectum, & finem, duplex volitio referatur, vtraq; efficax. Prima, quæ verè, & propriè fit electio. Secunda, quæ sit retributio. Prima, quæ fit omninò gratis. Secunda, quæ propriè fit ex iustitia; cuius rei multa afferri possent exempla; sed offeram aliqua. Primum est, si aliquis Paterfamilias vellet mittere operarios in vineam suam, ad hunc finem, vt per ipsorum laborem accipiant debitam mercedem, & luctentur, & viuant; & hoc faceret ex misericordia: non quia eorum opera indigeat; esset autem multa copia operariorum, & ipse non omnes vellet mittere, sed aliquos. In hoc homine, duplex hæc volitio necessariò requiritur. Prima, volitio efficax eligendi hos, & nõ alios ad hunc finem retribuẽdi illis mercedem post laborem; posito autem ipsorum labore, sequitur in eodem Patrefamilias alia voluntas, debita ex iustitia, per quam dat vnicuique mercedem, iuxta opus suum. Prima voluntas est omninò gratis, & antecedens ad merita, vt patet consideranti: Secunda est consequens ad merita; atque adeò, ex iustitia. Prima est verè, & propriè electio, quia per illam segregãtur quidam ab alijs, sine vlla, prorsus, antecedente causa in ipsis. Secũda, non est propriè electio, quia iam supponuntur merita, & debitum in Patrefamilias ad præmiandum potius hos, quã alios; posito autem, quod aliquis sit debitor aliquibus, non dicitur, nisi valdè impropriè, eligere creditores, quibus soluat debitum, propter hoc ipsum, quia iam supponuntur esse determinati quidam, quibus, propter causam antecedentem, potius determinatur solutio, quàm alijs: vndè, proprio vocabulo, hæc dicitur voluntas retribuẽdi, & soluendi; non autem electio. Secundò, similiter, si Princeps eligat, sponte sua, aliquos milites, inter multos, quibus proponat ludos militares, & & præmia victoribus; voluntas hæc prima, & antecedens dicitur verè electio, & est sine vllis meritis; immò potius est causa meritorum; volũtas autem, per quam, posita victoria, distribuit premia, est voluntas consequens, & ex iustitia, & non est propriè electio, sed premiatio, & retributio. Similiter tertiò, si aliquis gratis eligat vnum hominem, cui permittat, se daturum centum nummos ex pacto; voluntas hæc verè gratuita est, & electiua. Posita autem conditione, voluntas illa, qua dat centum nummos, non est propriè electiua, sed solutiua, & est consequens, & ex iustitia. Et huiusmodi similes casus quotidie occurrunt inter homines. Eodem ergo modo existimauit D.Thom. Deum se gessisse erga electos, qui saluantur cum cooperatione liberi arbitrij; vt in priori illo signo, in quo voluit, voluntate antecedẽti, omnes homines saluos fieri, aliquos efficaciter elegerit, vt salutarentur, media ipsorum cooperatione; postea verò, ex vi huius electionis, præparauerit media efficacia ad talem cooperationem. Tertiò demum, positis ipsorum meritis, voluerit glorificare; quæ vltima voluntas aliquo modo est ex iustitia, & non est per se propriè electio, sed retributio, & glorificatio. Prima autem voluntas efficax, & antecedens, in quantum connotat prædestinationem subsequentem, est propriè efficax electio; quia per illam efficaciter aliqui diliguntur quæ ceteris, nulla præcedente in ipsis causa.

1 exemplum (margin, at "sed offeram aliqua")

2 exemplum (margin, at "electio. Secundò")

3 exemplum (margin, at "tributio. Similiter tertiò")

6 Not. tertiò, quod quamuis vtraq; hæc volitio, in his, & similibus casibus, respiciat, & ordinetur ad retributionem mercedis per merita; nam voluntate antecedente Deus vult dare gloriam per merita, seù propter merita: diuerso tamẽ modo vtraque voluntas comparatur ad merita; Prima enim, & antecedens volũtas comparatur ad merita, vt ad effectũ suum; eligit enim Deus homines, vt der illis merita, & gloriam per merita; & ità merita sunt effectus illius voluntatis; At verò voluntas consequens non respicit merita, vt effectum suum, sed potius, vt quid antecedens, & causam eiusdem voluntatis ad dãdam mercedem; & propterea dicitur voluntas consequẽs, quia supponit merita; & ijs positis, respicit ex iustitia collationem præmij, quæ est eius effectus. Similiter in exẽplo Patris familias: Voluntas illa antecedens electiua non præsupponit operarum labores, sed potius est eorum causa: Voluntas autem consequens supponit merita operariorum, & respicit retributionem, & propterea, in his casibus, prima volũtas, licet respiciat merita, est omnino gratuita; secunda est ex iustitia: Ad hoc enim vt voluntas non sit gratuita, debet præsupponere merita, non aũt esse illorum, atq; hæ res diligenter aduertendę sunt, ad soluendas multas æquiuocationes, quibus vtuntur aduersarij.

Tam voluntas antecedens, quam consequens respiciunt merita diuerso tamen modo.

§.III.

§. III.

Conclusio D.Th.

7 His positis, dicendum est cum D.Th. præter voluntatem consequentem, quam Deus ab æterno habuit, veluti ex iustitia, dandi gloriam hominibus habentibus merita; quæ propriè appellatur voluntas præmiandi, & retribuendi, ex suppositis meritis; necessariò intelligi debet in Deo alia voluntas antecedens, per quam efficaciter, & gratis eligat aliquos, qui per bona opera futura ex eorum prædestinatione consequātur salutem; quæ volitio sit antecedens ad prædestinationem, & omninò gratuita. In hac conclusione conuenimus cum aduersarijs, quod detur volitio in Deo consequēs, quæ supponat merita, & prædestinationem, & sit ex iustitia; solum probāda est alia pars, quod; scilicet, detur alia volitio antecedens ad hanc, quæ sit efficax volitio salutis aliquorum, antecedens prædestinationem, & non sit sola illa complacentia simplex, qua Deus antecedenter, vult omnes saluos fieri.

Nō potest efficaciter probari cōclusio authoritatib. Sacr. Script. quę facilè soluuntur ab aduersarijs.

8 Probari autem solet, & potest primò hæc sententia ex sacris Scripturis, & Patribus, ijs locis, quibus significatur, electio hominum esse gratuita, & nō ex meritis. Sed quamuis hæc loca verè faueant nostræ sententiæ; tamen facilè soluuntur ab aduersarijs, intelligentibus illa de electione, prout est immediatè ad gratiam, & merita; sic .n. inquiunt, est gratis; & vt sic dicitur electio hominum ad gloriam esse gratis; & ita est illud Ephes. 1. *Elegit nos, vt essemus Sancti, &c.* Neq. efficaciter hac via possumus contra illos arguere; quia, reuera, voluntas illa antecedens; quæ secundum nos est electio ad gloriā, est etiam communiter electio ad gratiā dādam per prædestinationem; vnde possunt facilè effugere hos textus: nam ex ijs re ipsa nihil aliud certi habemus, nisi, quod hoc negotium salutis nostræ, tandem in Dei gratiam, vt in primam causam, reduci debet; quod autem hæc peculiaris gratia incipiat ab electione, vel à prædestinatione, inuestigari nō potest, nisi per principia philosophica.

D.Pau.

Probatur ratione conclusio.

9 Probatur ergo secundò efficacius nostra sententia; quia non implicat contradictionem, intelligere in Deo voluntatem antecedentem efficacem, qua velit, vel omnes homines saluos facere per merita danda; vel certè aliquos à se præfixos, eo modo, quo de facto nos ponimus: sed in tali casu duo sequerentur; primum, quod electio, seu dilectio efficax esset, antecedens ad prædestinationem, & esset omninò gratuita, & retributio ipsa gloriæ esset omnino ex meritis, & non esset propriè electio. Secūdò sequeretur, quod Deus in tali casu idem prorsus faceret, quod nunc facit, circa prædestinatos, & electos, & eodem modo prorsus se haberet; ergo de facto nunc electio est prior prædestinatione, & gratuita. Maiorem non probo, quia reuera non video, quam implicantiam contradictionis afferre quis possit ad illam negandam; vt colligi potest ex exemplis supra positis. Prima item pars minoris est nota ex terminis: secundam partem sic probo; quia, in illo casu, non possemus nos aliundè colligere talem voluntatem Dei antecedētem, nisi ex eo, quod videremus, Deū, affectu quodam peculiari, præparare aliquibus hominibus media efficacia ad salutem, ex hoc ipso fine, vt salutem consequantur; neq. .n. possibile est afferre aliquod signum ipsius voluntatis antecedētis: sed de facto totum hoc habemus circa prædestinatos: Deus .n. peculiari quadam dilectione præparat illis media efficacia, & maiora beneficia, in ratione beneficij, quàm cæteris; ergo de facto illud ipsum nunc est, quod tunc esset, quātum ad ordinem istarum volitionum; & consequenter, electio prior est prędestinatione.

10 Tertiò probatur idem ratione fūdamentali: quia volitio efficax mediorū, habentium infallibilem connexionem cum aliquo fine intento, necessariò supponit, pro aliquo priori signo rationis, voluntatem efficacem eiusdem finis; maximè si infallibilis illa connexio sit præuisa ab operante, qui verè operetur propter talem finem; sed prædestinatio includit efficacem voluntatem dandi media efficacia ad finem vitæ æternæ; & talis efficacia mediorum est præuisa, & volita à Deo, intendente salutem illorum hominum; ergo prædestinatio, in aliquo priori signo rationis, supponit efficacem volitionem finis. Et hæc est vis rationis D.Th. loc. cit. mi. est certa, & concessa ex dictis; maior deberet esse verè axioma Philosophorum, omni experientia, & ratione probatum; nam si aliquis homo vult medicinam, ad finem acquirendæ sanitatis, maximè si præuideat infallibiliter sequuturam sanitatem; necessariò intelligi debet in hoc homine, in priori, quodam signo rationis, efficax volitio

Item alia ratio fundamētalis.

sani-

sanitatis;reuera.n.volitio finis est causa volitionis mediorum; de qua re nemo vnquam dubitauit; atq. hoc argumẽtum probat, quod posito, quod Deus gratis prædestinauit electos,ex affectu particulari erga illos; impossibile est,quod electio non sit prior prædestinatione: quia voluntas taliter operantis prius intendit finem,quàm media.

§. IV.

Responsio Vasq. 11 AD hoc argumentum Respondet Vasq.disp.illa 89.c.13. Maiorẽ illam non esse veram,quando finis non est assequendus ab eo, qui finem desiderat alteri;sed ab altero;quia talis finis tũc dependet à voluntate eius, cui desideratur;& ita accidere in casu nostro.

Impugnatur. 12 Sed reuera,cum ea maior sit merè Philosophica, nõ video,q̃m Philosophorũ pro sua sentẽtia citare possit Vasq.atq. adeo hæc Responsio gratis dicitur: quãuis .n. possit cõtingere casus,vt qui finem alteri præcipit, aut consulit, aut dat media ad illum assequendum, non habeat efficacem voluntatem illius finis; immò etiam aliquando nullam; sed quemdam alium finem sibi proponat:tamen neque vlla apparens ratio est, cur etiam non possit habere efficacem volũtatem illius finis; vnde.s.dat media efficacia ad illum consequendum;& verè mouetur ex intẽtione illius finis, vt accidit in casu nostro. Et præterea quis dicat, quod Deus non habuit voluntatẽ efficacem,vt Christus redimeret homines, dum prædestinanit illum ad talem finem,& sic decet?

13 Neq. verum est, quod salus æterna non tàm sit finis Dei, quàm finis hominis; quamuis .n. sit finis hominis, in quantũm operatur ad illam consequendam:est tamen etiam finis intẽtus à Deo homini, quatenus dat illi media ad talẽ finem; sicuti sanitas non solum est finis ægroti,accipiẽtis medicinam; sed etiam medici præcipientis: nam de ratione finis non est, vt sit intentus ab operante solum sibi,sed vel sibi,vel alteri.

14 Id quod præterea mirum est: conatur Vasq. hanc suam opinionem confirmare authoritate D.Th. p.1.q.20.ar.3. vbi dicit, Deum non magis diligere vnũ, quam alium: quia interiori actu amoris vnum, quàm alium diligit, sed quia maius bonum vult vni,quàm alteri. Sed hoc nil prorsus est ad rem nostram; nam D.Th. eo loco loquebatur de efficaci dilectione,qua Deus diligit omnes creaturas,volendo vni bonum,& alteri alterum maius; vnde dicitur, vnam diligere magis,quàm alteram.

§. V.

15 DEmum probatur nostra conclusio ;quia certum est,in Deo intelligi debere voluntatem illam antecedentem, qua omnibus hominibus voluit salutem,(vt omnes conuenimus.) Hanc autem esse efficacem, respectu prædestinatorũ;(in quo discrepamus;)sic probo: quia ex hac voluntate sequutum est, vt Deus omnibus hominibus prapararet media ad salutem;cum hac tamen differentia,quod aliquibus praparauit media efficacia, non casu,& quasi insciẽ; sed sciẽter, & ex peculiari dilectione; vnde dicũtur prædestinati: alijs verò solũ sufficientia: ergo volitio antecedens, quæ est veluti causa prima mediorum,diuerso modo comparatur ad præscitos, & ad prædestinatos; hæc autem diuersitas non est, nisi in efficacia, respectu talium mediorum; ergo verè fuit in Deo volitio efficax antecedens prædestinationem;atq. hæc est magna differentia inter Deum, & homines; potest .n. homo,voluntate simplicis complacentiæ, absq. vlla alia efficacitate, respectu finis, velle multis hominibus aliquod præmium; & dare omnibus media eadem ad idem prẽmiũ, nescius futuri euentus; vnde sequatur, vt aliqui illud præmium mereantur, non autem alij;etiam præter intentionem ipsius; cum .n. non sit præscius futuri euentus,ea media,quæ dat omnibus,dat titulo æqualis beneficij; vnde ille homo neminem in particulati ex illis diceretur eligere;aut prædestinare ad illum finem; sed omnes eodem modo. At verò Deus, qui est præscius futuri euentus, & non potest tali notitia carere; eo ipso, quod dat media vni, quæ videt illi fore efficacia; alteri verò non dat talia,cum posset; necesse est, vt det illis titulo maioris cuiusdam beneficij; vnde dicitur illum prædestinare; & consequenter,debet supponi in Deo antecedens volitio finis,diuerso modo comparata in ordine ad vnum, quàm in ordine ad alium; hæc autem diuersitas non est, nisi penès efficaciam, vt explicatum est.

Alia ratio pro conclusione.

CAP.

CAPVT III.

Soluuntur obiectiones Aduersariorum.

§. I.

1. obiectio. 1 Sed contra hanc nostram sententiam obijcies primò: Deus nunquam dat gloriam adultis, nisi dependenter ex eorum meritis; ergo nunquam voluit dare gloriam, nisi dependenter ex meritis:& consequenter, non fuit ab æterno in Deo alia voluntas efficax, nisi dandi gloriam, dependenter ex meritis: sed talis voluntas supponit merita, & aliquo modo est ex iustitia: ergo in hac sola cōsistere potest electio.

Conf. 1. Et confirmatur magis directè ex hoc ipso; quia de facto nūquam Deus dat adultis gloriam, nisi per voluntatem, pertinentem ad iustitiam: ergo nunquam habuit aliam volūtatem, præter hanc: si .n. aliam efficacem habuisset non ex iustitia, correspondevet illi effectus non ex iustitia.

Conf. 2. Demum confirmatur; quia sicuti Deus facit res in tempore, ita voluit ab æterno: sed in tempore dat gloriam ex præuisis meritis,& non alio modo; ergo ita ab æterno voluit, & non alio modo; quod argumentum his ferè modis fieri solet; sed miror viros doctos existimare, esse aliquam vim in illo, cum totum cōsistat in quadam æquiuocatione, quæ ipsis nō potuit esse ignota.

Communis aliquorum solutio. 2 Ad quod argumentum vt plurimū recentiores solent Respondere, distinguendo de voluntate, in ordine intentionis, & in ordine exequutionis, dicentes, voluntatem Diuinam, in ordine exequutionis, esse ex præuisis meritis; nō autem secundum ordinem intentionis.

Insufficiēs est hæc solutio, licet veram doctrinam contineat. 3 Sed quamuis hæc solutio re ipsa veram doctrinam contineat; tamen modus hic respondendi non est aptus ad ostendendas æquiuocationes argumenti; saltem, ita vt coerceat arguētem: nam etiam in intentione Diuina fuit, vt gloria daretur ex meritis. Quarè melius Respondetur cum illa distinctione voluntatis antecedentis,& consequentis; & ita

Adæquata responsio ad argumētum principale. Respondeo in forma; disting. illam minorem subsumptam: (*Voluntas dandi gloriam dependenter ex meritis, supponit merita,& est ex iustitia*) Si loquamur de voluntate consequenti; concedo; nego tamen de voluntate antecedenti, vt explicatum est; de facto autem vtraq. voluntas fuit in Deo; seu vna voluntas sub duplici illo ordine ad merita; nam per voluntatem antecedentem, voluit dare gloriam ex meritis, sed futuris ex vi talis voluntatis; & per voluntatem consequētem voluit dare eandem gloriam dependenter ex meritis iam exhibitis; & ita cum de facto Deus dat gloriam, dat illā dependēter ex meritis, tanquam ex motiuo voluntatis subsequentis;& tanquam ex obiecto, & effectu voluntatis antecedentis; & per hanc distinctionem solutūtur omnes hæ æquiuocationes.

4 Ad primam confirmationem Respondeo, disting. antecedens. (*Deus nunquam dat adultis gloriam, nisi per voluntatem pertinentem ad iustitiam,*) tāquam per causam proximam, & immediatam, concedo;& hæc est voluntas consequēs; sed quia hæc supponit voluntatem antecedentem electionem; nego, quod Deus non det adultis gloriam, nisi per voluntatem, quæ sit ex iustitia; si loquamur etiam de causa prima,& remota; & ita vtraq. voluntas cōcurrit ad donationem gloriæ; prima antecedens, vt causa remota: secunda consequēs, vt causa proxima, quæ est ex iustitia. Ad 1. conf.

Cum autem petunt: quis effectus correspondeat illi voluntati antecedenti gratuitæ? Respondeo, immediatè quidem, correspondere prædestinationem ipsam,& merita; qui effectus totus est gratuitus: mediatè verò, correspondere ipsam glorificationem; atq. ex hoc colligitur, cur interdum in Scripturis,& Patribus, Glorificatio, dicitur esse gratuita;& interdum dicitur esse ex iustitia; est .n. gratuita, si referatur ad uoluntatem antecedentem, per quam gratis eligitur homo ad merita, per quæ consequatur salutem; est autem ex iustitia, si referatur ad uoluntatem consequentem; & ita eadem gloria est, & merces, & gratia; ubi id etiam aduertendum est, quod aliud est, esse in Deo uoluntatem gratuitam; aliud esse uolūtatem dandi gloriam gratis: nam hæc secunda uoluntas non fuit in Deo, respectu adultorum, quibus uoluit dare gloriam per merita: fuit tamen eius uoluntas gratuita; quia non supponit merita; sed est causa meritorū; & ita fuit in Deo gratuita antecedēs uoluntas, qua uoluit adultis dare gloriam per merita. Vel uoluit gratis dare gloriā, sed non gratis; ita ut primum (*gratis*) referatur ad ly (*voluit*) Quæ uolitio gratuita est;

Quis effectus correspōdeat volūtati Dei antecedenti?

Eadē gloria cur ex iustitia,& ex gratia?

Nota quomodo Deus gratis vult dare gloriam, sed non gratis.

ta est; secundum verò (*gratis*) ad ter. vo litam; nempè, gloriam, quam vult Deus non gratis dari adultis; sed ex futuris ipsorum meritis.

Ad 2. conf. 5 Ad secundam confirmationem, Respondeo, distinguendo maiorem; si .n. particula illa (*sicuti*) significat, quod qualis est modus factionis, & exequutionis rei, talis sit modus volitionis Diuinæ: falsa est maior vniuersaliter: vt patet in artifice, qui dũ facit statuã, medio instrumẽto mallei; modus factionis statuæ est, vt malleus sit causa statuæ; at verò modus volitionis ipsius non est, vt malleus sit causa volitionis suæ. si verò particula illa (*sicuti*) dicat, quod omnis modus, quo in tempore facta est res, fuit etiam volitus à Deo ab æterno; & ita, sicuti facit, sic voluit; concedo maiorem; sed ad hoc nihil aliud sequitur, nisi, quod Deus ab æterno voluit, vt gloria daretur iustis ex meritis ipsorum futuris; atq. adeo, vt daretur per voluntatem consequentem pertinentem ad iustitiam; & ita concessa minori negatur, aut conceditur consequentia sub eadem distinctione.

§. II.

2. obiectio. 6 Secundò dices; eundem ordinem habent res in voluntate Diuina, quem habent in se ipsis; sicuti .n. sunt, sic volitæ sunt; sed gloria, & merita hunc ordinem habent in se ipsis; vt gloria semper sit effectus meritorum, & merces, & supponat illa: ergo etiam in voluntate Diuina semper gloria supponit merita, vt sui causam.

Solutio. 7 Respondeo primò posse concedi totum argumẽtum, nil .n. infert, nisi quod in obiecto voluntatis Diuinæ merita sũt causa gloriæ; non tamen quod sint causa voluntatis Diuinæ antecedentis; quod esset probandum; sed tamen, adhuc concessa maiori; distin. mi. (*Merita, & gloria habent illum ordinem ad inuicem;*) posita voluntate antecedenti electiua explicata, concedo; aliter, & neg. & ita ille ordo, tantum abest, vt destruat electionem; quin potius illã præsupponit, vt causam talis ordinis; vnde nihil ex hoc sequitur.

3. obiectio. 8 Tertiò obijcies; si volitio efficax finis, & gloriæ, fuisset potius in Deo, quã volitio meritorum; sequeretur, quod, ex vi illius volitionis, futura fuisset gloria; etiam si merita non essent futura; quia volitio illa efficax non posset non adimpleri: sed consequens est falsum: ergo, &c.

Solutio. Respondeo distinguendo maiorem, de prioritate, *à quo*, & *in quo*; volitio .n. finis non fuit in Deo prior prioritate *in quo*; sed solum *à quo*: nam etiam in eo signo, in quo Deus eligit homines ad gloriam, non eligit, sine ordine ad merita, per quæ assequentur gloriam; & ita ea volitio nõ præscindit à meritis futuris per ipsam; sed quia in ea voluntate merita se habẽt, vt volita propter aliud; nempè, gloriam; & gloria volita propter se; propterea dicitur, prius ea voluntate volitus finis, quàm merita; sed prioritate à quo.

4. obiectio. 9 Quartò obijcies: si uolitio finis fuisset, modo dicto, prior uolitione mediorum, & causa illorum; sequeretur, quod hæc propositio esset uera, (*Deus vult gloriam electis, vt velit merita,*) quia semper ualet argumentari à causa ad effectum; sed illa propositio est falsa; potius .n. Deus uult merita, ut det gloriam; ergo, &c. Respondeo neg. maiorem; nam, licet finis sit causa mediorum; tamen causatio finis; (qui est id, cuius gratia;) non explicatur, illo modo, apud Philosophos: sed hoc pacto (*Deus vult merita, propter gloriam,*) seu (*vult merita, quia vult gloriam,*) non autem (*vult gloriam, vt velit merita,*) sicuti non dicitur eger uelle sanitatem, ut uelit medicinam; sed uelle medicinam, propter sanitatem. Solutio.

5. obiectio. 10 Quintò dices; sicuti gloria est causa finalis meritorum; ita merita sunt causa efficiens, & meritoria gloriæ: ergo, sicuti uoluntas dãdi gloriam est prior uoluntate dandi media, propter genus causæ finalis; ita uoluntas dandi merita erit prior uoluntate dandi gloriam, propter genus causæ efficientis; & ita hæ uolitiones erunt sibi inuicem priores, & posteriores, in diuerso genere; ergo nulla dabitur absolutè prior uoluntas finis, quæ nõ supponat merita.

Solutio. 11 Respondeo negando hanc ultimã consequentiam, quoad particulam illam (*supponat*) propterea .n. quia gloria est effectus meritorũ; ideo ponimus in Deo uoluntatem consequentem, quæ respicit gloriam, ut effectum meritorum præcedentium ad ipsam; unde hæc uoluntas supponit, ut priorem, uoluntatem meritorum, quæ est in ipsa electione, & prædestinatione; & quia gloria est causa meritorum; ideo ponimus uoluntatem antecedentem gloriæ, quæ sit causa meritorum; unde hæc dicit ordinem ad merita; sed ut ad effectum futurum ex ui talis finis; & propterea non supponit merita;

sed

sed inferi; vnde immediatè respicit finē, & communiter media.

§. III.

6.obiectio. 12 Sextò dices: si Deus, voluntate antecedenti efficaci, & gratuita, elegisset aliquos ad salutem; sequeretur, necessario istos fore saluãdos; atq. adeo, absq. illa dependentia ab eorum libero arbitrio; sed consequens est falsum: ergo &c. Solutio. Respōdeo, multo magis mihi mirum videtur, quod viri docti non videant insufficientiā huius argumenti; cum si quid probat; probet, esse etiam impossibile, quod Deus efficaciter velit, voluntate antecedente; vt homo, libera sua voluntate, faciat aliquid: quod tamen innumeris exemplis constat, esse falsum, & directè oppositum doctrinæ D.Th. nam, imprimis, Deus efficaciter voluit, quod Christus Dominus liberè acceptaret mortē, & liberè faceret multa, quæ fecit; & similiter Deus efficaciter vult, vt omnes cooperentur suæ gratiæ congruæ; & tamen hæc cooperatio libera est: & ratio huius est; quia quando in obiecto Diuinæ voluntatis efficacis inuoluitur vsus liberi arbitrij; tunc non tollitur libertas, sed potius ponitur: quia hoc ipsum Deus efficaciter vult, vt homo liberè faciat; quando autem ita Deus vult, adhibet quidem media, quæ insallibiliter videt connexa cum tali effectu: non tamen quæ tollant libertatem.

Quando in obiecto Diuinę volitionis includitur vsus liberi arbitrij; nō tollitur libertas vel potius ponitur.

13 Ad argumentum ergo in forma: neg. seq. mai. si loquamur de necessitate absoluta; si verò sermo sit de necessitate conditionata; conc. nam Deus non eligit hos homines saluandos, nisi per cooperationem liberi arbitrij; atq. adeo, cum ea voluntate efficaci Dei inuoluitur cooperatio liberi arbitrij; posito autem, quod Deus eligat, & hi cooperentur, necessariò saluabuntur; cum ergo ea voluntas inuoluat vsum liberi arbitrij, non potest illum destruere; alioqui destrueret se ipsam: quod si dicas; hæc eadem cooperatio liberi arbitrij fuit efficaciter volita, voluntate illa antecedēte, tanquam medium necessarium; ergo hæc cooperatio non potuit non esse, posita illa voluntate efficaci antecedenti, quę non supponit ipsam, sed potius est causa ipsius; si ergo non potuit non esse, necessariò fuit; & consequēter, non liberè. Respondeo, hoc argumentum esse etiam soluendum ab omnibus; nam Deus, per volūtatem prædestinationis, efficaciter voluit cooperationem liberi arbitrij futuram, præparando media congrua ad illam. Disting. ergo antecedens. Cooperatio liberi arbitrij fuit efficaciter volita à Deo, vt effectus necessarius, seu per causam necessariam; nego; fuit volita, vt effectus liberè, sed infallibiliter futurus, media causa libera; concedo: & ita, absolutè, nego consequētiam; ex suppositione verò, quod causa libera infallibiliter sit se determinatura, concedo; & ratio huius est; quia non omnis volitio Dei efficax infert necessitatē effectui; sed aliqua infert necessitatem, aliqua solum infallibilitatem: posito tamen, quod infallibiliter sit effectus futurus, necessario iam est futurus; sed ex suppositione illa: ea tamen voluntas infert necessitatem effectui creaturarum, per quam Deus vult, effectum necessariò esse; & ita aptat ad illū causas necessarias: quando autem Deus vult aliquem effectum media causa libera, & liberè cooperante; hæc Dei voluntas non infert necessitatem effectui; sed potius est prima causa contingentiæ: infert tamen infallibilitatem; nam effectus non potest habere maiorem necessitatem, quàm sit volitus à Deo; à Deo autem non est volitus, vt necessariò, sed vt infallibiliter futurus; atq. adeo ita volitus, vt possit quidem absolutè nō sequi; dummodo infallibiliter sequatur; posito tamen, quod ex vi talis voluntatis, infallibiliter sequatur medio vsu liberi arbitrij; iam necessariò est; posito.n., quod res sit futura, necessariò est futura; & in hoc sensu, necessarium est, homines electos, & prædestinatos saluari; necessitate .s. conditionata, & cōsequenti: legite D.Th. & solutiones ipsius ad arg. lo. cit. D.Th.

Occurritur cuidam oppositioni.

7.obiectio. 14 Septimò dices: ex Scriptura sacra colligi, Deum dare gloriam, aut velle dare ex meritis, vt Matt. 25. *Venite benedicti, &c. Exuriui.n., & dedistis mihi manducare*; & 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec aur. aud. quæ præpar. Deus dil. se, &c.* Iac. 2. *Hæredes Regni, quod promisit Deus diligentibus se*; & alia huiusmodi loca, &c. Respondeo, nos non negare, siuè voluntate antecedenti, siuè consequenti, voluisse dare gloriam per merita; & præparasse illam, vt dãdam per merita; quod habetur ex ijs sacris Scripturis; sed dicimus, hæc merita, diuerso modo, se habere ad voluntatem antecedentem, & ad voluntatem consequentem; & vtramquè volūtatem fuisse in Deo ab æterno; cum

D.Matt. D.Paul. D.Iacob. Solutio.

autem in sacris Scripturis, aut Patribus habetur, quod Deus vult dare gloriam, ex meritis, iam exhibitis; dico, sermonē esse de voluntate consequenti; similiter si apud aliquem Sanctorum Patrum hæc voluntas consequens dicatur electio; dico, sumi electionem, pro effectu electionis; in hoc.n.sensu potest ea dici electio; maximè; quia, inter homines, separatio aliquorum ab aliquibus, præmisso aliquo examine, dici solet, electio; si non supponat voluntatem aliquam priorem electiuam; quia tamē hæc supponitur in Deo, in casu nostro; ideo minus propriè, voluntas illi consequens dicitur electio.

§. IV.

9. obiectio. 15 Nonò obijcies; neq. ex Scripturis sacris; neq. ex Patribus probari potest, quod electio ad gloriam non sit post præuisa merita; ergo hæc sententia non habet fundamentum in sacris Scripturis, & Patribus. Solutio. Respondeo neg. antecedens: nam euidenter sequitur hæc sententia ex omnibus ijs locis, in quibus dicitur prædestinatio non esse ex præuisis meritis; nam prædestinatio necessariò supponit electionem, (vt probauimus cū D.Th.) quod sufficit: quod.n. directè non possit hæc sententia probari ex Scripturis sacris, & Patribus, ea ratio est; quia omnia loca, quæ verè possent intelligi de electione ad gloriam sine meritis antecedentibus, facilè aduersarij detorquent ad electionem ad gratiam, (vt diximus,) sed neque propterea fugiunt difficultatem, vt ostensum est.

10. obiectio. 16 Decimò dicas: scientia simplicis notitiæ est prior in Deo, quàm eius libera volitio: sed prædestinatio pertinet ad hāc sciētiam; electio verò ad volitionem, ergo prædestinatio est prior electione. Solutio. Respondeo, disting. mai. scientia simplicis notitiæ, per modum scientiæ speculatiuæ, est prior: conc. mai. per modum scientiæ practicæ, ordinatæ ad opus, quā vocamus, scientiam approbationis; neg. quod sit prior omni volitione; sed necessariò est posterior volitione finis; cum ipsa consistat in quadam præparatione mediorum; & idem dici potest de quauis scientia artificis, vt ordinata ad operandum.

Vlt. obiectio 17 Vltimò dicas: voluntas antecedēs est solum voluntas, *secundum quid*, non autem *simpliciter*; ergo non potest esse efficax, in ordine ad finem; sed electio est voluntas efficax finis; ergo non est voluntas antecedens. Solutio. Respondeo disting. mai. voluntas antecedēs, præcisè, vt sic; si nullum dicat ordinem ad voluntatem consequentem; concedo, quod sit voluntas *secundum quid*, & inefficax; si verò intelligatur, vt inuoluens ordinem ad voluntatem subsequentem, vi sua futuram, (vt considerauit illam D.Th. ar. 4. cit.) negatur, quod sit voluntas *secundum quid*, & inefficax. Sed verè potest dici voluntas perfecta, saltem, causaliter.

18 Ad calcem huius puncti not. est; Consectariū. nos non esse huc vsquè loquutos, an electio ad gloriam sit ex præuisis meritis Christi, vt absolutè futuris? De hoc.n. disputatur in materia de Incarnatione; sed an sit ex præuisis meritis proprijs cuiuscunq. electi? & quidem, respectu adultorum: nam respectu paruulorum, certum est, electionem ad gloriam non fuisse ex præuisis meritis ipsorum: immò neq. futuris, cum hæc nulla sint; sed illorum electio fuit sine vllo ordine ad merita ipsorum: non tamen sine vllo ordine ad gratiam sanctificationis, illis dandam, tanquam medium ad gloriam; atq. adeo id, quod in adultis dicimus, de electione in ordine ad merita; dicimus de pueris, in ordine ad sāctificationem, quarè ipsorum prædestinatio consistit in præparatione mediorum, per quæ pueri infallibiliter consequātur sanctificationem, nunquam amittēdam, nulla inclusa eorum cooperatione libera. Nota de electione puerorum. Ex quibus demum colligitur, quis ordo fuerit in Diuina mente circa electos; posito .n.; quod Deus, simplicissimo illo actu, elegerit totum hunc ordinem rerum; sicuti de facto est; hæc Dei voluntas, prius ratione intelligi debet, terminata ad gloriam per media futura, in quo consistit electio: postea intelligitur prædestinatio, per quam hæc media præparantur, & dantur. Tertiò intelligitur glorificatio per voluntatem consequentem. Ordo in Deo circa electos

19 Demum ex his patet: Cur voluntas illa præcedens dandi gloriam, præcipuè electis, dicatur esse in se absoluta? Voluntas dādi gloriā est in se absoluta quia ipsa non supponit merita, aut conditionem aliquam ex parte electorum, ante se; propter quam ipsa fit, ratione tamen obiecti, seu in obiecto suo, est conditionata: quia dicit ordinem ad gloriā, per merita, causandam: orta tamen ab ipsamet voluntate antecedēti; & demum colligitur, qua ratione secunda sententia supra citata, de quibusdam primarijs electis,

ctis, non habeat aliquod fundamentum, &c. Hanc etiam noſtram ſententiam defendit Aegid.diſt.41.principio 1.quęſt.1. art.2. Aegid.

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & refelluntur varij errores.

§. I.

D.Tho. 1 SVB eiſdem verbis diſputatur hæc quæſtio à D.Thom.art.5. illius q.23. ab Aegidio vero loc.cit.q.2.art.1.& ſe ipsũ ſuperat in præſenti quæſtione Aegid. quæ certè apud omnes extitit ſemper grauiſſima,& pro tituli intelligentia not.primò eſt;quod idem eſt quærere:an præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis,ac quærere;an prædeſtinatio,in qua (ſecundum nos)includitur electio, vt quid antecedenter connotatum,fuerit à Deo facta omninò gratis, in ordine ad ipſos prædeſtinatos; an intuitu aliquorum meritorum præexiſtentium, loquendo de adultis? vbi benè adnotat D.Th. quod cum prædeſtinatio includat actum voluntatis dandi media infallibiliter connexa cum ſalute; idem eſt quærere; an prædeſtinatio habeat cauſam?ac quærere;an voluntas hæc,qua Deus voluit his hominibus, & non alijs media efficacia ad ſalutem, habeat aliquam cauſam ex parte ipſorum?& in hoc ſenſu examinatur hæc difficultas. (Diti, ex parte ipſorum) quia poteſt habere cauſam ex parte bonitatis Diuinæ, &c.

Aegid.

Not.1. pro intelligentia tit.

2. not. 2 Secundò notandũ eſt cum eodem D.Th. hic non eſſe quæſtionem de cauſa volitionis Diuinæ, ſecundum ſe ipſam conſideratæ,ſeu ſecundum id,quod dicit in recto;ſic.n.nulla volitio Dei poteſt habere cauſam; ſed rationem terminationis ad tale obiectum; ac ſi quæramus; an fuerit aliquod motiuum, ex parte hominum,cur Deus hos homines prædeſtinauerit potius,quàm alios?Sicuti dicimus, eſſe aliquod motiuum ex parte hominũ; Cur Deus voluntate conſequenti, velit hunc ſaluare,& hunc damnare.

§. II.

3 TErtiò not. quod Manichęi (vt refert Vaſq. ſupra art.cit. diſp.91. c.2.& Suar. lib.2.de prædeſtinat. c.4. negantes liberum arbitrium in homine; exiſtimarunt, totam rationem prædeſtinationis ſumi ex diuerſo corporis temperamento,& hominis diſpoſitione,prouenienti ex varijs conſtellationibus, ſub quibus natus eſt; ſed certè hæc fuit mera inſania Manichęorum, iam abſoluta, & expreſsè contraria diuinis literis,& damnata in Concilijs. 3.not. Error Manichæorum. Reijcitur.

4 Origenes etiam,(vt refert D.Tho. loco cit.) putauit, omnes animas hominum fuiſſe initio Mundi ſimul creatas; & habuiſſe merita, & demerita, ex operationibus naturalibus; antequam ad hæc corpora infunderentur, illos autem homines eſſe prædeſtinatos,quorum animę prius merita habuiſſent. Sed hic etiam error merum figmentum eſt, & pariter damnatus ab Eccleſia. Refellitur error Orig.

5 Item Pelagiani,ſequuti Pelagium, & Cęleſtium; præter voluntatem conſequentem dandi gloriam ex meritis,iam exhibitis, nullam aliam electionem, aut prædeſtinationem poſuerunt, reſpectu Dei; ſed dicebant, merita neceſſaria ad conſequendam hanc Beatitudinem eſſe in hominibus, ex vi ſolius liberi arbitrij; quamuis.n.non omninò negarent aliquã Damnatur error Pelagianorum.

Eeee 2 gra-

gratiam, etiam per intrinseca auxilia; conuicti tot sacræ Scripturæ, & Sanctorũ Patrum testimonijs; eam tamen, dicebãt, non esse simpliciter necessariam, sed dari interdũ ad bene esse (vt supra vidimus:) atq. adeo, non ex hac pendere salutem hominum, sed ex operibus solius liberi arbitrij: vnde dicebant Deo. *Tu Domine nos fecisti homines; iustos autem nos facimus ipsi*; vt refert multis in locis Augustinus. Qui error damnatus etiam fuit ab Ecclesia, vt supra tetigimus; & videri potest apud Doctores.

Aug.

Quid senserint semipelagiani?

6 Semipelagiani verò; seù, Reliquiæ Pelagianorum dicebant, esse quidem necessariam gratiam Dei ad sanctificationem, & ad perseuerandum in gratia; atq. adeo, ad salutem: sed hanc gratiam dari ex meritis liberi arbitrij præexistentibus; quæ, merita, aliqui in vno actu; alij in alio, ponebant: conueniebant tamen in eo, quod hæc gratia daretur ex meritis liberi arbitrij: intelligebãt autem, per *gratiam*, præcipuè ipsam gratiam vocationis congruæ supernaturalis, quæ dicitur gratia præueniens efficax; & similiter gratiam congruam ad perseuerandum. In eadem ferè sententia ex Catholicis fuere Cassian. vt vidit Less. c. 10. Item Faustus, & Lirinensis, & Massilienses; & communis fuit in Gallia, vt refert Vasq. loc. cit. c. 8. & Suar. c. 6. hi ergo omnes dicebant, aliquam causam, siue meritoriam, siuè solam dispositiuam, ex parte hominum, esse, ex vi solius liberi arbitrij; cur Deus hos prædestinauerit, & non alios. Cui sẽtentiæ videntur fauere multi etiam posteriores Catholici Doctores, quos refert Valentia super eodem ar. cit. punct. 5. Suar. c. 7. & Vasq. c. 10. & alij communiter, in quorum referendis placitis nonnulla est diuersitas inter Authores.

Cassian. l. II. Faust. Lyrin. Massilienses.

Val. Suar. Vasq.

In quo aliqui ex Catholicis cum Semipelagianis cõueniãt.

7 Cęterum in eo videntur conuenire omnes; vt velint, bonum aliquem modum, vel vsum, vel opus solius liberi arbitrij præuisum, vt absolutè futurum, esse causam, seù motiuum; seù meritum, seù dispositionem, aut quouis alio vocabulo illum appellẽt, cur Deus his potius conferat gratiam congruam, quàm alijs; atquè adeo, cur potius hos prædestinet, quàm alios; horum autem omnium ratio videtur in eo præcipuè sita esse; ne faciant Deum acceptatorem personarum; si absquè vlla causa hos potius prædestinet, quàm alios; aut ne faciant illum crudelem, & iniustum, si hos noluit prædestinare, cum posset; & ne hominibus occasionem darent desperandi; si scirent, se, absquè vlla sui ipsorum culpa, non esse prædestinatos; & alia huiusmodi, ad quæ existimabant se satis respondere modo dicto.

Nota fundamentum huius sententiæ

8 Sed animaduertendum est, quod non eodem modo Catholici, ac Semipelagiani ponunt illos actus bonos solius liberi arbitrij in ordine ad gratiam. Nam Hęretici aiunt, primam gratiam dari ex illis meritis elicitis à nudo arbitrio, de condigno. Catholici autem solum fatentur, illa opera esse meritoria de congruo primæ gratiæ: immò aliqui neq. vsurpant hoc vocabulum, *meriti*; sed solum volũt, huiusmodi opera esse meram dispositionem, aut conditionem, qua posita, misericorditer Deus det huic gratiam; non autem ex aliquo merito, aut promissione, & ita omninò asserunt, primam gratiam dari mere gratis; & prædestinationem esse merè gratis; vt explicat Lessius Molinæ sententiam loc. cit. quæ opinio non censetur hæretica, neq. error manifestus. Explicari etiam posset exemplo; si n. aliquis diues daret eleemosynam pauperibus petẽtibus; non daret autem non petentibus; posset quidem assignari aliqua ratio, cur hi potius habuerint eleemosynam, & non alij: quia. s. hi petierunt, & non illi; non tamen dici posset, quod eleemosyna non sit data merè gratis; ita in casu nostro, &c.

Discrepantia inter Catholicos. & Hęreticos.

9 Cęterum ruit hęc sententia ex his, quæ diximus de operibus bonis moralibus, quodlib. 5. non posse. s. à nobis, absq. peculiari beneficio, fieri; nam etiã si aliquando, & sępissimè sancta illa cogitatio naturalis, & congrua, qua mouemur ad elargiendam paruam eleemosynam, vel quid simile, oriatur à dispositione causarum naturalium, iam diximus, illam talẽ dispositionem esse, aliquo modo, etiam gratuitam; nã sine dubio potuisset Deus, prima sua voluntate antecedenti, eligere talem ordinem rerum, & causarum naturalium, in quo futurum fuisset, vt omnes, aut multi ex ijs, qui de facto se disponũt, dispositione illa naturali, ad gratiam, nõ se disponerent: & è contra, vt multi ex illis, qui non se disponunt, se disponerent; aut omnes, vel nulli se disponerent; cum enim hic sit effectus naturalis, potuisset Deus causas naturales, secundum talem ordinem, eligere, vt hoc sequeretur; neq. n. illa implicatio contradictionis apparet; cum ergo Deus elegerit potius hunc ordinem rerum, in quo præuidet, forè, vt

Impugnatur hęc senẽtia.

hi

hi ſe diſponerent, & non alij; ſine dubio, in hac voluntate, vt ſtat ſub illa pręſcientia, neceſſariò intelligitur maior quidam amor reſpectu horum, quàm aliorum; qui amor antecedit omnia merita, vt abſolutè futura; cum ſit cauſa ipſorum; ſicuti ex eo, quod Deus elegerit hunc ordinẽ rerum ſupernaturalium, in quo præuidet hos fore ſaluandos, per ſuam gratiam ſupernaturalem, & non alios, intelligimus in Deo antecedenter peculiarem quandam dilectionem reſpectu horum, & nõ aliorum; ita etiam, in ea ſententia, & ſic hi Authores non fugiunt illas difficultates, quas vitare nituntur, adhuc .n. quæri poteſt, cur potius voluerit per hunc rerũ ordinem hos diſponi, & non alios? &c. horum tamen Doctorum argumenta expendentur, & ſoluentur infra. Ad exemplum tamen de diuite; dico, diſparem eſſe rationem: nam diues ille non fuit in cauſa, cur illi pauperes petierint, & non alij; ſicuti eſt in cauſa Deus, vt quidam præparentur (media .ſ. ſua gratia congrua.)

CAPVT II.

Eligitur verior ſentẽtia, explicatur, & probatur.

§. I.

1 QVarè his omnibus miſſis factis opinionibus, & erroribus; ſolum reſtat examinandum noſtrum punctum propoſitum, de meritis habitis ex gratia, nõ ex naturæ viribus; cum ea nulla prorſus ſint; & ſic quærimus: An prædeſtinatio poſſit eſſe ex meritis gratiæ præuiſis, ſiuè ea ſint ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalia, ſiuè naturalia?

Senſus diſputationis.

2 Et vt diſtinctè procedamus, ponamus exemplũ in conuerſione, & prædeſtinatione adulti; In hoc autem ſimpliciter intelligere poſſumus, quod merita dependentia à gratia ſint cauſa ſuæ prædeſtinationis. Primo ſi cõſideremus merita dependentia à gratia, quod ſint cauſa ſuæ prædeſtinationis, ſub conditione futura, & ita cogitemus Deum, ex eo quod prouidet futurum fuiſſe, vt hic homo merita habiturus eſſet, ſi poneretur in talibus auxilijs gratiæ, ponere illam ſub talibus auxilijs, atque adeo prædeſtinare; Secundo ſi conſideremus merita abſolutè futura, ita vt Deus hunc prædeſtinauerit, quia videt habiturum merita, ex vi ſuæ prædeſtinationis, quæ merita, licet ſint effectus prædeſtinationis, ſint tamen etiam cauſa, quia principium meriti poteſt cadere ſub meritum: Tertiò poſſumus intelligere, merita eſſe cauſam prædeſtinationis quodam veluti ordine; quia primum ſit cauſa ſecundi, ſecũdum tertij, &c. v.g. ponamus, quod hic homo, per centum gratias efficaces, inceperit, & perſeuerauerit in gratia, tunc intelligere poſſumus, hunc hominem primam gratiam habuiſſe, gratis; ſed ſecundam habuiſſe, ex merito primæ, & tertiam, ex merito ſecundæ, qui modus philoſophandi poteſt reduci ad illam ſententiam, quę aſſerit, non quidem ipſa merita, ſed bonũ vſum liberi arbitrij, quem Deus præſciuit futuram, poſita tali vocatione, eſſe cauſam prædeſtinationis, v.g. Deus vidit, qđ hic homo benè vſurus eſſet tali auxilio gratiæ ex ſua libera volũtate, & alius malè vſurus, & ex hoc bono vſu præuiſo, hunc prædeſtinat, alium reprobat, quæ omnia includit D. Thom. in vltima ſententia, quam refert, & confutat.

Nota, tripliciter intelligi poſſe me i ta eſſe cauſã prædeſtinationis.

Primo modo

Secundo.

Tertio.

§. II.

3 HIs poſitis dicendum, primo, eſt nobis: Merita præuiſa ſolum, vt ſub conditione futura, nullo modo ſunt cauſa meritoria, cur potius hic prædeſtinetur, quàm alius; immò neque abſolutè poſſunt eſſe cauſa prædeſtinationis: Prima pars dicti prob. quia ſicuti Deus pręuidit, quod, ſi hic homo poneretur in his circumſtantijs, habiturus eſſet merita; ita præuidit de quocumque alio homine reprobo; quod ſi poneretur in aliquibus circumſtãtijs, habiturus etiam eſſet merita; ergò, ex hac ſcientia, Deus eſt omninò indifferens ad hunc potius prædeſtinandũ, quàm alium, & æquè poſſet quẽcumque prædeſtinare, ſi voluiſſet: ergo hæc merita non poſſunt eſſe cauſa, cur potius hunc, quàm alium prædeſtinet: ſed voluntas eius omninò gratis eligit potius hũc ordinem rerum, quàm alium; & eadem eſt ratio, cur demerita ſub cõditione futura non poſſint eſſe vlla cauſa reprobationis, vt Patres fatentur, & ſi-

1. Concl.

ne

ne dubio æquè omnes homines habent merita, vel demerita, sub diuersis conditionibus. Secunda pars conclusionis probatur, quia merita sub conditione futura non habent hoc esse futurum, nisi ex suppositione conditionis, tanquam suæ causæ; ergo ipsa non possunt esse causa meritoria suæ conditionis, quam iam supponunt; & consequenter neque prædestinationis, quæ est causa illius conditionis, vt mox dicam de meritis absolutè futuris.

§. III.

2. Concl. 4 Dico secundo, Merita præuisa, vt absolutè futura, non possunt esse ratio, & causa meritoria prędestinationis; siue comparatiuè, siue absolutè loquendo, quoad omnes effectus necessarios prædestinationis. Dixi, *quoad omnes*: quia certum est, merita, vt absolutè futura, esse causam glorificationis; atq. adeò, voluntatis Dei consequentis dandi gloriam, quæ est vltimus effectus prædestinationis; similiter illa merita de congruo, quæ homo habet, ex auxilio Dei efficaci, per quæ disponitur ad gratiam sanctificantē, possunt dici merita, respectu talis gratiæ, quæ est etiam aliquis effectus prædestinationis: sed si respiciatur tota series effectuum prædestinationis, dicimus, quod nullum meritum absolutè futurum potest esse illius causa. Probatur ergo nostra conclusio duplici via; sicuti prior. Prima ostendendo, quod merita futura ex gratia non possunt esse ratio, cur potius hic prædestinetur quā alius. Secunda absolutè, quod non possint esse causa prædestinationis; siuè ratio meritoria illius; Et primò quidem. in tantum homo habet hæc merita, in quantum supponitur habuisse gratias congruas ad eadem merita: sed huiusmodi gratiæ congruæ sunt effectus prędestinationis, quæ est præparatio mediorum, &c. ergo in tantum homo habet hæc merita, in quantum est prædestinatus; sed si omnis homo esset prædestinatus, haberet hæc merita, eo prorsus modo, quo habent illi, qui iam sunt: ergo quod hic sit prædestinatus, & non alius, non possunt esse causa hæc merita, quæ æqualiter essent in omnibus, si essent prædestinati; & non essent, si non essent prædestinati; & sine dubio omninò gratuitum est, quod hic homo per hæc merita sit prædestinatus; quarè totum hoc obiectum potius esset effectus prædestinationis.

5 Secunda pars probatur eodem modo: quia merita absolutè futura prçuidentur scientia visionis, quæ supponit voluntatem efficacem Dei dandi media congrua ad hæc merita; & nullo modo est illius causa: In hac autem voluntate consistit prædestinatio, ergo, & scientia meritorum omninò supponit gratuitam prædestinationem, vt principium efficiens talium meritorum; at verò nil magis repugnat, quā hoc; .s. principiū meriti posse cadere sub meritum ipsum, cuius est principium: Rectè ergo docet D. Th. ar. cit. ad primum, tale meritum esse finē prædestinationis, .s. proximum; præparat enim Deus hæc media congrua, vt homo habeat merita. Quod autem principium meriti non possit cadere sub meritum, videtur omninò verum axioma, & ferè communiter receptum; & quamuis in præsenti difficultate diceretur cōtrarium, adhuc tamen non solueretur difficultas, propter primam rationem: quia, quantum est ad merita hoc modo considerata, omnes homines omninò ęquè se habent, antequam Deus aliquem prędestinet: quia omnes ęquè possunt habere merita nęc dependentia à sua prędestinatione; atque adeò prædestinari meritis; Cur autem Deus potius hunc ex his meritis prædestinet, quam alium? necesse est omninò reducere in Diuinam voluntatem, quæ est res satis per se euidens. Rectè, ergo concludit D. Tho. quod bona merita hominis non possunt esse causa prædestinationis, quia quodcunque meritum, propter quod homo ordinatur ad salutem, est effectus prędestinationis, atque adeò supponit illam. D. Th. Principium meriti non cadit sub meritio.

§. IV.

6 Addo præterea, quod quamuis in alijs non implicaret contradictionem, principium meriti cadere sub meritum; tamen in casu nostro, ex peculiari ratione, omninò implicat; nam merita hæc non possunt esse ratio merendi prædestinationem, nisi vt sunt in scientia visionis; sed scientia non potest esse causa sui obiecti motiui, vt alibi probatum est; ergo hæc scientia non potest esse causa meritorum; sed omninò illa præsupponit; & multò minus poterit esse causa principij requisiti ad ista me- Nota axioma propositum, in nostro casu falsum, adeò verū, vt oppositum implicet contradictionē.

merita, quod est prius ipsis meritis; hoc autem principiũ est voluntas Diuina, media gratia congrua; igitur talis præscientia non potest determinare voluntatem Diuinam, vt det his hominibus media, & merita, & non alijs; quia omninò supponit hãc voluntatem. Quę ratio particularis in casu nostro efficax est, ex principijs supra positis; Vt enim intelligatur aliquid esse causa meritoria alicuius rei, debet intelligi, vt prædeterminatiuum aliquo modo voluntatis ad dandam talem illam rem: At verò scientia visionis non potest esse prædeterminatiua voluntatis Diuinæ ad faciendum illud, quod per ipsum cognoscitur, vt constat ex principijs alibi positis.

Impugnatur à D. Th. sententia de bono vsu liberi arb.

7 Eodem modo impugnatur à Sãcto Th. alia sentẽtia huic similis, dicentium; Bonum vsum voluntatis nostræ prçuisum, vt absolutè futurum esse causam prædestinationis huius potius, quã alterius; Si enim per *bonum vsum*, intelligãt ipsum actum secundum, simul dependentem à gratia, & libero arbitrio; hic vsus non erit aliud, nisi ipsum meritũ, de quo iam dictum est, esse effectum prędestinationis, directè volitum à Deo, præparante auxilia congrua. Si verò intelligant aliquod opus diuersum; ita vt bonum opus præcedens à gratia habeat duas partes, siuè re, siuè ratione distinctas, quarum vna pendeat à sola gratia, & alia à solo libero arbitrio, & hæc secunda vocetur bonum opus liberi arbitrij, vt sit causa prædestinationis, non autem effectus; rectè, inquit, D. Tho. hos decipi, non volentes intelligere, quod simile opus indiuisibiliter totum pendet à gratia, & totum à libero arbitrio; ita vt nihil sit illius, quod non sit effectus gratiæ (vt supra probauimus) Et præterea hic bonus vsus, quicunque ille esset, non esset, nisi posita gratia congrua, saltem, vt conditione requisita; Hæc autem gratia est effectus prædestiuationis; ergo hic bonus vsus supponeret prædestinationem; & æquè posset reperiri in quocunque homine, si Deus poneret ex parte sua conditionem, nempè, illam gratiam congruam, & ita redeunt facta argumenta.

§. V.

Nota alium modum dicendi.

8 Sed posset aliquis (non tamen sine aliquo periculo) dicere: prædestinationem non consistere completè (secundum id, quod dicit in recto) in illa voluntate antecedente, quam intelligimus in Deo, dandi media huic homini ad salutem; & quæ, in priori aliquo signo, intelligitur ante scientiam visionis meritorum; sed illam, vt sic, non esse cõpletè prædestinationem: cõpleri autem per scientiam visionis subsequentẽ, per quam Deus videt, quod vnus homo, ex vi sui liberi arbitrij, cooperatur vocationibus Diuinis, & alij non; huius autem scientiæ potest assignari aliqua causa ex parte hominis, s. ipsum liberum arbitrium, & communiter, posse assignari aliquam causam prædestinationis ex parte liberi arbitrij, in quo casu homo non esset causa, vt Deus conferret illi talia auxilia: sed esset causa, vt talis collatio, & præparatio beneficiorum esset prædestinatio.

9 Sed contra est: ergo, vel in eo priori, in quo intelligitur Deus velle, & præparare media his, vel illis hominibus ad salutẽ, intelligitur prçparare omnibus æqualia beneficia in ratione beneficij; vel non: sed vni efficacia, alteri non efficacia: si secundum: ergo in eo priori iam facta est discretio inter prædestinatos, & reprobos, ante vllam absolutam præscientiam meritorum. Si primum ergo, si Deus in præparatione beneficiorum æqualiter se habeat ad omnes; & inæqualitas solum se tenet ex parte liberi arbitrij; rectè posset dicere prædestinatus, quod ipse se ipsum discernit à reprobo; quia quantum est, ex parte Dei, Deus omnes æqualiter præuenit, neque illos discreuit, quod est contra D. Paul. vt res est satis manifesta. Deindè ostenditur, quod hic casus non potest esse in Deo, quia Deus, ante omnem scientiam visionis, scit, quæ gratiæ futuræ sint efficaces, & quæ non; & consequenter in illo priori, in quo vult dare huic homini talem seriem beneficiorum, quibus videt fore saluandum, & non alteri, iam hunc hominem prædestinat, & discernit ab alio; quare in hac re non debemus immaginari, Deum se gerere posse, sicuti se gereret homo, nesciens futuri euentus; necessariò enim voluntas Diuina supponit præscientiam conditionalium, & quod magis est, quantum spectat ad præsens institutum, parũ refert, quod hæc scientia in Deo diceretur esse solum coniecturalis, & moraliter tantum certa. Impugnatur.

Ter-

§. VI.

3. conclusio. 10 Tertia conclusio: Et si poneretur prædestinatio habere causam, ratione effectuum subsequentiũ ad primum effectum, vt ponitur in tertio modo explicandi; adhuc tamen absolutè prædestinatio non esset ex meritis: Probatur, quia hęc prima vocatio congrua, vndè aliæ dependent, & cui insallibiliter sunt annexæ, non esset ex meritis: quod sufficeret ad casum nostrum. Sed tamen prætereà de facto res non ita se habet; nam alioquin sequeretur, hominẽ adultum, semel iustificatum, nunquam vlterius peccaturum: nam hic cooperatus esset primæ gratiæ congruæ, quam habuit ad suam sanctificationem. Si ergo per hanc cooperationem meritus est tantam gratiam congruam ad perseuerandum, infallibiliter illi dandam, cum opus erit; dabitur ergo hæc secunda; & per meritum secundæ, dabitur tertia; quare hic homo nũquam decidet à gratia: quod, quam falsum sit, patet omnibus.

4. conclusio. 11 Sit quarta conclusio: aliquis effectus prædestinationis potest habere causam, ex parte prædestinati, alium effectũ eiusdem: & hi effectus possunt esse sibi inuicem causæ, in diuerso genere; v.g. merita sunt causa gloriæ, & gratiæ sanctificationis, & augumenti eius; & gloria est causa finalis meritorum, & gratia sanctificans præexistẽs, est causa, vt homo mereatur augumentum illius; quæ conclusio satis de se est manifesta.

5. conclusio, respondens principali quęsito. 12 Quinta conclusio: totius seriei effectum prædestinationis nulla potest dari causa, aut ratio, ex parte ipsius prædestinati, per quam, aliqua ratione, prædeterminata fuerit Diuina voluntas ad hũc potius prædestinandum, quàm alium. Hæc est præcipua, & directa conclusio huius quæstionis, & continet doctrinam omninò securam in hac materia; & probari solet varijs locis sacræ Scripturæ, in quibus, vel aptè, vel tacitè annuitur hæc gratuita prædestinatio; vt ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, antè mundi constitutionem, vt essemus Sancti*; norant. n. Docto- D.Paul. res, & Patres, præsertim Augustinus lib. de prædestinat. Sanctorum c. 18. vbi ait; Aug. non esse dictum, quia eramus, aut futuri eramus Sancti, sed, *vt essemus*; qui modus loquendi significat solum causam finalem, supra explicatam; & eodem modo loquitur ad Thimot. 4. *Misericordiam à Domino consequutus sum, vt essem Fidelis*; hoc autem pacto sine dubio potuisset Deus omnes eligere. Rom. 9. *Cum nõdum nati essent, atque quicquam boni, aut mali egissent, vt secũdum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior seruiet minori*; vbi propositum Dei vocantis dicitur fuisse secundum electionem Diuinam, & non ex operibus, excludendo omnia opera; & ibidem: *Non est volentis, neq. currentis, sed Dei miserentis*; & infra: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*; & vlterius: *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*; vbi etiam D.Paul. soluit aliquas obiectiones, vt infra dicemus; & c. 11. ita habet; *sic etiam in hoc tẽpore Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt; si autem gratia iam non ex operibus, &c.* vbi demum concludit: *O altitudo diuitiarum, &c. Quis .n. cognouit sensum Dñi; aut quis Cõsiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, &c.* & passim hoc idem habetur in Paulo; immò Concilia, & Patres nil aliud clamitant; quàm Pauli verba; sed longum esset tot loca adducere; legite recentiores. Nec aliqua indiget hæc conclusio peculiari ratione; sed dicta in superioribus sufficiunt, præsertim in conclusione secunda: nam tum hæc quinta, cum etiam quarta nil aliud dicunt, præter illud, quod statuimus illa conclusione secunda.

§. VII.

13 Sed quid dicendum de reprobatione? poterit ne huius aliqua causa assignari ex parte reproborum? Sit sexta conclusio: sicuti reprobationis; prout opponitur glorificationi, potest assignari causa, ex parte reprobi, s. peccatum; ita eiusdem, prout negatiuè opponitur prædestinationi; & idem est, ac non prædestinatio, non potest assignari causa, absolutè, & simpliciter ex parte reprobi; & idem dici debet de reprobatione, prout idem esse potest, ac non electio. Sumitur hæc conclusio ex D.Tho. art. cit. ad 3. prima autem eius pars nota est ex dictis: secunda probatur; quia prædestinatio non est ex meritis; ergo neque Reprobatio, prout idem est, ac non prædestinatio, & à quibusdam appellatur, Reprobatio negatiua; est. n. eadem ratio vtriusquè. Secũdò,

6. conclusio. An possit assignari causa Reprobationis ex parte reprobi?

D.Th.

dò, quia non poteſt aſſignari vlla ratio, aut demeritum ex parte reprobi, quod antecedat negationem prędeſtinationis; ſi.n. homo fuiſſet prædeſtinatus, nullum tale demeritum habuiſſet, vndè damnaretur; immò etiam ipſum peccatum originale, propter quod, ſolum, aliquis reprobus damnatur, ſupponit negationem prædeſtinationis ipſius; ſed reuera negatio prædeſtinationis, ita abſolutè conſiderata, non poteſt dici reprobatio; niſi in quãtum connotat voluntatem Diuinam permittendi, quod aliquis incidat in peccatum, & in eo moriatur, & propter ipſum damnetur: alioquin etiam homo creatus in puris naturalibus, ſine ordine ad gratiam, poſſet dici reprobus; quia non eſſet prædeſtinatus; quod eſt falſum: & propterea propriè reprobatio, vt opponitur, veluti oppoſitiuè, ipſi prædeſtinationi; (vt ſupra vidimus cum D. Th.o) conſiſtit in prouidentia quadam permiſſiua peccati hominis, ex qua ſequatur dãnatio.

7. concluſio. 14 Septima concluſio: Reprobatio, vt propriè opponitur prædeſtinationi, vt dicit volnntatem antecedentem eligẽdi talem ordinem rerum, in quo permittatur, quod quis incidat in aliquod peccatum, vnde ſequatur eius damnatio; abſolutè, & ſimpliciter, ſi comparetur ad totum ſuum obiectum, nõ habet cauſam ex parte reprobi: ſacta autem aliqua ſuppoſitione, habet cauſam ex parte cauſarum ſecundarum. Sumitur etiam hæc cõcluſio ex eadem reſponſione ad 3. & ratio primæ partis eſt; quia voluntas Diuina, qua Deus eligit talẽ ordinem rerum, in quo præuideret, hunc hominem, per peccatum à ſe permittendum, fore damnandum, nulla prorſus ſupponit merita, aut demerita hominum, quæ poſſint eſſe cauſa, cur Deus ita voluerit; ergo, vt ſic, non habet cauſam ex parte hominum; ſed in hac voluntate primò conſiſtit reprobatio, ergo, &c. Antecedens maioris probatur; quia antè illam voluntatem non præcedit, niſi ſcientia conditionaliũ; merita autem, aut demerita, ſub conditione præuiſa, non ſunt ratio merendi, aut demerendi; vt ſupra vidimus; & conſequenter, talis voluntas non habet cauſam ex parte hominum.

15 Ratio ſecundæ partis eſt; quia poſito, quod Deus, voluntate antecedenti, voluerit omnes homines ſaluos fieri; & elegerit talem ordinem rerum, in quo ipſe præberet omnibus media ſufficientia ad ſalutem, ſecundum quãdam legem ordinariam, à ſe præfixam; quod poſtea, voluntate quandam conſequẽti, permittat in his hominibus peccatum, in quo, vel integra reprobatio conſiſtat; vel initium reprobationis; poteſt aſſignari cauſa ex parte voluntatis creatæ, ſiuè propriæ, ſiuè alienæ; in qua contineatur propria; & ex ipſa exigentia cauſarum.

§. VIII.

16 AD hoc autẽ notandum eſt; quod aliqui ſunt reprobi ſolum propter originale contractum, in quo moriuntur antè vſum rationis, vt ſunt pueri illi, qui moriuntur antè receptionem Sacramenti; aliqui verò ſunt reprobi, etiam propter peccata propria actualia, in quibus moriuntur. Poſito ergo, quod Deus, voluntate illa antecedenti, voluerit omnes homines ſaluos fieri; atq; adeo dederit primò ipſi Adam, vt capiti hominum, gratiam ſufficientem, qua ipſe perſeueraret, & in eos ſanctificantem gratiam trãsfũderet; quod ipſe Adam peccauerit; & Deus permiſerit eius peccatum, poteſt aſſignari pro cauſa, ipſa exigentia voluntatis Adæ, quæ fuit prædeterminatiua voluntatis Diuinæ, vt permitteret illud peccatum, quod tamen Deo maximè diſplicebat. Quod autem poſtea homines naſcerentur in peccato originali, poteſt aſſignari cauſa, ipſum Adæ peccatum, in quo continebãtur omnes hominum voluntates; quod autem aliqui moriantur ante vſum rationis, oritur ex exigentia cauſarum ſecundarum, & corruptibilitate creaturæ. Quantum vero ad adultos, poſita gratia ſufficienti, qua vitare poſſunt peccata; cur permittat hunc peccare? poteſt etiam aſſignari pro cauſa, ipſa exigẽtia voluntatis ipſius; & cur permittat mori in peccato? poteſt etiam aſſignari pro cauſa, ipſa voluntas, quæ nunquam voluit reſipiſcere à peccato, cooperando vocationibus Diuinis; & propterea dixi; quod, Reprobationis, prout ſignificat volũtatem permiſſiuam, vt aliqui incurrant, & moriantur in peccato, poteſt aſſignari cauſa ex parte cauſarum ſecundarum; facta aliqua ſuppoſitione: abſolutè autem non poteſt aſſignari vlla ratio; pręter voluntatem Diuinam: quod .n. Deus elegerit hunc ordinem rerum, in quo futura eſſet hæc ſuppoſitio, & exigentia cauſæ: & non potius alium, in quo haberent omnes gratiam efficacem finalem; Nota.

lem; nulla est ratio ex parte causæ secundæ; nec hoc indiget alia explicatione. Legi etiam potest D.Tho. art.3. & q.22. art.2.ad 4.& in 1.dist.40.q.4. præsertim ar.2.

Nota discrimè inter prędestinationè, & reprobationem.

17 Et in hoc maximè differt prædestinatio à Reprobatione; nam prædestinatio cũ consistat in ipsa præparatione, & positione mediorum, vnde sequatur, vel immediatè salus in pueris, vel merita in adultis; non potest habere causam, ex hac suppositione: quia hæc suppositio mediorum est effectus prædestinationis; & consequenter, ipsamet exigẽtia,& bonus vsus voluntatis humanæ, quæ consequuntur ad talia media, sunt etiam effectus prædestinationis, directè à Deo intenti. At verò reprobatio non consistit in positione mediorum sufficientium ad salutem, quæ Deus omnibus præparauit: sed consistit in permissione peccati, quæ supponit exigentiam voluntatis humanę rebellis Diuinæ voluntati. *Quod* discrimè rectè est aduertendum; nam, quantum ad operationem, & actum secundum, potest quidem assignari causa, cur Deus concurrat cum hac voluntate, ad hunc actum bonum; quia .s. ita exigit voluntas hæc, prę mota gratia efficaci; sicuti potest assignari causa, cur concurrat cum alia voluntate ad actum peccati; quia .s. ita exigit voluntas illa, ex sua malitia; tamen illa prior exigentia dependet ab alio dono antecedenti gratiæ efficacis, datæ ad hunc finem; & ita supponit prædestinationem. Vnde hæc exigentia non potest esse causa prædestinationis; At verò in secundo casu, illa exigẽtia ad peccatum, adæquatè est à voluntate creata; nam quicquid est ex Deo, ante illam, est donum Dei, potius auertens à peccato; vnde in ipsa permissione peccati primò cõsistit reprobatio; quæ permissio supponit exigentiam, & nullo modo est causa peccati, vt diximus supra, &c.

§. IX.

Deus nũquã habuit volũtatem efficacem damnãdi aliquem, nisi post præuisum peccatum.

18 EX his infertur primò; Deum ex nullo signo habuisse voluntatem efficacem damnandi aliquem, nisi post præuisum peccatum; atq. ita, si reprobatio accipiatur pro hac volũtate efficaci, supponit peccatum; & nullo modo est causa illius; probatur, quia in primo illo signo, in quo intelligimus, Deum efficaciter elegisse aliquos ad salutem per media dãda; alios autem non elegisse, simul intelligimus, fuisse voluntatem saluandi omnes; licet non fuerit efficax, quoad omnes; & consequenter non fuit voluntas efficax damnandi aliquem. Et confirmatur, quia si in eo priori fuisset absolutè talis voluntas efficax damnandi aliquem; vtiq. per peccata futura; atq. adeo talis voluntas fuisset causa peccatorum; quia qui voluntate antecedenti, & absoluta vult aliquem finem, vult etiam media necessaria ad finem; sicuti voluntas illa antecedens, qua Deus voluit efficaciter gloriam aliquibus per merita, fuit vera causa meritorum; in secundò autem signo, in quo intelligimus, Deum disponere media pro electis, ex vi voluntatis antecedentis; intelligimus etiam, pro reprobis disponere media sufficientia, ordinata ad eorum salutem, ex eadem vi voluntatis antecedentis; & sic adhuc non intelligimus efficacem voluntatem damnandi aliquem; sed solum concomitanter intelligimus permissionem peccati explicatam. In tertiò demum signo, posito peccato, intelligimus voluntatem efficacem damnandi hos, uel illos.

19 Demum colligitur, si respiciamus peccatum originale, posse assignari causam, cur homines illud contrahant; peccatum, .s. Adæ; cur autem Adæ permiserit Deus tale peccatum? absolutè non potest assignari causa ex parte Adæ: ex suppositione tamen explicata, potest; cur autem pueri aliqui moriantur in peccato illo, ante usum rationis? Duo quæri possunt: cur moriantur ante usum rationis? & huius rei, dixi, posse assignari causam, exigẽtiam ipsam causarum secundarum. Secũdò; cur moriantur sine beneficio Sacramenti, atq. adeo Deus permittat illos ita mori? & huius potest assignari causa aliqua, cur Deus hoc iustè permittat, .s. indignitas subiecti; posito, quod ex alia parte cursus naturæ exigat, ut moriãtur, antequam aliquis succurrere illos possit per Sacramentum, secundum legem Dei ordinariam; cur autem permittat Deus, hos potius carere beneficio Sacramenti, quam alios sibi similes? non potest assignari alia causa ex parte ipsorum, sed ex misericordia Diuina, quam uult his pręstare, & non alijs. Nota.

20 Similiter; quoad adultos, siuè retineant originale; siuè illud deletum sit per Sacramentum, cur permittat hos potius primo peccare, quàm alios? absolutè nõ potest assignari causa ex parte ipsorum, sed ex misericordia Dei est, ut aliqui nõ pec-

peccent: ex suppositione tamen explicata, potest assignari causa; cur autem permittat hos potius mori in peccato, quam alios peccatores, cum æquè sint indigni? potest, & non potest eodem modo assignari causa. Ex hac autem permissione, & negatione beneficij maioris, dicitur Deus illos odio habere. Plura de reprobatione legi possũt apud Suar. lib. cit. toto lib. 5. Vasq. artic. 2. & alios; in quibus aduertendum est, quid nomine reprobationis, hoc, vel illo loco intelligant; ne videantur inter se nimis contrarij; parum autem curandum est de nomine, vbi non sit quæstio de illo. Suar. Vasq.

21 Restant nõnullæ obiectiones soluendæ, quæ adduci solent contra doctrinam à nobis positam, qua statuimus, prædestinationem, quoad integrũ suum effectum, non habere causam ex parte hominum; & similiter reprobationem, in aliquo sensu; vndè totum hoc negotium videtur primo reduci in voluntatem Diuinam. Contra quam doctrinam duo genera argumentorum fieri solent: primum est eorum, quibus videtur ostendi, quod ex hac positione sequatur aliquod absurdũ; secundum eorum, quibus videtur probari, posse hoc negotium non pendere simpliciter à voluntate Diuina.

CAPVT III.

Soluuntur nonnullæ obiectiones.

§. I.

1. obiectio est absurdo. 1 Obijcies ergo primò: si Deus, absque vllo ipsorum meritò, aut ratione, aut dispositione, &c. hos potius prædestinauit, quàm alios, videtur fuisse acceptator personarum, aut iniustus, aut crudelis, quod inæqualibus æqualia præparet. Respondeo ex D. Tho. ad 3. & sæpè alibi, ex communi Doctorum sententia, desumpta ex D. Paulo cap. 9. ad Rom. neg. seq. nam acceptatio personarum (vt dici solet in materia de iustitia) non est, nisi vbi est debitum, maximè in distributionibus, quæ debentur ex iustitia; & consistit in eo, quod præferatur indignus digno; aut aliquid simile, contra debitum talis iustitiæ; At verò distributio gratiarum à Deo facta, quã- Solutio notanda. ex D. Thom. & D. Paul.

tum spectat ad nos, fuit opus meræ misericordiæ, neque vllum debitum, aut dignitatem præsupponebat in malis; & ideò non potest hic cadere acceptatio personarum; & consequenter, neque vlla iniustitia: neque enim qui det eleemosynam, si plus vni dat, quàm alteri, dicitur acceptator personarum; neque si Princeps, ex decem morte puniendis, duos, vel tres, arbitrio suo, gratis liberet, erit iniustus; multò minus in casu nostro; cum Deus secũdum legem suam ordinariam nulli desit, quantum sufficit. Et propterea, etiã nullo modo est crudelis, sed prudens, & sapientissimus gubernator; nam ad pœnam neminem destinat, nisi supposita culpa; & culpam conatur impedire, quantum expedit gubernatori, & conditori hominum; sicuti non esset crudelis ille Dux, qui diligenter prouideret Regno suo in omnibus necessarijs ad vitam, & pacem populorum; etiam si multi, vitio suo, tali fructu careant, & puniantur. Quod si Rex aliquos domi suæ suis expensis aleret, & particulari quadam Prouidẽtia custodiret; non proptcrea esset vlli iniuriosus, aut crudelis.

§. II.

2 Obijcies secundò: si ita illud esset, daretur occasio hominibus desperandi aut malè viuendi; quam etiam obiectionem tetigit D. Paulus ibidem. Respondeo tamen: hominibus quidem stultis, dari hanc occasionem, seu potius ipsos hinc sumere hanc occasionem: non autem prudentes; nam secũdum rectam rationem ita deberet homo discurrere: posita ea veritate, si sum prædestinatus, certum est, quod hæc prædestinatio dicit ordinem ad opera à me facienda per Dei gratiam; & quidem, cum difficultate, & pugna, & victoria passionũ, & tẽtationum: nil enim magis peruium est in Scripturis sacris, quam, vitam nostram, & maximè, electorum, esse pugnam, & militiam: & Regnum Cœlorum vim pati, &c. si ergo sum prędestinatus, debeo conari hæc facere, vt experiar in me effectum prædestinationis; alioquin dubitet possem, an sim reprobus? & ita Paul. 1. Cor. 9. de se dicebat. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè reprobus efficiar.* Et D. Petr. Epist. 2. c. 1. *Satagite, vt per bona opera, certam faciatis vocationem vestrã,* 2. obiectio. Solutio. D. Paul. D. Petr.

 Si

Si verò sum reprobus, certum etiam est, quod nō damnabor, nisi ex mera malitia voluntatis meæ, tanquam ex causa adęquata demeritorum; Deus enim permittit me peccare, veluti inuitus; & ego, aliàs possum non peccare; & deberem non peccare; quare conari etiam debeo ad fugiendum, omnibus viribus, peccatum, ne sim Deo iniuriosus; & vt, saltem, minorem pœnam in Inferno habeam: & hunc discursum prudens semper habere deberet, etiam si esset reuelata illi sua reprobatio; cū alioqui sciat, ex hoc nullam posse transferri culpam in Deum: stultus autem, etiam si Deus omnes prædestinasset, adhuc inferret easdem causam; quod scilicet tandem saluabitur, quicquid ipse nunc faciat: debet ergo homo semper sperare de Diuina misericordia, & operari benè, quantum potest.

§. III.

3. obiectio. 3 Obijcies tertiò D.Paul. loc. cit. videtur ita loqui de reprobis, ac si directè à Deo fuerint facti, vt damnentur; sicuti etiam prædestinati, vt saluentur; vndè videtur magis augeri desperatio, & murmuratio hominum contra Deum: antecedens probatur primò ex ijs verbis, quæ citat de Pharaone ex c.9. Exodi. *In hoc excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*: & concludit Paulus: *ergo, cuius vult miseretur, & quem vult indurat*; Postea verò, soluens prædictam obiectionem, respōdet, neminem posse dicere Deo, cur ita fecerit. *Quia sicut figulus habet potestatem faciendi ex eadem massa, aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam: ita & Deus circa homines, &c.*

D.Paul.

Solutio. 4 Respondeo, negando antecedens; sensus autem Pauli solum fuit, eo loco; quod Deus, ad aliquos bonos fines, potest permittere peccatū, absq. eo, quod aliquis iustè conqueri possit: & illud quidem de Pharaone intelligitur, conditionatè; quod, scilicet, excitauerit illum Deus; vt si noluerit dimittere populum suum, ostenderet in eo virtutem, & fortitudinem suam; sicuti fecit, tot plagas immittendo: dicitur autem Deus, quem vult, indurare; etiam permittendo, & subtrahendo peculiaria quædam beneficia, quæ non tenetur dare. Illa autem similitudo de luto, & figulo; nō est quoad omnia: sed quoad hoc præcisè; quod, scilicet, sicut lutum non potest coqueri, si fiat vas in contumeliam; quia nulla est in eo dignitas, vndè exigat contrarium; ita homo neque potest cōqueri, si Deus permittat illum peccare, & fieri vas in contumeliam, propter similem causam; Immò potius à fortiori; quia talis permissio est secundum exigentiam voluntatis ipsius. Quod autem D. Paulus loquatur de sola hac permissione, constat; quia statim subdit; *Quod, scilicet, Deus, volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, &c.* Si enim sustinuit in multa patientia; ergo non directè destinauit ad hæc peccata, aut ad pœnam; sed Deus vult ostendere iram; posito, quod ipsi peccent, & à peccato nollnt resurgere; cum tamen a Deo sustineantur, vt resurgant: nihil ergo D. Paul. hoc. loc. voluit; & D.Tho. eum secutus ad 3. nisi quod sup. diximus, circa reprobationem.

§. IV.

5 Quarto obijcies: si prædestinatio omninò gratuita esset, frustra homines orarent; & frustra essent exhortationes ad bonum; & alia similia; nam, neque ex oratione nostra, neque ex vllo alio opere dependet prędestinatio. Respōdeo, negādo has sequelas; quamuis enim prædestinatio non pendeat ex his rebus, tanquam ex præexistentibus meritis; tamen per has res exequutioni mandatur: obiectum enim, & effectus prædestinationis sunt ipsa bona opera, ex gratia procedentia; & in primis, vera, & feruens oratio; & propterea, rectè hortamur omnes ad huiusmodi opera: sæpè enim huiusmodi exhortationes sunt media prædestinationis ipsorum. 4. obiectio. Solutio.

6 Quintò obijcies locum Pauli Roman.8. vbi sic habet; *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti; nam quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri immagini filij sui; quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit*; Ex quo integro discursu videtur colligi hic sensus: in primis, illis verbis, *Quos præsciuit, & prædestinauit*: idest, 5. obiectio. D. Paul.

quos

quos præsciuit, hos prædestinauit; ergo præscientia præsupponitur ad prædestinationem; sicuti prædestinatio ad vocationem; vocatio ad sanctificationem; sanctificatio ad glorificationem; sed ante prædestinationem non potest intelligi, nisi præscientia operum à libero arbitrio: ergo ex his pendet prædestinatio.

Solutio. 7 Respondeo neg. min. D. .n. Paul. loquitur de præscientia, quæ pertinet ad simplicem intelligentiam: at verò ante prædestinationem est scientia omnium operum, sub conditione futurorum, per ipsam gratiam; loquitur autē ibi d. Paul. de hac præscientia, in quantum est præscientia approbationis; vt sensus sit; *quos Deus præsciuit*; præscientia hac approbationis, .i. quos Deus elegit, *hos & prædestinauit, &c.* Vndè ex hoc potius confirmatur nostra doctrina, de electione antecedenti supra posita.

6. obiectio. Aug. 8 Obijcies sextò locum Augustini in lib. 83. quæstionum q. 68. vbi, ex occasione, loquens de illis verbis Apostoli. *Cui vult miseretur, & quē vult indurat*; subdit; *Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest; venit.n. de occultissimis meritis.*

Aliquorum solutio vetior solutio Aegid. Respondent aliqui D. Augustinum retractasse hanc sententiam. Sed quicquid sit de hac re, Respondeo, illum locum non esse contra nos; loquitur .n. Augustinus, non de tota serie obiecti reprobationis: sed de induratione, & impœnitentia, quæ oritur ex subtractione quorundam specialium auxiliorum Dei, posita malitia volūtatis humanæ: hæc autem subtractio iustè fit a Deo, in pœnam demeritorum præcedentium (vt dici solet in materia de pœnitentia.) Quod autem sit hic sensus Augustini, constat ex ipso contextu; &

Aegid. ita Respondet Aegid. ad 2.

§. V.

7. obiectio. D. Paul. 9 Septimò obijcies locum D. Pauli Rom. 11. vbi sic habet; *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei, in eos, quidem, qui ceciderunt, seueritatem; in te autem, bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioqui, & tu excideris; sed & illi, si non manserint in incredulitate, inserentur.* Ergo ex nostra volūtate oritur, vt aliquis abscindatur à Christo; vel rursus inseratur in illū; & sic, vt sit prædestinatus, vel reprobus.

Solutio. 10 Respondeo, neg. hanc vltimam consequentiam; nam D. Paul. non loquitur ibi de toto effectu prædestinationis, sed de bonitate Dei, qua incorporamur Christo per gratiam sanctificantem; & seueritate, qua priuamur huiusmodi gratia per peccatum; loquitur ergo solum de voluntate quadam consequente, dandi talem gratiam; atq. adeo, gloriam, si perseuerauerimus; aut certè, auferendi illam, si peccauerimus; quæ voluntas cōsequens supponit merita, vel demerita; & semper est conditionata: quam conditionem explicauit ibi D. Paul. Huiusmodi autem loquutiones sæpè inueniuntur in sacris Scripturis, & Patribus; neq. quicquam faciunt cōtra doctrinam positam; huc autem spectat sententia illa Eccles. Eccles. 15. *Deus ab initio constituit Hominem, & reliquit illum in manu consilij sui; adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te; apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris extende manum tuam, &c.* Hæc autē, & similia indicant, in potestate hominis esse, posito Dei auxilio, benè, vel malè viuere; pœnā mereri, aut præmium, quod non negamus.

11 Octauò obijcies: Deus certò scit, quod nemo saluabitur, nisi sit prædestinatus; ergo, in eo priori, in quo intelligitur, aliquos prædestinasse, & non alios; scit, alios non fore saluandos; ergo iam illos reijcit, & reprobat, antequā videat eorum demerita. 8. obiectio.

12 Respondeo, neg. hanc vltimam consequentiam; si accipiatur, nomine reprobationis, propriè; quamuis .n. sciat, scientia simplicis intelligentiæ, non fore saluandos: tamen ipse habet voluntatem sufficientem, vt saluentur; vnde præparat illis media sufficientia ad salutem; & ita non reijcit, neq. reprobat, propriè; nisi, nomine reprobationis, intelligatur illa negatiua, quæ est, non electio, & nō prædestinatio, (vt supra adnotauimus.) Solutio.

13 Item, pro illo priori non seligit Deus gratias incongruas pro reprobis: quia videt esse incongruas; sed, in quantum sunt gratiæ sufficientes, per quas homo potest operari: licet permittatur carere effectu; ita exigente hominum malitia; quæ tamen permissio, & negatio gratiæ congruæ nullo modo est causa peccati (vt explicatum est supra.)

14 Obijcies nonò: si prædestinatio gratis facta est, cur Deus paucos prædestinauit, in comparatione reproborum? Respondeo, huius rei aliquam congruitatem afferri posse ex eo, quod solius hominis est summa perfectio eius: ad perfectum 9. obiectio. Solutio.

fectum autem, in omni prorsus re, pauci sunt, qui perueniunt, vbi requiritur hominum comparatio; vt constat ex inductione; licet ergo prædestinatio non sit ex meritis; dicit tamen ordinem ad illa; hæc autem merita summam altitudinē; & consequenter, difficultatem, habent: & hinc est, vt pauci sint, qui hunc attingant. Ceterum melius respōderetur, quod huius rei causam nouit solus Deus.

Melior conclusio.

§. VI.

10. obiectio. 15 Obijcies decimò. Reprobus, p gratiam sufficientem, quam habet à Deo, potest absolutè, & simpliciter benè operari, & non peccare, etiam vsq. ad finem vitæ; ergo potest saluari; sed si saluaretur esset electus, & prædestinatus; ergo, saltem, posita volūtate Dei illa antecedenti, qua vult omnes homines saluos fieri, & ex qua oritur, vt det illis media sufficientia ad salutem; in potestate hominis est, vt sit electus, & prædestinatus; & ex hac suppositione, videtur posse assignari causa, cur hic homo non sit prædestinatus? malitia. s. voluntatis illius: & ita omnis reprobus adultus, si voluisset, potuisset facere, vt esset prædestinatus. Maior multis modis probari potest. Tùm ex conditione gratiæ sufficientis; tùm ex intētione voluntatis Diuinæ, dantis talem gratiam; tùm ex comminationibus, quæ fiunt contra huiusmodi homines, si non impleant Diuina mandata, & cooperentur Dei vocationi; tùm ex ijs, quæ diximus, de permissione peccati, quæ supponit exigentiam voluntatis, tanquam causam adæquatam peccati: ex quibus omnibus infertur, hominem cum tali gratia posse non peccare, & posse conuerti, &c.

Occurritur communi responsioni. 16 Quod si dicas, hominem posse quidem, cum tali auxilio, benè operari; sed tamen, infallibiliter non fore operaturum. Nihil hoc refert; nam adæquata causa, cur non faciat? est ipsum liberum arbitrium, quod potest facere contrariū, absolutè, & simpliciter; & quod Deus præuideat, hunc hominem cooperaturū suæ gratiæ, oritur ex ipso libero arbitrio, volente cooperari; & Deus vidisset contrarium, si contrarium fuisset futurum; quod autem non fuerit futurum, Deus nullo modo est causa.

Solutio. 17 Respondetur, concedendo totam mai. & min. neg. tamen consequentiam: ex eo. n. argumento solum sequitur hoc; quod, posita voluntate Dei illa antecedenti, in potestate hominis adulti est, vt saluetur, vel damnetur; non autem, vt sit electus, vel prædestinatus; nam prædestinatio consistit in præparatione beneficiorum, & collatione eorum, ex præsciētia, quod habitura sint effectum infallibiliter; & licet futuritio effectus dependeat etiam à voluntate, simul cum gratia: tamen, quod præparetur homini tale beneficium, non dependet à voluntate; & propterea prædestinatio non est simpliciter dependēs à voluntate: sed solum aliquis effectus ipsius, s. cooperatio ad gratiam; at vero quod est causa posterioris, non est necesse, quod sit causa prioris; quod ergo est causa operationis, non est necesse, vt sit causa principij operādi, quod est auxilium gratiæ; quamuis ergo, si homo cooperaretur gratiæ, esset electus, & prædestinatus; hæc tamen cooperatio nō esset causa: sed effectus prædestinationis (vt supra ostendimus de ipsis prædestinatis.)

18 Sed dices vlterius. Hæc responsio benè ostendit, quod voluntas hominis cooperantis non potest esse causa, cur detur illi talis gratia; & consequenter, nō potest esse causa prædestinationis, secundum quod prædestinatio dicit voluntatem dandi talem gratiam; poterit tamen esse causa, cur voluntas dandi talem entitatem gratiæ sit prædestinatio; nam, sine dubio, si Deus præuidisset, quod hic reprobus benè vsurus esset beneficiis gratiæ, quæ de facto recipit; vtiq. eadem beneficia dedisset; aliter. n. sentire de Deo, absurdum videtur, posita voluntate illa antecedenti, qua vult omnes homines saluos fieri; & propterea præbet auxilia gratiæ; ergo si illud præuidisset Deus, dedisset tale auxilium titulo beneficij efficacis; & ita, illum prædestinasset: quod autem hoc non præuiderit, pendet ex malitia voluntatis illius, nolētis concurrere cum Diuina vocatione: ergo, à primo ad vltimum, posita illa Dei voluntate, in manu hominis fuit, vt illa esset, vel non esset prædestinatio. Replica contra solutionē

19 Respondeo tamen, negando consequentiā hanc vltimam, & similes alias; quamuis. n. Deus verè præuiderit, illam gratiam nō habituram effectum, ex malitia voluntatis: & quod, si voluntas voluisset, habitura esset effectum; tamen hæc præuisio operationis, sub conditione, non potuit esse ratio, cur Deus illam gratiam daret (vt supra diximus.) Solutio.

20 Secundò, neq. potest esse ratio, cur talis

talis voluntas ſit prædeſtinatio, nam cooperatio liberi arbitrij non eſt cauſa, cur gratia ſit efficax in actu primo: ſed ſupponit illam in actu primo efficacem; quarè ſi Deus præuidiſſet, hūc hominem cooperaturum tali gratiæ; iam præuidiſſet talem gratiam, antecedentem ad hāc cooperationem, eſſe ex ſe efficacem in actu primo; & conſequēter, ſicut cooperatio illa non eſt cauſa, aut ratio, quarè principium ſit efficax; ſed ſolum eſt ſignū à poſteriori; ita neq; eſſet ratio, cur volūtas dandi talem gratiam eſſet prædeſtinatio: ſed potius ſupponeret prædeſtinationem; ſicuti de facto contingit in prædeſtinatis; & ex his colligi poſſunt ſolutiones ad ſimilia argumenta.

§. VII.

21 ET ex dictis facilè colligi ēt poteſt, quomodo, cum prædeſtinationis infallibilitate, non tollatur: immò omninò ſupponatur libertas arbitrij humani? & quomodo prædeſtinatus poſſit, vel nō poſſit damnari? poteſtate .ſ. antecedenti, vel conſequenti: & ita pariter reprobus poſſit, vel non poſſit ſaluari; vbi tantum illud not. eſt, quod addit D.Th.ar.6.ad 1. ſuper illa verba Apoc.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; ſuper quæ Aug. lib. de corrept. & gratia c.13. ait; *quod alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit*; vnde uidetur ſequi; quod corona, quæ eſt prædeſtinationis effectus, poteſt acquiri, & perdi: & ſic nō erit certa prædeſtinatio. Ad quæ Reſpondens D.Th. hanc tradit doctrinam: quod merces, & corona iuſti poteſt dupliciter conſiderari. Primò ſecundum præſentem iuſtitiam, in qua hic, & nunc homo reperitur; & ſic poteſt iuſtus amittere coronam ſuam, & alius illam habere: & de facto ſępè id contingit: cum prædeſtinatus mortaliter peccat, amittit præſentem gratiam; &, cum illa, ius, quod habebat, pro eo tunc, ad gloriam: & cum reprobus conteritur, & iuſtificatur, acquirit, ſecundum præſentem iuſtitiam, ius ad gloriam. Secundò poteſt conſiderari corona, ut ſtat præcisè ſub prædeſtinatione alicuius: & ſic nullus prædeſtinatus amittit coronam ſuam: quia nullus damnabitur: amittere .n. coronam, prout reſpicit prædeſtinationem, eſt amittere illam finaliter, quæ etiam doctrina ad alia deſeruire poteſt.

Explicatur illud Apoc. 3 Tene quod habes, &c. Aug.

D.Th.

22 Adnota tandem cum D.Tho.art.7. quod adeò infallibilis eſt hæc Diuina prædeſtinatio, ut certò ſciat Deus ſaluādorum numerum præfixum; non ſolum formaliter: quia .ſ. Deus ſcit, quot ſint ſaluandi: ſed etiam materialiter: quia ſcit, qui nam ſint iſti ſaluandi: & hoc ſecundum non ſolum eſt certum, certitudine ſcientiæ: ſicuti ſcit Deus, quot ſint arenæ in littore maris: ſed etiam certitudine particularis electionis: quia .ſ. ex ſua uoluntate ipſe hos elegit: & ſic non poteſt addi, nec minui huic numero ſaluandorum: licet numero prædeſtinatorum ad præſentem iuſtitiam, poſſit fieri additio, &c. ubi etiam concludit, quod, licet aliqui dixerint, tot eſſe prædeſtinatos, quot Angeli è Cęlo ceciderunt: ſeu quot remanſerunt: ſeu quot fuere Angeli creati: tamen illud uerum eſſe, quod ſoli Deo cognitus eſt numerus electorum, in æterna felicitate locandus.

Deus ſcit numerū ſaluandorū. D.Th.

Finis Quodlibeti Decimiquarti.



QVODLI-

QVODLIBETVM DECIMVMQVINTVM.

De Sacramentorum Essentia; & requisitis ad eorum quidditatem:

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum Sacramentum verè Sanctificationem homini conferat, vel significet?

CAPVT PRIMVM.

Titulus exponitur; & tres sententiæ referuntur.



§. I.



Suar.

NE in æquiuoco laboremus; primò, breuiter videndum nobis est, quid ly *Sacramẽtum* significet? siquidem (vt annuit Pater Suar. to.3. in 3. par. in præfat.) huius temporis hæretici etiam nomẽ ipsum reijciunt, in ea significatione, qua a Catholicis vsurpatur; quia in sacris Scripturis, & Sãctis Patribus minimè vsitata eis visa est.

Variæ nominis *Sacramenti* vsurpationes.

Itaque hæc vox, *Sacramentum*, variè solet vsurpari, tùm a Prophanis, tùm etiam ab Ecclesiasticis Scriptoribus (vt docent Martin. Bonac. in tract. de Sacrament. in prin. Suar. loc. dit. Candelab. aureum in de Sacramentis in Gen. num. 2. & alij,) aliquando enim accipitur pro *Secreto*: iuxta illud Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere, bonum est.* Et Dan. 2. *Quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.*

Bonac. Suar. Candel. Aureum.

Tob. 12. Dan. 2.

Aliquando per iuramento, vel pro eo, quod iuramento affirmatum est: quę vsurpatio in iure præsertim, est frequẽs, l. *Sacramenta puberum*, C. *si aduersus venditionem*, & in cap. *Sacramentum autem*, 2. q. 4. Vbi habetur, quod *Sacramentum iuramenti à Sacerdotibus non recipiatur.* Et in Conc. Tolet. 11. c. 9. & sæpè alibi.

L. Sacramenta Puberum, C. si aduer. vendit. Cap. Sacramentum autent. 2. q. 4. Conc. Tolet.

Aliquãdo significat Pignus quoddam, vel pecuniam, quam litigãtes apud Pontificem deponere solebant; vt qui causam perderet, pecuniam suam ammitteret, quæ ærario publico applicabatur: & Sacramentum dicebatur, eo quod in loco sacro seruaretur: ita Varro lib. 4. de lingua latina. relatus a Suar. & colligitur ex Cicer. epist. 110.

Varro. Cic.

Aliquãdo vsurpatur pro mysterio: ad Timot. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum*. Vbi in Græca æditione habetur, *Mysterium*, sic Sap. 2. *Nescierunt Sacramentum Dei.*

Ad Tim. 3. Sap. 2.

Et tandem (relictis alijs vsurpationibus huius vocubuli) strictius, & rigorosius apud Sanctos Patres, Cõcilia, & Catholicos hæc vox, *Sacramentum*, significat rem Sacram; seù quædam specialia signa sensibilia, spiritualem gratiam continentia, ac significantia: ita vsurpa-

tur

Conc. Lateran. Florent. & Trident.

tur hæc vox à Conc.Lateran. sub Innocent.III. à Constantien. Florent. & Trident.ita ab omnibus Sanctis Patribus.Et addit idem Suar. Græcos vti voce, *Mysterium*, in eadem significatione; vt videre est apud Conc. Nicenum can.14. vbi Interpres vertit, *Sacramentum*; alij vocāt sacra, aut mistica symbola. ita Dionis.de Eccles.Hierar.& Basil.in exhortat.de Baptis. Legantur etiam Belarm.lib.1.de Sacram.c.2. Nauar.in sum.c.22.n.1.Valent. to.4.disp.3.q.1.punct.1.Henriq.lib.1.c.2.n.1.Nuñez in 3.p.S.Th.in sua præfatione significat.5. Coninch.de Sacrament. in gen.q.6.ar.1.Sayr.de Sacram.in gen.ar.1. Vasq.3.p.q.60.disp.128.c.1. Bonac.loc.supra cit.& alij. Et de Sacramento, sub hac acceptione sumpto, in genere, erit præsens noster tractatus. Et licet præcipuè sit nobis disputandum de his Sacramentis,quæ Ecclesiæ suæ Christus prouidit ad nobis gratiam conferendam, quæ nouæ legis sacramenta dicuntur: tamen, propter rerum similitudinem, & conuenientiam, etiam de alijs, quæ in lege naturæ,aut scripta fuerunt, quasi per occasionem,nonnulla dicemus.

Cōc. Nicen.

Dionis. Basil. Belarm. Nauar. Valent. Henriq. Nuñ. Coninc. Sayr. Vasq. Bonac.

2 Secundò not.D.Th. disputare de hac eadem re q.illa 60.cit.per multos articulos; ex quorum duobus prioribus facilè colligi potest,ex mente ipsius,quędā Sacraméti in communi diffinitio;& præsertim ex 2.in corp.vbi sic videtur diffinire Sacramentum: quod sit *signum rei sacra,in quantum est homines sanctificans*. Nec immoror modo in inquirendo: an hęc sit propria & exacta diffinitio Sacramenti? nam paulatim explicanda nobis prius sunt omnia, quæ Sacramento conueniunt; & tunc,ex illis, veram, ac completam Sacramenti diffinitionem deducemus. Deseruiat nobis tamen hæc assignata à D.Tho.qualiscunq. illa sit; vt aliqualem,saltem,Sacramenti notitiam habeamus.

Quędam D.Th. diffinitio Sacraméti in genere.

§. II.

3 NOt.est tertiò ex D.Th.p.2.q.103. art.2.duplex esse sanctitatis,seù sanctificationis genus:altera sanctitas est spiritualis,quę consistit in iustitia,& pulchritudine animæ coràm Deo; & fit per habitum charitatis,& gratiæ, in qua nostra sita est iustificatio (vt quodl.12. dictum est.) Altera est iustitia,seù sanctificatio legalis, quæ consistit in corporali munditia, & idoneitate ad cultum Diuinum; quam Paul.Hæb.9.vocat, *Iustitiam carnis*: & hæc sanctitas frequentissima erat in veteri lege. Prior dici potest,sanctitas simpliciter,& interior: secunda verò,exterior,& secundum quid,quæ in veteri testamento,(vt optimè annuit Suar. disp.1.sect.2.in prinipio) non solum de hominibus, sed etiam de alijs rebus dicitur.

D.Th. Duplex sanctitas spiritualis, & legalis.

S.Paul.

Suar.

4 Quartò not. sacramenta, ex institutione sua,duo habere: nam,& sunt ceremoniæ sacræ, quibus Deum colimus: & sunt spirituales quædam medicinæ cōtra morbum peccati;quibus nos Deo subijcimus,vt saltem operetur in nobis.Ita docent Authores antiquiores, Magist. in 4.dist.1. Guliel. Pariliens. in tract.de Sacram.in princ. Vgo de S.Victore lib.1.de Sacram.p.9.c.5. D.Tho.3.p.q.61.art.1.2. & 3.Alexand.Alen.4.p.q.1.memb.2.ar.2. Soto q.1.art.1. Cano 1.p.relect. de Sacram.& 3.p. §. *In hac ergo,&c.* quarè rectè D.Th.p.2.q.101.art.4. & q.102.art.5. ait, Sacramērum dicere ordinem ad eos, qui initiantur,vel consecrantur Sacraméto; nimirum, quia institutio Sacramenti facta est propter profectum, & sanctificationem cultorum.

Sacramentū, & est ceremonia sacra, & medicina contra peccatum.

Magist. Pariens. Vgo. D.Th. Alex. Soto. Cano.

D.Th.

§. III.

5 HIs adnotatis; sit prima sententia Domin. de Soto. & Martini de Ledesma in 4.dist.1.q.1.art.1. existimantium;de ratione Sacramenti tantum esse, significare gratiam,& sanctitatem veram animæ; sine vlla prorsus causalitate ipsius. Quæ sententia potest primò suaderi authoritate D.Th.art.1.ad 1. vbi videtur affirmare, nomine, *Sacramenti*, non denotari aliquam causalitatem,sed nudam significationem.

1 sententia Sot. Ledes.

Probatur 1. ex D.Th.

6 Secundò ex diffinitione Augustini 10.de Ciuit. c.5. quam D.Tho.loc.cit. & Scolastici omnes cum Magist. in 4.dist.1. reuerenter suscipiunt. scilicet; *Sacramentum est sacra rei signum*. In qua diffinitione, ad rationem Sacramenti sola significatio, etiam sine causalitate,requiri videtur.

2. ex Aug.

7 Tertiò, quia sacramenta antiquæ legis verè erant sacramenta, & vniuocè cum nostris,(vt infra videbimus)& tamē non conferebant sanctitatem animæ (vt diffinitum est in Conc.Florét. in Decreto Eugen.Papę)ergo ad rationem Sacramenti non est necesse, quod causet sanctitatem animæ.

3 probatur ratione.

Cōc. Florēc.

§.IV.

2.ſententia. Magiſt. Vgo.

8 Secunda ſententia eſt Magiſt. in 4. diſt.1. Vgon.de S.Victore in ſum. ſentent.tract.4.c.1.& lib.1.de Sacrament. p.9.c.1.de eſſentia Sacramenti eſſe, conferre veram animæ ſanctitatem.Quapropter,à vera ratione Sacramenti reijcere videntur omnia ſacramenta legis antiquæ: probatur autem,primò,ex diffinitione Iſid.lib.6.origin.c.19. Rabani l.1. de inſtitut.Clericor.c.24.quæ communiter cenſetur eſſe Greg. .ſ. illa eſſe ſacramenta, in quibus,ſub tegumento corporalium rerum,Diuina virtus ſecretius ſalutem operatur: ergo de ratione Sacramenti eſt,cauſare ſanctitatem animæ. Et confirmatur ex alia diffinitione, quæ habetur in Catechiſmo Conc.Trid. quam refert Bellar.lib.1.de Sacram.c.11.cum Valẽtia punct.1.videlicet: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis,& iuſtitiæ tùm ſignificandæ,tùm efficiendæ vim habet.*

Probatur 1. ex Iſid Greg.

Conf.

Cathechiſ. Belar. Val.

Probatur 2.

9 Secundo probatur ratione: quia Sacramentum eſt cęremonia religioſa, inſtituta per modum medicinæ contra morbum,& reliquias peccati(vt ex communi ſenſu DD.infra oſtendemus.) Sed medicina neceſſariò includit cauſalitatẽ aliquam ad depellendum morbum, (vt D.Tho.docet, vbi ſupra ad illud 1.)ergò, &c.

D.Th.

Probatur vlt.

10 Vltimò,quia ſacramenta non ſunt ſigna merè ſpeculatiua ſanctitatis,& gratiæ; alioqui innumerabilia eſſent ſacramenta legis Euangelicæ: ſed ſunt ſigna practica, & in actu exercito: ergo ſunt demonſtratiua gratiæ, quæ datur in illo opere.Quarè D.Tho.art.3.docet. *Sacramenta Euangelica eſſe ſigna commemoratiua præteritæ paſſionis, demonſtratiua præſentis gratiæ,& pronoſtica futuræ gloriæ.*

D.Th.

3. ſententia media.

11 Inter has extremas ſententias,eſt opinio media,quæ affirmat; de ratione Sacramẽti eſſe,conferre ſanctitatem aliquam,ſaltem legalem, & corpoream, ſiuè ſecundum quid: & non ſufficere nudã ſignificationem ſanctitatis.Ita Cano 5.p. relect.de Sacramentis in fin. Suar.diſp.1. ſect.2.dicto 1.& 2.Belar.l.1.cit.c.12.propoſit.1.& alij multi. Vbi not.pro modo, nos non decernere, an ſufficiat conferre legalem? erit.n.infra de hac re ſermo:ſed quærimus: an cauſent aliquam ſanctitatem?

Cano. Suar. Belar.

CAPVT II.

Statuitur vera ſententia.

§. I.

1 ET ſic,ſit prima concluſio. Sacramentum, (prout de illo nunc agimus) habet veram rationem ſacri ſigni,non ſolum ex parte rei ſignificatæ:ſed etiam ex parte rei ſignificantis:Explico ſic hoc dictum. Per rem ſignificatam,intelligo ipſas ſenſibiles res,ſeù cęremonias,quæ dicuntur Sacramentum; vt ablutio illa exterior, in Baptiſmo: Vnctio, in Extrema vnctione,&c. quæ non dicuntur ſigna, vt ſic,& naturalia; licet, ſecundum ſe,entia quædam naturalia ſint: ſed ſigna ſacra, quia inſtituta ſunt à Chriſto Domino, & ad Dei cultum ordinata: per rem autem ſignificatam,intelligo ipſam ſanctificationem,quam connotant:de ratione.n.ſigni eſt (vt dici ſolet in Summulis, & docet Auguſt.lib.2.de Doctrin. Chriſtiana c.1. circa princ.to.3.relatus à D.Tho.ar.1. in 2.argumento) quod, præter ſpeciem ſui, quam ingerit sẽſibus, faciat aliquid aliud in cognitionem venire.Vnde ablutio baptiſmalis non ſiſtit in ipſo ſolo viſibili corporis lauacro: ſed tranſit etiam vlterius,ad ſignificandam animæ ablutionẽ: en res ſignificata per externam illam cęremoniam.

1.concl.

Explicatur concl.

Signi diffinitio.

Aug. D Th.

2 Dicimus ergo in concluſione, quod Sacramentum habet veram rationem ſacri ſigni, & ex parte rei ſignificantis,& ex parte rei ſignificatę.Ita Magiſt.in 4.diſt.1.Caiet.hic ar.2.D.Tho.1.2.q.101. ar.4.& q.102.art.5. quos ſequuntur Suar. ſect.1.Bonac.q.1.punct.1.n.1.& quidem, quantum ad rem ſignificantem, probat Suar.dicto 1. quia in lege veteri omnia propriè ſacramenta erant huiuſmodi: vt, Circuncíſio,per quam homines initiabãtur, & in Dei populo conſignabantur Gen.17. Conſecratio Sacerdotum, per quam Diuino cultui dedicabantur,& ad hoc munus quodammodo ſanctificabãtur. Exod.28. Leuit.8. Agnus Paſchalis idem habuit, ſi ex ſententia D.Tho. concedamus, fuiſſe Sacramentum: licet alij ſenſiant, fuiſſe tantum ſacrificium: probabile verò cenſetur à Suar. vtramq. rationem habuiſſe, tanquam perfectam figuram noſtræ Euchariſtiæ: mactabatur enim

Magiſt. Caiet. D.Tho. Suar. Bonac. Probat Suar. ex parte rei ſignificantis.

Gen.17.

Exod 28. Leuit.8. D.Th.

enim in cultum Dei; & vt ſic erat ſacrificium: & comedebatur certo quodam ritu lege præſcripto, & tanquam cibus ſacer Deo dicatus; & vt ſic dici poteſt, fuiſſe Sacramentum: & ſub vtraq. ratione erat ceremonia illa religioſa, & per illā diſponebantur homines ad ſanctificationem aliquam, in illa lege obtinendam: vt

D.Th.

D.Tho. notauit q. illa 102. ar. 5. ergo, cum noſtra ſacramenta ſint longè digniora veteribus; vtiq. erunt etiam ſacra ſigna, quantum ad rem ſignificantem.

Conf.

3 Præterquam quod id facilè conſtat, diſcurrēdo per ſingula noſtra ſacramenta: Baptiſmus namq. dicitur, *Lauacrum regenerationis* ad Tit. 3. & tanquam

S.Paul.

prima profeſſio Chriſtianæ fidei, & vnica ianua Eccleſiæ, Regniq. Cęlorum, præcipitur Io. 3. & Matt. vlt. Item euidenter,

Io. 3. Matt. vlt.

patet de Cōfirmatione, Extrema vnctione, Euchariſtia, & reliquis. Et licet Matrimonium videatur eſſe cōtractus quidam humanus, ac moralis, ex ſe, & prout eſt à ſola voluntate humana, vt à principali cauſa: tamen, prout à Chriſto eleuatum eſt, & inſtitutum ad dandam coniugibus ſanctificationem, illi ſtatui neceſſariam, iam eſt ſacra ceremonia efficiens, quantum in ſe eſt, Sanctos coniuges, & conferens mutuæ ſanctæ dilectionis, ac charitatis vinculum. Videatur Suar. loc. cit.

Suar.

Probat etiam Suar. ex vſu ipſius vocis, *Sacramentum*; ſicut .n. (inquit) veſtimentum dicitur, quo veſtimur: ornamentum, quo ornamur: ita Sacramentum ſatis cōuenienter dicitur, quo ſacramur. Non poteſt autem quis ſacrari, niſi à re ſacra: ergò, &c.

Probatur ex parte rei ſignificatæ.

4 Quantùm verò ad rem ſignificatā, certius eſt, & communius receptum noſtrum dictum; & diffusè iuniores probāt. Hinc Græci Patres ſacramenta vocant (vt dictum eſt) *Myſteria*: ex eo, quia habent reconditam ſacram rem, atquè Diuinam. Præterquam quod, ſi Sacramētum eſt ſignum ſacrum ex parte rei ſignificantis: ergo & ex parte rei ſignificatæ. Patet conſequentia. Nam abſurdum eſſet dicere, ſacram, & religioſam ceremoniā ſignum eſſe rei prophanæ. Adde confirmationem deſumptam ex inductione ſingulorum: omnia .n. (vt diſcurrenti patebit) rem aliquam ſpiritualem, ac ſacrā annuunt, ac ſignificant.

§. II.

1. corollariū.

5 EX dictis collige; ad rationem Sacramenti requiri, quod ſit ceremonia religioſa, & ſacra: & etiam, quod ſacram rem ſignificet. Vnde tranſitus maris rubri v.g. licet fuerit ſacrum ſignum, ex parte rei ſignificatę; cum ſignificauerit ſanctitatem per Baptiſmum conferendā; vt colligitur ex 1. Corinth. 10. Et ſimiliter, Manna, ſanctitatem dandam per Euchariſtiam: & alia huiuſmodi non tamen fuerunt ſacramēta: ſiquidem non fuerunt ſacra ſigna, quantum ad rem ſignificantem.

1. Corint. 10.

In quo conueniant, & in quo diſcrepant Sacramentum, & ſacrificium?

6 Item collige; non omne id, quod eſt ſacrum ſignum vtroq. modo, eſſe Sacramentum: ſacrificium .n. etiam habet eſſe ſacram cæremoniam, rem ſacram ſignificantem; vt patet de omnibus veteribus ſacrificijs, quæ ſacroſanctam Chriſti Paſſionem ſignificabant (vt optimè docuit D.Tho. p. 2. q. 101. art. 4.) vnde Aug. 10. de Ciuit. c. 5. *Sacrificium* (inquit) *viſibile inuiſibilis ſacrificij ſignum eſt*: & tamen non eſt Sacramentum: quicquid

D.Th. Aug.

Sander. l. 1. de viſib. Monarch. c. 5. & licet

Sander.

Aug. dicat ibid. c. 20. Omnia ſacrificia vetera fuiſſe Paſſionis Chriſti ſacramenta. Vox, *Sacramenta*, eo loco, non vſurpatur ab ipſo in noſtra ſignificatione: ſed latius, pro quouis ſacro ſigno. Ratio autem diſcriminis eſt, quam deſumit Suar.

Suar.

ex D.Th. p. 2. q. 102. ar. 3. & 5. nimirum, de ratione Sacramenti, non ſolum eſſe, quod ſit ſacrum ſignum, tàm ex parte ceremoniæ, quam ex parte rei ſignificatæ: cum vtrumq. etiam habeat ſacrificium: ſed quod referatur immediatè ad diſponendum, ſeu ſanctificandum recipiētem ipſum Sacramentum ad cultum Dei. Et ſic Sacramentum videtur conſiſtere in receptione, & quaſi paſſione, quæ in Miniſtro aliquo modo ſuſcipiatur. Aſt ſacrificium potius videtur eſſe inſtitutum ad immediatè tribuendum cultum Deo, quocunq. titulo tribuatur, ſiuè Religionis, ſiuè iuſtitiæ: & ſic immediatè continet ſupremum Dei cultum; & videtur cōſiſtere in actione, ſeù oblatione, quæ immediatè refertur ad Deum. Hinc fit, vt ſacrificium poſſit à multis offerri, & omnibus prodeſſe: vſus tamen Sacramenti in vno tantum recipitur, tantumq. recipiēti prodeſt. Et licet eadem Chriſti Paſſio per ſacrificium, & Sacramentum ſignificetur: diuerſo tamen modo; per ſacrificium .n. ſignificatur, quatenus fuit obla-

tio quædam placans Deum, eiq. summũ honorem exhibens; per Sacramentum, verò, vt applicatur nobis per sanctificationem aliquam. Ita,& egregiè Pater Suar. loc.cit. Suar.

§. III.

2. conclusio. 7 Secunda conclusio: de Essentia Sacramenti est, conferre aliquam sanctitatem, siuè internam,& simpliciter; siuè externam, & secundum quid; & sic, non solum illam significare. Ita Authores cit. pro tertia sententia. Probat autem Belar. hanc conclusionem primò, quia omnia nomina similia; vt calceamẽtum, ornamentum, &c. videntur significare actionem aliquam, ergo & Sacramẽtum.

1 prob. Belar.

2 prob. 8 Secundò, quia in omni lege vsus Sacramentorum contulit aliquam sanctificationem: nam Exod.28.& Leuit.8. Ministri legis Mosaycæ consecrabantur Sacramentis ad certum vsum sui ministerij. Quod obseruauit D.Th.p.2.q.102. art.5.& q.101.art.4.ad 2. constituit differentiam inter sacrificium legis Euangelicæ, & legis Mosaycæ: nam cum sacrificium Euangelicum contineat personam Christi, quæ est fons totius consecrationis,& sanctificationis, simul est sacrificiũ, & Sacramentum: sacrificia verò Mosayca, & si repræsentent Christum, qui est Author sanctitatis nostræ: quia tamen non omnia ferebant secum consecrationem aliquam, idcircò non omnia erant sacramenta.

Exod. Leuit. D.Th. Discrimẽ inter sacrificia Euangelica, & Mosaica.

3.prob. 9 Tertiò probari potest hac ratione. Quia Sacramentum est nota,& professio visibilis Religionis sacræ; ergo vsu suo sacrat,& sanctificat aliquo genere sanctitatis vtentẽ, vt minimum, legalis, & corporeæ: consequentia legitima est: quia vsus sacræ cęremoniæ distinguit Fidelem ob Infideli,& ex consequenti, consecrat vtẽtem: nam consecratio,& sanctitas, largè accepta, nil aliud esse videtur, nisi separatio à prophanis vsibus. Vnde (vt D.Th. affirmat hic ad 2.ar.1.)Muri Ciuitatis quondam dicebantur Sancti: quia eos prophanare, & violare non licebat. Et in sacris literis frequens est illa vox: *Sanctificamini in crastinum.* Iosuè 3.& 7. Quæ sanctificatio tantum erat lotio vestis; vel abstinentia à re vxoria: vt constat Exod.19. Atquè doctè obseruat Masius Iosue 3. Antecedens probatur primò ex subtili ponderatione Concil.Trid. sess.7. c.6. in his verbis. *Si quis dixerit, sacramenta noua legis non cõtinere gratiam, quam significant, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem iustitia, & nota, quædam Christianæ professionis, anathema sit.* Admittit ergo Conc. sacramenta Euangelica esse notas professionis Christianæ: sed non nudas notas: hoc est, non esse destitutas virtute ad causandam sanctitatem aliquam. Deindè testimonio Aug. lib.19. cont. Faustum c.11. affirmantis, non posse homines conuenire in aliquod nomen Religionis, nisi consortio visibilium Sacramentorum alligẽtur; nimirum, quia Sacramẽtum visibile distinguit vnam Religionem ab alia: ac proinde, Religio sine Sacramentis constare nequit. Quapropter Exod.12. Sacramẽtum Agni Paschalis dicitur futurum legitimũ sempiternum illi populo: quia duraturũ erat quandiù Religio Mosaica duraret. Exod.

D.Th. Iosue. Exod. Masius. Trid.

CAPVT III.

Satisfit argumentis pro contrarijs sententijs adductis.

§. I.

1 Restat modo satisfacere argumentis oppositis. Et sic ad primum primæ sententiæ Respondeo, D.Tho. in loc. ibi cit. non excludere à ratione veri Sacramenti omnem causalitatem; sed tãtum causalitatem sanctitatis spiritualis; ita vt velit, non esse de ratione Sacramẽti, vt sic, semper importare causalitatem gratiæ, vt effectus proprij: vt.n. infra dicã; Sacramentum causat gratiam, aut tanquam effectum suum, aut tanquam effectum fidei suscipientis: nam, alias, Sacramentum debere causare quandam consecrationem, saltem legalem, docet expressè p.2.q. illa 101. art.4. ad 2. & sic videtur ibi docere S.D. non esse de ratione Sacramenti, vt sic, causare præcisè sanctitatem animæ, tanquam ex opere operato: non tamen inde licèt colligere, non esse de ratione Sacramenti, habere aliquam causalitatem sanctitatis, siuè veræ, siuè saltem legalis. Ad 1. 1. sententię explicatur mens D.Th.

2 Quæ solutio licet satisfaciat obiectioni: tamen certè non indiget D.Tho. interpretatione in illa responsione ad 2. nam optimè se ipsum explicat: erat .n. primum argumentum in contrariũ illius Nota D.Th. responsionẽ.

1.ar.

1. ar. quo quæritur: *An Sacramentum sit in genere signi? Videtur* (inquit) *Sacramentum dici à sacrando, sicut medicamentum à medicando: sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quam ad rationem signi; ergo Sacramentum magis est in genere causæ, quam in genere signi.* Respondet ipse: *Quod quia medicina se habet, vt causa effectiua sanitatis; indè est, quod omnia denominata à medicina dicātur per ordinem ad vnum primum agens: & propter hoc, medicamentum importat causalitatem quandam: sed sanctitas, à qua denominatur Sacramentum, non significātur ad modum causæ efficientis: sed magis per modum causæ formalis, seu finalis; & ideò non oportet, quod Sacramētum semper importet causalitatem.*

Deceptus est Soto in intelligentia D. Tho.

3 In quibus verbis, nullo pacto videtur esse sensus, quem intendit Soto in argumento, sed longè diuersus, sumit .n. D. Tho. tantum ethimologiam huius vocabuli, *Sacramentum*; & assignat disparitatem inter medicamentum, quod denominatur à medicina; & Sacramentum, quod denominatur à sanctitate; & ait; quod, quia medicina dicitur esse causa efficiens sanitatis animalis, ad quā ordinatur: hinc fit, quod medicamētum, à medicina sic dictum, includat, & dicat semper ratationem causæ efficientis, respectu eiusdem sanitatis: cum .n. forma det se ipsam cum omni sua intrinseca ratione, & ordine subiecto, quod informat; & medicina formaliter medicamentum denominet; sicut ipsa dicit ordinationem causæ efficientis sanitatis, ità & medicamentum, sed sanctitas non concurrit in genere causæ efficientis ad sanctificandum: sed in genere causæ formalis; neque Sacramentum denominatur à sanctitate, tanquam à causa efficiēti: neq; tanquam à causa formali intrinseca: habet .n. se sanctificatio, vt terminus, vel finis, respectu Sacramēti: quia Sacramentum ordinatur ad sanctificandū aliquo sanctitatis genere: sicuti, nec medicina denominatur intrinsecè sana; sed tantum extrinsecè, ratione sanitatis animalis, ad quam causandam ordinatur: tanquā ad eius terminum, & finem; & sic non est par ratio (inquit D. Th.) de medicamento, & Sacramento; siquidem medicamentum, propter dictam rationem, semper dicit causalitatem, respectu sanitatis, & quasi in recto, ex vi ipsiusmet vocabuli: at Sacramentum non dicit in recto, & ex vi vocabuli, causalitatem efficientem; quarè non significat, ex vi vocabuli, causalitatem: sed bene dicit, esse signum quoddam sanctitatis, à qua denominatur terminatiuè. Cum autem infert Soto: ergo nullam importat Sacramentum causalitatem sanctitatis: negatur consequentia: non enim est necesse, quod omne id, quod est de ratione alicuius, significetur nomine illius; vt euidenter patet: De ratione namque albedinis est, disgregare visum: non tamen hoc significatur per ly, *Albedo*. & sic de alijs.

4 Ad quod adde ex Suar. super illū art. 5. *in solutione ad* 1. quod quamuis medicamentum dictum sit à medicina: non tamen dicit ordinem ad illam, vt ad formam eam denominantem: sed ad sanitatem, vt ad effectum, quem intendit, & ad quem habet habitudinem eiusdem generis, quam habet medicina, cui medicamētum subordinatur, & ideò participat rationem causæ, quam habet medicina. At verò Sacramentum ità dicitur à sanctitate, vel re sacra, vt dicat habitudinem ad illam, & ab illa denominetur, vt à termino, seu forma extrinseca, & nō est necesse, quod hæc vox *Sacramentum*, importet causalitatem. Et hæc videtur esse legitima mens S. D. — Nota ex Suar.

§. II.

5 AD secundum argumentum, desumptum ex definitione August. Respondeo primo, eam quidem definitionem latiorem esse; & conuenire etiā sacrificio (vt ipse Aug. fatetur) quare (vt communiter interpretantur DD.) definitio illa, non tàm virtute natiua verborum, quam Doctorum interpretatione, & accomodatione explicat naturam Sacramenti; & sic D. Tho. vt in principio adnotabamus; addit illi definitioni (*In quantum est homines sanctificans.*) nam idem Aug. epist. 23. apertè confitetur, cōsecrari homines per Sacramenta. Quinimò (vt D. Th. existimat p. 2. d. q. 101. ar. 4. ad 4.) ex ea parte præcisè distinguitur sacrificium à Sacramento: nam quamuis vtrunque sit actio Religionis; tamen sacrificium est oblatio facta Deo, quatenus author est vitæ, & mortis: itaque, per sacrificium, nil à Deo accipimus; sed potius nos ipsi aliquid offerimus. Sacramētum verò est protestatio sanctitatis Diuinæ, quam assumimus ad sanctificationem nostram: & ideo in omni Sacramē-

Ad 2. ex diffinitione Aug.

D. Tho.

Per sacrificium potius nos Deo aliquid tribuimus, secus p Sacramentū.

to, non autem in sacrificio, inuenitur cōsecratio aliqua. Simili ratione distinguũtur votum, & iuramentum: nam votum est promissio facta Deo, per quam ipsi aliquid tribuimus; iuramentum verò est actio facta, per quam Diuinam veracitatem assumimus ad cōfirmationem assertionis nostræ, cui Deum aduocamus in testem.

Distinctio voti à iuramento.

6 Ex quo sequitur contra Sandero, qui l. 1. de visib. Monarch. c. 5. existimat, omne sacrificium esse Sacramentum (vt refert Suar. sect. 1. *§. Dubitatio verò, &c.*) Quod falsum est, & contra D. Th. loc. cit. proximè ex p. 2. Falsa etiam est, & minus sufficiens illa distinctio, quam assignat Cano, inter sacrificium, & Sacramentum p. 1. relect. ad 2. videatur Suar. qui eam optimè impugnat.

Cōsectarium cōtra Sāder. & Canum.

Suar.

7 Ad vltimum Respondeo; sacramēta vetera, licet non causarint sanctitatem animæ; causasse tamen legalem: quapropter non constituuntur sacramēta ex sola ratione signi: sed aliquam includunt causalitatem.

Ad vlt.

8 Ad argumenta secundæ opinionis commodius respondebimus ex doctrina sequentis disputationis.

DISPVTATIO SECVNDA.

An sit de Essentia Sacramenti, significare præcisè veram animæ sanctitatem: an verò sufficiat, significare legalem?

CAPVT PRIMVM.

Referuntur sententiæ Belarm. & Suar. & impugnantur.

§. I.

Tit. explicatur.

1 
Ro tituli intelligentia not. quod in præcedēti disputatione tātum statuimus, de ratione Sacramenti esse, & significare, & causare aliquam sanctitatem, siuè spiritualem, siuè corporalem. In præsenti verò videndum est; si sufficiat ad rationem Sacramēti, significare præcisè alteram istarum sanctitatum: an verò sit de Essentia, & de intrinseca ratione Sacramentorum, significare, non aliam, quam veram, & simpliciter animæ sanctificationem? Et loquimur tātum de significatione gratiæ: nam de causalitate, partim diximus supra quodl. 10. de causa gratiæ; partim dicemus infra quodl. 17.

Sententia Belarm.

2 Extat ergo sententia Belarm. l. 1. c. 12. propositione 2. qui existimat, satis esse, si Sacramentum significet quamuis sanctitatem. Immò affirmat, sacramenta vetera, non ideo fuisse sacramenta, quia significabant gratiam legis Euangelicæ: sed potius, quia significabāt sanctitatem legalem, quam efficiebant. Pro qua sententia P. Suar. citat etiam dicta sect. 2. *§. Iam verò, &c.* Canum p. 1. relect. in fine. Licet etiam dicat, alijs locis eundem Canum aliter loqui, & sentire.

Can.

3 Probat autem Belarm. suam sententiam, dicens primò, quia significare gratiam dandam alijs à suscipiente Sacramentum non est munus Sacramenti, vt Sacramentum est: sed vt imago, & typus rei futuræ: nam Sacramentum dicit habitudinem intrinsecam ad suscipientē quia adhibetur per modum consectationis; & ex consequenti, respicit illum, qui Sacramento initiatur, iuxta doctrinam D. Tho. p. 3. q. 101. ar. 4. ergo sacramenta vetera non erant sacramenta per significationem gratiæ futuræ in alijs à suscipiente: sed per significationem consecrationis legalis, quam in suscipiente causabant.

Probatur 1. Belarm.

D. Th.

4 Secundò, quia significare gratiam dandam alijs non erat proprium veteribus Sacramentis: sed etiam sacrificijs, alijsq. obseruantijs Hebreorum (vt latè docet

2. probatur.

Aug. docet Aug. l. 19. contra Fauſt. c. 8. 9. 10. & 11.

3. probatur. Numer. 21. 5 Tertiò, quia ſerpens æneus; Num. 21. ſignificabat curationem à peccatis, quam Chriſtus erat allaturus (vt conſtat Io 3. ex Io. 3.) & Manna ſignificabat dulcedinem Euchariſtiæ. Tranſitus, item, maris Rubri ſignificabat ſalutem, quæ futura S. Paul. erat in aquis Baptiſmi. 1. Corint. 10. & tamen nihil iſtorum habuit rationem Sacramenti in ea lege: ergo de Eſſentia Sacramenti non eſt, ſignificare gratiam, vt futuram: ſed ſatis eſt, ſignificare quamlibet cõſecrationem: quia illa altera ſignificatio non eſt propria Sacramenti, & inuenitur in multis rebus, quæ ſacramenta non ſunt.

§. II.

Impugnatur ſententia Belarm. Suar. Val. 6 SEd hæc ſententia meritò diſplicet Suar. vbi ſupra dicto 3. & Valent. dicto puncto 1. § *Vnum eſt, &c.* Et poteſt facilè hac ratione refutari. Quia Sacramentum debet habere arcanam, & recõditam ſignificationem; vt conſtat ex do-Dioniſ. ctrina Patrum: 1. Dioniſ. lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 1. inquit; *Antiquos Sacerdotes, .i. Apoſtolos, ſub viſibilibus ſignis, cæ-*Cyril. *leſtia ſacramenta texiſſe.* Deindè Cirill. l. 7. in Iulianum in fine, idem docet. Et Iſid. Iſidor. in definitione, quam ſupra retulimus, ex mente ipſius, ait, *in Sacramentis, ſub tegumento corporalium rerum, diuinam virtutem ſecretius ſalutem operari: & ſacramenta dicta eſſe à ſecretis ſacris:* & apud Græcos vocari, *Myſteria*; eo quod occultam, & reconditam ſignifica-D.Th. tionem habeant. Id ipſum docet D. Tho. in corp. art. 1. Et ipſa vox, *Sacramentum*, apertiſſimè ſignificat ſecretum quoddã arcanum, & ſacrum: nam in hac ſignifica-Tob. 12. Dan 2. Epheſ. 3. tione vſurpatur Tob. 12. Dan. 2. & Epheſ. 3. Sed ſignificatio legalis ſanctitatis non eſt arcana, & recondita: ſed vulgaris, & manifeſta: nam ſanctitas legalis eſt munditia quædam corporea, atq. viſibilis, ac proindè ab Apoſtolo dicitur, *Iuſtitia carnis*. Neq. velatum, & occultum eſſe poteſt; quod ſi quis propter contactum mortui arcebatur à templo, facta purificatione corporali, admittebatur cum reliquo populo: ergo vt ſacramenta occultam ſignificationem habeant, neceſſariò ſignificare debent ſanctitatem gratię, per quam reddimur conſortes Diuinæ naturæ, & Filij Dei nominamur, & ſumus.

Cõf. ex Aug. 7 Pręterea id ipſum probatur ex definitione Aug. quæ communis eſt apud Doctores .ſ. *Sacramentum eſt ſacra rei ſignum*. Nam, nomine rei ſacræ, quam ſignificare debet Sacramentum, intelligẽdam eſſe gratiam habit. docet Catechiſ-Cathechiſ. mus Pij V. vbi aſſeritur, deſumptam eſſe hãc interpretationem ex communi conſenſu Doctorum, qui res ſacras interpretati ſunt.

§. III.

8 QVarè, ſit ſecunda ſententia Suar. 2. ſententia Suar. illa ſect. 2. dicto 3. & §. *Dices quomodo, &c.* aſſerentis, ad rationem Sacramenti, præcisè, requiri, vt ſignificet gratiam, & iuſtitiam animæ: ſed non requiri, vt ſignificet gratiam præſentem: ſatis .n. (inquit) eſt, ſignificet futuram pro aliquo tempore. Quarè, cum ſacramenta vetera ſignificauerint redemptionem futuram per Chriſtum; etiam ſi ipſa non haberent præſentem gratiam habitualem: nihilominus vera, & legitima erant ſacramenta.

9 Hanc ſententiam videtur ſibi poſ- Probat Suar. ex Conc. Florent. ſe colligere ex Concil. Florent. in literis vnionis: vbi ſacramenta vetera dicuntur ſacramenta ſimpliciter; quamuis non conferrent gratiam: quia illam ſignificabant dandam per Chriſtum.

10 Sed, vt id obiter dixerim, illa pro- Senſus legitimus Conc. Florent. poſitio cauſalis in Conc. Florent. non habetur: ſed tantum dicuntur noſtra ſacramẽta incomparabiliter eſſe veteribus meliora: quia continent gratiam, quam ſignificant, & eam digne ſuſcipientibus conferunt: antiqua verò non conſerebãt gratiam: ſed eam tantum ſignificabant dãdam per Chriſtum: quæ ſententia multũ diuerſa eſt ab ea, quæ citatur pro hac opinione.

§. IV.

11 VNde hic modus dicendi mihi nõ Impugnatur 2. ſent. Suar. probatur: quia contra illum militant rationes Belarm. nam Sacramẽtum, ex inſtitutione ſua, eſt conſecratio ſuſcipientis (vt probauimus ex communi conſenſu Doctorum.) ergo ſignificatio ſacramentalis debet ferri in formam pręſentem: nam ſignificare futuram, inutile eſt ei, qui per Sacramentum conſecratur: eo quod effectus illius formæ ſacræ non poteſt pertinere ad ſuſcipientem: ſiquidẽ forma non poteſt ſubſequi in duratione effectum ſuum, ſed præſens adeſſe debet

ad

quæ propter superstitionem, & sortilegia facta erant abhominabilia coram Deo: dicitur, inquam, nationes illas fuisse Deo odio habitas, propter medicamina, & sacrificia iniusta: hoc est: propter Sacramenta, & sacrificia superstitiosa. Sed contra morbum peccati inutile esset medicamentum destitutum salute interiori, quæ est sanctitas animæ: ergo necesse est, omne sacramentum verum, vno ex duobus modis significare gratiam præsentem; nimirum, aut tanquam effectum suum, aut tanquam effectum fidei suscipientis.

§. II.

Obiectio 4. 4 QVod si obijcias; ex hac doctrina sequi, Sacramenta vetera non solum significasse, sed etiam contulisse gratiam: quia omne medicamentum necessariò habet causalitatem aliquam, & efficientiam in depellendo morbo (vt D.Thom. fatetur) Solutio. D.Th. Aug. Respondeo ex doctrina Aug. lib.8. de Gen. ad litt. c.9. Duplex esse medicamenti genus: Not. 2. medicamēti genus. alterum quod haustu interiori sumitur, & interius operatur, vt potio: alterum, quod exterius tantum adhibetur, sicut fasciæ, & ligaturæ: nam ligamenta ipsa vocari debere medicamina, constat ex sacra Scriptura Isai.1. Quomodo Sacramenta vetera erant medicamēta *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est curata, neque circumligata medicamine, neque fota oleo*. Extat autē inter vtrumque medicamentum, ex sensu Aug. non parua differentia: nam medicamenta prioris generis habent efficaciam aliquam ad depellendum morbum: posterioris, verò, non habent: sed tātum obiectiuè terminant motū naturæ, quæ est causa efficax inducendi sanitatem.

5 Dico igitur: Sacramenta vetera non esse medicamenta prioris generis, sed posterioris: quia non conferebant gratiam, quæ interius operaretur: sed tantum obiectiuè terminabant fidem, & deuotionem suscipientiū; eo quod erant materia obedientiæ: & ita per se ipsa erant infirma, & vacua elementa (vt dixit Apost.) Aug. Et hac ratione Aug. lib.15. de Ciuit. c.6. ipsam litteram legis, exterius sonantis, vocat medicinam externam, quæ nullam vim habebat ad sanādum, nisi Deus interius operaretur. Et Ezec. Apoc. Ezech.47. & Apoc.22. id ipsum dicitur, de doctrinā scripta Euāgelij: scilicet, esse medicamentum contra peccatum: sed nam ita Patres interpretantur illa verba: *Et folia ligni ad sanitatem gentium*. Cum tamen etiam de littera scripta Euangelij vera sit sententia Apost. S.Paul. *Littera occidit, spiritus autem viuificat*: nimirum; quia littera, etiam Euangelij, per se ipsam, occideret, nisi adiuuaret spiritus gratiæ, qui sanat interiorem hominem, probando vires ad obseruantiam legis. Quare, quamuis D.Th.3.p.q.62.ar.6.ad vlt. & q.70. art.4. in fine corp. existimet, D.Th. circumcisionem non causasse gratiam in lege antiqua: affirmat tamen d.q.70. artic.3. ad 1. fuisse in remedium peccati: quod est intelligēdum, modo exposito.

6 Secundò probatur eadem sententia; Prob.2. conclusio. quia de essentia Sacramenti est, esse signum practicum salutis nostræ, non merè speculatiuum: Quid signum practicum. ergo necesse est, quod significet gratiam pręsentem: nam signum practicum est illud, quod rem ostendit, quasi digito; non verò à longè futurum.

7 Tertiò probatur, ex Concil. Trid. Probat. ex Trid. sess.7. can.6. vbi damnatur, qui dixerit, *Sacramenta Euangelica non continere gratiam, quam significant; aut eam, non ponentibus obicem, non conferre; quasi signa tantum externa sint accepta per fidem iustitiæ.* Quibus verbis, alludit ad Sacramenta vetera, quæ erant signa quædam acceptæ per fidem iustitiæ; ac proindè, non tantum futuram redemptionem Christi, sed præsentem, & sanctitatem suscipientis significabant. Quod non obscurè colligitur, ex Rom.4. Rom.4. vbi dicitur Abraham accepisse in circūcisione signaculum iustitiæ fidei: idest, circumcisionem ipsam significasse, Abramum per fidem viuam iustificatum esse, antequam circumcideretur: nam signaculum est sigillum quoddam, quo rem clausam, & occultam signamus: iuxta illud Iob. c.9. Iob.9. *Qui claudit stellas, quasi sub signaculo*.

8 Neque satisfaceret, qui diceret; Occurritur cuidam tacitę responsioni. Circumcisionē dedisse gratiam ex opere operato: & ideò potuisse significare iustitiam præsentis fidei, & charitatis. Nā hæc doctrina inferius reprobabitur quodl. seq. Et ex eodem textu conuincitur: consultò enim Paul. dixit, *Circumcisionem fuisse signaculum iustitia fidei*; vt ostenderet, iustitiam illam, quam significabat circumcisio, non fuisse effectum ipsius Sacramēti; sed fidei in Christum, ex qua Sacramentum suscipiebatur (vt obseruauit D.Th.3.p.q.70.art.4. D.Th. in fin. corp.)

§. III.

Obiectio ex Conc. Florent. 9 SEd contra fundamentum huius sẽtentiæ videtur implacabiliter insurgere Conc. Florent. in litt. Vnion. vbi inter Sacramenta noua, & antiquæ legis, hoc constituit discrimen, quod, *Sacramenta noua, & continẽt gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt: Antiqua verò non causabant gratiam; sed eam solum, per passionem Christi dandam esse, figurabant*. Ponderanda est enim illa exclusiua (*solum*) ex qua sequitur, Sacramenta antiqua nullibi, & nunquam significasse gratiam præsentem, sed eam tantum futuram per Christum adumbrasse.

Solutio Valen. 10 Respondet Valen. eandem ipsam gratiam, quæ dabatur in vsu legitimo Sacramenti, significatam esse ab ipso Sacramento, vt futuram: quia cum nunquam gratia fuerit danda, nisi ex merito passionis Christi, siuè præteritæ, siuè præsentis, siuè futuræ: iure omnis gratia, etiam illa, quæ dabatur in vsu Sacramenti, dicebatur dàda per Christum; eoquod donatio illius gratiæ, quæ innitebatur meritis Christi futuris, non præsens, sed futura reputabatur.

Ostenditur insufficiens hæc Valen, solutio. 11 Quæ responsio visa est satis plausibilis nonnullis recentioribus. Sed certè mihi videtur hac solutione non tolli, sed potius augeri argumẽti difficultas: quia gratia, quæ datur in vsu Sacramenti præsentis, non potest dici futura, neque danda, comparatione facta cum tempore suscepti Sacramenti: sed data iam ex meritis Christi: nam, quod futurum, seu etiam dandum est, subsequitur necessariò duratione in tempore.

Vera intelligentia verborum Concil. 12 Quarè facilius mihi videtur respõdẽdum; Concilium comparare vtriusque legis Sacramenta, respectu gratiæ sacramentalis; & in ordine ad illam, rectè dixisse, Sacramenta Euangelica causare, & continere gratiam: Vetera verò, tantum significare dandam per Christum; nam gratiam sacramentalem non conferebãt Sacramenta vetera; & neque designabãt præsentem, sed futuram, eoq; erat gratia sequentis seculi. Quarè dictio illa (*solum*) non excludit à veteribus Sacramentis omne aliud munus à significatione futuræ redentionis: sed omnem causalitatem, & significationem gratiæ sacramentalis, præter significationem eius, quatenus futura erat hac ætate, ex merito passionis Christi: nam alio quin, Sacramenta vetera significasse, non solum gratiam per Christum futuram; sed etiam sidem iustificantem, respectu suscipientis, docuit D.Th. 3.p.q.62.art.6. & q.70.art.4. Quod idem est, ac si dicamus; Sacramẽta vetera non significasse gratiam præsentem, tanquam effectum proprium ex opere operato; sicuti Sacramenta Euangelica: non tamen negat Conc. non significasse gratiam præsentẽ, causatam ex opere operantis. Ex quibus manent omnes obiectiones contrariarum sententiarum optimè solutæ. D.Tho.

CAPVT III.

Nonnulla satis necessaria corollaria colliguntur ex superioribus doctrinis.

§. I.

1 EX dictis, liceat primo colligere, pro exacta doctrina huius disputationis; iure optimo D.Thom. q.60.art.2. ad primum reijcere à ratione Sacramenti vniuersitatem creaturarum sensibilium; etiam si sit signum sapientiæ, & bonitatis Dei; quæ in se sacra sunt: quia creaturæ non significant res illas sacras, quatenus sunt sub actu sanctificãdi nos; quod erat necessarium ad rationem Sacramenti, vt dictum est supra. 1. coroll. D.Th.

2 Secundo collige; nonnullas sacras cæremonias, quæ in lege noua instituræ sunt ad aliquam fidelium sãctificationẽ; vt, primam tonsuram, per quã incipit homo dicari cultui Diuino; & verosimile est, immò certum, aliquam sanctificationẽ, saltem dispositiuam, conferre, & significare. Aquam benedictã, cuius vsus peccata venialia delet, vt multi, satis probabiliter, sentiunt; Absolutionem ab excomunicatione, quæ vtique quædam legalis sanctificatio est: cum excomunicatio legalis quædam macula esse videatur. Signum Crucis, per quod Cathecumenis confertur aliqua sanctificatio imperfecta. Quibus addit Suar. d. sect. 2. dicto tertiò, Professionem in Religione, qua quis peculiari modo dicatur Diuino cultui: & alia huiusmodi, non esse Sacramẽta: 2. Coroll.

ta: quia non significant sanctitatem veram animæ, quæ est gratia.

3. coroll. Nota discrimen inter Eucharist. & reliqua Sacramenta. 3 Tertiò collige, & not. cum eodem Suar. §. *Hoc ergo refutato errore, &c.* discrimen inter Eucharistiā, quæ est Sacramentū permanens, habēs suam significationē ante vsum; & cætera, quæ essentialiter in vsu cōsistunt: nam reliqua, primò, ac proximè significant, ac conferunt gratiam, propter quam immediatè sunt instituta: & ita omnia verba, quæ in illis dicuntur, hoc maximè exprimunt. At verò Sacramentum Eucharistiæ, quod est permanens, proximè, & immediatè significat ipsum Christum: nam ipse est panis, qui de Cœlo descendit, quique per verba huius Sacramenti immediatè conficitur, ac significatur: tamen repræsentatur per modum cibi; & consequitur, cum ordine ad sanctificationem nostram, quā, & confert, & expressius significat, quando ad vsum applicatur, iuxtà illud: *Quicunque manducat hunc panem, viuet in æternum, &c. & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* sic igitur, omnibus Sacramentis commune est, vt gratiam significent; propter quod omnia dicuntur esse signa demonstratiua gratiæ præsentis: .s. quantum est de se: nisi ex parte suscipientis adsit impedimentum. Et vt omnibus conueniat, intelligendum est, quando applicantur ad vsum: nam Eucharistia, ante vsum, non significat gratiam præsentem. Nisi velimus dicere, significare gratiam substantialem, quæ est Christus ipse.

4. coroll. 4 Quartò collige; & not. non satis esse ad Sacramentum, significare gratiā, quomodolibet; sed oportet significare illam tanquam cæremoniam stabilem, currentemque cum lege, institutam ad colendum Deum, & ad sanctificationem nostram. Quarè, serpens æneus palo suspensus Num. 21. (Num. 21.) etiam si significauerit Christum in Cruce, quatenus erat sub actu curationis, & sāctificationis nostræ; vt constat Io. 3. (Io. 3.) non fuit Sacramentum legis antiquæ: quia non fuit cæremonia stabilis frequentāda, & repetendam per vulgarem vsum: sed semel tantum serpēs ille suspensus est ad curationem corporalem Populi hæbraici; & signum spiritualis curationis Populi Christiani. Idē dico de transitu maris rubri; & Manna, quæ non fuerunt cæremoniæ stabiles repetendæ ad salutem fidelium: sed facta quædam insolita, & mirabilia, quibus Deus declarabat præsentiā virtutis suæ. Idem dico de illis verbis Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*: (Lucæ 7.) non fuisse Sacramentum: quia etiam si significauerint donationem gratiæ, & remissionem peccatorum: tamen non fuerunt instituta, vt sub ea forma verborum sanctificaretur Cętus Fidelium. Et sic de alijs cęremonijs huiusmodi idem dicendum est.

5 Erit igitur Sacramentum signum gratiæ sanctificantis, institutum pro cęremonia solemni; qua, regulari, & stabili ritu, consecrentur suscipientes Sacramētum. (Hæc videtur posse esse exacta diffinitio Sacramenti.) Quarè oportebat, vt elsēt signa vulgaria, atq. communia, vt exploratum esset Fidelibus, quo ritu colere Deum, & ab eo salutem sperare deberent: vnde Exod. 12. vers. 26. & 43. (Exod. 12.) præcipiebatur, post æsum Agni, vt si filij interrogarent parentes; quæ nam esset illa Religio? à parentibus instruerentur de toto illo facto; & de liberatione populi antiqui ab Aegyptiaca seruitute; nimirum, quia oportebat, vsum Sacramenti omnibus esse exploratum.

§. II.

5. coroll. Sacramentū vniuocè dicitur de veteribus, & Euāgelicis simili ter sacrificiū. 6 Item quintò collige; hoc nomen (*Sacramentum*) vniuocè dici de Sacramentis nouis, & veteribus. Et sacrificium, de sacrificijs antiquis, & de Euāgelico. Ratio est, quia Essentia Sacramēti, quantum ad causalitatem, non requirit gratiam pro effectu proprio: sed consecrationem in genere, & initiationem: & ita, de illius ratione esse videtur, vt sit cęremonia sacra, initians suscipientem, & ipsum dedicans cultui Dei per professionem sacræ Religionis. Quod autem consecratio illa sit spiritualis, per gratiā; vel legalis, per corporalem munditiam, non includitur in ratione generica Sacramenti: sed pertinet ad differentiam, quasi specificam. Illa verò ratio, quam assignauimus, vt communem vtrisq. Sacramentis, verè, & intrinsecè reperitur in eis. Quantum autem ad significationem pertinet; verum est, de Essentia Sacramēti esse, determinatè significare veram animæ sanctitatem, quæ detur in illo opere: non verò quod detur ex opere operato; neq. ex fide suscipientis; sed vagè, hoc, vel illo modo: quæ ratio similiter communis est vtrobiquè: nam vtrobiq. demonstratur præsens eadem forma; .s. idem habitus gratiæ.

7 Neq. refert, quod sacramenta vetera fuerint signa nostrorum: nam ali- (Occurritur tacitę obiectioni.)

quando signum retinet idem genus cum re significata; non quatenus signum est; sed ratione rei, quæ assumitur ad significandum:nam sacrificia antiqua erant vera sacrificia;cum in illis occideretur animal in recognitionem potestatis Dei authoris vitæ & mortis: & tamen erant signa sacrificij Crucis. Deinde populus Iudaicus fuit figura Euangelici:& tamen vterq. erat verus populus, Non ergo cõparandæ sunt res illius populi cum nostris; sicut picturа cum veritate:sed sicut puer paruulus cum viro adulto; qua ratione comparatur ab Apost. ad Galat.4.

S. Paul.

Vbi vtrunq. extremum sumit denominationem à simili forma vtrobiq. existente:quod benè aduertit Belar.d.c.12.in fine.

Belarm.

§. III.

An oporteat Sacramentũ esse sensibile signum? D.Th.

8 Sed posset esse dubiũ: *An oporteat, Sacramentum signum esse sensibile,ex institutione sua?* Hoc mouet D.Th. art.4 q.60. & disputatur diffusè à Suar. sect.3. Cui tamen cum eodem D.Tho. Respondeo, affirmatiuè. Cuius ratio à priori est:quia sacramenta sunt cæremoniæ quædam religiosæ,institutæ ad cultũ Dei, & sanctificationem nostram: cæremonia autem essentialiter est actus externus. Deindè,quia sacramenta sunt signa sanctitatis,& gratiæ: signum autem, natura sua, est res subiecta sensibus corporeis, ex Aug.2.de Doctr.Christiana c.1.Et in hanc doctrinam conspirare Patres vniuersi. Videatur Suar.loc.cit.

Aug.

Suar.

An aliter fieri potuisset?

9 Sed petes: est ne ita de Essentia Sacramẽti,esse rem aliquam sensibilem; vt per nullam potentiam possit institui Sacramentum in actu purè interiori? Ocham, & Petrus de Aliaco in 4. dist.1. tenent partem negatiuam;dicentes,vtiq. fieri potuisse oppositum, de potẽtia Dei absoluta. Hanc sententiam etiam sequitur Valent.vbi supra punct.2. *§.Sed notandum,&c.* Et fundamentum est:quem potuit Deus instituere, vt per Orationẽ purè mentalem, vel contemplationem Passionis Christi daretur gratia ex opere operato: quod proprium est Sacramenti Euangelici.

1. sententia. Ocham. Alia cep. Val.

Ratio.

10 Cæterum placet mihi opposita sẽtentia, quam tenent Belarm.lib.1.de Sacram.c.9.& Suar.loc.cit.Et ratio est manifesta. Quia quamuis Deus possit instituere sacramenta in quacunq. materia voluerit: non tamen potest efficere, vt Sacramentum non sit signum visibilis Ecclesiæ, ad alligandum populum sub nomine Religionis:quia (iuxta doctrinã Aug.l.19.contra Faust.c.11.) hæc est Sacramentorum substantia:sed actus merè interior non potest esse vinculum alligãdi Ecclesiam visibilem:quia de eo constare non potest:ergo neq. fieri potest,vt Sacramentum consistat in actu prorsus interno.

2. sententia sustinetur. Fũdam. eius Bellar. Suar.

Aug.

11 Ad rationem Ocham Respõdeo, in eo casu orationem illam,vel contemplationem non fore Sacramentum:quia, quamuis cõferret gratiam ex opere operato:tamen non esset signum,& cæremonia humanæ, & visibilis Ecclesiæ: quod requiritur ad rationem Sacramenti.

Satisfit ratio ni 1.sẽtẽtiæ

§. IV.

12 Qvod si obijcias: quia caracter Baptismalis, contritio pœnitẽtis,& Christus ipse sub speciebus Eucharistiæ sunt res insensibiles: & tamen sunt sacramenta,Respondet benè Suar. illa tria fieri sensibilia, per accidens: Characterem quidem Baptismi, per verba Baptizantis:Contritionem pœnitentis,per vocalem Confessionem;vel, per nutus, & signa externa doloris: & Christum in Eucharistia,per species visibiles cibi, & potus: atq. ad rationẽ eius, quod est res,& Sacramentum simul;qualia sunt prædicta tria, satis esse,reddi sensibile per aliud:quamuis id,quod est Sacramentum,tantum; oporteat esse sensibile, per se: Ratio est manifesta: quia quod est res, & Sacramentum simul, ita significat rem Sacramenti, vt prius significetur à Sacramento tantum: & ita non est necesse, esse per se ipsum sensibile: id verò,quod est Sacramentum tantum,ita significat rem Sacramenti, vt ipsum non significetur aliũde: quarè nisi per se ipsũ sensibile esset, significare non posset:quia (vt supra ostendimus ex Aug.) signum est aliquid, quod obijcitur sensibus externis; & præter eius speciem, quam illis ingerit, facit venire in cognitionem alicuius alterius rei.

Obiectio. Responsio.

13 Pro qua doctrina,not.est; quod in Sacramentis Euãgelicis tria distinguuntur: Res tantum: Sacramentum tantum: & Res,& Sacramentum simul.Res tãtum ea dicitur, quæ significatur,& non significat:& hæc esse potest omninò insensibilis;vt Gratia. Sacramentum tantum,est id,quod significat,& non significatur; & hoc

Nota,tria esse in Euangelico Sacramẽto;Sacramẽtum, Rẽ, & Rem, & Sacramentũ.

hoc est necesse, sit sensibile, iuxta supra dicta. Res, & Sacramentum simul; vt Christus in Eucharistia; actus Contritionis pœnitentis, &c. quæ quidem, quatenus res significatæ sunt, nil obstat, quod sint res insensibiles: quæ per sensibiles significantur; vt caracter, per ablutionem, & Vnctionem: Contritio, per Confessionem, &c. Quatenus, verò, hæc, sacramenta dicuntur; oportet, vt aliquo modo significent; atq. adeò, vt fiant, saltem, per aliud, sensibiles; vt dictum est. Et hoc est cõtra Enriq. l. 1. c. 2. n. 4. Coninch. 3. p. q. 60. ar. 2. dub. 2. Summam Coron. de Sacramentis. Bonacin. disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 8. & alios, qui Ocham, & Valent. sequuntur in hac parte.

Enriq. Coninch. Sũma Coron. Bonac. Ocham. Valen.

14 Demum obserua, quod, licet sacramenta (ex Aug. epist. 23.) *Quãdam similitudinem habeant earum rerum, quarum sunt sacramenta; & si eam non haberent, omninò, sacramenta non essent*: non tamen inde licet colligere, sacramenta esse signa naturalia: sed ea significare gratiam ex institutione Christi: nam etsi signa ad placitum multoties instituantur sine vllo prorsus respectu ad proportionem, & similitudinem rerum significatarum; vt Ramus ante tabernam, qui ponitur ad significãdum vinum venale: & tamen nullam habet proportionem, ac similitudinem cum re significata: nihilominus magis ostenditur institutoris sapientia, quando seruatur aliqua similitudo, & proportio in ipsa signorum institutione; quo pacto factum est in institutione Sacramẽtorum, vt ait Aug. Deus .n. summa, & ineffabili sua prouidentia, instituit sacramenta in ijs rebus, quæ repræsentant id, quod significant. Baptismus .n. consistit in externa ablutione, quę animæ lauacrum repræsentat, Eucharistia instituta est in speciebus panis, & vini, quæ significant refectionem spiritualem. Licet potuisset vtiq. Deus instituere sacramenta in ijs rebus, quæ nullam habent similitudinem cum effectu, quem producunt. Cum .n. sacramenta valorem habeant ex institutione libera Christi; potuisset Christus eundem valorem, quẽ tribuit rebus similitudinem habentibus, conferre ijs, quæ nullam habent similitudinem cum effectu: cum omnia subijciãtur, per potẽtia obedientialem, Authori naturæ, & gratiæ Deo, qui in omnibus potest efficere quicquid contradictionẽ non implicat. Ita Bonac. Enriq. Coninch. Summa Coron. & alij. Ceterum, stante institutione Christi facta, (pręscindendo ab eo, quod vel potuisset, vel posset facere) videmus, omnia sacramenta iam instituta talem similitudinem præseferre; ita vt, si aliquis nobis persuadere vellet, alia esse sacramenta Ecclesiæ, vltra septem; & proponeret aliquod signum, quod nullam habeat similitudinem cum præsupposito effectu; licet aliunde nullã aliam rationem ea negandi haberemus; hæc sola, inquit Aug. sufficeret; cum iam videamus reliqua omnia sacramenta à Christo instituta, omnia fuisse instituta in ijs rebus, quæ similitudinem aliquã habent cum earum effectibus: ergo non est verò simile, nec credibile, instituisse Christum aliquod aliud Sacramentum in re, non habente talem proportionem, & similitudinem cum suo effectu; & sic non erit Sacramentum, quod huiusmodi similitudinem non habuerit.

Aug. Nisi sacramẽta haberent al qualem si militudinẽ cum rebus, quarum sunt sacramenta, non essent sacramenta.

Aug.

Bonac. Enriq. Coninc. Sũma Coro.

Aug.

§. V.

15 Dices: sequi ex hoc, Sacramentum esse formaliter Ens rationis: quia significatio ad placitum tantum est relatio rationis. Respondet Suar. ad hanc obiectionem. *§. Secundò obyci potest, &c.* Rationem signi, ex impositione significantis, propriè, ac formaliter non consistere in relatione neq. reali, neq. rationis. Probat primum, quia non habet reale fundamentum in re significata: extrinseca .n. impositio nullam rem ponit in eo, quod ad significandum imponitur. Secundum probat: quia relatio rationis tandiù est, quandiù ab intellectu concipitur, seu fingitur: huiusmodi autem signum, postquam impositum est, non pẽdet ex fictione, vel comparatione intellectus referentis vnum ad aliud: sine illa .n., seu ante illam, exercet munus signi, excitando mentem, vt veniat in rei significatæ cognitionem. Hæc ergo ratio signi præcisè oritur ex impositione, quæ re ipsa facta est; quamuis nihil in re ponat, phisicè, nisi denominationem extrinsecam, à reali actu prouenientem: moraliter verò, & quasi humano more loquendo, relinquitur in re imposita ad significandum, habilitas quædam, seu aptitudo ad excitandum intellectum, vt rem aliam cognoscat: nam hæ denominationes extrinsecæ, quatenus manent in memoria, & æstimatione hominum, multum valent ad huiusmodi actiones morales, & humanas. Et facilè potest exem-

Obiectio.

Solutio ex Suar.

exemplis declarari,in Poteſtatibus iuriſdictionum; in Dignitatibus; in Gradu Doctoratus:hæc .n. & ſimilia,ſolum per quandam extrinſecam deputationem,& denominationem fiunt.Quæ ſolutio certè optimè ſatisfacit obiectioni, quam ideò placuit, ferè ad verbum, è Suario deſumere.& adducere.

Suar.

Exactiſſima Sacramenti in communi diffinitio.

16 Tandem; licet in curſu huius Diſputationis nonnullæ adducantur Sacramenti deſcriptiones, ſeu diffinitiones; aliquæ inſufficientes; aliquæ quæ videri poſſent ſufficientes; & multas alias congerant iuniores, Valent. Vaſq. Suar. Bonac.& alij,quę apud ipſos videri poſſunt. Tamen ea mihi ferè omnibus numeris exacta, & quæ, omnia ad Eſſentiam Sacramenti, vt sic, ſpectantia, complectatur, videtur; ſcilicet. *Sacramentum eſt ſacrum ſenſibile ſignum Diuinæ Gratiæ, ſtabili lege inſtitutum,aliquam ſuſcipienti conferens ſanctitatem*. Cuius omnes particulæ, ex hactenus dictis, ſatis claræ ſunt.

Valen. Vaſq. Suar. Bonac.

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum ſacramenta nouæ legis neceſſario perficiantur rebus, & verbis; itaut,altero deficiente, pereat Sacramenti ſubſtantia?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur, & ponitur ratio dubitandi.

1 PRo tituli intelligentia notd.eſt,quod vſq. modo diſputauimus de his, quæ ſunt de ratione intrinſeca quidditatis Sacramentorum in communi;nempè,de eorum genere,& differentia. Reſtat examinare ea, quæ ſpectant ad eorum phiſicam compoſitionem; nempè,materiam,& formam. Et licet ad calcem ſuperioris diſputationis attulerimus diffinitionem Sacramentorum in genere: ex illa tamen facilè erit inuenire diffinitiones Sacramentorum veterum,in particulari;& Euangelicæ legis,in particulari. Priora .n. ſic poterunt diffiniri. *Sacra ſenſibilia Diuinæ gratiæ ſigna, ſtabili lege inſtituta, legalem ſuſcipienti conferentia ſanctitatem.* Euangelica verò,ſic: *Sacra ſenſibilia Diuinæ gratiæ ſigna ſtabili lege à Chriſto Domino inſtituta, veram animæ ſanctitatem,non ponentibus obicem,conferentia.* Quæ diffinitiones ſatis manifeſtant, in quibus vtraq. ſacramenta conueniant, & in quibus differant. Deueniamus modo ad Sacramentorum materiam,& formam.

Diffinitio Sacramentorũ veterum.

Diffinitio Sa. Euãgelicorũ

2 Et conſultò hic tantum quærimus de Sacramentis Euangelicis: an rebus perficiantur,& verbis? nam vetera,ſolis rebus perficiebantur; vt docet D.Tho. ar.6.ad 3.& Soto in 4.diſt.1.q.1.ar.6. Belarm.l.1.c.18. Suar.diſp.2.ſect.1.in princ. Et conſtat ex Gen.17. Exod.12.Leuit.8. vbi in ritibus Sacramentorum nulla miſcentur verba. Quamuis Leuit.4.in ſacrificio pro peccato,dicatur: *Et orabit pro eo Sacerdos*:quia,(vt colligitur ex doctrina D.Tho.vbi ſupra.) Illæ orationes,quæ fiebant à ſuſcipientibus ſacramenta,non erant de Sacramentorum ſubſtantia: ſed adhibebantur ad facilius impetrandum. Et ratio huius veritatis eſt: quia lex Moſaica fuit obſcura quædam vmbra futurorum bonorum (teſte Apoſt.Heb.9.) & ideo ſignificauit futura myſteria,ſolis rebus,quarum ſignificatio minus clara eſt, & expreſſa,ſignificatione verborum, in quibus eſt principatus ſignificandi: quarè Moyſes,qui ab infantia nutritus eſt, vt eſſet Dux, & Legiſlator Populi Hæbrei, inſtructus eſt omni ſapientia Aegyptiorum: Actor.7.nimirum,quia (vt interpretatur Iuſtin. mar.) Aegypti fuerunt primi inuentores Archanæ ſapientiæ, quæ conſiſtebat in Hieroglificis: in quibus tes,

Vetera ſacramenta ſolis rebus perficiebantur,& cur?

D.Tho.Soto. Belar. Suar. Gen. Exod. Leuit.

S.Paul.

Act.7.Iuſtin.

res, solis rebus, significâtur. Igitur relicta sunt verba pro forma Sacramentis Euangelicis. Tùm quia sacramēta Euangelica sunt perfectiora, & expressiora symboli gratiæ significatæ. Tùm quia oportuit, hæc sacramēta conformari cum Authore eorundem; quod est, Verbum carni

D.Th. vnitum (vt docuit D.Tho. art. 6. in corp.) tota ergò difficultas est, de Sacramentis nouæ legis.

Rationes difficultandi de Sacramentis Euangelicis. 3 Ratio autem difficultādi esse potest: quia Sacramentum Pœnitentiæ videtur perfici sine rebus. Et Sacramentum Matrimonij, sine verbis. De Pœnitentia, constat: quia, siuè, nomine rerum comprehendatur materia proxima, siuè remota: contingit aliquando, non inueniri rem aliquam in hoc Sacramento; sed nuda verba: nam potest fieri, vt peccata, de quibus pœnitens se accusat, tantum fuerint, detractio, murmuratio, &c. quæ solis verbis perficiuntur. Deindè, Confessio vocalis, quæ est materia proxima, solis verbis fit: ergo Sacramentum Pœnitentiæ aliquando sine verbis saluatur. Deindè Sacramētum Matrimonij perficitur multoties sine verbis, solis nutibus contrahentium: nam verba, quæ subiungit Parochus, non sunt de substantia Matrimonij.

Sententia Durand. & Hadr. 4 Propter quæ argumenta Durand. in 4. dist. 1. q. 3. & Hadrian. q. 2. de Baptismo existimant, non omnia sacramenta Euangelica perfici rebus, & verbis, sed aliqua tantùm.

CAPVT II.

Quid sensiendum sit, ostenditur.

§. I.

Diffinitio Concil. Floren. 1 PRO hac difficultate reclamat definitio Concil. Florent. in instructione Armenor. quā oportet non reddere dubiam, atque incertam: scilicet *Omnia Sacramenta Euangelica ità perfici rebus, ac verbis, vt si horum aliquid desit, non perficiatur Sacramentum.* Quam definitionem, & nos defendere debemus; verbaque Concil. meliori sēsu quo possumus, interpretari.

Nota quid nomine Rerum, & Verborum Conc. intelligat. 2 Quarè obseruandum est, Nomine, *Rerum, & Verborum,* non intelligi à Concilio, & antiquis Patribus, *Res,* quæ nullo modo sint, *Verba;* & *Verba,* quæ nullo modo sint, *Res:* sed nomine, *Rerū,* intelligere elementum, aut actionem visibilem, quæ ex se possit habere alium vsum, præter vsum significandi. Nomine verò, *Verborum,* intelligere signum aliquod, quod nullum alium habeat effectum, præter significationem: nam quia

(vt docet Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 3.) Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi: quia cum non sint inuenta ex alio fine, neque habeant alium vsum, præter significationem; eo ipso sunt latiora, & expressiora signa, quam res; quæ cum diuersos vsus habeant, si assumantur ad significādum, significant obscurè, & incertè: indè fit, nomine, *Rerum,* intelligi signa quædam communionis, & ambiguæ significationis; etiam si voce proferantur humana: nomine verò *Verborum,* intelligi signa alia magis determinata, & expressa, per quam restringatur latitudo significandi, quæ in rebus est, etiam si signa illa exhibeantur sine voce v.g. *Lotio Baptismalis,* dicitur, *Res.* Et forma Baptizantis dicitur *Verbum,* quia lotio multa potest significare; scilicet, Munditiam, Refrigerationem, Emollitionem, & Sanitatem rei lotæ: nam quædam abluuntur, vt mundentur à sordibus; quædam, vt refrigerentur; quædam, vt molliora reddantur; quædam denique, vt sanitatem acquirant. Sed cum ablutioni adiungitur forma (*Ego te baptizo, &c.*) iam restringitur ad significandam munditiem à peccatis. Et ideò forma Baptismatis, quæ restringit illam latitudinem ad significationem detraminatam, dicitur, *Verbum.* Et hoc est, quod Aug. dixit tract. 80. in Ioan. *Accedit, Verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Aug.

Quæ doctrina est etiam D.Th. art. 6. in fine corp. Ex quo desumpsisse videntur ceteri, qui eum sequuti sunt. D.Th.

3 Ex qua doctrina facilè soluitur, quod supra obiecimus: nam etiam si in Sacramento Pœnitentiæ solum subijciātur clauibus peccata detractionis, & murmurationis; verè dicitur Sacramentum perfici rebus, & verbis: quia peccata, etiam quæ in verbis consistunt, res quædam sunt: quia habent alium vsum, & effectum, præter vsum significandi, scilicet delectationem prohibitam per legem: damnum proximi: vindictam inimicitiæ: odium, & cetera huiusmodi: deindè, confessio vocalis, etiam si verbis fiat: dicitur res, & non verbum Sacramenti, propter Satisfit rationibus difficultandi. Ad illud de Sacramento Pœnitentiæ.

can-

eandem rationem; scilicet, quia habet alium vsum ab vsu significãdi; nimirum, accusationem pœnitentis; ad quam significationem restringitur per verba Sacerdotis: nam confessio peccatorum non significat determinatè accusationẽ dolorosam, cum possit fieri iactanti æ causa; vt contingit in perditis hominibus, qui gloriantur, cum male fecerint. Sed facta in iudicio sacramentali ad obtinendam veniam; iam significat dolorem peccatorum, & gratiam remissionis. Quod autem prædicta confessio fiat in iudicio, constat ex significatione formæ, quæ fertur per modum sententiæ; & ita forma dicitur; *Verbum*: confessio verò, *Res*, vt bene D. Th. ar. 6. ad 2.

D. Th.

Ad illud de Sacramẽtum Matrimonij.

4 Eadem ratione soluitur obiectio de Sacramento Matrimonij, quando perficitur solis nutibus: nam in eo casu, signa illa sensibilia, quibus significatur cõsensus de præsenti, dicuntur *Verba*: quia nullum alium effectum habent, præter significationem in nam taciturnitas fœminę, tacentis præ verecundia, ad nil aliud assumitur, nisi ad significandum, se consentire in virum. Vndè in eodem Conc. Florent. de industria dicitur, causam efficiẽtem matrimonij esse consensum, regulariter expressum per verba de præsenti: cõsulto enim additum est (*Regulariter*) quia aliquando perficitur matrimonium sine verbis de præsenti: quando, scilicet, alia signa subrogantur, vice verborum.

Conc. Flor.

Obiectio.

5 Sed obijcies: saltem Sacramentum Matrimonij aliquando perfici sine rebus: nimirum, quando vterque coniux exprimit consensum per verba de præsenti: nam in eo casu vtriusque verba adhibentur ad solum finem significandi cõsensum; & ideò mera verba sunt.

Solutio.

6 Respondeo (Sicut solet dici à grauissimis Doctoribus in materia de Matrimonio) materiam huius Sacramenti esse corpora viri, & mulieris, quę res sunt, & non verba: determinantur autem ad significandam gratiam Sacramenti per verba de præsenti, quæ adiunguntur pro forma: vel per signa, loco verborum: vñ quod dicitur in cap. *Sufficiat*, 27. q. 2. & cap. *Cum locum, de sponsalibus*, §. *Solum consensum facere Matrimonium*; non est ita intelligendum, vt dictio exclusiua (*Solum*) excludat signa sensibilia consensus, quasi solo consensu interiori perficiatur Matrimonium: sed dictio illa excludit copulam coniugalem, consensum parentum, & alias solemnitates, sine quibus subsistit Matrimonium.

Cap. sufficiat 27. q. 2. Cap. cum locum, de spõsalibus.

§. II.

7 Haec doctrina de necessitate rerum, & verborum in Sacramentis Euangelicis, non solum est definita ad Conc. Florent. sed etiam colligitur ex sacra Scriptura: nam de Baptismo, dicitur Matth. 28. (*Baptizantes eos*) Ecce Rem. (*In nomine Patris, &c.*) ecce verbum. Nam quamuis ex eo, quod Res dicatur fieri in nomine alterius, non sequatur aperta necessitas exprimendi verbis nomen illud: nam aliquando dicitur fieri nomine alterius id, quod fit virtute, & pôtestate accepta ab illo; vt inter alia, est illud Marci vltimo. *In nomine meo Dæmonia ejicient, &c.* Tamen perpetua Ecclesiæ traditione acceptum est, in illis verbis præscriptã esse à Christo formam verbalem Baptismi; (vt colligitur ex Innocent. III. in cap. *Non vt apponeret de baptismo, & eius effectibus.*) Quare apertius Ephes. 5. dicitur *Mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ*. Vbi Chrysostomus, & Græci Patres, quos sequitur D. Thom. q. 66. ar. 5. in corp. per *Verbum vitæ*, intelligunt verba sacræ Scripturæ, & doctrinæ sacræ. Sed præferenda est interpretatio Chrysostomi, & aliorum Sanctorum Patrum, qui asserunt, intelligendum esse Apost. ita ut dixerit; (*Mundans eam lauacro aquæ*) hoc est; *Baptizans eã*, (*In verbo vitæ.*) hoc est; *In verbo prolato à vita, Christo*; quod fuit, *In nomine Patris, &c.* Quod verbum est ipsius Baptismi verbalis vtique forma. De Extrema Vnctione, habemus Iacob. 5. *Vnctionem Olei, & Orationem Sacerdotis*. De Eucharistia constat Matth. 26. Vbi accepto pane, Christus ipse, dixit (*Hoc est Corpus meum, &c.*) Et de confirmatione Actor. 8. habetur impositio manuum, & certa forma verborum; vt infra ex Ireneo ostẽdam. Quare id idem de cæteris Sacramentis, in quibus non ita constat ex sacra Scriptura, dicendum est: non enim est dubitandum, eandem doctrinam acceptam esse ab Ecclesia ex traditione Apostolorum.

Colligitur veritas. Concil. Flor. ex sac. Script.

Marci vlt.

Innoc. III.

Ephes. 5.

D. Th.

Chrysost. S. Paul.

Iacob. 5.

Matth. 26.

Act. 8.

8 Sed obstat locus difficilis, ex August. lib. 1. de Anim. & eius orig. cap. 9. & lib. 3. c. 9. tom. 7. docet enim Aug. latronem illum, qui cum Christo crucifixus est, baptizatum fuisse contactu aquæ, quæ egressa est ex vulnere lanceæ. Ex

Obiectio, ex August. de Bono Latrone.

quo

quo sequitur baptizatum fuisse sine verbis: quia vulnus illud inflictum fuit Christo iam mortuo. Respondeo, ab August. id non affirmari, tanquam certum: sed solum dici, non esse incredibile; quod si ita contigisse credamus; existimandum est, id factum à Christo, per potestatem excellentiæ, qua est author Sacramentorum; secundum quam potuit relaxare, & dispensare super lege de materia, & forma Baptismi; quod, nulla ratione, licet alijs Ministris Ecclesiæ: quia alligati sunt certis formis Sacramentorum. Vnde rectè Tertul. l. 4. contra Marcion. c. 35. concessit Marcioni, Christum in curatione decem leprosorum, Lucæ 17. vsum fuisse insigni potestate: quia iam sine tactu, & sine verbo (quod in purgatione alterius leprosi non fecerat Lucæ 5) salutem dedit.

Solutio.

Potuit dispēsare Christus cum Latrone super lege de materia ei forma Baptismi.

Tertul.

Lucę 17.

Lucę 5.

CAPVT III.

Vtrùm res, & verba verè constituant, & intrinsecè Sacramentum, tanquam materia, & forma?

§. I.

1 SEd, an res, & verba intrinsecè pertineant ad Sacramentum, tanquam materia, & forma? adhuc à Doctoribus controuertitur. In qua re plures extant sententiæ Scholasticorum. Prima est asserentium, res, & verba pertinere tantum ad partem materialem Sacramenti: assignantque, pro forma, relationem signi, quæ in toto illo sensibili, ex re, & verbo, composito, proximè collocatur. Ita Alanus l. de Sacram. c. 16. & videtur consentire Caiet. q. 60.

Prima sent. Alani.

Alan. Caiet.

2 Cęterum, cuiusunq. sit hæc doctrina, solo nomine differt à communi sententia: negare .n. non possumus, relationem signi esse formam Sacramenti: quandoquidem apprehenditur, vt vltimus actus eius. Sed dicenda est forma totalis, siue Metaphisica; sicut Humanitas, respectu hominis. Ex quo non sequitur, Sacramentum non habere aliam formam partis: quia considerari potest, tanquam compositum Phisicum, in quo forma est altera pars à materia; qua ratione consideratur à Conc. Florent. dum pro forma, assignat verba sacramentalia; & pro materia, ipsum elementum: nunquam verò assignat pro materia, constitutum ex re, & verbis; neq. pro forma, relationem signi. Et sic superior sententia, si aliud ab eo, quod diximus, doceat, non conformatur Concilio.

Cōcordatur hęc sentētia cum commu niori.

C. 6c.

3 Secunda sententia est Soti in 4. dist. 3. q. vnic. ar. 1. & dist. 8. q. vnic. art. 1. & dist. 14. q. 1. ar. 1. in quibus locis dicit, Materiam, & Formam non esse intrinsecas, & essentiales Sacramentis: sed ea consistere in sola Materia, connotando indirectè Formam verborum: ac proindè, verba esse, quid extrinsecum: res autem intrinsecè constituere Sacramentum. Ponderanda .n. sunt in hoc Authore in illa dist. 8. ar. 1. illa verba *§. Atq. per hoc ad argumentum, &c.* & in dist. 14. verba *§. Vnde ad primum, &c.* quibus satis hāc suam sententiam declarauit.

2. sent. Soti.

4 Sed hęc sententia communiter reijcitur; & omissis aliorum rationibus; hac sola ratione mihi non placet: quia regula illa de concretis artificialibus, intelligenda est, respectu Formæ totalis, & non partis: nequè .n. dixisset Arist. statuā supponere pro pedibus æris, connotato capite: aut Lecticam, pro rotis ligneis, connotato tegumēto: quamuis vtrumq; connotatum in his entibus artificialibus comparetur, tanquam forma partis cum reliqua Materia: sed ad summum dixisset, statuam supponere pro ære, connotata figura, &c. Quarè, iuxta hanc regulam, incidendum esset in sententia Alani; n mirum, Sacramentum supponere pro toto sensibili, ex re, & verbo, connotata relatione signi, quæ est forma totalis.

Reijcitur.

Arist.

5 Tertia sententia est Suar. disp. 2. sect. 2. Valen. disp. 3. q. 1. punct. 2. *§. Atquè hac ratio, &c.* hi dicunt, sacramenta componi ex re, & verbo, tanquam ex duabus partibus intrinsecis, quomodo loqui videtur D. Th. ar. 6. ad 2. Fundamentum est: Analogia Materiæ, & Formæ, iuxta quā philosophatur Conc. Florent. est de re, & verbo Sacramenti: sed Materia, & Forma sunt partes intrinsecæ componentes totū aliquod: ergo res, & verba constituunt intrinsecè Sacramentum.

3. sent. Suar. & Valen.

D. Th.

Fundamentū huius sent.

6 Vltima sententia existimat, non esse vniuersaliter verum; res, & verba cōcurrere intrinsecè, tanquam partes, ex quibus componatur Sacramentum: sed aliquando Sacramentum consistere in

Vlt. sententia Scoti.

ſola Materia : aliquando in ſola Forma, cęteris ab extrinſeco connotatis. Colligitur hæç ſententia ex Scoto in 4. diſt.8. q.1.§.*Ex his.*circa fin.& q.2.§.*Reſpõdeo.* in princ.& diſt.14.q.4.§.*Hæ ſunt tria.*

§. II.

Quid ſentiendum de his ſententijs.

7 INter has autem ſententias, exiſtimo, diſcrimen eſſe in vocibus:nam qui dicunt, Materiam, & Formam eſſe partes intrinſecas in omni Sacramento; loquuntur de Materia proxima, qualis eſt, in Baptiſmo, *Ablutio*:in Pęnitentia, *Contritio, & Confeſſio, &c.* non vero de remota:quia non dicerent, Baptiſmum intrinſecè conſtare ex aqua, & verbis: & Pœnitentiam, ex Peccatis, & Abſolutione,&c.neq. Euchariſtiam, ex pane,& verbis conſecrationis: quia Materia remota eſt ſubiectum, circa quod Sacramentum operatur:non vero pars intrinſeca Sacramenti : quia ſacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, intrinſecę conſtant ex rebus ſucceſſiuis, in quibus vſus çonſiſtere poteſt; non ex permanentibus, in quibus non conſiſtit vſus. Quarè D.Th.q.66.ar.1.in corp.reprobat ſentētiam Vgonis Victor. exiſtimantis, Baptiſmum eſſe aquam: quia non in aqua, ſed in ablutione tale Sacramentum perficitur, inquit D.Th.

D.Th.Vgo.

8 Deindè;impoſſibile eſt, Sacramētum intrinſecè conſtitui ex ea re, quæ abijcitur per Sacramentum; ſicut homo non poteſt conſtitui ex forma Embrionis, quæ expellitur per animam rationalem. Sed materia remota Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ expellitur per formam vtriuſq. Sacramenti; vt ſunt, Peccata, & Subſtantia panis:ex quo fit, neutrum horum Sacramentorum poſſe conſtitui intrinſecè ex materia remota. Quarè quod de compoſitione ex materia, & forma dicit, hæc ſententia de materia proxima intelligendum eſt. Quod credo, non negarent Authores oppoſitæ ſentētiæ:nam quando dicunt, res,& verba non ſemper eſſe partes intrinſecas Sacramenti; nomine, *Res*, intelligunt materiam remotā: v.g. panem, oleum,& aquam : & ipſam materiam proximam, vocant *vſum elementi*; ſiuè, *applicationem materiæ ad initiatum*: v.g. *Ablutionem, & Vnctionem.*

Conformior phraſi Conc. vlt. ſentētia, demōſtratur.

9 Et (vt verum fatear) hæc poſterior opinio magis cōformis eſt phraſi Conc. in quo per *Res*, & *Verba* Sacramenti intelligitur materia remota, cum forma verborum; vt *Aqua, Oleum, Panis, &c.* & hac ſola ratione in eodem Conc. & in Trid.ſeſſ.14.c.4.Materia Sacramenti Pœnitentiæ dicitur, quaſi materia : forma verò non dicitur, quaſi forma : quia nomine, *Forma*, communiter intelligitur actus quicunquè, ſiuè ſubſtantialis, ſiuè accidentalis; ſiuè in verbo; ſiuè in re exiſtat : nomine verò materiæ, communiter intelligitur ſubſtantia ſenſibilis:& quia in Sacramento Pœnitentiæ, ex parte formæ, inueniuntur vera verba; forma huius Sacramenti dicitur ſimpliciter forma ;& non, quaſi forma ; quia tamen, ex parte materiæ, non concurrit ſubſtantia ſenſibilis, ſed actus pęnitentis; materia non dicitur abſolutè materia ; ſed, quaſi materia.

10 Præterea Conc. non docet, ſacramenta nouæ legis conſtare rebus, & verbis;qua forma loquendi inſinnaretur cōſtitutio ex partibus intrinſecis ; ſed docet; Sacramentum perfici Rebus, & Verbis, qui modus loquēdi communior eſt; & cum cauſalitate efficientis extrinſeci conſtare poteſt;maximè, cum, eodem tenore verborum, dicat, ſacramenta perfici perſona Miniſtri operantis, cum intētione faciēdi quod facit Eccleſia:certum autem eſt, perſonam Miniſtri non eſſe partem intrinſecam Sacramenti, ſed cauſam efficientem tantum.

11 Vltimò, quia forma Sacramenti Euchariſtiæ non eſt pars intrinſeca Sacramenti; ſed cauſa efficiens inſtrumentalis: quia Sacramētum Euchariſtiæ non eſt conſecratio: eſt.n.Sacramentum permanens:erit ergo, ſpecies ſacramentales, prout çontinent Chriſtum, per modum ſpiritualis alimenti: nam in Trid. ſeſſ.13. Trid.
c.5.6.& 8.& can.1.4.6.& 7. multa dicuntur de hoc Sacramento, quæ ſolis ſpeciebus conueniunt : videlicet, quod Sacramentum Euchariſtiæ ſeruandum ſit pro infirmis. Geſtandum in publicis Proceſſionibus. Adorandum latria, &c. quæ omnia ſignificant rem permanentem. Cum igitur verba tranſierint, non videntur poſſe pertinere ad partes intrinſecas huius Sacramenti. Quarè, quod alia ſacramenta, ab Euchariſtia, conſiſtant in vſu materiæ conſecratæ, ſub legitima forma verborum: docet D.Th.q.66.ar.1. D.Th.
in corp.& ad 3.q.73.ar.1. ad 3.q.78.ar.1. in corp.& ad 2.& 3. Vndè, cum dicit, ſacramenta componi ex materia, & forma, nō dicit abſolutè, componi; ſed quodammodo; quod multum eſt in fauorē huius ſententiæ.

12 Not.

§. III.

Actus Pœnitentis, & absolutionem vere constituere Sacramentum pœnitentię, tanquam materiam, & formam, non sic in cæteris Sacramentis, in quibus per Analogiam sumuntur materia, & forma:

12 NOt.tamen est, Pęnitentiam, verè, & in vigore, constitui ex actibus pęnitentis, & absolutione Sacerdotis, tanquam ex partibus intrinsecis: nam Triden.sess.14.can.4. vocat partes Sacramenti tres illos Pęnitentis actus, qui dicuntur, quasi Materia. Huius autem ratio est: quia Sacramentum hoc institutum est per modum iudicij: Iudicium autem intrinsecè constat, ex accusatione, probatione, sententia, & executione: & ideò illi tres actus, cum absolutione intrinsecè componunt Sacramentum. De cæteris verò non est necesse ita philosofari; neque oppositum colligitur ex Florent. ex eo, quod res, & verba Sacramenti appellet materiam, & formam: quia cum sacramenta sint quædam entia per aggregationem, materia, & forma Sacramentorum non debent sumi strictè; sicut in composito naturali: sed per quandam Analogiam: itaut, *verba*, dicantur formæ quia restringunt latitudinem significari rei, quæ dicitur materia; & è contra: non quia necesse sit vniti, ad componendum intrinsecè, sicut animam, & corpus.

Contra Caluinistas.

13 Neque est intelligendum, quod verba concurrant ad constitutionem Sacramenti, eo pacto, quo Hæretici huius temporis, Caluinum sequuti, dicunt; nēpè, prout sunt verba concionatoria; non verò consecratoria: idest, quod ipsa verba Sacramentorum sint Concio quædā, & instructio: non verò certa forma, qua consecrentur suscipientes; aut elemētum ipsum: nam, aut adhiberetur illa Concio ad instructionem suscipientis: aut circūstantium. Non hoc secundum, nam sequeretur, formam Sacramenti esse otiosam, & inutilem. Primò; quia quædam sacramenta perficiuntur sine testibus; vt Sacramentum Pęnitentiæ; & tunc inutilis esset instructio circunstantium. Item; quia sacramentū non habet effectum in circunstantibus, sed in suscipiente: otiosum ergo esset assignare pro forma Sacramenti, instructionem aliorum. Nec primum dicendum est; nam sequeretur, paruulos stultè, & inutiliter baptizari: quia non sunt capaces instructionis; & dicitur Ecclesiastici 32. *Vbi non est auditus non effundas sermonem*: ergo chymericum est asserere, verba Sacramentorum esse concionatoria tantum.

Eccles. 32.

§. IV.

Obiectio Caluinistarū ex Aug. Io. 15.

14 SEd obijcies pro Hæreticis difficilè testimonium Aug. tract.80. in Io: super illa verba Ioa: 15. *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem loquutus sum vobis*. Vbi ait: *Quarè non dixit mundi estis, propter Baptismum: sed propter verbum, quod loquutus sum vobis? nisi quia, & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum; quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum, ad elementum; & fit sacramenta. Vnde est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur: hoc est verbum Fidei, quod prædicamus.* In quibus verbis, duo videtur docere Aug. Alterum est; verbum, quod accedit ad elementum, esse verbum fidei, quod prædicamus. In quo videtur amplecti sententiam Hæreticorum, requirentium verbum Concionis, pro forma Baptismi. Alterum est; illud verbum non habere efficaciam iustificandi, quia dicitur: sed quia creditur. In quo videtur tollere à Sacramentis vim conferendi gratiam, ex opere operato, & totam iustificationem tribuere fidei suscipientis, qui est etiam Hæreticorum error.

Belarm. Solutio, satis pulchram intelligentiam Aug.

15 Belarm. c.20. multum laborat, vt Aug. liberet à perpetua æquiuocatione. Tamen breuiter Respondeo, Aug. nulla ratione, sentire cum Hæreticis; neque ex eius doctrina colligi posse; Verbum Sacramenti esse concionale. Mens igitur eius, toto illo tractatu, est; Ideo Christum dixisse. (*Iam vos mundi estis propter verbum*) & non dixisse (*Propter Baptismum*) quia, etiam in Baptismo, Verbum habet priores partes: consecrat enim elementum, vt tangēdo corpus abluat animam. Sed inquirens Aug. Vndè sit tanta virtus in verbo? Respondet, non esse ex sono materiali; qui corporis aure percipitur; sed ex significatione spirituali; quæ sola fide percipi potest. Ita interpretatur August. D.Thom. ar.7. ad 2. Et hic est sensus illorum verborum (*Non quia dicitur, sed quia creditur*) non quod August. requirat fidem suscipientis ad valorem Baptismi; cum expresse doceat in eodem tract. Infantem paruulum, qui credere nō potest, vtiliter baptizari, & regenerari per verbum Sacramenti. Quæ expositio confirmatur ex ipso tex. sequitur enim (*Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, &c.* Cum ergo Aug. tribuerit verbo Sacramenti laten-

D.Tho.

tem, & archanam vim ad sanctificādam animam, statim, per accommodationem quandam, adducit illud Rom.10. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*: non quia existimet, verbum Sacramenti esse concionem aliquam; aut requirere fidem suscipientis: sed quia, *Verbum fidei*, idem est apud Aug. quod, verbum latentis virtutis, quod sola fide apprehendi potest: nam, vt rectè obseruauit Alan.c.20. Fides, apud sacros Scriptores, aliquando significat vim occultam, & supernaturalem: nam Act.3. Virtus Christi ad facienda miracula, dicitur à Petro, *Fides nominis eius*. & Iacob.5. Forma Extremæ Vnctionis, dicitur *Oratio fidei*. i. diuinitus instituta ad sanandum.

Rom. 10.

Alan.

Act. 3.

Obiectio. Act. 5. 1. Pet. 3.

16 Sed obijcies: quorsum ergo Aug. adducit illud Act.15. *Fide purificans corda eorum*. Et illud ex 1.Pet.3. *Non carnis depositio cordium, &c.* si per, *verbum fidei* non intelligit verbum, quod actu credatur? Respondeo, prædicta loca non adduci ab Augustino ad probandum, verbum sacramentale esse verbum fidei: sed, cum occasione illius propositionis (*Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*) incidisset in aliam, longius progressus in tex. Apost.5. (*Corde creditur ad iustitiam*.) ad confirmandam hanc propositionem, adducit illud ex Act.15. (*Fide purificans corda eorum*.) Itaq. hoc testimonium nō refertur ad illud (*Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*:) sed ad aliam propositionem, in quam latenter incidit, dum altius prosequitur textum Apostoli.

Act.

§. V.

Deliramētū Lutheranorū Belar.

17 EX his sequitur, satis turpiter delirasse illos Hæreticos, quos Belarm. refert l.1.c.21. asserētes, non requiri determinata verba, & signa ad rationem nostrorum Sacramentorum; sed illa esse omninò libera ad arbitriū Ministri. Cum .n. sentiant, sacramenta non esse causas gratiæ: sed instituta tantum fuisse, ad excitandam, & nutriendam fidem; parum referre (inquiunt) quod fides excitetur his verbis, determinatè; aut alijs. Vnde, asserunt, esse potius speciem magicæ incantationis, de murmurare certa verba super aquam, panem, aut oleum: & statim credere, perfectam esse sanctificationem nostram. Hic.n. error facilè cōfutatur, ex facto Christi, qui, (vt licet sigillatim colligere ex Euangelijs) instituit sacramenta sub certis, ac determinatis terijs, certisquè verbis. Pro qua re facit optima ratio D.Th.at.5. quia sacramenta, & sūt cęremoniæ institutæ ad cultum Dei, & medicinæ ordinatæ ad sanctificationem nostram. Et quamuis non repugnet, ex ea parte, qua sunt cęremoniæ sacræ, determinari ex institutione hominum, in quorum arbitrio manere posset, quibus verbis vellent colere Deum: tamen, qua parte medicinæ sunt, repugnat apertè, nō esse determinata ex institutione Dei, qui solus est Author gratiæ: nam solus Deus, qui potest animam sanctificare, potest etiam instituere signum efficax sanctificationis. Quod autem sacramenta nostra non sint Magicæ incantationes, satis liquet: Magia enim est superstitio, in qua, ad præsentiam signorum veneficorum, Diabolus operatur res aliquàs insolitas, & hominibus admirandas. Sacramenta autem nostra sunt signa, & causę phisicæ (vt dictum est quodlib.10. de causa gratiæ) quibus mediantibus, Christus operatur salutem nostram. Et sic peruersè in hoc delirarunt Hæretici.

D.Th.

CAPVT IV.

An liceat aliquid addere, vel detrahere verbis, in quibus forma Sacramenti consistit, salua manente Sacramenti substantia?

§. I.

Quid mutatio substātialis: quid accidentalis. D.Th.

1 PRoponitur hoc dubiū à D.Th. art.8. ex cuius doctrina possumus eius decisionem facilè colligere; obseruando prius duplicem posse excogitari mutationem in verbis Sacramentorum: alteram, substantialem: alteram verò, accidentalem. Substātialis mutatio ea dicitur, quæ peccat in substantiam Sacramenti: accidentalis verò, quæ non pugnat cum Sacramenti substantia, sed cum præcepto, & ritu administrandi. Certum est, quod quando est mutatio substantialis, non perficitur Sacramentum: quando autem solum; accidentalis est, perficitur; licet Minister peccet, variando formam.

2 Tunc ex D.Tho. erit mutatio substan-

Vnica regula mutatio substantialis in formis Sacramentorũ. Athan. Aug. Zaccar. Papa cap. Retulerunt. de consecrat. dist. 3.

stantialis, quando tollitur legitimus sensus verborum: tunc verò accidentalis, quando non tollitur; quæ regula est vnicum in hac materia fundamentum; & colligitur ex Athan. ser. 3. contra Arrianos; & Aug. l. 6. de Baptism. c. 25. ex Zaccaria Papa epist. 1. ad Bonifacium; & habetur in cap. *Retulerunt. de consecratione* dist. 3. Et ratio esse potest: quia verba requiruntur in Sacramentis ad significandum effectum Sacramentorum: dixit. n. Aug. tract. 80. in Io. *Verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur* .i. (vt supra exposuimus) non propter sonum materialem, sed propter latentem virtutem significationis: sed manente sensu verborum manet eadem significatio, quantumuis varientur verba: ergo manet formaliter idem verbum Sacramenti; & si materialiter diuersum fit.

§. II.

Mutatio idiomatis, accidentalis.

3 Ex hac doctrina plura sequuntur consectaria: primò sequitur, mutationẽ idiomatorum in forma, accidentalem esse; v. g. dummodo quis exprimat actum absoluẽdi à peccatis, per verbum de præsenti: siuè latinè; siuè græcè, &c. loquatur, semper conficiet Sacramentum.

Voces synonimę nõ mutant substantialiter.

Secũdò sequitur, vti vocibus synonimis, non esse mutationem, nisi accidentalem: vt si quis diceret, pro (*Baptizo*) *Abluo*.

Non conficitur Sacramẽtũ in nomine SS. Trinitatis

Ast si quis diceret; (*Ego te baptizo in nomine sanctissimæ Trinitatis*) dicunt communiter Doctores, quod non conficeret Sacramentum: quia (aiunt) ly (*sanctissima Trinitas*) & (*Pater, Filius, & Spiritus sanctus*) non esse synonima: quia non significant eandem rem, æquè expresè, & distinctè: nam *Trinitas* significat proprietates personales in vna Essentia, cõfusè tantum. At (*Pater Filius, & Spiritus sanctus*) significant expresè, & distinctè tres proprietates relatiuas. Requiritur ergò ad formam Baptismi, qui est ianua Ecclesiæ, & prima fidei professio, inuocatio sanctissimæ Trinitatis, sub nominibus expressis.

Athan.

4 Tertiò sequitur, quod si aliquis baptizet; *In nomine Patris maioris, Filij minoris, &c.* non conficiet Sacramentũ: quia verba illa tollunt æqualitatem Trinitatis. & ita Athan. ser. 3. contra Arrianos, reprobat illorum Baptismum, qui baptizabant: *In nomine Patris, & Filij, ex non entibus conditi*.

§. III.

5 Sed dubitari solet: an si verba, quæ adduntur contineant errorem in fide, qui non sit directè contra veritatem formæ, reddant irritum Sacramentũ? Videtur .n. pars affirmatiua asseri à D. Tho. ar. 8. dum ait, nõ esse verum Baptismum, si quis baptizet; *In nomine Patris, Filij, Spiritus sancti, & B. Virginis*, si existimet, Baptismum æquè conferri, etiam in nomine B. Virginis: sed hic error non pugnat cum veritate formæ: quia nihilominus Baptismus datur in nomine sanctissimę Trinitatis, cum expressa inuocatione proprietatum personalium.

An si mutatio contineat errorem, & non sit cõtra veritatẽ formę, irritet Sacramentum. D. Tho.

6 Sed non reddi irritum quodcunq; Sacramẽtum, commune est apud Theologos: ita Palud. in 4. dist. 3. q. 1. *§. Tertiũ principale*. Dur. ibid. q. 2. Scot. dist. 1. q. 1. at. 8. Valentia puncto 2. *§. His tamen*. Et expresè id idem docet Aug. l. de Baptismo c. 25. licet irritum reddatur Sacramentum Baptismi per verba supra adducta; nimirum, (*& B Virginis*,) vel alia huiusmodi. Ratio autem discriminis est: quia ille error pugnat directè cum integritate, & sensu formæ Baptismi; sed non pugnat cum integritate formæ Pęnitentiæ. v. g. si dicatur (*Ego te absoluo in nomine Patris, & Filius, ex non entibus conditi, &c.*) vti baptizabant Arriani. Vel (*In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis*) quia integritas, & significatio formæ Baptismi postulat, Trinitatem personarum æqualium in vna Deitate; cum hoc Sacramentum sit professio fidei, & veritatis: Integritas autem Pęnitentiæ non postulat hãc inuocationem: & ideo error circa inæqualitatem personarum, in altero Sacramento, coniungitur accessoriè cum veritate formæ: in altero tollit formæ veritatem. Et per hæc patet Responsio rationi ex D. Tho. desumptæ.

Pars negatiua ostẽditur vera. Palud. Dur. Scot. Valen. Aug. D. Tho.

§. IV.

7 Quartò collige; per transpositionem verborum, non tolli Sacramentum, nisi sensus mutetur, & significatio formæ: & sic conficeret Sacramentum, qui diceret (*Absoluo te. Hoc est meum corpus.*) Sed quid, si dicat; *Meum est hoc corpus*?) Soto dicto ar. 6. dubitat de sufficientia huius formæ. Alan. vbi supra Valent. dicto puncto 2. *§. Quartò sequitur*. Et alij existimant, sub

Per transpositionem verborũ non irritatur Sacramentum. Alan. Soto. Val.

hac

hac forma non confici Sacramentum. Quæ sententia mihi maximè probatur, propter hanc solam rationem: Quia in hac forma, pronomen demonstratiuum non demonstrat ex necessitate, illud esse corpus Christi naturale: sed corpus illud esse possessiuè suum; quo pacto aliquis Dominus, digito mancipium demonstrans: & vxor virum, vtique dicere possunt, *meum est hoc corpus*: quia idem est, ac si dicerent: habere dominium, seu potestatem illorum corporum. Et sic hæc verba? (*meū est hoc corpus*) si sic probata fuissent à Christo; etiam perseuerãte panis substantia, vera fuissent; significassent. n. Christum esse Dominum illius panis, & cuiuscunque alterius corporeæ substantiæ, demonstratæ per ipsum; & sic verba illa non sunt idonea forma Sacraméti. Quibus omnibus suppositis, restat tantum difficilè dubium in hac Disputatione examinandum.

Nota. Meũ est hoc corpus; irritat Sacramentũ.

CAPVT V.

An mutatio verborum, quæ alias accidentalis esset, ex diuersa intentione Ministri, fiat substantialis?

Nota diffinitionẽ Zaccar. Papæ.

1 Adest solemnis diffinitio Zaccariæ Papæ in Cap. *Retulerunt. De consecratione* dist. 4. vbi cum Sacerdos quidã baptizaret. *In nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*. Et Bonif. Episcopus iudicasset, Baptismum esse repetendum: Respondit Pontifex his verbis. *Sed sanctissimè frater, si ille, qui baptizauit, non errorem inducens, aut hæresim: sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ità dixisset; non possumus consentire, vt denuò baptizentur.* Ex qua diffinitione colligitur, mutationem aliquam fieri posse in verbis, manente integra substantia Sacramenti, quæ si fiat ex intentione inducendi errorem, irritabit Sacramentum: & ex consequenti, ex sola intentione Ministri, mutatio, quæ alias esset accidentalis in verbis formæ, fieri potest substantialis: & è contra.

Nota difficultatem diffinitionis Zaccar.

2 Sed hæc Zaccar. diffinitio videtur difficilis: nam Græci mutant verba in forma Baptismi ex intentione inducendi errorem contra Ecclesiam Romanam: Babtizant enim illis verbis: *Baptizetur seruus Christi, in nomine Patris, etc.* existimantes, formã Ecclesiæ latinæ non esse validam, & id persuadere volentes facto illo: ergo nõ quæuis mutatio in verbis formæ, ex intentione erroris, reddit irritum Sacramentum: quia constat, Baptismum Græcorum validum esse, alioqui repeteretur ab Ecclesia latina. Prçtereà ijdem Græci in forma cõsecrationis panis, addunt illa verba (*quod pro vobis traditur*) existimantes esse de essentia formæ; & hunc errorem introducere volentes: & tamen conficiunt: ergo regula Zaccar. non est in vniuersum vera.

Forma Baptismi Græcorum.

Forma consecrationis Græcorum.

§. II.

3 In hac difficultate, Suar. disp. 2. sect. 5. tres sententias refert, & duas ex eis ad concordiam reducere conatur. Prima sententia (inquit) est; quod si Detractio, aut additio fiat in verbis formæ, ex certa scientia, quamuis non fiat ex animo inducendi nouum ritum; mutationem esse substantialem, v. g. si sacerdos, ex curiositate vana, & inutili, sciens, & prudens, proferat vnum verbum, loco alterius: & hæc sententia tribuitur Antonino 3. p. tit. 14. c. 13. §. 3. & putatur esse D. Th. art. 7. ad 3.

1. sententia relata à Suar. & D. Th. attributa, & Antonino.

4 Sed re vera, hæc sententia, neque D. Th. neque Antonini est: neque author aliquis ex antiquis affirmat, mutationẽ, quæ non tollat legitimum sensum verborum, quantumuis scienter factam, esse substantialem, si minister non habeat intentionem inducendi errorem, vel ritum erroneum: nam si hanc intentionem habeat, variè opinantur DD. etiam si sensus formæ non mutetur, D. autem Thosolum dixit, eum, qui scienter mutat verba formæ, videri non habere intentionẽ administrandi Sacramentum; sed potius irridendi, & iocandi; & ita videri non perficere Sacramentum: non tamen negat D. Tho. verum perfici Sacramentum, si verba, alioq; mutata, proferat cum intentione proficiendi. Et hoc etiam docuit Antoninus.

Non esse hãc D. Tho. sententiam.

5 Secunda sententia, affirmat, mutationem factam in forma, ex intentione inducendi errorem; irritare Sacramentũ: Et hæc (inquit Suar.) est communis opinio. Nec distinguit de mutatione, quæ fit per detractionem, aut per additamentum: dummodo fiat ex prædicta intẽtione

ne inducendi errorem aliquem: Pro hac sententia refert D. Th. art. 8. & in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. Et Antoninũ loc. cit. Addit præterea, vt magis explicet hanc sententiam, quosdam alios DD. ei adhærere cum limitatione quadam, videlicet, si minister velit addere formæ, vt essentiale, aliquid, quod re vera non est essentiale: nam iis casibus non perficitur Sacramentum, propter mutationem formæ. Idem etiam intelligendum est; si v. g. ipse minister auferat à forma aliquid, quod ipse essentiale esse putet; sed re vera non est essentiale. Pro qua sententia sic explicata, refert Gabr. in 4. dist. 3. art. 2. conc. 3. & 16. Scot. q. 3. & Riccard. art. 2. q. 3.

D. Tho. Antonin.

Gabr. Scot. Riccar. 2. sententia.

6 Tertia sententia, quam refert, existimat, non dependere ex intentione ministri, quod mutatio sit substantialis, aut accidentalis: sed attendendam esse regulam, quam supra statuimus, de significatione, & legitimo sensu verborum: nam si integra manet significatio, quantumuis minister intendat introducere errorem, perficiet Sacramentum, pro qua sententia refert Dur. in 4. dist. 3. q. 2. nu. 4. Ledes. p. 1. 4. q. 1. art. 7. & alios.

Dur. Ledes.

§. III.

7 IN hac difficili controuersia. Primò supponendũ est, nos non inquirere de nullitate Sacramenti, ex defectu intentionis administrandi: quia si nõ adsit intentio, quantumuis integra maneat significatio formæ, non perficitur Sacramentum. Sed procedit dubium in casu, in quo Minister habeat intentionẽ faciẽdi, quod facit Ecclesia, & tamen conatur introducere errorem aliquem per verba formæ quam ex illa intentione deprauar. Qui casus non iudicatur impossibilis à D. Th. quamuis aliqui eius discipuli eum in oppositum interpretentur. Re enim vera D. Th. solum affirmat, præsumi posse, non adesse intentionem proficiendi in illo, qui mutat formam ex intentione erroris. Et ita interpretatur D. Th. Soto dict. ar. 8. Belar. l. 1. c. 21. Suar. sect. 5. cit. Quod autem casus ille possibilis sit, hac ratione probatur. Quia potest aliquis velle introducere errorem suum circa substantiam Sacramenti, & ex eo fine mutare formam: vt si, ex errore Græcorum, quem persuadere conatur, administrat Baptismum, sub hac forma (*Baptizetur seruus Christi, &c.*) & alias potest esse bene affectus circa Baptizatum; & ne eunde fraudet effectu Sacramenti, potest habere intentionem necessariam.

Not. suppositum hoc.

Non est impossibile q aliquos habeat intẽtione Ecclesiæ, & simul inducendi errorẽ.

D. Th. Soto. Belar. Suar.

6 Deinde, quia non tenetur explicitè habere intentionem faciendi, quod facit Romana Ecclesia, sed quod facit vera Ecclesia Christi, abstractè cogitata, quæcũq; illa sit. Poterit ergò quiuis existimans, veram Christi Ecclesiam esse illam, in qua error ille versatur, habere intentionem faciẽdi, quod facit vera Christi Ecclesia, quam ille existimat esse, suã; & aliàs, ex intẽtione erroris, proferre verba mutata. Et in hoc casu videtur mihi probabilior sententia Duran. scilicet, intẽtionẽ Ministri, inducẽdi errorẽ, non posse inducere mutationem formæ; aut nullitatem Sacramenti, nisi verba ambigua sunt (vt explicuimus supra) Quæ sententia est Aug. l. 3. de Bapt. c. 15. Et probatur quia manente sensu legitimo formę, manet Sacramentum; nisi deficiat materia, aut intentio Ministri; Sed intentio inducendi errorem non tollit sensum verũ, nisi verba sint ambigua quia facta semel institutione communi, significatio verborum manet inuariabilis: regula enim significationis est communis vsus, & impositio vetusta, non desiderium, aut intentio priuati hominis: quod ostendit Aug. c. illo 15. sic: *si eisdem Euãgelicis verbis s. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Marcio Baptismum consecrabat, integrũ erat Sacramentum: quamuis eius fides, sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra sed fabulosis falsitatibus inquinata; nam sub eisdem verbis, non tantum Marcio; sed ipsi carnales paruuli Ecclesiæ, si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinonum, fortassis, quot homines numerarentur*: ergò intentio significandi errorem, per verba, in quibus aliàs manet sensus Ecclesiæ, nõ tollit, ex Augustino, Sacramenti veritatem.

Cuius Ecclesię intentio habenda.

Prob. Dur. sententia, nõ irritari Sacramentum ab eo, qui & si habeat intentionẽ inducendi errorem; habet tamen intẽtionẽ faciendi, quod facit Ecclesia Aug.

9 Dices cum Soto dict. ar. 8. *§. Sed tũ fortè* verb. *grauiter*. Aliud esse, Ministrum habere errorem; & aliud, exprimere errorem in forma: nam, primum nõ tollit veritatem Sacramenti, & hoc tantum videtur voluisse Aug. secundum autem tollit: nam Arrianus, qui existimat, Filium Dei esse Creaturam, si baptizet per verba Ecclesiæ, verè baptizabit: Quod si errorem suum exprimat in Sacramento, baptizãs (*In nomine Filij minoris*) non conficiet Sacramentum.

Obiectio Soti.

10 Respondeo, hanc doctrinam inutilem

Solutio Suar. lem esse & bene impugnari à Suar. quia vel intelligit, errorem exprimi debere in forma per verba, quibus tollatur sensus Ecclesiæ; vel existimat, satis esse, exprimi quocumq; verbo; etiam si in cæteris verbis sensus Ecclesiæ integer maneat. Si primum, verum est quidèm: sed extra rem_ nam, q verbū aliquod adijcit formæ, quo tollatur sensus Ecclesiæ, etiam si animū Hæreticum non habeat, destruit veritatē Sacramenti; sicut destrueret Catholicus, qui non essensiens Arriano errori, baptizaret, *in nomine Filij minoris*; non quidē propter intentionem inducendi hæresiāt sed propter corruptam formę veritatem. Si verò illud secundum existimet; falsum est, & contra mentem Aug. nam Græcus, qui per illa verba (*quod pro vobis tradetur*) exprimit errorē suum, de insufficientia formæ latinæ; verē consecrat: quia per illa verba non tollitur sensus cæterorū. Cum ergò Aug. dicat; sub illis nominibus, (*Pater, Filius, & Spiritus sanctus*) Marcionem nō intellexisse veram Trinitatem, sed fabulosam: & tamen affirmat, eius Baptismum integrū fuisse: Consequēs est, ipsum sentire, errorem expressum per verba, quibus non tollitur sensus Ecclesiæ, non reddere irritum Sacramentum.

§. IV.

Explicatur diffinitio Zaccar. 11 Neq; obstat diffinitio Zaccar. quā vt explicemus, not. est, verba illa (*Patria, & Filia. &c.*) semel deprauata forma, manere ambiguæ significationis; & vtrūq; posse significare. In Diuinis esse Filia n: aut esse etiā Filium: nam quomodocumq; accipiantur illa verba, manere debent cum incongruētia constructionis grammaticalis: quæ si semel admittatur (vt admitti necesse est) sensus verborum manet indifferens, & ambiguę significationis. In quo casu, ex intentione loquentis depēdet determinatio sensus: quia verba in propositionibus subrogātur loco conceptuum; illosq; significant. Cum igitur in potestate loquentis sit, vnā vel aliam partę bene significare per verbum illud ambiguum, ex sola illius intētione dependet, cuius conceptus loco subrogetur verbum? atq; adeò ipsa etiam verbi significatio v. g. Si quis voce proferat propositionem istam (*In curia Regis pestis accidit;*) cum duo significare possit, s. venisse pestem in Oppido Regalis Curiæ: Vel propter incuriam Regis euenisse: certè, per illa verba, quam maluerit ex his duabus partibus, significabit. Quod ex eo conuincitur: quia si lata esset excommunicatio contra detrahentes Regi, in casu prędictę suspirionis: proculdubio incurreret excommunicationem, qui prædicta verba proferret in vno sensu: nō vero qui proferret in alio. Dicendū ergò est, diffinitionem Zaccar. non esse regulam in vniuersum: sed responsum in casu singulari; cuius doctrina in eo casu procedit; non quia intentio erroris, etiam significata per formam, tollat veritatem Sacramenti: Sed quia in illo casu, veritas Sacramenti significatur in forma per verbum ambiguum, & ità, mutata intentione, mutatur verbi significatio.

Finis Quodlibeti Decimiquinti.



QVODLI-

QVODLIBETVM DECIMVMSEXTVM.

De Sacramentorum effectu, qui est Gratia sacramentalis.

DISPVTATIO PRIMA.

An sacramenta noua distinctam Gratiam conferant, à Gratia, qua iustificamur, ex vi perfectæ contritionis?

CAPVT PRIMVM.

Nonnulla præmittuntur ad totam tractationem, & tituli intelligentiam satis necessaria.



§. I.

1 
Aec est grauissima, & satis difficilis disputatio, & agitatur à D.Th. eiusq. Discipulis, ac iunioribus omnibus q. 62. à veteribus vero Scholasticis cum Magistro in 4. dist. 1. vbi nouissimè, diffusè, & certè doctissimè Pater Fauentinus in defensionem sui Scoti disp. 2. per multa capita rem hanc dilucidat. Sed hic primo loco disputandum esset: An sacramenta sint causæ Gratiæ, & quomodo? Sed quia nos has quæstiones, & alias ad easdem concernentes examinauimus supra quodl. 10. de causa gratiæ; deueniendum necessum est ad vlteriora.

D.Th.

Magist.

Fauent.

2 Quarè not. primò est, & supponédum, ex his, quæ diximus quodl. 12. Ex vi perfectæ contritionis, tanquam vltimæ dispositionis, (licet, non ex natura rei, sed moralis) etiã extra Sacramẽtum, conferri homini peccatori cõtrito Gratiam iustificationis, qua perfectè iustificatur, & emundatur à peccato: quæ dicitur, Gratia habitualis, & sanctificans, siue gratum faciens: idq. tamẽ, ex opere operantis, non verò ex opere operato: nam licet peccator, quando conteritur, ante receptionem Sacramenti, in ipsa contritione, includat Sacramentum in voto: (non .n. esset perfecta contritio, nisi haberet firmum propositum baptizandi, vel confitendi; & hoc est, continere Sacramentum in voto:) non tamen, ex eo dicitur conferri Gratia ex opere operato: nam tunc datur Gratia iuxta mensuram ipsius dispositionis vltimæ; quo pacto etiam daretur, adhuc si Christus non instituisset sacramenta: & ex consequenti, ipsa contritio non contineret in voto Sacramentum aliquod.

Non est perfecta contritio, quæ non habet Sacramentum in voto; & quod sit, continere Sacramentum in voto.

3 Ex quo patet falsum esse id, quod

Reijcitur quorundam sententia, asserentium sine perfecta contritione adultũ, etiã per Sacramẽtum, non posse iustificari. &c.

Maior, Pet. de Soto.

Maior, Petrus de Soto, & alij docent; nimirum, adultos in peccato existentes, nõ esse capaces Gratiæ sanctificantis, etiam per Sacramentum, nisi prius perfectè cõterantur; & sic conferri illis gratiam ante Sacramẽti susceptionem; & collationem hanc dici etiam ex opere operato. Iam .n. diximus, quid sit causare gratiam ex opere operato. Præterquam quod longè probabilius est; adultos ad suscipiẽdum Baptismum v.g. vel aliud Sacramentum mortuorum, per quod iustificantur, non indigere contritione perfecta; cum sufficiat attritio: ipsa namq. sacramenta virtutem habent faciendi hominem ex attrito contritum, ex opere operato.

Sẽper sacramenta conferunt Gratiã, quantum est ex se; nõ ponentibus obicem.

Cypr. Trid.

4 Secundò supponendum est cum Cyprian. ser. de Cęna Domini; vbi ait: *Sacramenta, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt.* Et idem est cum illa diffinitione Triden. sess. 7. can. 7. vbi diffinitur sic: *Si quis dixerit, non dari Gratiam, per huiusmodi sacramenta, semper, & omnibus, quãtum est ex parte Dei, etiam si ritè eam suscipiant; sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* Itaq. sola malitia, & indispositio suscipiẽtis potest sacramentalem Gratiam impedire. Et hoc est, quod ait idem Conc. can. 6. *Sacramenta conferre Gratiam non ponentibus obicem.* Vnde Aug. in Ps. 142. circa fin. ait. *Non est malum, quod datur, sed bonum malo in iudicium datur; benè .n. esse non potest malè accipienti, quod bonũ est.* & lib. de Baptis. c. 3. inquit: *Neminem debere esse securum de effectu Sacramenti; licet Sacramentum susceperit, nisi sit corde dispositus.* Et Ps. 77. idem habet: *Licet omnia communia sint sacramenta: non tamen omnibus communis est Gratia.*

Aug.

Duplex impedimẽtum

5 Impedimentum autem, seù obex duplex esse potest; positiuum, & negatiuum. Positiuum est, mortale peccatum, actu commissum, in ipsa Sacramenti susceptione: Mortale .n. in actu repugnat Diuinæ Gratiæ; & sic quandiũ illud durat, Gratia infundi non potest. Negatiuũ autem est, carentia debitæ dispositionis actualis, vel ad minus virtualis, quæ sit saltem aliqualis dolor de peccatis, eorumq. displicentia. Quanta autem sit necessaria? non est huius loci. Illud tamen ferè communiter receptum est; quod sola attritio sufficiat ad susceptionem Sacramentorum, quæ primam conferunt Gratiam; qualia sunt, Baptismus, & Pęnitentia, ordinariè loquendo. Voco, pro nunc, primam Gratiam, Gratiam habitualem, quæ confertur simpliciter ad iustificandum impium: quæ dicitur prima Gratia in ordine ad augmentum ipsius, quæ solet dici, Gratia secunda. Dixi (*ordinariè loquendo*) nam etiam potest aliquis (vt dictum est) taliter conteri ac perfectè pęnitere, ante horum Sacramentorum susceptionem, vt prima ei conferatur Gratia, ex opere operantis, & virtute contritionis; & sic sacramenta postea suscepta, non præstabunt illi primam Gratiam: sed secundam. Reliqua sacramenta dicuntur conferre secundam Gratiam .i. Gratiæ augmentum; cum ordinariè suscipiantur in Gratia iam suscepta, vel per Baptismum, vel per Pęnitentiam. Et ad suscipiendum horum Sacramẽtorum effectum; sufficit, suscipiantur in Gratia, cum intentione proficiendi: sed de hac re alibi commodius disputabitur. Quæ tamen regula non valet in paruulis, qui propria voluntate vti non possunt: & sic, cum aliena voluntate peccauerint, ita per Christi voluntatem in Baptismo applicatam, iustificantur.

6 Tertium suppositum est: vnumquodq. Sacramentum, ex certo Dei decreto, & infallibili promissione, habere certum, & determinatum effectum, .i. quantum est ex vi Passionis, & legis Diuinæ, habere conferre tantam Gratiam, in gradu diffinito; & hanc sacramenta conferunt omnibus suscipientibus, & sine obice, indifferenter. Et sic, quantum est ex parte Dei, effectus Sacramenti est omnibus æqualis; non solum quantum ad substantiam; nimirum, quia omnibus eandem in specie habitualem Gratiam conferunt: sed etiam, quantum ad quantitatem; siquidem omnibus, quantum est ex parte Dei, confertur in eadem mensura dicta Gratia. V.g. statuit Deus, suscipientibus Sacramentum sine obice, conferre Gratiam, vt quatuor; hæc erit minima Gratia, quæ per sacramenta dabitur suscipientibus. Vnde, si quis sit dispositus, remissa dispositione v.g. vt duo: non ideo huic dabitur, ex vi Sacramenti, Gratia vt duo: sed vt quatuor; cum in tanta quantitate Deus decreuerit omnibus dare, quantum est ex se. Et ratio est: quia effectus Sacramenti non dependet ex dispositione suscipientis, nisi materialiter: sed ex sola lege Christi. Piè tamen, ac rationabiliter creditur, Christum Dominum taliter instituisse sacramenta, vt non minorem conferant Gratiam: benè tamen, quod maiorem causent in subiecto melius

Sacramenta ex decreto Dei regulariter, certum gradum gratię omnibus nõ ponentibus obicem, indifferenter conferunt.

lius dispositio. Quod communter fatentur DD. Testibus Suar. disp. 8. sect. 5. dict. 3. Vasq. disp. 131. cap. 7. Quod ex Triden. colligi facile potest sess. 6. c. 7. vbi habet. *Nos iustificari, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq; suam, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam vniuscuiusq; dispositionẽ, & cooperationem.*

Piè creditur melius dispositio, maiorem cõferri gratiam ex opere operato.
Suar. Vasq. Triden.

7 Nec valet dicere, Concilium loqui de iustificatione, quæ fit extra Sacramentum per actum Contritionis, & sic, ex opere operantis; vbi dicit (*& secundũ propriam dispositionem*) Nam (vt optime Suar.) potius Concilium loquitur de instificatione, quæ fit per Baptismum, vt videre est ipsum Concilium. Præterquã quod ità piè credendum est, expediens fuisse, vt nos excitaremur ad recipienda Sacramenta, cum maiori deuotione, & reuerentia, saltem; propter spem maioris fructus. Item Diuinæ Bonitati satis conforme; vt accedenti ad Sacramentũ cum Attritione, vt sex, maiorem conferret gratiam; quam accedenti cum dolore, vt duo: non quod reliquis gradibus Attritionis correspõdeat illa maior gratia: vt sic enim esset, ex opere operantis: sed ex vi institutionis illius Sacramenti: nam Attritioni nullus gratiæ gradus ex se correspondet, si fiat in statu peccati, vt certum est.

Obiectio.
Solutio.

§. III.

8 NEc valet adducere illam gratiæ distinctionem in primam, & secundam; & asserere, virtute Sacramenti, dari solum gratiam primam, in gradu, certa lege statuto, vt quatuor v. g. reliquos verò duos (si gratiam, vt sex, quis attritus, vt sex, recipiat) dari per modum augumenti, & secundæ gratiæ: quatenus attritio, iam informata gratia, fit meritoria corã Deo: vnde, si sit in gradu, vt sex: iàm duo vltimi gradus, primam gratiam excedentes, & ea informati; cum illis nõ correspondeat aliquis, ex quatuor susceptæ gratiæ gradibus, videntur esse meritorij coram Deo aliorum duorum graduum gratiæ, per modum augumenti: & sic, hos duos gradus dari, ex opere operantis: quatuor verò priores, virtute Sacramenti.

Obiectio.

9 Hæc enim doctrina absurda est, & nullo stabili nititur fundamẽto (vt per bellè Suar.) nemo enim vnquam dixit; quod cum ipsa gratia Sacramenti simul detur ratione attrittionis, in genere causæ dispositiuæ, habeat eadem Attritio causalitatem meritoriam circa nouum gradum gratiæ: aliàs eadem contritio, quæ, vt antecedit primam gratiam, est dispositio vltima ad illam, vt informata per eam, esset meritoria noui augmenti, quod est contra omnes, & falsum; vt alibi dici solet.

Solutio.
Suar.

§. IV.

10 HInc patet, falsum etiam esse id, quod Palud. docuit in 4. dist. 4. q. 1. vbi habet, quod Paruuli, post Baptismum, ante rationis vsum morituris, non confertur æqualiter gratia: siquidem sunt ad inæqualem prædestinati gloriam: quandoquidem diuersas Angelorum sedes sunt occupaturi: supponit enim, futuros esse æquales in multitudine, Angelis Beatis; vel, (vt alij,) tot esse prædestinandos, quot ceciderunt ex illis, eorum sedes vacuas repleturos: Cumq; inter se, non sint æquales in gloria, nec ipsi paruuli æquales erunt inter se in eadem gloria: & sic, cum Deus eos ad inæqualem prædestinauerit gloriam, inæqualem etiam gratiam dabit per Baptismum.

Reijcitur quidam Palud. sentẽtia.

11 Hæc, inquam, voluntariè dicta sunt, tùm quia, ideo Angeli dicuntur esse inæquales in gloria (iuxta sententiam sic sentientium): quia pariter existimantur esse in natura inæquales; & omnes inter se specie differre; & iuxta porportionem naturæ bene dicitur, fuisse eis collatam gratiam. Cum enim species sint, sicut numeri, quorum vnus est alio perfectior; nec duo eiusdem perfectionis inueniantur: optimè sequitur, quod nec duo Angeli reperiantur æquales in gratia; & ex consequuti, neq; in gloria, cum gloria sit illis data, sicut & cæteris Beatis, iuxta gratiæ habitualis mensuram. Quod si possint reperiri plures Angeli, solo numero differentes, eiusdemq; naturæ specificæ (vt nonnulli sentiunt, & nõ improbabiliter,) illi poterunt esse æquales in gratia, & gloria. Et qui tenent hanc sententiam, de pluralitate numerica Angelorum sub vna specie; hoc idem etiam docent, de æqualitate gratiæ, & gloriæ; cumq; homines sint eiusdem naturæ; & inæqualitas gratiæ, & gloriæ nõ possit in illis desumi à diuersitate specifica naturarum; solum desumenda est ab inæqualitate dispositionum, vel meritorum ex gratia; & cum hæc inæqualitas non reperiatur

riatur in paruulis ratione carentibus, nō poterunt inæqualem suscipere, per eundem Baptismum, Gratiam.

Ipsi mum Palu[d]. sem fundamentum.

12 Quod autem asserit Palud. ideo ita dicendum esse: quia occupaturi sunt diuersas Angelorum sedes: non est firmū, ac solidum: sed id in opinione positum est; (vt alibi diximus.) Sed dato, quod Deus prædestinauerit duos ad inæqualem gloriam: nō licet inde inferre, quod per Baptismum det illis gratiam inęqualem; si in ea ætate sint morituri: sed potius in tali casu dicendum esset; quod Deus sua suauissima prouidentia, taliter illis prouideret, vt alter non decedat, donec illi applicetur medium, iam sibi per Diuinam prædestinationem præparatū, per quod maiorem gratiam consequatur.

§. V.

Impugnatur quoddam Palud. effugiū.

13 Nec valet dicere, Deum tunc maiorem infundere deuotionem Ministro, cum ministrat Baptismum prędestinato paruulo ad gloriam maiorem; & sic intuitu illius maioris deuotionis, seù fidei ministrantis, maiorem conferri illi paruulo gratiam. Est .n. contra hoc D.Th. qui 3.p.q.60.ar.1.ad 2.ait; *Effectū Sacramenti non dari meliorem per meliorem ministrum: aliquid tamen annexum impetrari posse recipienti Sacramentum per deuotionem Ministri*. Et q.82.art.6. eodem sensu dicit, *Quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa, ex deuotione Sacerdotis orantis.* Quid autem sit illud annexum, quod potest impetrari deuotio Sacerdotis? non erit adeò difficilè intelligere: nam Minister Sacramenti poterit mereri de congruo, & impetrare primam gratiam actualem illi, cui cōfert Sacramentum; seù bonum motum, quo se disponat ad habitualem, & iustificantem formam. Vel etiam poterit mereri applicationem Sacramenti, si opus fuerit. Non tamen poterit immediatè mereri ipsam formam sanctificantem, vel aliquod eius augmentum, sine propria suscipientis dispositione, seu meritoria operatione. Et in hoc non est maior ratio de Ministro Sacramenti, ac de quolibet alio iusto, pro alio orante, cęteris paribus: quia Minister in hac ratione tantum se gerit, vt persona priuata; solumq. concomitanter adiungit orationem suam ministerio Sacramenti: nequè habet aliquā specialem promissionem, aut valorem in suo opere, vel oratione. Nullus autem hominum (præter Christum) potest alteri mereri, vel impetrare gratiam iustificantem immediatè, saltem, de condigno; (vt alibi dictum est quodl.11. agentes, de meritis) nec etiam eius augmentum, sine proprio actu suscipientis Sacramentum: sicuti nec potest aliquis alteri mereri, quod ei remittatur peccatum, sine aliqua ipsius peccatoris præuia dispositione sufficienti, ab ipso met elicita.

D.Th.

Per meliorē ministrū non dari maiorē gratiam suscipienti Sacramentum.

Deuotio Ministri aliquid impetrat suscipienti Sacramentum; & quid sit?

14 Nec modo in dubium vertitur. An de potentia Dei absoluta id possit præstare Deus, vt propter alicuius tertij deuotionem, vel orationem alteri applicatam, hic iustificetur? Hoc .n. indubitanter fateor. Imò sine tali deuotione illius tertij, sed ex sola sua libera voluntate, potest; (saltem infantem non baptizatum,) proculdubio iustificare. Non .n. Diuina potestas, vel solis Sacramentis; vel alicuius deuotioni, est alligata: sed sicut ex mera, & absoluta sua voluntate, decreuit date gratiam suscipienti Sacramentum, & non opponenti obicem; siuè se præparanti ad ipsammet gratiam; ita sola sua voluntate poterit, sine Sacramētis, eandem conferre gratiam, & maiorē. Sed quod miraculosè potest, non debemus fateri (siue aliqua reuelatione) de facto id idem efficere.

Indubitatū est, Deum de potest. absoluta, siue Sacramēto, posse; hominem iustificare, saltem infantem, & ante vsū rationis.

Non licet, de facto, asserere factum esse, quod sola Dei omnipotentia fieri potest, nisi cum aliquo stabili fundamento.

15 Præterquam quod, est quoddam velle scrutari Dei consilia, eiusq. decreta, ad libitum, sine aliquo firmo fundamento in SS. Patribus, vel antiqua Apostolorum, seù Ecclesiæ traditione, vel tādem in aliqua reuelatione; asserere, ita statuisse Christum, vel Deum: cū ex alia parte habeamus, ex eo nostra sacramenta, præsertim, ab antiquis differre: quia vetera significabant gratiam, quæ dabatur ex fide, & deuotione Ministri: nostra autem, (etiam si dentur ab Infideli, ac indeuoto; dummodo adsit intentio requisita) ex ipso opęre operato, gratiam, ac sanctitatem conferunt: cum & ista, & illa sub hac lege fuerint instituta.

§. VI.

16 In corroborationem autem huius omnipotentiæ Dei, in conferendo Gratiam absq. Sacramento paruulis, extat quoddam insigne miraculum sanctissimi viri Nicolai de Tolentino .s. quod cum Tolētini, cuidam mulieri, nomine, Margarita, vxori cuiusdam Bernardi de

Insigne miraculum S. Nicolai de Tolentino.

Apu-

Apulia, natus esset infans; & ante perfectè susceptum Baptisma, mortuus; vnde inconsolabiliter, filij potius animam, mater deplorabat, quam natum; viri sancti meritis, ac intercessione, defuncti, sine lauacro regenerationis completè suscepto, anima euolauit ad Cęlum. S. Antoninus Florentinus 3. p. Histor. tit. 24. c. 10. §. 4. hisce verbis casum refert. *Alterius quoq. filij præfata mulieris, cum antequam Baptismum completè reciperet, anima, à corpore recessisset; nimis afflictam mulierem visitauit vir Dei. Ad quã consolandam, insinuauit ei visionem, quam habuerat in somnijs, videlicet, quod anima pueri decedentis fuerat posita in manibus eius; quam, cum Dæmones quærerent, vt suam, secum auferre; rogaui, inquit, Dominum, vt mitteret Angelum suum, qui de potestate eorũ eriperet. Quod & factum fuerat: vnde & anima illa Paradisum introiuit: vt indè consolationem reciperet. Mandauitq. mulieri, vt nemini diceret visionem, donec viueret.*

S. Antonin.

17 Item B. Iordanus de Saxonia, in libro, quem ipse inscribit, *Vitas fratrũ*, id idem sub his verbis refert l. 2. c. 11. §. *Cuiusdam mulieris. Eidem quoq. mulieri natus fuit filius, cuius labia, & non alia membra moueri videbantur; & cum baptizaretur, animam nequaquam perpendere potuerunt. Plorat ergo mater. Heù (inquiens) misera, quia filium genui, cuius anima damnata est. Cogitur vir sãctus visitare dolentem; vt quod viderat in nocte, de anima filij, ad matris consolationem recitaret. Eram (inquit) in meo lecto dormiens; & ecce filij anima in manibus meis deponitur: circum circa autem Dæmones terribiles adstiterunt, tractantes inter se, & dicentes: quia huius anima nostra est: nondum. n. Baptismum perfectè susceperat, cum decessit. Ego autem quamuis fragilem me cognoscerem, pro anima meis manibus commendata, Deum rogaui, vt Angelum salutis ab alto mitteret ad defensionem animæ pereuntis. Cuius immẽsæ pietati placuit, Angelum dirigere fortiorem, qui, Dæmonibus illis deiectis, de manibus meis suscepit animam, cœlestibus sedibus collocandam. Consolare ergo, consolare, & de Dei iudicijs non turberis: melius est. n. quod filium genueris Deo altissimo; quam huic infimo mundo; & quæcunquè, Deo volente, de Dei gratijs in me mistro conspexisti, nulli, dum vixero, audeas vllo modo dicere.* Hæc B. Iordan. Ita etiam refert Magister Bernardus Nauarrus, vitæ, & miraculorum S. Nicolai compilator lib. 1. c. 14.

B. Iordan. de Saxon.

18 Noui aliquos, qui hoc miraculo audito, nimis admirati, ferè illud incredibile existimarunt, & parum iure dictũ in Catholica fide: cum tamen nil potest, & orthodoxius, & Deo dignius, prædicari. Negabunt, forsan: quod, quicquid potest Deus medijs secundis causis, possit se solo efficere (excipiendo tamen actus vitales?) Negabunt, Dei virtutem non esse hisce Sacramentis alligatam? negabunt, posse Deum, etiam Lucifero, & Iudæ suam Gratiã iustificationis elargiri, eosquè, & totum Infernum ad gloriam sublimare? Negabunt, posse suis sãctis tantam tribuere facultatem, vt quicquid ipse fecit, facere valeant, immò & maiora (exceptis actionibus Theandricis?) Et quid maius est; Deum, meritis, ac intercessione S. Nicolai, infantem, non completè baptizatum, ad Cęlos euocare: an animam, in Inferno actu existentẽ (quomodocunq. existat: scio. n. quod nõ per diffinitiuam sententiam: sed ad minus, diffinitiuè, certum est, esse damnandam in mortali decedentem) ab Inferis extrahere, & in Paradiso collocare? Dixerat Iob. c. 7. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad Inferos, non ascendet*: iuxta etiam illud Ecclesiæ in Responsorijs defunctorum: *In Inferno nulla est redemptio*. Vnde Patres dicũt, non posse quem pro animabus Inferni orare sub mortali peccato: & August. Parens. to. 3. in enchir. c. 109. & 110. commendans sacrificia, & orationes pro defunctis, ait. *Est talis modus viuendi in bono, vt ista non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hac vita transierit, adiuuari, &c.* & to. 10. ser. 34. de verbis Apostol. idem repetit, dicens: *Non omninò ambigendum est, illa prodesse defunctis; sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem: nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusq. Sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, &c.* Imò alibi dixerat idem Augustinus, quod si sciret, matrem suam esse in Inferno; nollet magis pro ipsa orare, quam pro Diabolo. Omitto id, quod malè dixit de D. Gregorio Abulens. super lib. 4. Reg. q. 57. quod, cum S. Gregorius pro anima Traiani orauit, peccauit mortaliter: siquidem est omnium Doctorum sẽtentia, peccare mortaliter eum, qui pro dam-

damnatis orat. Imò eorundem Doctorum placito (referente Angles in 4.q. de suffragijs articul.2. diffin.2.) Hæreticum est asserere, Ecclesiæ suffragia posse prodesse damnatis. Maius ergo omnipotentiæ Diuinæ opus est; alicuius serui sui merito, ac intercessione, animam peccatricem, ac damnatam, ex inferis ad cæleste gloriam euolare; quam animam infantis non regeneratam, è limbo in Paradisum euocare.

S. Anton. 19 Et tamen certissimum est, quod idem S. Antonin. refert 3.p. Histor. tit. 24. c.10.§.1. Et habetur ex Bapt. Mantuan. in

Bapt. Mant. officio, quod nostra Religio recitat de dicto Sancto Nicolao, per multos Summos Pontifices confirmato, die 16. Setemb. in prima lectione secundi Nocturni, quę est quarto in ordine, in hæc verba: *Mirum autem illud est, quod cum fratris sui mortis nuncium audisset, lacrymas cõtinere non valens, Heu, inquit miser, quia dãnatus est. Orationibus igitur, & vigilijs vacans assiduè, à Domino humiliter petiuit, vt sibi reuelare dignaretur, an salua, vel damnata esset Anima illa? Quod, & factum est; nam frater eius, ei apparens dixit, Frater mi verè tuis precibus à pœnis liberatus, ad cælestem euolo patriam.* En quod communi lege fieri prohibetur, nẽpè, orare pro Damnatis: peculiari priuilegio conceditur, & D. Gregor. vt pro Trayano: & D. Nicolao, vt pro Gentilis eius Germani anima possent effundere preces, quas præuideret Deus; & intuitu futurarum præcum, lacrymarum, & aliorum operum seruorum suorum; animas, alias finaliter, & diffinitiuè damnandas; loco tantum depositi, mittit in Infernum inde, post exhibita eorumdam Sanctorum opera, extrahendas. Quod si hoc maius est; nimirum, saluare Animam in Inferno damnatam; quam animam Infantis mortui, absq; Baptismo, quanto maius peccarum est, mortale, quod propria voluntate patratur, quam originale, quod aliena voluntate contrahitur: Vndè, regulariter loquendo, adultus peccans, proprio actu debet retractare peccatum; cum infans, tantum alienis actibus iustificetur; & meritis, & præcibus Sancti Nicolai, Deus præstitit quod maius est; cur non poterit, quod est minus? Forsan poterit per Sanctos suos Deus maiora facere, non minora; Addo, quod hæc Sãcti Nicolai miracula ab Eugenio IV. omnia approbata fuere; coram quo Sanctissimo Põtifice illud accidit; quod cum Relator elegantissimè, & indicibili memoria, & Enargia trecentum Sancti viri referret miracula, in processu suæ Canonizationis probata; maxima totius Cardinalium consessus admiratione, & ipsiusmet Eugenij Pont. inquit ad relatorem, scribe trecentum, & vnum: nam, & hoc, miraculum Sãcti Nicolai fuit; quod tali facundia, ac vetustate tanta, trecentum retuleris.

§. VII.

20 IGitur concludendum est; de Potentia Dei absoluta, iustum bene posse: (de congruo tamen) alteri primam mereri gratiam habitualem, & etiam ex consequẽti; eius augmentum: at, decondigno, nequaquam. Et; regulariter loquẽdo, nec primam gratiam habitualem immediatè alteri promereri: bene verum, auxilium; quo se poterit ad illam præparare, (loquendo de adultis:) & sic poterit dici, mereri alteri, saltem, de congruo, gratiam iustificantem; mediatè tamen. Hoc enim quod est, mereri alteri de condigno iustificantem formam, proprium est solius Filij Dei naturalis: gratia enim habitualis in iusto (vt alibi dictum est) dicitur gratia adoptionis, & filij adoptiui, qua constituitur, vi adoptionis, hæres Regni, cum iure .s. hæreditario ad gloriam: & sic solum spectat ad talem gratiam, ordinatio eiusdem filij adoptiui ad propriam hæreditatem; nec exit extra personam operantem: non enim pertinet ad eam, mereri amicitiam (quæ est ius gloriæ; pertinens ad hæreditatem) inimico, & peccatori: Hæres enim per adoptionem non potest disponere de hæreditate, viuente Padre: disponere, inquam, ita vt alius, cum ipso, subintret in eandẽ hæreditatem, & filiationem. Cum autem Auxilia, & gratiæ gratis datæ, sint, quasi quædam accidentaria præmia, respectu merentis; nec pertineant, præcisè, ad hæreditatem, sed possint cuicunq; etiam, nõ filio, elargiri: poterit iustus, saltem de congruo, hæc à Patre alijs promereri, qui sint huiusmodi Diuinorum auxiliorũ capaces; vt potè sunt adulti, qui, per hęc auxilia, possunt ad bene operãdum; & se ad iustificationem præparare, & moueri. Et sic poterit Minister Deuotus, sua deuotione, ac oratione, impetrare adulto, Sacramenti suscipienti aliquod Diuinũ auxilium, quo melius se disponat ad suscipiendum Sacramẽti effectũ; qui, si melius

Cur iustus possit alteri mereri gratias gratis datas, & non gratiam gratum facientem, saltem de congruo.

lius alio, mediante tali auxilio, se dispo-fuerit, suscipiet etiam maiorem gratiam in Sacramenti susceptione, iuxta dicta.

§. VIII.

In quo consistat maior, vel minor dispositio.

25 Haec autem maior, vel minor dispositio consistere potest, non solum in intensiori, vel remissiori actu, quo quis se disponit ad Sacramenti susceptionem: sed etiam in multitudine actuum; vt cum quis accedit ad Sacramentum cum vnico tãtum doloris actu; alius cum pluribus. Item, in ipsa actuali, vel virtuali dispositione; vt cum quis accedit cum actuali dolore, vt duo; etiam si alius accedat post multos actus, ium aliquo tempore precedenti elicitos; si tamen in ipsa receptione non ad fint phisicè; licet censeantur moraliter permanere: dummodo per oppositos non fuerint retractati, maiorẽ Sacramenti effectum recipiet forsan is, qui cum actuali accedet: vt videtur docere Suar. loc. sup. cit. *§. Sed quares.* Cum actualis illa compuntio maxime conferat ad talem susceptionẽ. Itaq; hęc omnia supponenda esse censeo, & non vertenda in dubium.

De suscipiẽte in gratia Sacramentum, quid ei ex tali susceptione addatur.

22 Sicut etiam certũ esse debet, quod suscipiens in gratia habituali, & iam iustificatus, Sacramẽtum aliquod, recipiet augmentum prioris gratiae: hoc modo videlicet, quod si actus, cum quo accedat amoris, & deuotionis excedat habitum gratiae in duobus, vt si habitus praexistẽs erit, vt quatuor; & actus elicitus, vt sex; suscipiet duos alios gradus, quibus excedebatur prior habitus; & tale augmentum erit ex opere operantis: numquam enim augetur habitus ab actibus, qui nõ excedunt ipsum: (vt alibi dictum est.) bene verum est, quod per actus non excedentes acquiritur nouum ius ad nouos gradus gloriae: non tamen augmentum maioris gratiae. Et praeter tale augmentũ ex opere operantis, dantur alij quatuor, vel plures, iuxta dispositionem suscipiẽtis; vel ex decreto Dei, (vt dictum est) gradus eiusdem gratiae, ex opere operato: qui etiam darentur non existenti in gratia, dummodo obex non adsit, virtute Sacramenti.

Cum gratia conferuntur omnes virtutes infusae, eiusdem gratiae mensurã.

23 Et nor. quod cum dicimus, Sacramenta conferre tantam, vel tantam gratiam, sic, vel sic disposito; intelligimus etiam cum subsequentibus, nimirum, cum virtutibus infusis, & Spiritus sancti Donis: Paruulus namque cum baptizatur, suscipit gratiam; & cum ea, Fidem, Spem, Charitatem, & reliquos habitus, qui gratiam consequuntur, & ab ea dimanãt, vt propriae passiones ab essentia. Adultus autem fidelis cum iustificatur; cum gratia, non dicitur recipere fidem, & spem: nam hi habitus non deperduntur, nisi per actus oppositos: Fides, nimirum, per infidelitatam: & spes, per desperationem: & sic remanent huiusmodi habitus post peccatum; licet in esse imperfecto (vt alibi diximus.) Quarẽ recipit cũ gratia, charitatẽ, & reliquas virtutes infusas, & Spiritus sancti dona, iuxta mensuram gratiae collatae. Sic etiam, cum accedit ad Sacramentum cum gratia iustificante, recipit augmentum; tũm gratiae, tùm donorum. Et licet possit aliquando quis habere maiorem dispositionem, in ordine ad augmentum fidei, quam charitatis; vel iustitiae, quam temperantiae: &c. tamen dispositio suscipientis pensanda est principaliter in ordine ad infusionem, vel augmentum ipsius gratiae: etsi enim talis dispositio sit actus alicuius virtutis peculiaris; & aliquando ex multis, & varijs actionibus coalescat: moraliter tamen considerata, sufficiens est ad consequendos tot gratiae gradus per Sacramenta: & consequenter, sufficit ad totidem gradus in reliquis virtutibus, & donis: quia haec dantur concomitanter cum ipsam gratia; nec excedunt: nec possunt excedi ab illa, cum augeantur proportionaliter ad augmẽtum ipsius, & infundantur ad mensuram eiusdem. Bene verum est, quod cum singula Sacramenta conferant (vt mox dicam) peculiaria auxilia, & sint instituta ad diuersimode homines adiuuandum; vt Confirmatio, ad roberandam fidem; Euchatistia, ad nutriẽdam charitatem, Extrema vnctio, ad spem firmandam, &c. & sic vnum Sacramentum magis iuuet, quam aliud, per auxilia actualia, ad actus quarundam virtutum, quam aliarum: tamen in infusione gratiae habitualis, omnia primario respiciunt iustificantem formam; & consequenter, virtutes, & dona, quae ipsam sequunrur, ac comitantur. Ità & aegregiẽ P. Suar. disp. illa 7. sect. 2. *Suar.*

§. IX.

Sacramenta mortuorum possunt, per accidẽs, esse Sacramenta viuorum; & è contra.

24 Quibus tandem adde; quod, licet non omnia Sacramenta sint instituta ad iustificandum, primo, & principaliter peccatorem: sed tãtùm

tum duo illa, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum; nimirum, Baptismus, & Pænitentia: reliqua verò, ad augêdam illius gratiam: & sic dicta sunt, Sacramenta viuorum; tamen, per accidens, in aliquo casu, poterunt, etiam priora, tantum gratiæ augmentum præstare; vt, si adultus accedat ad Baptismum perfectè contritus; & ex consequenti, virtute Contritionis, tâq; vltimæ dispositionis ad grariam, iustificatus. Et etiam, si quis accedat ad Sacramentum Pœnitentię cum solis venialibus. Et pariter Sacramenta viuorum conferent prima gratiam, scilicet accedenti cū bona fide, ad Eucharistiam, verbi gratia, putans, se esse in gratia, vel si in promptu non habeat confessarium, & sit attritus; tamen, bona fide putat, se esse côtritum; in eo casu, procuidubio, virtute Eucharistiæ iustificabitur; & primam suscipiet gratiam. Non enim valet dicere, illum habere Sacramentum in voto (vt diximus supra) nam Sacramentum in voto, tantum, non est sufficiens conferre gratiam; ex opere operato; cum Sacramenti effectus suscipiatur in ipsa actuali susceptione: sola namq; finalis causa non dicitur effectum causare; vt futura. Statuitur ergò, & concluditur, tamq; certum, omnia Sacramenta conferre gratiam habitualem, & dona: siuè primò ea conferant: siuè augeant tantum. Quare solum restat examinanda præsens difficultas, de aliqua alia gratia speciali, distincta ab habituali, & à donis: An s. singula Sacramenta habeant aliquem peculiarem effectum gratuitum; seù aliquod singulare auxilium côferre, quod taliter ab vno pêdeat Sacramêto, vt non conferatur ab alio? Et sic septem Sacramenta habeant causare septem peculiares gratias differentes; quæ dicantur gratiæ Sacramentales, & Sacramentorum propriæ? Ita disputatur à D.Th.quęst.62 art.2.& ab omnibus iunioribus ibid. Videantur præsertim Suar.disput.cit.sect.3.Vasq.disp.131. c.7. Et rangitur à Pezantio disp.1.supra illum articul.2. *D.Th. Suar. Vasq. Pezant.*



CAP.

CAPVT II.

Quam nouã gratiam, supra gratiam habitualem, & dona, ponant nostra Sacramenta in anima suscipientis?

§ I.

1 IN hac rè, reiecta singulari, quidê, & communi omnium DD. opinioni contraria, Palud. sententia (vt ipsemet fatetur in 4.d.2.q.3.) asserentis, quodlibet Sacramentum conferre singularem gratiam habitualem, distinctam à communi habituali sâctirate, quam omnia Sacramenta causant; & etiã distinctam ab omnibus alijs habitibus, seù habitualibus gratijs sacramêtalibus, quas singula conferunt Sacramenta. Et sic, ex eo, quod singula ad suos peculiares fines fuerint instituta, peculiares singulis effectus tribuendos esse, eosq; habituales, contendit. Et reiecto quocunq; alio dicendi modo antiquorum scolasticorum ex his quos refert Vasq.loc.cit. *Sentêtia Palud. singularis. Palud.*

2 Mihi videtur cum D. Th. sentiendum, quem vniuersa fere scola sequitur; Vnū. s. Sacramentum non conferre gratiam aliquam habitualem, distinctam à communi gratia habituali, in ratione gratiæ habitualis; cum hanc gratiam habitualem, vt sic, omnia Sacramenta conferant (vt dictum est.) Bene verum, quodlibet Sacramentum conferre eandem gratiam gratum facientem; cum quodam tamen peculiari, ordine ad quædam auxilia Dei, mouentis ad finem peculiarem, ad quem Sacramentum ipsum institutum est, & sic gratia sacramentalis solum addit supra gratiam habitualem, communiter dictam, illum peculiarem ordinem ad hæc, vel illa auxilia particularia, quæ conferuntur homini Sacramentum suscipienti, ex vi illius Sacramenti, ad quosdam particulares effectus; licet non semper efficacia: sint: sed pro Dei voluntate, aliquando efficacia; aliquando verò tantum sufficientia, quæ sæpè solent esse externæ protectionis; sæpe vero internæ inspirationis. Nam aliquando, pręsciens Deus, quod si tentetur Petrus, post Sacramenti susceptio- *Vera sententia d.45.*

ptionem, tentatione aliqua vehementi; proculdubio consentiet,& cadet à suscepta iustitia: non permittit, illum tentari, remouens extrinsece omnia, quæ tentationem inducere possent: vel si tentari permittat, non finit tentationem vehementem esse,cum qua vidit consensurū: sed leuem, cum qua vidit,non consensurum. Vel si vehementer finat illum tentari; intrinsecus, maiori auxilio ipsum excitat ad superandam tentationem, ac vires roborat voluntatis, concurrēdo cum illa, iuxta doctrinam,quam (Deo dante) tradam, si licuerit, in quodl. de auxilijs diuinæ gratiæ tom. 2. vltra ea, quæ docuimus quodlib. 8. licet verum sit,huiusmodi auxilia non esse taliter Sacramentorum propria, vt nequeant extra sacramenta conferri pro libito Dei, per orationem, vel impetrationem, vel per modum præmij, saltem accidentarij, correspondentis alicui merito (quicquid aliqui minus probabiliter sentiant.) Cum quo tamen dicimus, nunquam sacramēta conferri legitimè,ac ritè, quin etiam suscipienti debeantur illa auxilia,saltem sufficientia:non tamen,in ipsa susceptione, necesse est, semper conferantur; sed sufficit, non denegentur, cum se offert occasio.

§. II.

3 Haec omnia,quæ in hoc discursu dicta sunt solum indigēt maiori explicatione, vnde pariter declarata, & probata manebūt;& insuper aliorum, & præsertim Palud. sententia confutata. Et sic primò certum esse debet, non cōferri per sacramenta diuersas gratias habituales secundum substantiam; siuè diuersa dona habitualia, distincta à donis, quæ ipsam formam iustificantem consequuntur:nam non potest excogitari finis aliquis, quarè ponendi sint huiusmodi habitus distincti in nobis, quem nō præstent Gratia gratum faciens, & dona ipsam concomitātia;& in Essentia animæ, in qua ipsa Gratia subiectatur; & in potentijs, in quibus subiectantur infusæ virtutes. Nam per Gratiam sanctificantem, iam anima est adæquatè sanctificata, & peccata omninò deleta: vnde homo dicitur obiectum congruum Diuini amoris,& amicitiæ supernaturalis,cum iure hæreditario ad gloriā; & opera,quæ eliciūtur ab ipso, sunt,ratione illius gratiæ, de condigno meritoria æternæ vitæ: siquidem constituit habentem filium Dei

Declarantur simul atq. probantur ea, quæ in §. 1. dicta sunt.

adoptiuum:ergo ad quid in Essentia animæ nouum habitum ponere;si quicquid ille præst. re posset, gratia sufficientissimè præstet? Per virtutes autem.s. Fidem, Spē, & Charitatē, & reliquos infusos habitus,taliter constituūtur potētiæ animę potētes connaturaliter elicere actus omnes virtutum supernaturalium, vt delectabiliter, promptè, & expeditè; (si requisita ponantur; nimirum,excitatio,ex parte obiecti, & debitus concursus, eiusdem ordinis,cum actu eliciendo; ex parte ipsarūmet potentiarum) illos eliciant, & meritoriè eliciant: nec aliquis actus supernaturalis est,quem nō possint, cum illis habitibus,& dictis requisitis,elicere: ergo frustra,distinctos virtutum, & Gratiarum habitus ponere: non.n.deseruirēt ad aliquid, quod non possint habitus illi infusi. Videatur Suar.loco cit. *§. Dicendum verò est*. Suar.

§. III.

4 Qvod autem Gratia sacramentalis addat respectum quendam particularem ad talé, vel talé auxilium,in ordine ad hunc, vel illum particularem effectum: & sic,quantum ad hūc respectum; distingui inter se Gratiæ sacramentales omnium Sacramentorum: patet apertè: nam in primis, vt optimè D.Th.in arg. sed con.& Pezātius loc.cit. frustra instituta essent tot sacramenta,nisi vnum conferret aliquid,quod non confert aliud: si.n.omnia eandem omninò habitualem Gratiam causarent in anima; frustra fiūt per plura,quæ possent æquè,& benè fieri per pauciora: ergo,si quodlibet causat eandem omninò sanctitatem, vnum sufficeret, & non tot instituere,in ordine ad eundem omninò effectum, & finem.

Gratias sacramentales distingui inter se per diuersos respectus, &c.

D.Th. Pezant.

5 Quod si dicas; suscepto vno Sacramento, confertur tanta Gratia; & ad susceptionem alterius,augetur. Contra hoc est: nam suscepto Baptismo,suscipitur habitualis Gratia; quod,si per peccatum ab ea quis cadat; accedens ad pęnitentiam,non dicitur augeri prior,sed potius cōfertur prima Gratia. Præterquam quod,hoc augmentum posset haberi,per reiterationem eiusdem Sacramenti; Et sic vnum sufficeret. Adde,nam si hoc esset, indiscriminatim possent à quocunq. suscipi omnia sacramenta, vnum post aliud: & sic baptizatus,absq. necessitate, posset Extremam Vnctionem suscipere,

Effugium. Impugnatur.

vel Ordinem, vel Matrimoniū,&c. quod ridiculum est. Vude cum nemo possit ad alia sacramenta accedere, nisi sit baptizatus; signum est, quod aliquid præstat Baptismus, quod non præstarēt, nec præstare possent reliqua. Et cum Extrema Vnctio detur in fine vitæ, & non in alio tempore; signum est, quod, pro eo tunc, est necessarium tale Sacramētum ad aliquem effectum, & nō anteai & sic discurrendo per reliqua, &c. ergo Gratia sacramentalis diuersa est in vno Sacramento, ac in alio. Nec potest excogitari; in quo consistat? nisi in illo respectu ad diuersa auxilia; qui est relatio quædam efficientiæ, & causalitatis illius auxilij, in ordine ad hunc, vel illum particularem effectum gratuitum, & non alium, ergo, &c.

Vasq. Bernar.

6 Colligit hoc Vasq. *§. Sanè verò.* ex Bernard. in ser. de Cęna Domini ante med. vbi, cum dixisset, diuisiones gratiarum diuersis Sacramentis concessas esse: paulò post assignat diuersas Sacramentorum gratias, per respectum ad diuersa auxilia: præsertim verò, Sacramento Eucharistiæ. Quod .n. non sentiamus adeò vehementes iræ, inuidiæ, luxuriæ motus, tribuit huic Sacramento: hoc autem pertinet ad auxilium, quo Deus remouet ea, quæ aduersa, & contraria nobis sunt, & ad peccatum nos facilè inducerent.

§. IV.

Quę nam auxilia sint singulis debita Sacramentis. Suar. Baptis.

7 QVæ autem sint hęc auxilia Sacramentorum viui debita; & hi Sacramentorum peculiares effectus? facilè explicat Suar. *§. Dico secūdo.* vbi habet; Baptismum differre à reliquis Sacramentis: quia per se ordinatur ad delendum originale peccatum, & reliqua, quæ cum illo coniuncta erant: atq. adeò, ad dandam primam Gratiam, simpliciter primam: .i. quæ primo homini infunderur in toto vitæ tempore, virtute Sacramenti; & ideò datur per modum spiritualis regenerationis. Quia sicut per generationem datur primum esse rei genitæ: ita per Baptismum datur primum esse Dininum. Et quia hoc perfectè fit in lege gratiæ; ideò datum est etiam Baptismum, vt simul auferat, non solum culpas mortales, & veniales: sed etiam omnem pęnæ reatum. Atq. ipsa gratia prima, vt regeneratiua, est Gratia sacramentalis huius Sacramenti. Et hoc esset sufficiens, vt distingueretur à reliquis. Verisimile autem est, & piè credi potest, per hoc Sacramentum conferri aliqua specialia auxilia, vel ad se conformandum cum Christo, cui in Baptismo homo cōsepelitur: vel ad seruanda diuina mādata: quia baptismus est professio Diuinæ legis: vel ad dignè suscipienda alia sacramenta: quia est Sacramentorum ianua. Vel tandem ad ea desideranda.

8 Sacramentum Pęnitentiæ est institutum per se ad remittenda peccata mortalia, post Baptismum commissa; & ad dandam primam Gratiam sanctificātem. Non primā simpliciter in toto tempore vitæ, sicut Baptismus: sed primam post lapsum, & spiritualem mortem: vnde non confertur per modum regenerationis: sed quasi spiritualis, Resurrectionis, seù curationis, & sanitatis animæ. Et prima gratia, sub hac ratione, est sacramentalis, respectu huius Sacramenti; & cum ea coniuncta est remissio æternæ pęnæ: non tamen plena remissio temporalis pęnæ. Et est maior, vel minor, iuxta dispositionem pęnitentis. Præter hæc verò, credibile est, dari aliquod speciale auxilium ad efficacius detestanda peccata, & satisfaciendum pro commissis. Pęnitentia.

9 In Confirmatione, Gratia sacramentalis addit speciale auxilium ad cōstanter, ac firmiter confitendam fidem: vnde ipsummet Gratiæ augmentum, quod ad hunc finem pro hoc Sacramento datur sub ea ratione, & quatenus habet annexum prædictum Dei auxilium, dicitur sacramentalis Gratia. Confirm.

10 Ita Matrimonium videtur includere in sua sacramentali gratia auxilium continentiæ, & castitatis ad seruandam coniugij fidem. Ordo, ad inseruiendum Deo, peculiari cultu; & ad sanctè, ac religiosè exercendas sacras actiones, ad cultum Dei spectantes. Extrema Vnctio, ad firmiter resistendum extremis insultibus Dęmonum, & ad firmissimè sperandum, &c. Et tandem de Eucharistia, iam dictū est supra ex Bernard. Hunc discursum, licet maiori ex parte ex Suar. mutuauerimus: nihilominus est D. Th. in corp. ar. 2. Matrimoniū, & reliqua sacramenta. D. Th.

§. V.

11 ET not. quod licet virtute Sacramentorū dentur huiusmodi auxilia: non tamen dicuntur sacramenta, necessaria media, simpliciter, ad ea auxilia habenda: sed tantum, vtilia; cum possit eadem, extra sacramenta, Deus, pro suo placito, tribuere cui vult; siquidem Auxilia sacramentalia potest Deus etiam extra sacramenta tribuere cui vult.

sunt

sunt gratiæ gratis datæ; licet in Sacramẽto, annexæ gratiæ gratum facienti. Et sic possunt, vel nullis præcedentibus meritis, conferri, vel etiam intuitu alicuius meriti. Non tamen dicenda erunt præmia, per se debita illi merito; sed tantum ex voluntate Dei, & per accidens, cum sola gloria, & gratiæ augmentum dicantur præmia per se meritorum. Nec ideo superflua fuit Sacramentorum institutio, sed vtilissima ad obtinenda huiusmodi auxilia sine impetratione, & merito operantis, sed ex opere operato. Argumenta autem, quæ fieri possent contra hanc doctrinam, nullius difficultatis sunt, & optime soluuntur à D.Th. loc. citat. Et ex dictis in hac dispositione patentissime soluuntur. D.Th.

§. VI.

12 PEtes tandem: quid sibi vult D. Thom. quæst. 86. artic. 1. ad 3. & sæpè alibi, vbi ait, effectum Sacramenti non solum conferri intuitu Sacramenti, in re suscepti: sed etiam in voto; Videtur enim sentire contra nos, scilicet, quod etiam Sacramentum, in voto, tantum, conferat sacramentalem effectum ex opere operato. Respondeo tamen, D.Th. non loqui de effectu Sacramenti, in ratione effectus sacramentalis: sed specificatiuè; ita vt mens ipsius sit; aliquando, etiam sine actuali susceptione Sacramẽti, conferri à Deo effectum eiusdem speciei cum eo, qui virtute Sacramenti confertur: non vero, quod conferatur ex opere operato, ratione voti Sacramenti: sed potius ex opere operantis. Assignat exemplum Suar. disp. 8. sect. 1. §. *Ad rationem ergo dubitandi.* Nam interdum dicere solemus; effectum ignis aliquando fieri ex sole sine igne: non quia quando fit tantum à sole, tunc sit effectus ignis: sed quia ille effectus est eiusdem rationis cum eo, qui fieri solet ab igne. Ità à simili; effectus Sacramenti dicitur fieri per votum Sacramenti: non quia tunc sit effectus Sacramenti: sed quia est quidam effectus eiusdem rationis cum illo, qui per Sacramentum daretur; si re ipsa applicaretur. Et in hoc sensu explicat Trid. sess. 13. c. 8. vbi ait: Eos, qui voto cælestem panem edunt fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentire: quia nimirum, in charitate crescunt, & magis in Christo vniuntur, qui est fructus illius Sacramenti; quamuis tunc non sit ab illo Sacramento, vt à propria causa, sed vt ab obiecto. Et not. quod vsq; modo non disputauimus de eo effectu Sacramenti, qui dicitur character: certum enim est, huiusmodi effectum nullo pacto posse conferri, nisi per Sacramentum in rè susceptum; cum non sufficiat votũ Sacramenti, respectu characteris. De quo erit sermo Quodl. 17.

An per votũ tantũ Sacramenti conferantur gratiæ sacramentales ex opere operato.

Suar.

Trident.



DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum Circuncisio,& reliqua Sacramenta antiqua gratiam conferebant;& quomodo?

CAPVT PRIMVM.

Explicatur titulus, & examinantur quorundam Doctorum sententia.

§. IV.

D.Th. Not.1.ex Suar.

1 NOTO primo, quod disputat D.Th.de hac rè ar.6. q.62. In cuius art. commentario aduertit Suar. quod licet tantùm videatur loqui de Sacramentis legis scriptę in tit. tamen ex toto discursu corporis, & responsionum argumentorum, clarè colligitur loqui de omnibus Sacramentis, tam legis naturæ, quam Mosaycæ; & sic de omnibus erit etiam præsens nostra disputatio. Vnde ad tollendam æquiuocationem ponimus in titulo ly (*Antiqua*) loco (*Veteris legis*) vt comprehendamus omnia Sacramenta, quæ fuerunt ante Christi aduentum. At quia D.Th. ar.cit. principaliter videtur de Circumcisione disputare, ideo,& nos etiam principaliter de ipsa circumcisione disceptabimus; & cõsequenter postea de omnibus alijs antiquis Sacramentis in communi; licet aliqua de Mosaycis dixerimus in superioribus.

Not.2.ex Fauent.

2 Noto secundo doctrinam non improbabilem, imò satis mihi plausibilem, Fabri Fauentini in 4.d.1.q.5. disp.3. c.1.nu.6. Vbi respondens ad non nullas Patrum authoritates, qui negare videntur, Circumcisionem fuisse institutam ad conferendam animæ Sanctitatem: sed tantum, vt esset signum distinctiuum illius Populi à gentibus: inquit, eos Patres noluisse omninò excludere, scopum principalem institutionis Circumcisionis non fuisse, conferre gratiam. Vbi notat; quod scopus principalis in institutione Sacramenti Circumcisionis, non fuit, vt per illud dimitteretur peccatum originale: quia iam Deus instituerat remedium sufficiens in illo statu legis naturæ, in quo fuit data Abrahæ circumcisio per 400. annos ante legem Moysis, ad hoc peccatum tollendum: quod fuit, fides parentum, applicata paruulis aliquo sensibili signo. Quod confirmat ex eo, quod remedium principaliter institutum contra peccatum origin. debuit esse commune masculis, & fœminis: at Circuncisio non erat communis fœminis: ergò,&c. Vnde pro illis valuit Sacramentũ, quod valebat pro paruulis, in statu legis naturæ; & perseuerauit in statu legis Mosaycæ.

3 Principalis ergo Scopus institutionis Circumcisionis fuit in signum, vt Populus Dei esset distinctus ab alijs Populis,& gentibus, particulari signo, instituto à Deo: tamen ex consequenti, voluit etiam Deus, hoc signum conferre iustificationem à peccato originali, & sic, quantum ad masculos, voluit mutare Sacramentum, quo peccatum originale deleretur, non absolutè: sed quando sine graui incomodo conferri posset: quando enim pueri non poterant peruenire ad octauũ diem; sacrificio legis naturæ peccatũ originale illorum deleri debebat, ad maiorẽ dignitatem illius populi, supra alios priuilegiati. Et ità Respõdet ad sextum argumentum; Quod in deserto Populus nõ fuit circumcisus per 40. annos: quia non poterat paruulus circuncidi sine graui incomodo, & impedimento, & in toto illo tempore deseruiuit remediũ vniuersale legis naturæ. Hanc eandem doctrinam etiam videtur annuere Soto in 4.dist.2.q.1.ar.1. Soto.

Ad quod Circcisio principaliter instituta.

§. II.

4 TErtiò not. quod D.Tho.ar.cit. ad tertium adducit quatuor opiniones de Circuncisione. Prima est aliquo- 3 not.

Referuntur quatuor opiniones, quæ refutantur à D. Tho.

quorum dicentium, per Circuncisionem non conferri Gratiam: benè verum, deleri peccatum. Quam optimè confutat ipse: nam sine Gratia non deletur peccatum. Secunda opinio, quam refert, asserebat, per Circuncisionem conferri, quidē, Gratiam, solum, quantum ad effectum remotiuum culpæ; non verò, quantum ad effectum positiuum ipsius iustitiæ, & doni gratum facientis. Quam sentētiam dupliciter reprobat. Tùm primò, quia per Circuncisionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus gratiæ effectus positiuus. Tùm secundò: quia, secundum ordinem causæ formalis, effectus positiui sunt priores priuatiuis: (licet, secūdum ordinem causæ materialis, sit è contra:) forma namq; non excludit priuationem, nisi informado subiectum: & sic non potest intelligi effectus priuatiuus, ab vnica forma dependens, quin in priori signo intelligatur forma informare subiectum, & dare suū esse subiecto: vt alibi dictum est.

5 Tertia sententia, quam adducit, est aliorum asserentium; quod Circuncisio conferebat vtrq; gratiam, & quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est, facere dignum vita æterna: non tamen, quantum ad hoc, quod est, reprimere concupiscentiam, impellentem ad peccandum. Hanc sententiam, dicit, se aliquando tenuisse: sed re prudentius, ac diligentius considerata, non videri veram; cum minima Gratia possit cuilibet concupiscentiæ resistere, & mereri vitam æternam.

Sententia D. Tho.

6 Et sic ponit suā opinionem quarto loco, dicens; Circuncisionem, (sicut & alia sacramenta vetera) fuisse solum signum fidei iustificantis. Quod roborat dicto Apost. Rom. 4. dicentis, Abraham accepisse signum Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Et tandem concludit, quod in Circuncisione conferebatur Gratia, in quantum erat signum Passionis Christi futuræ.

§. III.

Not. quid sentiendum de Impugnationibus, & doctrina D. Th.

7 Ex his, quæ ex D. Tho. adduximus, aliqua sub Iudice sunt: nam qui tenent, peccatum originale consistere formaliter in priuatione iustitiæ originalis, debitæ inesse; sicut videtur idem D. Tho. docere: consequenter sustinent; posse, absq; habituali gratia, per solam condonationem talis debiti habēdi originalem iustitiam, deleri: cum debitum præcisè pendeat a voluntate creditoris; & tandiù duret, quandiù, vel extinguitur debita solutione, vel liberaliter condonatur à creditore. Et sic prima sententia non exactè videtur confutata illa impugnatione: benè verum efficacius reijcitur prima impugnatione facta contra secundam sententiam; nimirum, quia per Circūcisionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam; sed nemo, sine habituali gratia, intelligi potest cum iure ad gloriam: cum ipsa sit gratia adoptionis, & constituens habētem hæredem supernæ hæreditatis: ergo, &c.

8 Quod si sustineatur, peccatum originale consistere in aliquo positiuo (quod & nos statuemus in pprio Quodlibeto de peccato origin.) currit optimè ratio illa D. Th. nam positiuum per aliud positiuum expelli debet, maximè si illud positiuum nōn depēdeat à Deo in conseruari, cuiusmodi est peccatum, (vt alibi dictum est.) Et hæc prima sententia erat Magistri, in 4. dist. 1. & glosæ in cap. Quod autem, de consecrat. dist. 4. vbi ait; quod, in Circuncisione, peccata solum dimittebantur: sed Gratia ad benè operandum adiutrix non præstabatur. Quæ tamen opinio ab omnibus reijcitur, vt aliquo pacto repugnans fidei principijs (vt ex infra dicendis clarius constabit.) Magist. Glos.

9 Pro modo autem sufficiat, quod in contrarium decernit Trid. sess. 6. vbi sæpè ait; peccatum originale remitti per veram iustificationem, sicut peccatum mortale: vera autem nostra iustificatio non est, nisi per Gratiam habitualem: ergo contra hoc fidei principium videtur hæc opinio esse. Trid.

10 Et ferè eodem modo confutari potest secunda opinio adducta à D. Th. huic primæ satis proxima: nā peccatum nunquam adæquatè deletur, nisi per iustitiam animæ inhærentem: eo autem ipso, quo forma inhæret subiecto, dat illi suos effectus positiuos, primò, & essentialiter; itaut, nec de potentia Dei absoluta fieri possit, vt posita forma in subiecto apto, non illud informet, & præbeat ei omnes suos effectus formales primarios: imò possunt aliquando impediri effectus secundarij, & negatiui: non tamen positiui. Posito n. calore in manu, non potest non calefacere manum, qui est eius effectus formalis positiuus; cum tamen possit impediri, ne expellat frigiditatem; qui est effectus negatiuus, & secū-

dariu-

Not. Peccatum, & Gratiam esse opposita quasi contradictorie, & priuatiue.

darius. Licet hoc non currat de Gratia, respectu deletionis peccati, quæ de ſetio, nec de potentia abſoluta, poſitis motu liberi arbitrij, & Gratia, impediri poteſt, quin deleantur peccata (vt docuimus alibi) ex ea ratione, quia peccatum & Gratia ſunt oppoſita, quaſi, contradictorie; & priuatiue. Et præterea, ideo, poſito calore in ſubiecto frigido, poteſt impediri, ne frigiditas expellatur: quia tàm calor, quàm frigiditas pendent in conſeruari à Deo, & nemo poteſt cogere Deum ad ſuſpendendum concurſum, quo aliquid in rerum natura conſeruat, adhuc poſita quacunq. cauſa ſecūda contrariè oppoſita. Cęterum, cum peccatum non conſeruetur à Deo, eo ipſo, quo Gratia ponitur in anima, (præſuppoſito motu liberi arbitrij) ex natura rei, deletur peccatū; ita vt nec de potentia Dei abſoluta poſſit non deleri.

§. IV.

Difficile argumētum ad probandum, ad implicare, poſſet aliquam ſimul, & ſemel eſſe in Gratia, & actualiter peccare.

11 OCcaſione deſumpta ex hac doctrina, placeat hic aliquâtulum immorari, nō inutiliter. Quidā .n. doctiſſimus Magiſter meus, proximis diebus, obiecit contra hoc, argumentum, (quod certè ſemper maximam mihi difficultatem ingeruit; & quo, non ſemel, in Scholis vti conſueueram; cui tamen licet innumeræ adhiberentur ſolutiones, nunquam acquieſcebam.) Poteſt autem ſic argumentum efformari. Poſita Gratia habituali in anima, liber eſt homo ad peccandum; demus, quod eliciat eius volūtas actum peccaminoſum mortaliter; cōcupiſcat v.g. vxorem proximi, vel vindictam, &c. tunc ſic; ille homo mortaliter peccat, concupiſcendo; & alias poſſet Deus cōſeruare habitum Gratiæ in anima illius: cum pendeat ab illo in conſeruari, & nemo poſſit eum cogere ad ſuſpendendum concurſum ſuum, quo gratiam conſeruat in anima: ergo in tali caſu erit ſimul, & ſemel in peccato, & in Gratia.

Occaſione huius argumenti ſit hęc vtilis digreſſio hoc loco: licet commodius potuiſſet poni q. 10. de iuſtificat. diſput. 2. c. 3. y. 5.

12 Hoc argumento aliqui conuicti, ſuſtinent; benè poſſe eſſe ſimul. & ſemel, Gratiā habitualem, cum peccato actuali: non tamen cum habituali. Quam ſententiam ipſe Magiſter meus valdè probabilem exiſtimat; imò mihi retulit, ipſum eidem ſententiæ, propter hoc argumentum, adhærere; nec inconueniēs exiſtimare, poſſe aliquem, ſimul, & ſemel, eſſe amicum Dei, in habitu; & inimicum, in actu: Dei filium, in habitu; & in actu filium Diaboli, &c.

Reijcitur inintelligibilis hæc doctrina

13 Cęterum hæc doctrina mihi multum abſona ſemper viſa eſt, & inintelligibilis: non .n. capere valeo, quo pacto, ſtāte rectitudine ſupernaturali in Eſſentia animæ per Gratiam; & in voluntate per charitatem, poſſit eſſe aliqua deordinatio actualis in ipſamet voluntate, non deperdito habitu charitatis, qui quidam, niſi Gratia deſtruatur, nunquam ipſe deperditur. Vndè poteſt hæc ſententia pro modo ſic demonſtrari falſa: data hypotheſi, toto hoc tempore, & in ſingulis huius temporis inſtantibus, hic homo dicitur, & verè eſt Dei amicus, & filius, habens ius ad gloriam: ſed ſi in aliquo huius temporis inſtanti peccaret, pro eo tūc, nōn poſſet dici, & eſſe verè Dei amicus; immò inimicus; nec verè Dei filius; imò Diaboli; nec habens ius ad gloriam; imò ad æternos cruciatus: ergo vel non poterit (facta ſuppoſitione) peccare; vel ſi peccet, gratiam eo ipſo deperdet. Ma. eſt certa, ex ſuppoſitione. Min. probatur: quia ſi peccaret, vel verum eſſet dicere, nunc in hoc ipſiſſimo inſtanti, quo hic peccat, eſt verè Dei amicus; vel non: primum non videtur poſſe dici, darentur .n. duæ contradictoriæ ſimul veræ: nam tūc verum eſſet dicere; nunc eſt amicus Dei: & nunc non eſt amicus Dei: nunc eſt filius Dei, & nunc non eſt filius Dei: quia eſſet filius, & amicus Diaboli; & nullo pacto poſſunt ad inuicem compati, eſſe amicum Dei, & filium; & eſſe filium, & amicum Diaboli: & ſic idem eſt, eſſe filium, & amicum Diaboli; & non eſſe amicum, & filium Dei: ergo neceſſario dicendum eſſet, pro eo inſtanti, non poſſe dici amicum, & filium Dei, &c. ergo neq. in Gratia, & charitate.

Effugium.

14 Neq. valet repetere diſtinctionē de amicitia in habitu; & inimicitia in actu; aſſignando inſtantiam in humanis: vbi, alter ex amicis, abſquè eo, quod deſtruatur habitus amicitiæ, poterit aliquo peculiari actu offendere amicum: & ſic perſeuerabit amicitia habitualis: tamen offenſor dicetur inimicus in actu; quia actus ille, potius actus inimici eſt, quam amici: ita in propoſito de habituali amicitia inter hominem, & Deum.

Impugnatur not. differentiā inter amicitiam humanam, & Diuinam.

15 Nō, inquam, videtur hoc ad rem, tùm quia diſpar eſt ratio inter amicitiā humanam, & Diuinam: hæc .n. conſiſtit in indiuiſibili; ita vt vnico ſolo actu deſtruatur, quemadmodū vnico ſolo actu

fer-

feruentis claritatis acquiritur: At amicitia humana, sicut cõsistit in mutuo amore, beneficijs confirmato; & multiplicatis actibus, & obsequijs, vel beneficijs acquiritur; ita non vnico actu solet deperdi, licet soleat paulatim minui; quomodo non minuitur amicitia Dei. Tùm quia inintelligibile est, quomodo amicus, in humanis; grauiter, & scienter alterum amicum offendens, non sensiat in se ipso, amicitiam destrui. Et pariter offensus amicus, si sciat ab altero amico fuisse offensum; nescio quomodo in se non experiatur, statum amicitiæ, vel dissolutum, vel incipere dissolui; nam certum est, quod, si offensorem non pœniteat coram offenso; læsus, saltem in corde, desumenda contra offensorem suum vindicta, cogitabit, scribit. n. in marmore læsus. Ergò nunquam; stante offensa, poterit status amicitiæ perseuerare. Vide etiam quę diximus quodl. 12. disp. 2. c. 3. §. 4. à n. 10.

16 Addo tandem casum; demus, Petrum esse in statu amicitiæ Diuinæ, per habitum gratiæ; & etiam demus, quod nunc peccet, & statim in ipso actu peccati moriatur; vel Petri Anima ascendit in cælum; vel descendit ad inferos: non in cælum: quia est peccati macula coinquinata; & nemo cinquinatus cælum ingreditur. Non ad inferos, quia habet gratiam iustificantem, qua media, ius habet ad gloriã: quid ergo erit de Petro iusto, peccatore? ergò omnino inintelligibilis est hæc doctrina.

17 Quarè ad Argumentum mihi videtur respondendum sic in forma (*Posita gratia habituali in anima, homo liber est ad peccandum*:) distinguo, & de positione gratiæ: & de libertate: (*Posita gratia*) secundum legem ordinariam Dei, absq; alio decreto, vltra legem facto, de conseruando illam, quibuscunq; non obstantibus: tunc concedo quod homo liber remaneat etiam ad peccandum; sicut de facto accidit in omnibus iustificatis. (*Posita gratia*) secundum legem extraordinariam, decernendo de conseruanda dicta gratia, quibuscunq; non obstantibus: tunc censeo, negandum esse, quod homo remaneret liber etiam ad peccandum: in tali enim casu non posset peccare; Esset etenim quædam confirmationis in gratia species. Et certe nil aliud esse videtur confirmatio in gratia, quam Dei decretum de semper conseruanda gratia in anima iusti: nam ex vi talis decreti, debentur confirmato omnia auxilia, tum externæ protectionis, impedientia, vel moderantia, & temperantia tentationes, ne superent, sed facilè vincantur, & superentur; tum internæ inspirationis, semper, & efficaciter allicientia ad bonum; quod si Deus huiusmodi auxilia denegaret, iàm videretur desistere ab illa intentione conseruandi gratiam. Hinc B. Virgo, & Apostoli, post confirmationem in gratia, non fuerunt liberi ad peccandum. Nec tamen fit præiudicium libertati, per hoc, quod quis illam non habeat ad peccãdum: Christus enim, in via, perfectissima libertate fruebatur, cum tamen nequaquam ad peccandum libertatem haberet, quæ potius inficit, quam perficiat veram libertatem. Vnde sacrorum Patrum, & Theologorum schola duplicem libertatem distingunt: alteram, contrarietatis, qua quis liber dicitur ad opposita, nempè, ad bonũ, & malum; & hac carebant Christus, B. Virgo, & Apostoli post confirmationem; quæ etiã dici solet libertas, quo ad specificationẽ: Alteram, contradictionis; quæ etiam dicitur, quo ad exercitium; & hæc consistit in hoc, quod liberum sit ad operandum hoc, vel illud; vel ad desistendum ab operatione; & sic Christus, B. Virgo, & Apostoli liberi erant ad operandum, vel non operandum hos, vel illos actus virtutum: non tamen, ad peccandum. Et huius speciei esset illud decretum, de conseruanda gratia in anima alicuius; quarè non esset liber, libertate contrarietatis; & quoad specificationem: bene verum libertate, quoad exercitium, & contradictionis. Et hac responsione euanescit tota argumẽti difficultas. Quarè concludimus, omninò implicare contradictionem, ponere gratiam in anima, & Peccatum; quomodocunq; intelligatur.

Particularis; Respõsio, & adęquata argumento difficili.

Not. distinctionem hanc.

18 Est igitur illa secunda sententia, quam D. Th. refert, omnino rationi contraria, qua eius sectatores docebant, per circumcisionem, conferri quidem gratiã; solum tamen, quantum ad effectum remoriuum culpæ, non verò quantum ad effectum positiuum ipsius doni gratum facientis. Cum certè, gratia pugnet cum peccato, præcisè, ratione ipsius effectuũ positiuorum; qui consistere nequeunt in anima cum peccato. Imò crederem, quod, (si esset possibile,) ponere gratiam in aliqua anima absq; eo quod ipsam animam informaret, & daret illi suos primarios, ac positiuos effectus in; tali casu, nulla videretur esse repugnantia, cur

Ratione effectuum positiuorum principalũ, præcisè, gratia pugnat cũ peccato.

non

non possit Gratia esse cum culpa? tunc .n. illa Gratia se haberet, per modum cuiusdam simplicis qualitatis supernaturalis;quæ,non vt sic,pugnat cum peccato; sicuti nec pugnant Fides,& Spes: sed in tantum pugnat, in quantum facit habere filium adoptiuum, & amicum simpliciter Dei, Deiq. naturæ consortē, & Regni hæredem,&c.

19 Hic occurrit discutiendum aliud graue dubium, quod, licet commodius tractatum fuisset quodl. 12. de iustificatione, & proprius: tamen placuit huc illud remittere examinandum, prout remisimus dicto quodl. 12. disp. 3. c. 1. §. 1. n. 2. nempè;an sola Gratia habitualis, de potentia absoluta, sit satis emundare Peccati maculam? Noui vtiquè, hanc quæstionem non esse huius loci propriā: cęterum parcant, quæso, lectores, meæ moræ: nondum .n. applicueram intellectum alicui ex opinionibus, quemadmodum iam applicui. Et sic absoluamus reliqua ad hoc præsens caput pertinentia; & cap. sequenti propositam examinabimus difficultatem.

§. V.

Non benè impugnatur 3. sententia.

20 Impugnatio autem tertiæ sententiæ, (iuxta modum dicendi, quem sequimur in quodl. de necessitate Gratiæ, & alibi,) non placet; cum non sit Gratia habitualis, præcisè, ea, quæ immediatè naturam sanat:sed mediantibus auxilijs, forsan tamen aliquo modo ipsi Gratiæ habituali debitis: quarè homo iustus, nisi fulciatur auxilijs actualibus peculiaribus, non poterit, potestate consequenti, resistere minimæ concupiscētiæ:sed proculdubio superabitur.

Quomodo probabilis 3. sententia.

21 Vnde illa tertia opinio non mihi videtur omninò improbabilis, si tamen non afferat, Circuncisionem contulisse Gratiam ex opere operato,& ex vi sua: vt sic .n. falsa esset(vt ex infra dicendis patebit.) Nec est eadem ratio de Gratia collata per Baptismum(vt supra vidimus)prerer Gratiam habitualem, quodlibet Sacramētum habet,ex Christi institutione, causare quędā peculiaria iuuamina, quę non conferebantur in vsu,& virtute Circuncisionis, seu cuiuscunq. alterius Sacramenti ex antiquis.

Non quamlibet minimā gratiā habit. posse resistere cuilibet concupiscentię. vt ait D. Th.

22 Ex quo possumus desumere aliā rationem contra id, quod asserit D.Th. nempè, quamlibet minimam Gratiam habitualem posse resistere cuilibet concupiscentiæ, si præcisè, de ipsa Gratia habituali sit sermo:nam si per solam habitualem Gratiam quis poterit sic resistere,ad quid ponere diuersa auxilia, respectu diuersorum effectuum sacramentalium, in ordine ad resistendum, præcisè, rentrationibus?&c. Adde:nam sequeretur, iustum,cum sola Gratia habituali, posse simpliciter perseuerare in accepta iustitia; quod falsissimum est, & contra omnem Patrum doctrinam, & Conciliorum.

CAPVT II.

An sola Gratia habitualis, præciso quocunquè alio, sit sufficiens, de potentia absoluta, delere peccati maculam?

§. I.

An, absq. motu liberi arbitrij, sola Gratia habitu. possit impius emundari à peccato, & iustificari?

1 Qvod quærimus in præsenti cap. est. An possit Deus, de sua absoluta potentia, peccatori, nihil de sua conuersione cogitanti, & nullū actum liberi arbitrij elicienti, infundere Gratiā habitualem; & vi solius Gratię, emundare peccati maculam, illumq. iustificare; omninò immota perseuerante eius voluntate? In qua re diu anceps persliti: imò communiori sententiæ adhærendo, affirmatiuam partem huc vsq. substinui, præsertim cum Vasq. 1. 2. disp. 207. c. 3. & alijs recentioribus; licet semper cum timore, & tremore; aduertens, negatiuam longè probabiliorem esse, propter rationes à me adductas, (loquens de potentia ordinaria) quodl. 10. disp. 6. cap. 3. §. 1. n. 1. & quodl. 12. disp. 2. cap. 3. §. 4. nu. 18. & 19. & cap. 5. §. 3. n. 12. 13. & 14. & §. 4. & §. 7. n. 21. & §. 8. nu. 24. & disp. 3. cap. 1. §. 1. nu. 2. & alibi. quibus in publicis concertationibus multoties vsus sum, nec adequatam vnquam solutionem accepi, etiam à doctissimis viris.

Vasq.

Non posse, etiam de potentia absoluta.

2 Quarè, maturius re considerata, placuit mutare sententiam; & licet, ferè solus in hoc videar; veritas tamen ipsa suffragetur pro multis. Dico igitur, non posse Deum, etiam de sua potentia absolu-

solu-

soluta, peccatorem à peccato adæquatè emundare, illumq. iustificare, absq. aliquali motu proprij liberi ipsius arbitrij, quo, saltem, aliqualiter retractet, & emẽdet præcedentem actum auersionis. Cuius sententiæ solum inuenio extitisse Sotum in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. cit. à Vasq. loc. cit. cap. 2. n. 11.

Sot.

Ratio fundamentalis.

3 Et omissa ratione, quam ipse Sotus adducit, cui facilè potest fieri satis; existimo sufficientissimam, ac fundamẽtalem, illam, qua vtimur (loquendo de potentia ordinaria) nimirum; non posse Deum de potentia absoluta destruere denominationem aliquam, siuè intrinsecam, siuè extrinsecã, non destructo prius fundamento talis denominationis (vt, præcipuè, vidimus quodl. cit. 12. disp. 2. cap. 3. §. 4. nu. 19.) sed fundamentum denominationis peccatoris est actus præcedens auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturas: ergo quousq. non retractetur talis actus, non poterit Deus peccati maculã destruere, & iustum facere peccatorem. Sed per solam Gratiam habit. retractari actus ille non potest. Quod sic probo: auersio non potest, nisi per conuersionem emendari: (sunt. n. opposita immediata auersio, & conuersio) sed cõuersio est actus ipsius voluntatis: ergo quousq. voluntas non se conuertat; vel conuertatur à Deo, nunquam intelligetur actus ille auersionis emendatus. Sed Gratia, se sola, non est sufficiẽs, auersam conuertere voluntatem, si nolit ipsa conuerti; vel saltem, nisi verè per proprium actum, ipsa moueatur: quia immota omninò ipsa manente, semper dicetur auersa: ergo necessariò debet per proprium actum moueri voluntas: inintelligibile. n. est, vt idem, eodem modo se habens nunc, ac se habebat prius; nunc dicatur conuersum, nunc auersum: est quippè manifesta implicantia in terminis.

Solutio Vasq.

4 Posset ad hoc respondere Vasq. sicut ipse Respondet ad 2. in cap. 3. cit. quod quamuis macula peccati sit conuersio ad creaturam, & auersio à Deo, relicta ex actione præterita: tamen Gratia est conuersio habitualis, & pugnat ex natura rei cum illa auersione: & quando aliqua forma habet duo cõtraria, & opposita, non solum tolli, & destrui potest introductione vnius: sed etiam alterius: quolibet. n. opposito, cum quo simul esse nequit, expelli potest. Cumquè maculæ peccati non tantum opponatur libera actualis conuersio: sed etiam habitualis; etiam si non adsit conuersio actualis, sufficit ad illam destruendam habitualis; nempè, ipsa Gratia. Et idem ait, de vnione hypostatica; nempè, eam solam sufficere ad purgãdam omnem maculã peccati, si assumatur natura rationalis, sine libertate ipsius; eo quod hæc vnio manere nequit simul cum macula peccati; prout dici solet 3. p. q. 15. at. 2.

5 Sed certè friuola est hæc Responsio: contra quam sic insurgo; licet, quando forma aliqua est absoluta, & indepẽdens ab alio, possit à suo contrario pelli ab eodem subiecto: tamen quando est per modũ relationis, & essentialiter dependens ab alio, tanquam à suo fundamento, implicat, posse destrui, non destructo prius eo, à quo in conseruari depẽdet; vt patet in omnibus relationibus, & denominationibus: similitudo. n. quæ reperitur inter duos parietes albos, non potest, etiam de potentia absoluta, destrui à quocunq. contrario, & opposito, nisi prius destruatur albedo, à qua illa similitudo essentialiter dependet. Aequalitas, quæ reperitur inter duas quantitates bipalmares, non potest destrui, etiam de potentia Dei absoluta, per quãcunq. aliam contrariam formam, permanentibus illis duabus quantitatibus in bipalmari mensura. Denominatio visi, in pariete, cum dependeat à visione, quæ est in Francisco v. g. nec de potentia Dei absoluta destrui potest, dummodo perseuerat Franciscus in sua visione ad parietem terminata. Et sic de singulis. Sed macula peccati est quædam denominatio habitualis ab actu illo præcedente auersionis dependens essentialiter in conseruari, tanquam ab vnico fundamento: ergo quousq. nõ destruatur actus ille præcedens, & retractetur per oppositum actum, nũquam poterit macula destrui, etiam de potentia Dei absoluta, per quãcunq. oppositam formam. Et idem omninò dico de vnione hypostatica.

Impugnatur.

6 Quod autem Gratia sit conuersio habitualis, & opposita ex natura rei auersioni, non facit ad rem: nam etiam dissimilitudo est ex natura rei, opposita similitudini, & inæqualitas æqualitati; & tamen, neq. per dissimilitudinem potest destrui similitudo, non destructa albedine eius fundamento; nec per inæqualitatem, æqualitas, non sublata bipalmari mensura, ab altera illarum.

7 Ex quo possumus confirmare nostram sententiam: quia (prout diximus

Quod.12.) gratia,& peccatum opponũtur ea contrarietate, quæ reperitur inter duas relationes oppoſitas .ſ. inter æquale,& inæquale; ſed tota inæqualitas peccatoris pendet ab ipſa voluntate auerſa per actum præcedentem, qui virtualiter intelligitur perſeuerare in habitu, quouſq; non deſtruatur, & emendetur actus ille: ergo,immota manente voluntate, ſemper dicetur inæqualis: ergo ſi Deus poſſet infundere gratiam in homine peccatore,immota manente eius voluntate, & non retractante per propriam actum fundamentum illius inæqualitatis;poſſet ſimul,& ſemel dici æqualis(ex vi gratiæ) & inæqualis (ex vi actus non dum emendati.)

8 Addo:quia quandiù voluntas non conuertitur per proprium actum;virtute illius actus auerſionis præteritæ, ſemper intelligitur, tanquam nolens conuerti,& nolens iuſtificari: quomodo ergò fieri poteſt; quod iuſtificetur, ſtante illa nolitione virtuali ſuæ iuſtificationis?

9 Addo D.Th.proculdubio huius extitiſſe ſententiæ,vt bene vidit *Soto*; quicquid Caiet,Sactus.n.Doctor 3,p.q.86.ar.2.diſputat; *Vtrum ſine Pœnitentia peccatum remitti poſſit*? & reſpondet; *impoſſibile eſſe, peccatum actuale mortale ſine pœnitentia virtute remitti*. Et Paulo infra, ſubdit; *Non poſſe contingere, quod Deus remittat offenſam alicui, abſq; immutatione voluntatis eius*. Videtur autem D. Th. & noſtrum fundamentum principale ibi tangere, ad hoc probandum;dum ait:*offenſa autem peccati mortalis, ex hoc, quod voluntas hominis eſt auerſa à Deo per cõuerſionem ad aliquod bonum cõmutabile, inde requiritur ad remiſſionem Diuinæ offenſæ, quod voluntas hominis ſic immutetur,vt conuertatur ad Deum cum deteſtatione conuerſionis prædictæ, & propoſito emendæ, &c. Et ideo* (concludit) *impoſſibile eſt, quod peccatum alicui remictatur ſine pœnitentia,ſecundũ quod eſt virtus.*

Adducitur D.Th.pro hac ſententia.

10 Neq; valet cum Caiet.interpretari Sactum Doctorem, quod loquatur de potentia ordinaria: Nam ratio probat ẽt de potentia abſoluta;vt nos vidimus. Imò idem Vaſq,in fine cap.3.cit, optime nouit D.Th. huic ſententiæ patrocinari: vnde ait. *Quod verò attinet ad mentem S.Doctoris,ſat video in priorem ſententiã, eum vehementer inclinare.*

Caiet. interpretatio auertitur.

Vaſq.

§.11.

11 SEd arguit Vaſq.In Sacramento Pœnitentiæ remittitur peccatũ mortale, ſola infuſione gratiæ habitualis, quando præceſſit ſolum attritio, quæ ex ſe non ſufficit ad reconciliandum cum Deo: ergo extra Sacramentum etiam ſufficeret, ſi Deus vellet eam infundere. Sanè verò in Sacramento,ſola infuſione gratiæ habitualis,remicti maculam peccati, tanquam oppoſita forma, patet: quia attritio,ex ſe,nihil confert ad expulſionem peccati: ſed ſolum requiritur, vt diſpoſitio, quam Deus à nobis exigere voluit, vt gratiam conferret habitualem, qua peccati macula purgaretur, quam quidem diſpoſitionem non exigere potuit.

Prima obiectio. Vaſq.

12 Reſpondeo tamen, concedendo tam antecedens, quam conſequentiam primi argumenta. Quod autem attritio nõ requiratur vt forma, ipſi peccato oppoſita, ſed peccatum expellatur per gratiam, tanquam per ſuam oppoſitam formam,ex natura rei,in eo caſu,etiam certum eſt: ſed requiritur, vt diſpoſitio, ad ipſam gratiam neceſſaria. Nec enim verũ eſt,eã à nobis exigere voluiſſe Deum, vt gratiam conferret habitualem: licet verũ ſit,potuiſſe exigere perfectionem actum, & minus perfectum: non tamen nullum omninò. Cum gratia non poſſit peccatori adulto conferri, abſq; vlla diſpoſitione ſui proprij liberi arbitrij; quia *qui creauit te,ſine te,non ſaluabit te ſine te*. Et ideò conſulto diximus num.20. requiri ſaltem,aliqualem motum liberi arbitrij; quo aliqualiter retractet,& emẽdet priorem auerſionem:& certè,Attritio motus eſt liberi arbitrij; & licet non ſit perfecta retractatio actus antecedentis, eſt proculdubio aliqualis retractatio, & imprefecta conuerſio; imò & minorem poſſet exigere Deus, ſi vellet, ad dandam gratiam peccatori: non tamen omninò nullam. Hinc Hugo Cardinalis in c.4. Cant. exponens illa verba; *Fons Hortorum*; *Puteus aquarum viuentium*,ait;*Fons,inquantum gratis labitur:puteus,inquantũ cum labore foditur. Item,fons,quantum ad gratiam induſtriæ,puteus quantum ad induſtriam gratiæ; quæ duo bene iunguntur, nec ſeparantur: quia ſe inuicem iuuant*. Et Aug. in pſ.26. exponens illud; *Adiutor meus es tu,ne derelinquas me*:ait; *ſi adiutor Deus eſt, aliquid tu agis;nam ſi nihil agis,quomodo te Deus adiuuat?* Et

Solutio.

Aug.

Hug.Card. Cant.

Aug 1.

Chri-

Chrisost. Chrisost. ponderans Dominicam orationem, hæc aurea verba profert: *Vide quam cautè loquutus est: non dixit, Pater sanctifica nomen tuum in nobis: Adueniat regnum tuum super nos: Fat voluntatem tuum in nobis. Nec iterum dixit, sanctificemus nomen tuum; suscipiamus regnum tuum; faciamus voluntatem tuam, ne hæc, aut Dei, tantum; aut hominis tantum esse videantur: sed mediè dixit, & impersonaliter: nam sicut homo* (nota ly *sicut*) *non potest facere bonum nisi habuerit adiutorium Dei: sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi voluerit homo*. Vndè quemadmodum homo, nec de potentia Dei absoluta, potest operari bonum sine adiutorio Dei; sic nec Deus, de sua potentia absoluta potest operari gratiam in homine peccatore, illumque iustificare, & à peccato mundare, nisi ipse voluerit.

2. arg. Vasq. 13 Secundo argues p. o Vazq. si gratia se sola non posset peccatum expellere: ergo, dato casu, quod Deus illam poneret in peccatore, nil de sua iustificatione cogitante, posset simul esse cum peccato: hoc autem implicare diximus contradictionem Quodl. de iustificat. ergò, &c.

Solutio. 14 Sed non aduertit Vasq. quod nos dicimus, nullo modo posse Deum gratiam infundere, in casu posito, propter implicantias adductas, & rationes.

Replica. 15 Sed contra hoc ipse insurgit: quia macula illa nequit obstare, quominus Deus, omnipotentia sua, introducat formam se contrariam, quà ipsa macula purgetur. Et probat: nam, vt aliqua forma, vel denominatio, quæ est in subiecto producta, impediat introductionem contrariæ: aut debet esse talis naturæ, quæ ammicti nequeat vllo modo, aut debet à potentiori agente cõseruari. Veluti, si potẽtius agens cõseruaret calorẽ in aliquo, subiecto, non posset ab impotentiori introduci frigus, &c. Sed status peccati, sua pta natura, destrui potest; & à potentiori non conseruatur; quamuis igitur non possit Deus infundere gratiam sine dispositione libera, itaut permaneat cum macula peccati; nil obstat, quominus eã ità introducat, vt ipsa peccati maculam tergat. Quare si vellet eam infundere homini actu peccanti, sicut rè vere posset, deberet actum peccai ipse impedire; aut mutando cogitationem, & consequentur effectum; aut denegando volunti concursum, quem illi alias conferret ad actum materialem peccati; neq; liberum arbitrium vi, sua, potens esset, resistere Deo volenti infundere gratiam; eo quod multo minus potens est ad resistendum, quam Deus ad infundendũ; & ipsa infusione, peccatum destruendũ, ita ipse nu. 20.


16 Facilis tamen est huius obiectionis solutio: dicimus enim, quod cũ peccatum talis malignantis naturæ sit, vt nullo modo secum gratiã compati possit, quousq; non reddatur delebile, nunquam gratiam potest à Deo introduci: tunc autem redditur delebile, quando destruitur fundamentum, à quo in conseruari dependet essentialiter, quod est actio præterita, quæ necessario retractando est per actum oppositum, iuxta dicta: non pot. st autem à solo Deo destrui, quia non dependet in conseruati à Deo, sicuti reliquæ formæ sicæ; vndè etiam possunt à solo Deo destrui per suspensionem concursus. Posset tamen Deus sua infinita potentia quamcunq; etiam rebellem conpellere voluntatem, duplici via: prima, ponens illam in illis circumstantijs, in quibus sua infinita scientia nouit, ipsam infallibiliter consensuram, & elicituram actum suæ conuersionis. Vel necessitans eam ad se conuertendum; sicut enim in Patria voluntas necessario amat: ità posset Deus in via taliter trahere voluntatem, vt necessario, & non libere eliceret actum retractationis; & in hoc ostenderet suam omnipotentiam: non vero in infundendo gratiam homini peccatori, absq; aliquo motu eius voluntatis, quod repugnat: nec enim Diuinæ omnipotentiæ aliquid præiudicij affert, quod nõ possit id, quod fieri implicat, vt certum est. Nec dubito, posse Deum infundere gratiam homini actualiter peccare volenti, dummodo actum illum peccaminosum impediat, modis positis in argumento; Cæterum si Deus, iuxta illius peccatricis voluntatis exigentiam, præstet suum concursum ad actum peccaminosum, nec illum impediat aliquo alio modo, proculdubio nõ poterit gratiam infundere.

Dispositas inter peccatũ paruulorum, & adultorũ.

17 Non est tamen eadem ratio de Paruulis, qui non peccauerunt actu proprio, sed alieno, sibi imputato, ex pacto inito inter Deum, & Adamum. Et quemadmodum posset Deus legem statuere, vt tale peccatum non imputaretur alicui ex filijs Adam (sicut factum fuisse cum B. Virgine dicam suo loco) ità, sola sua

voluntate, & peccatum originale potest condonare, & per solam gratiam habitualem Parvulum iustificare, absque aliquo præuio motu proprij liberi arbitrij. Cum in adulto oriatur macula, & denominatio peccatoris, non ex mera Dei voluntate, aut pacto aliquo: sed ex vi, & natura propriæ liberæ auersionis præcedentis; & sic quantumcumque Deus agens sit infinitæ virtutis, non potest, sola sua voluntate, gratiam introducere ad destruendam ipsam maculam, & denominationem, nisi disponatur subiectum proprio actu ad illam recipiendam. D.Th.

18 Et hoc tandem videtur annuisse D.Th.p.2.q.112.ar.2. Vbi inquirens: Vtrum requiratur aliqua præparatio, & dispositio ad gratiam ex parte hominis? respondet tertio argumento quod erat; *Agens infinita virtutis non requirit dispositionē in materia, cum nec ipsam materiam requirat; sicut in creatione apparet, cui collatio gratia comparatur, qua dicitur noua creatura: ad Galat. vltimo, sed solus Deus, qui est infinita virtutis gratiã causat; ergo nulla praparatio requiritur ex parte hominis, &c.* Respondet, inquam, quod, *Agens infinita virtutis non exigit materia, vel dispositionem materia, quasi præsuppositam ex alterius causa actione: sed tamen oportet, quod secundum conditionem rei causanda, in ipsa re causet, & materiam, & dispositionem debitam ad formam. Et similiter ad hoc, quod Deus gratiam infundat anima nulla praparatio exigitur, quam ipse non faciat.* Siquidem conuersio illa peccatoris, qua se disponit ad gratiam recipiendam, non est ex viribus naturalibus elicita, sed ex Dei gratia excitante liberum arbitrium, & cooperante cum illo, sine qua dispositione (eius infinita virtute non obstante) gratia introduci non potest in homine peccatore. Et hæc de ista difficultate, quã quasi incidenter examinauimus, & plus debito à recto nos tramite declinauit: quare decurramus oportet ad sententiam D.T. quæ c.1. relinquitur examinãda, vnde nos, digressione hac, fere discessisse videmur: quare sit.



CAPVT III.

Examinatur sententia Diui Th. & quid sentiat Fauentinus?

§. I.

1 Suppositis ergo his, quæ diximus c.1. vertitur solum in dubium ipsa D.Th. sententia, qua asserit, Circuncisionem fuisse solũ in signum fidei iustificantis: & quod in circuncisione conferebatur gratia, in quantum erat signum Passionis Christi futuræ. Quæ verba certè continent aliquam obscuritatem; & magis obscura redduntur ab aliquibus Thomistis, qui variè eam ad libitum explicant. Sententia D.Th.

2 Cæterum si D. Th. sententiæ sanã intelligentiam dare volumus, is certè nil aliud voluit significare, ac docere; nisi, Circuncisionem, quantum est de se, & ex vi ipsius ceremoniæ, nullam gratiam contulisse; licet susciperet Circuncisus gratiam in ipsa Circuncisione, ex vi fidei in Christum venturum; siuè quæ esset in Circunciso; siuè quæ esset in Ministro Circuncisionis; & talis fidei ipsa Circuncisio signum erat. Itaq; quoad dandam sanctificationem, ita se habebat illa ceremonia Circuncisionis ad fidem operantem, sicut Præco ad Iudicẽ. Præco enim non condemnat, neq; dat sententiam: sed solum refert, indicat, & alijs publicat sententiam, per Iudicem latam: ita Circuncisio fidei iustitiam significabat. Et hæc videtur esse legitima mens D.Th. in hac sua sententia; pro vt fusius eam docet 3.part. quæst.70. articul.4. & expressius lection.2. in cap.4. Epist. ad Rom. Germana huius sententię intelligẽtia.

§. VI.

3 Sed contra illam sic explicatam insurgit validissimè Fauent. in 4. d.1.q.6.disp.3.n.32. argumentis tamen mutuatis ex Suar. loco infra citando. Et primo authoritate Aug. lib.1. ad Cresconium c.31. vbi æquiparat Circuncisionem Baptismo, in hoc, quod Circuncisio data à Ministro infideli non minus erat postea iteranda, quã nunc sit iterandum Sacramentum Baptismi datum ab hære- Insurgit Fauent. contra sententiam D.Th. 1. ex Aug.

Hæretico: ergo sicut nunc Baptismus talis est sufficiens remedium contra originale peccatum; ita tunc Circuncisio. At Minister Infidelis nō habebat propriam fidem futuri Mediatoris, quam posset applicare puero: ergo Circuncisio (ex mente Aug.) non conferebat gratiam ex virtute fidei recipientis, vel conferentis Sacramentum, sed propria virtute.

4 Secundò; si fides parentum, vel Ministri requirebatur simul cum Circuncisione; vel fuisset necessaria, vt per ipsam, tanquam per meritum de condigno, vel de congruo conferretur gratia puero circunciso; & hoc non: quoniam nullus hominum, præter Christum, potest mereri immediatè primam gratiam alteri, sine propria dispositione recipientis, saltem de lege ordinaria. Et insuper requireretur, vt illa esset fides viua, non mortua: ergo necessarium fuisset, vt semper parētes, & Ministri essent in Gratia, dum conferrent Circuncisionem; quod est absurdum; quoniam hoc nimis esset difficile; vnde nunquam certi fuissent circuncisi, sibi fuisse dimissum peccatum. Quod autem requireretur fides viua, & formata, patet: quia fide informi, & mortua nō potest aliquis quicquam alicui mereri: ad meritum n. tale, requiritur Gratia. Vel illa fides esset conditio necessario requisita, *vt conditio sine qua non*; hoc est, vt cōditio, sine qua, signum illud externum nil valeret: & hoc, licet fieri potuerit à Deo; tamen nullum adest fundamentum, ad asserēdum, ita de facto fuisse factum: quia quando Deus instituit Circuncisionem, non fecit promissionem fidei, sed Circuncisioni: dixit n. Deus; *Anima, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populo Dei*. Ecce promissio fit signo, & Circuncisioni, non fidei: ergo adimpletur præceptum contentum illis verbis, applicando tātummodo signum sensibile, sine fide Ministri.

5 Tertiò Baptismus, applicatus à Ministro Infideli, est remedium sufficiēs contra peccatum origin. ergo & Circuncisio, applicata ab Infideli. Antecedens est certum: consequentia prob. Quia Sācti PP. simpliciter affirmant, Circuncisionem fuisse institutam in remedium peccati origin. & aiunt, illi postea successisse Baptismum, vt patet ex Aug. præsertim, l. 2. de nuptijs, & concupisc. c. 11. vbi habet; *Ex quo instituta est Circuncisio in populo Dei ad purgationem huius peccati veteris, valebat magnis, & paruis; sicut Baptismus valere cœpit, ex quo institutus est.* Et Beda in homil. de Circuncis. inquit; *Idem salutiferæ curationis auxilium Circuncisio in lege agebat, quod Baptismus in tempore gratiæ agere cōsueuit.* ergo sicut Baptismus confert gratiam independenter à fide baptizati, vel Ministri; ita & Circuncisio conferebat. Beda.

6 Sed obijcit sibimet ipsi hic Doctor: quia multæ gentes impiæ, & Infideles vtebantur Circuncisione, quæ tamen non consequebantur iustificationem, ob id solum, quia vtebantur nudā cæremonia exteriori, absq. fide Mediatoris. Antecedens patet ex Epiphanio hæresi 30. ex Ambros. epist. 77. & alijs. Respondet tamen: quod duobus modis potest accipi fides; vno modo, pro intentione faciēdi, quod Deus instituit in Circuncisione. Alio modo, pro ipsa fide Mediatoris. Accipiendo fidem, secundò modo, non erat necessaria in Ministro Circuncisionis; sicut neq. in Ministro Baptismi. Vnde Baptismus potest dari ab Infideli, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Primò modo fides est necessaria i. intentio faciēdi, quod instituit Deus per illam cæremoniam externam. Et idē, si gentes Infideles habebant hanc intentionem, eorum paruuli liberabantur à peccato origin. & consequebantur Gratiam.

Obiectio, quā sibimet obijcit Fauent.

Epiphan. Ambros.

Solutio eiusdem.

7 Quarè statuit Fauent. suam conclusionem post num. 38. *§. Vltimò ergo loco*, asserens, Circuncisionem fuisse propriè Sacramētum, & contulisse Gratiam ex opere operato i. secluso quocunquè motu interiori bono, qui potuisset gratiā mereri.

Conclusio Fauent.

§. III.

8 Qvod si ei primò obijcies authoritates Paul. ad Galat. 4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elemēta, quibus iterum seruire vultis?* & c. 6. *Neq. Circuncisio aliquid valet, neq. præputium: sed noua creatura.* & Corinth. 7. *Circuncisio nihil est.* & Rom. 3. *Quid ergo amplius in Deo est; aut quæ vtilitas circuncisionis? &c.* & inferius; *Quoniam vnus est Deus, qui iustificat Circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.* Et alia huiusmodi.

Obijciuntur cōtra Fauēt. nonnulla SS. loca.

Paul.

9 Respondet n. 39. primò, quod in illis locis Apost. loquitur de Circuncisione post Aduentum Christi; quo tempore, satis clarum est, Circuncisionem non

Respondet Fauent.

non iustificasse, nec fuisse remedium, & Sacramentum, vtpote euacuatam per Baptismum. 2. Resp. Secundò Respondet, quod Circuncisio duobus modis potest considerari; vno modo absolutè: alio modo, quatenus instituta fuit principaliter in lege Moysis: primò modo non loquitur Paul. de ea in illis locis: quoniã in eadem epist. ad Rom. c. 2. ait: *Nam Circuncisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, Circuncisio tua præputium facta est*. Loquitur ergo de Circuncisione, quoad scopum principalem institutionis: quia instituta fuit principaliter, ad distinguendum populum Hebræum ab aliis gentibus: & secundariò ad conferendam gratiam contra origin. peccatum, quod erat munus alterius Sacramenti in lege veteri. Et propter hoc Paul. nil tribuit circuncisioni, quatenus est talis ceremonia instituta principaliter in lege: non tamen absolutè.

3. Responsio. 10 Tertiò Respondet n. 40. generaliter ad omnes authoritates, non solum SS. sed etiam nonnullorum PP. & Conciliorum, ex Scoto: Scot. quod sacramenta veteris legis erant in duplici discrimine; quędam, impropriè dicta; quædam, propriè dicta: primi generis erant, purgationes ab immunditiis contractis secundum legem: vt patet in Leuit. c. 14. Et inde item oblationes ostiarum. Et de istis, verum est, quod non conferebant Gratiam ex opere operato; sed solum ex opere operãtis. Secundi generis erant, Circuncisio; & in lege naturæ, illud remedium, quod peccatum origin. delebat, nobis ignotũ: Magist. vndè Magist. ab illa propositione vniuersali Aug. sup. Ps. 73. qua dicebat, (sacramenta veteris legis non conferre Gratiam:) excipit Circuncisionem, quæ per modum Sacramẽti conferebat gratiam ex opere operato. Et per hoc satisfactũ putat omnibus authoritatibus, in quibus dicitur sacramentã vetera esse ægena, & infirma, & nullius valoris. Et ita Floren. Trid. etiam Respondet Concilio Florentino, & Tridentino, quæ loqui, inquit, in generali de Sacramentis veteribus: non de circuncisione, de qua est particularis ratio.

4. & 5. Resp. generalis ad omnes autho rit. SS. PP. & Cõciliorum. 11 Et postquam assignasset nu. 41. & 42. quasdam alias responsiones minus sufficientes, quæ facilè refutantur; adducit n. 43. alias duas Responsiones ad dicta PP. & Conciliorum. Prima, quod pro tanto dicitur Circuncisio non contulisse Gratiam: quia non aperuit ianuam Regni Cęlorum. Secunda, quæ sibi maximè placet; quod ideo Concilia negant, Circuncisionem contulisse gratiam: quia nõ illam conferebat regulariter, & semper; sacramẽta vero noua semper conferunt: nam Circũcisio habebat determinatum gradum Gratiæ, vltra quem, maiorem conferre non poterat. Vnde, si circuncisus, tempore Circuncisionis, habebat tãtam gratiam, quantam erat apta nata conferre Circuncisio, nullus gradus gratiæ illi per Circuncisionem adiungebatur. Vnde Abrahæ iam iustificato Circũcisio, nullam contulit gratiam: sed ei fuit tantum signaculum: quia nil interius contulit ex opere operato, iam. n. ex fide erat iustificatus: ait tamen Scotus, quod ex opere operantis .s. ex obedientia, Circuncisio aliquod meritum cõtulit Abrahæ; & similiter iustificatis conferebat.

§. IV.

12 QVod si quis (inquit) dicat. Ergo Circuncisio non erat Sacramentum: quia semper non cõferebat Gratiã. Obiectio. Respondet Scot. quod Solutio. erat verum Sacramẽtum, quia semper significabat gratiã: vel in fieri, si nõ fuisset obex: vel in facto esse, si iam subiectum Circuncisionis habebat gratiam; sicut (inquit) Baptismus, si collatus fuisset B. Mariæ, non contulisset ei gratiam; si totam plenitudinem habuisset in Conceptione, ad quam erat peruentura: & tamen fuisset verum Sacramentum; quia significasset gratiam vel in fieri, vel in facto esse.

13 Quod si secundò obijcias: si Circuncisio conferebat gratiam ex propria virtute, seù ex operè operato: Obiectio 2. ergo frustra fuit aduentus Christi, & institutio nouorum Sacramentorum. Respondet Solutio. nu. 44. Non frustra Christum mortuum esse: quoniam illa sacramenta habebant efficaciam per mortem futuram Christi: vnde, circumscripta morte, & meritis Christi futuris; nullam gratiã habuissent.

14 Et si tertiò dicas; quod Circunci- Obiectio 3. sio non aperiebat ianuam Regni, secundùm Bedam super illud Lucæ 2. Beda. *Postquã consumati sunt dies octo, &c.* ergo non dimittebat peccatum, nec dabat gratiã: quia habẽti gratiam patet Regnum Cęlorum. Respondet ipse ad 6. cum Scoto, Solutio. quod Circuncisiò, ideo non aperuit ianuam, licet conferret gratiam: quia pretium nondum erat solutum: concurrit .n.

tem-

tempore illo, quo nō dum Christus erat mortuus: at si soluto pretio, ante institutionem Baptismi, & ante euacuationem circuncisionis, aliquis circuncisus fuisset, & defunctus fuisset in gratia, in gressus fuisset Cęlum: sicut etiam si quis baptizatus fuisset, & defunctus, ante solutionē pretij factam in morte Christi, non fuisset Cęlum ingressus. Hæc est sententia Schotistarum sic à Fauentino roborata, & ab illo fideliter desumpta, quæ non solum nulla censura digna est: sed etiam satis probabilis ab hoc præsertim Doctore reddita est.

CAPVT IV.

Quid in hac rè sensiat Pater Suarez?

§. I.

Suar. videtur facere sentētiæ Scotistarum, quantum ad paruulos. Alens. Scot. Palud.

1 Pater Suar. disp. 10. sect. 1. dict. 2. videtur aliquantulum fauere huic sententię Scotistarum; dū loquens de Paruulis tantum, ait: probabilius esse ipsum signum externum circuncisionis fuisse sufficiens, vt, illo applicato, daretur gratia paruulis; etiam si sine fide parentum, seu ministri, siue hominis conferentis Sacramentum, applicaretur: pro qua sententia citat Alensem 4. p. q. 5. memb. 3. & q. 7. memb. 5. ar. 1. & 2. Scot. in 4. d. 1. q. 6. & 7. Palud. in 4. d. 1. q. 5. art. 5. & alios; & probat hoc dictum eisdem rationibus, quibus Fauent, insurgit contra D. Th. quas ex ipso Suar. Fauent. fere de verbo ad verbum desumpsit. Quomodo autem Suar. hoc dictum intelligat, explicat sect. 2. & nos infra videbimus.

Suar.

Discrepat quantum ad adultos.

2 Licet, quantum ad Adultos, longè discrepet Suar. à Scotistis; & sic dicto 3. ait, quod in circuncisione non dabatur gratia adultis, nisi habentibus fidem, & dilectionem Dei, seu contritionem peccatorum. Et idem sentit de Sacramento legis naturalis; pro qua sententia citat Canum in Relect. de Sacramentis par. 5. Et quantum attinet ad remedium contra originale, in lege naturæ, docet etiam Soto in 4. d. 2. q. 1. ar. 4. ad 5. vbi non idem admittit de circuncisione.

Cano.

Soto.

Ratio Suar. de Sacramēto legis naturę.

3 Probat autem hoc dictum Suar. 1. de Sacramento legis naturæ: Quia illud tempus, de se, rem esset accomodatum, vt in eo daretur gratia ex opere operato, vltra meritum, & dispositionem operantis: quia merita Christi non dum erant exhibita: ergò non est asserendum, aliquam gratiam fuisse, hoc modo, tunc datam; nisi quam necessitas generis humani lapsi omninò requirit, & sine qua videretur Diuina prouidentia hominibus in necessarijs defuisse: præsertim, cum nulla certa authoritate constet, gratiā fuisse sic datā illo tempore: sed solum ex ratione Diuinæ Prouidētiæ colligēda sit. At verò hæc ratio, & necessitas solum habet locū in Paruulis: nam adulti, cum possint se sufficienter ad primam gratiam disponere, non erant in eo articulo necessitatis constituti: ergò non est cur asseramus, illis fuisse remissum peccatum, aut daram gratiam in sacramento naturæ legis, sine dispositione per se sufficienti.

Conf. 1.

4 Confirmatur primo: nam reddere hominem ex Attrito contritum, per infusionem gratiæ, & charitatis habitualis, absquè connaturali dispositione, est vnus ex potissimis effectibus Sacramentorum nouæ legis; adeò excellens, & supra naturas rerū, vt multis visum sit, etiā in lege gratię nunquam remitti, hoc modo, peccatum: ergò nō est verisimile, hoc beneficium fuisse concessum hominibus in lege naturæ.

Conf. 2.

5 Confirmatur secundò, quia si ad remissionem peccati original. habebant adulti huiusmodi remedia, quibus possent fieri ex attritis contriti: cur non dicemus, habuisse simile remedium ad remissionem peccati mortalis, commissi post primam gratiam, semel consecutam? cum non sit minus necessaria ad salutem remissio huius peccati, quam illius.

Eaidē rationes applicat circūcisioni.

6 Quas rationes, ait, æquè in circisione procedere; cum circuncisioni nō sit addita virtus aliqua spiritualis, nec specialis promissio gratiæ; sed solum subiecit locum Sacramenti legis naturæ, & remedij origin. quatenus illud, quod indifferens erat in lege naturę determinatū fuit ad talem ceremoniam in illo populo.

Conf. de circuncisione.

7 Quod confirmat ex eo, quod licet Abraham fuerit circuncisus, non fuit in illa circuncisione iustificatus vltra meritum suæ fidei, & obedientiæ; vt apertè docent omnes PP. & non obscurè colligitur ex Pau. Rom. 4. vbi, hoc sensu, dicit, Abraham non fuisse iustificatum in circunci- Paul.

cuncisione; sed ex fide: accepisse autem Circũcisionem in signum, & signaculum iustitiæ fidei: ergo neq. alijs adultis dabatur gratia in Circuncisione, vltra meritum, & dispositionem eorum.

§. II.

Solutio Scotistarum. 8 QVod si cum Scoto Respondeas in 4. dist. 1. q. 6. & Fauent. vbi supra, Circuncisionem potuisse augere gratiã adultorum ex opere operato, vsq. ad certum gradum: non tamen vltra illum. Et quia in Abraham inuenit excellentem gratiam, quæ illum gradum vel attingeret, vel superaret; ideo nihil illi contulisse, præter meritum operantis.

Impugnat Suar. 9 Contra hoc insurgit; hanc Respõsionem voluntariam esse, & parum rationi consentaneam: quia sacramenta, quæ possunt conferre aliquẽ gradum gratiæ, non impendunt in suo effectu propter insignem sanctitatem recipientis: nam cum illa sit melior dispositio ad Sacramentum, non debet, nec potest impedire effectum Sacramenti.

Conf. 10 Item: quia gratia viatoris, de se, semper augeri potest: & ex parte Sacramenti non potest deesse virtus ad augendam illam, si ad hoc institutum sit: quia operatur, vt instrumentum Dei; vel saltẽ Deus operatur ad præsentiam eius: virtus autem Diuina potest adiungere gradum gratiæ, etiam secundum legem ordinariam, cuicunq; gratiæ viatoris, quantumuis intensæ. Et ideò Gratia B. Virginis aucta fuit per Baptismum: quamuis magis excelleret communem gratiam baptismalem, quam gratia Abrahæ gratiam Circuncisionis superaret. Si ergo Abrahæ in Circuncisione nõ fuit datum augmentum gratiæ, vltra eius meritum, certum videtur, neq. alijs adultis fuisse, hoc modo, datum augmentum gratiæ, quãdo contingebat, eos circumcidi iam iustificatos per viuam fidem; quamuis non sit dubium, quin mererentur augmentum gratiæ per Circuncisionem, vt erat opus hominis iusti, ex virtute, & obedientia procedens: ergo æquè etiam certum est, non dedisse primam gratiam adultis, nisi per contritionem dispositis: nec ratione Circuncisionis fuisse datam maiorem primam gratiam, quam ipsi contritioni responderet. Patet consequẽtia: quia eadem, vel maior ratio est, de augmento, quam de prima gratia. Vnde etiam in lege gratiæ, nullum est Sacramentum potens conferre primam gratiam, & efficere hominem de attrito cõtritum, quod non melius possit augere gratiam, si subiectum iam inuenit iustificatum.

§. III.

11 QVod si primò obijcias: quod grauiores Theologi docent, per Circuncisionem remissa esse adultis, non tantum peccatum origin. sed etiam actualia, (vt D. Tho. 3. p. q. 70. ar. 4. ad 5. & in 4. dist. 1. q. 2. ar. 4. quæstiũcula 2. ad 4. & ibi Riccard. ar. 6. q. 3. Dur. q. 7. ad 2. Palud. q. 5. ar. 4. concl. 2.) Non poterant autem in Circuncisione remitti peccata, nisi in ea daretur prima gratia, per quam remittuntur peccata: ergo oportebat, vt in Circuncisione homo fieret ex attrito contritus: nam si semper supponẽda esset contritio, semper essent, ante Circuncisionem, remissa peccata: nunquam ergo in ipsa Circuncisione remitterentur adultis. 1. obiectio contra Suar. D. Tho. Riccar. Durand.

12 Et confirmatur, nam alias sequeretur, respectu adultorum, non fuisse Circuncisionem, vel Sacramentum legis naturæ institutam in remedium origin. quia de ratione huiusmodi remedij, est, per illud, vel in illo posse remitti peccatum: nam si semper supponendum esset, peccatum remissum, nullius vtilitatis, vel momenti esset tale remedium. Vnde, vlterius fit, Circuncisionem, vel Sacramentum legis naturæ respectu adultorum, nõ habuisse rationem Sacramẽti, sed solum cuiusdam professionis fidei, vel religiosæ ceremoniæ, meritoriæ ex opere operantis: quia non aliter erant signa gratiæ. Palud.

13 Ad hæc Respõdet Suar. in primis, D. Th. nunquam docuisse in 3. p. per Circuncisionem remissa esse peccata actualia: sed verba eius esse: *(Adulti, quando circuncidebantur, consequebantur remissionem, non solum originalis peccati; sed etiam actualium peccatorum.)* Quæ verba vera esse fatetur: intelligenda tamen *(dummodo adultus, qui circuncidebatur, accederet dispositus, ad remissionem peccatorum consequendam.)* Poterat n. hæc dispositio, simul cum Circuncisione, cõcurrere; & hoc erat, vt minimum, necessarium ac sufficiens, vt in Circuncisione detetur gratia: quod verò aliquando antecederet contritio, & prima gratia, erat accidentarium. Solutio Suar.

14 Vnde ad primam cõfirmationem (inquit) Ad confirm.

1. solutio. inquit, primo concedi posset, circuncisionem (& idem est de Sacramento legis naturæ,) respectu adultorum, non fuisse proprium remedium peccati: sed solum, signum externum remedij peccati; quod erat internum, in fide, & contritione cõsistens.

2. solutio. 15 Secundo respondet, negando sequalem: potest .n. circuncisio fuisse, etiã adultis, remedium, ad remissionem origin. peccati obtineudam, vt conditio necessaria, sine qua ille effectus non daretur. Voluit .n. Deus, omnes, etiam adultos, signo aliquo externo profiteri suam fidem, & deuotionem internam, vt remissionem origin. consequi potuissent. Et ideo, sine tali signo, vel in rẽ exhibito, vel in voto cõcepto, non poterat remitti origin. Et hoc satis est, vt dicatur remedium illius. Ex quo (inquit) patet etiã solutio ad alteram partem, de Sacramẽto, simpliciter negando sequelem: primo quidem: quia circuncisio non tantũ erat Sacramentum, propter gratiam sequentẽ, quæ in illa dabatur, & significabatur: sed etiam propter alia mysteria (vt supra dixerat:) & constat de circuncisione, quæ data fuit Abrahæ, in persona eius. Secundo, quia (vt Scot. dicit) ad rationẽ sacramenti satis est, ꝙ significet gratiã, quæ in ipso datur, per se loquendo; .i. si non sit obex in subiecto; vel quæ subiecto inest; etiam si prius accepta sit: ꝑtęsertim, si data fuit cum ordine ad tale Sacramẽtum: atq; hoc modo, circuncisio data adulto significabat gratiã, & iustitiam eius; siuẽ illa tũc fieret, quia subiectum nec natea se disposuerat, nec tunc ponebat obicẽ; siuẽ prius esset facta, & accepta per dispositionem sufficientẽ, cũ ordine ad tale Sacramentum. Hæc omnia habet P. Suar. in tota illa 1. sect. loqnendo de adultis.

§. IV.

Quid sensiat de paruulis? 16 AT quia secundum suum dictum, superius relatum, de Pueris, quo fatebatur, probabilius esse, *circuncisionẽ, de se, fuisse sufficientem; vt, ea applicata, daretur gratia Paruulis, etiam, sine fide parentum, aut ministri illius caeremoniæ*: videbatur aliquam præseferre difficultatem; ex eo, quod idem videretur esse cõferre, hoc pacto, gratiam; ac, eam, ex opere operato, conferre: & sic, in hoc sentire cum Scotistis. Ideo instituit secundam sectionem, qua petit. An circuncisio, & legis naturæ Sacramentum conferebant gratiam, ex opere operato? vbi tantum, de Pueris, hanc difficultatem examinat; sicuti restabat examinanda. Et postquam nonnullas in medium adduxisset aliorũ DD. sententias, & illas refutasset; sicuti etiam sententiam reijcit Scoti. Concludit, circa finem; hanc quæstionem videri potius pertinere ad modum loquendi: & sic, magis probabilem esse eum loquẽdi modum, quo dicuntur circuncisio, & Sacramentum legis naturæ non contulisse gratiam, simpliciter, ex opere operato: sed interdum, in eis datam esse pręter opus operantis, solum, ob specialem necessitatum, cui Diuina Prouidentia non statuit aliter subuenire; quæ necessitas Paruulis, tantum, accidebat.

17 Quam suam sententiam, primò probat, ex eo, quod hic modus loquendi videtur magis consentaneus modo loquendi Pauli: nunquã .n. dixit, circuncisionem mundasse animam; sicut de Baptismo sæpẽ loquitur. Cui etiam cõsentaneæ sunt alię locutiones Paul. quas supra posuimus. Probat 1.

18 Secundò, hic modus loquendi, in rigore physico, est magis proprius: Quia illa Sacramenta non fuerunt causæ phisicæ gratiæ (vt supra dictum est) loquendo item de causalitate morali, habet maiorem proprietatem. Quod ita explicat. Nunc enim Baptismus v. g. rectẽ dicitur moraliter cõtinere gratiam Christi: quia iam Christus illam promeruit, & pretiũ illius presoluit: atq; eam in tali Sacramẽto moraliter reliquit. At verò de Sacramentis legis naturæ, vel circuncisione, non potest propriẽ dici gratia fuisse in eis moraliter contenta: quia non dum erat pretium illius gratię solutum. Vnde, cum illa Sacramenta tantum essent signa Christi, & meriti futuri; ex se non habebant, vnde gratiam continerent, ergò nec possunt proprie dici, moraliter, dedisse gratiam ex opere operato: quia prius est, gratiam continere, quam illam dare. Et ideò Concilia, quando definiunt, nostra Sacramenta conferre gratiam: Addunt; illam continere. Paul. vero ẽ cõtra: quando loquitur de iustitia, quæ dabatur in lege, dicit, non fuisse ex lege: quia non continebatur in illa: sed ex promissione: quia respiciebat Christum venturum. 2. probat.

Probat ex exemplo satis accomodato. 19 Quam rationem alio exemplo declarat, dicens. Si constituamus hominem, qui ad obtinẽdam mercedem, proferat testimonia earum rerum, vel ope-

Nnnn ratio-

rationum, quas iam operatus est. Alium verò, qui ostendat scripturam, continentem promissionem futurorum laborum: merito dicemus, prius instrumentum continere iam ipsum pretium; & moraliter, esse efficax ad dandum illud. Posterius vero, esse dele inefficax: quamuis interdum, ex aliqua speciali concessione, possit pretium obtineri; seu anticipari: ergo ad eundem modum philosophandū esse, docet, de circuncisione, & de Baptismo. Et in hoc sensu, recte posse accomodari rationem D.Thom. etiam ad causas morales: quia meritum Christi, antequā esset, solum poterat mouere, vt præuisū, & quasi, per modum intentionis: Sacramentum autem causat secundum virtutem, quam in se habet.

3. probat à posteriori. (margin)

20 Tertio probat à posteriori: Nam (ex ipsomet Scoto) non omnibus, quibus applicabatur circuncisio, fuisse aliquam gratiam semper datam, vltra eorum merita: ergo quando per circuncisionem, vel in circuncisione dabatur gratia, nunquam dabatur ex opere operato, simpliciter ipsius circuncisionis: Nam si hoc modo daret illam; vtiq; omnibus daretur, qui non ponerent obicem: nam hæc est ratio Sacramenti, ex opere operato gratiam conferentis: non ergò erat ipsum Sacramentum operatiuum talis effectus: sed solum in Paruulis, propter necessitatem eorum, Deus illum effectum conferebatur, non tam ex virtute Sacramenti, quam supplendo inefficaciā eius.

§. V.


trahitur ad hanc sententiam Canus. (margin)

21 IN hoc sensu etiam explicat Suar. Canum p. 5. Relect. cit. vbi ait, in circuncisione datam esse gratiam paruulo, ex sola misericordia, & pacto Dei: in Baptismo vero, ex iustitia, & merito Christi. Hoc enim videri potest esse falsum: quia si consideretur opus externum ipsius Sacramenti; in vtroq; necessaria est promissio, & pactum Dei, vt in eo detur gratia ex certa lege. Si autem effectus gratiæ consideretur, in ordine ad recipientem; vtriq; datur ex misericordia Dei. Si verò, in ordine ad Christum, vel meritum eius: in vtroq; data est gratia, ex iustitia: nulla ergo videtur esse illa differentia.

22 At, iuxta dicta, potest, aliquo modo, exponi: nam in quolibet Sacramento nouæ legis intercessit absoluta institutio Christi, fundata in rigoroso merito, iam exhibito; ratione cuius voluit, per Sacramenta, gratiam dare omnibus, non ponentibus obicem; & semper. Et ideo dicitur hic effectus, esse propriè, ex iustitia. At verò in aliis Sacramentis non dū erat exhibitum Christi meritum; neq; erat specialiter applicatum, vt in illis Sacramentis daretur gratia: sed Deus, ex sua misericordia, hanc dari voluit Paruulis, sine sufficienti dispositione ex parte eorum; propter meritum Christi præuisum; atq; ita, ex iustitia; tamen, quia propriè, & specialiter data fuit ad subueniendum necessitati Paruulorum, & ante meritum Christi exhibitum; ideò dicitur fuisse, specialiter, ex misericordia; præter id, quod generaliter debitum erat imperfectioni illorum temporum, & legū. Ità Pater Suar. in citatis sectionibus, inde ferè ad verbum à nobis collecta, ne aliquid videremur eius acutissimę doctrinæ detrahere.

ex doctrina Suar. colligitur 3. modus causandi gratiam. (margin)

23 Ex quibus omnibus colligo, ex voto ipsius, dari tertium quemdam modum causandi gratiam; qui, neq; est, ex opere operato; neq; ex opere operantis, propriè dictis, sed ad modum operis operati, solum, propter illam negationē proprij meriti, seu dispositionis operantis. Et hoc modo, circuncisionem contulisse gratiam pueris; & pariter Sacramentum legis naturæ, quibus conferebatur. Cum tamen adultus, qui aliquod horum Sacramentorum suscipiebat, teneretur habere fidem viuam, contritionemq; perfectam; vt, in suscipiendo tale Sacramentum, ei gratia iustificans, ex opere operātis, conferretur. Ex quibus patet, quod licet videatur conuenire in rē cum Scotistis, loquendo de pueris: non tamen vult ipse conuenire in modo loquendi. Vnde impugnat Scotistarū sententiā dicta sectio 2.



CAP.

CAPVT V.

Defenditur sententia D. Th. sed particulari explicatione declarata; & quid sentiendum de sententia Fauentini, & Scotistarum?

§. I.

1 INter has duas opiniones, licet arduum videatur propriam proferre sententiam; tamen, vbi nulla nos peculiaris ratio cogit ad aliter sensiẽdum, adhærendum mihi omninò videtur sententiæ D. Tho. modo tamen, quo à nobis explicabitur. Quarè

1. suppositũ pro sententia D. Th. explicatione.

suppono primò, frustra aliquos DD. laborare, in adducendis, pro hac re, locis SS. Patrum, & Conciliorum; cum optimè quidem illis satisfaciant Scotistæ, tot solutionibus, quas supra ex Fauent. adduximus; præsertim, prima, & tertia, siquidẽ (vt verum fatear) D. Paul. in locis superius citatis videtur loqui de Circuncisione post Christi Aduentum; & post illam euacuatam per Baptismum: nec huius oppositum vnquam poterunt demõstrare Thomistæ; præsertim Suar. & Belarm. qui lib. 2. de Sacramentis c. 13. & sequentib. D. Th. sententiam mordicus defendit; nec alij iuniores.

Nõ esse probãdã D. Th. sententiam authoritatibus, quibus optimè, ac facilè Scotistæ satisfaciunt; Suar. Belarm.

Sicut etiam satis verisimile est, Paulum, Concilia, & PP. loqui de ijs Sacramentis, quæ impropriè sacramenta dicuntur à Scot. de quibus nos infra: non autem de Circuncisione, & sacramento legis naturæ. Quarè, propter illas duas solutiones, primam, nempè, & tertiam ad loca SS. Concil. & PP. non est, cur immoremur in probando D. Th. sententiam, infra à nobis explicandam; & reijciendo sententiam Scotistarum, præsertim illis, & alijs huiusmodi authoritatibus: eo magis, quia res hæc non videtur ad fidem pertinere, prout à Scolasticis disputatur: sed Theologorum disputationibus relicta est.

2. suppositũ.

2 Secundò suppono doctrinam illã, quam nos quodl. præcedenti disp. 1. tradidimus; nimirum, ad rationem Sacramenti, vt sic, non solum sufficere, quod sit pronosticum gratiæ dandæ per noua sacramenta ex virtute Christi passi: sed etiam, quod sit signum practicum gratiæ præsentis, quæ detur, vel per ipsum Sacramentum, vel in ipso; iuxta ea, quæ ibi diximus.

3. suppositũ.

3 Et ex his tertiò suppono, in ipsa Circuncisione conferri gratiam habitualem circunciso, siuè puero, siuè adulto: & per eam gratiã deleri peccatum origin. & constitui circuncisum obiectum congruum Diuinæ dilectionis, participem Diuinæ naturæ, & cum iure hæreditario ad gloriam consequẽdam, post solutum pretium redemptionis. Et hoc exactè probant authoritates adductæ à Fauẽt. in 3. refutatione sentẽtiæ Thomistarum, ex Aug. & Beda; dum asserunt, *Circuncisionem institutam esse in populo Dei, ad purgandum peccatum origin. eamq. valere magnis, & paruis: sicuti Baptismus valere cœpit, ex quo institutus est.* Et, *idem curationis auxilium Circuncisionem in lege agere, quod Baptismus in tempore gratiæ agere consueuit.* Et in hoc conuenio cum omnibus citatis Doctoribus. Itaq. solum restat examinandus modus, quo conferebatur talis gratia circunciso.

Quid probẽt authoritates adductæ à Fauent. ex Aug. & Beda

§. II.

4 IN qua re, illud etiam, tanquàm certum existimo, nec Scotum, nec alios vnquam docuisse, Circuncisionem contulisse gratiam iustificantem, per se ipsam, .i. propria virtute: quod neq. de Sacramentis nouis dici potest: nam si aliqua entitas creata virtutem, ex se, haberet iustificandi, superflua fuisset Christi passio, quam in hunc tãtum effectum pertulit. Vnde Paul. ad Galat. 2. inquit, si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est. Et sic ait Fauẽt. Circuncisionem contulisse gratiam ex meritis Christi futuris, & habuisse efficaciam ex Christi futura morte, ita habet n. 44.

Nemo DD. docet, Circũcisionẽ ex se ipsa contulisse gratiam.

5 His suppositis, dico primò contra Scotistas; Circuncisionem (& idem de Sacramento legis naturæ) non potuisse conferre gratiam ex opere operato, ex se, virtute accepta ex Passione Christi. Ità Soto in 4. dist. 1. q. 3. ar. 6. concl. 1. Pro cuius tamen veritatis probatione, adnoto cum eodem Soto; immò ex Fide Catholica suppono, vniuersos, post peccatum Adæ, per solam Christi Passionem, posse obtinere salutẽ; iuxta illud Rom. 5. Recõciliati sumus Deo per mortem filij eius. Cumq. nulla causa valeat assequi suum effectum, nisi per eius applicatio-

1. concl. contra Scotistas.

Soto.

nemo, nisi per applicationem dictę Passionis, salutem animæ poterit consequi. Applicatur autem causa patienti dupliciter .s. vel per solam internam intentionem, pet quam mouet agentem; sicut finis: aut per realem, exterioremq; actionem; quemadmodum applicatur causa efficiens, quando passum attingit.

6 Quo adnotato, probatur nostrum dictum discursu Diuus Thom. quem in hanc formam explicat Soto: Passio Christi bifariam cunctis mortalibus copulatur, nimirum, pet fidem; & pet Sacramenta (vt certum est, nec immorandū in hoc probando:) est tamen differentia inter huiusmodi applicationes; quod applicatio per fidem, fit per actum internum animæ: Applicatio verò per Sacramenta fit per vsum externarum rerum. Nihil autem prohibet, id, quod est posterius tempore, copulari per actum animæ alicui præcedenti: finis namq; antequam fit, concipitur ab agente; & secūdum quod est apprehensus, & desideratus, mouet ipsum agens. Id autem, quod non est in rerum natura nō potest, ex se, mouere, secundum vsum externarum rerum: nam hoc habet rationem causæ efficientis, quæ non potest agere, vt posterior suo effectu, sicut causa finalis. Ex quo colligitur, quod passio Christi exhibita, quæ tunc fuit causa nostræ iustificationis, potuit tanquam causa efficiens virtutem præbere Sacramentis Euangelicis, vt eorum vsu conferretur gratia: nō autem alicui ex Sacramentis antiquis: quia cum non dum esset exhibita, non poterat applicari, nisi dumtaxat, tanquā causa finalis, per fidem; per quam ideo illi Patres iustificabantur: ergo Sacramēta vetera, quæcūq; illa fuerint (hæc enim ratio currit de omnibus Sacraments præcedentibus Christi passionem) nullo pacto poterant causare gratiam ex opere operato, & ex vi ipsius cæremoniæ, præcisa fide, seu ministri, siuè circuncisi: sed tantum seruiebant, vt essent protestationes eiusdem fidei, quatenus .s. futuram passionem, eiusq; effectus præsignabant, Vel tantum erant signa demostratiua gratiæ susceptæ per fidem: vt dicitur de circuncisione Abrami, quod fuit signaculum iustitiæ fidei .i. signum institiæ susceptæ per fidem. Hic discursus mihi videtur efficacissimus contra Scotistas.

Ratio D.Th.

§. III.

7 Quod si dicas contra hoc. Sacramenta noua fuerunt ante passionem instituta; vt Eucharistia, in Cœna Domini; & Baptismus Io. 3 *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c* & ex consequenti, etiam ante solutum pretium redentionis: & tamen certum est, quod tunc conferebant gratiam ex opere operato: ergò vel eorum virtus tunc non deriuabatur á passione Christi; vel sicut ipsa sic gratiam conferebant ante Christi mortem; ità & poterat circuncisio ex operē operato conferre.

Obiectio. Ioan.

8 Respondet idem Soto at. 5. *§. Arguitur autem postremò.* Quod & si antea fuerint instituta: instituebantur tamen, quasi post passionem, tanquam eius instrumenta duratura; atq; eius virtute efficaciam habitura. Eo vel maximè quod tota vita Christi reputanda esset, quasi vna eius actio, in morte consumanda. Vnde iàm, ipso viuente, passio erat in fieri; atq; adeò virtute passionis dabat eis Christus vigorem: licet plenariam virtutem fuerint sortita nostra Sacramēta post exhibitam totā passionem. Quæ ratio non currebat in circuncisione; & sic vtiq; poterant tunc nostra Sacramenta conferre gratiam ex opere operato: non tamen circuncisio suo tempore.

Solutio ex Sot.

Tota Christi vita erat vna ipsius actio, in morte cōsumanda.

9 Faciunt etiam in fauorem nostræ cōclusionis rationes, quibus Suar. probat hoc idem de pueris sect. illa 2. à nobis supra adductæ; quæ sufficere videntur; dūmodo eis addamus solutionem argumētorum, quibus Fauent. nititur D.Th. sententiam oppugnare.

Suar.

§. IV.

10 Et certè primum desumptum ex Aug. contra Crescon. non paruā videtur nostræ sententiæ molestiam facere; & si Scoto in hoc ipse assentirem; non alia me cogeret ratio. Ceterum possumus Augustino respondere primo eodem modo, quo ipse Fauent. Respondet obiectioni sibi factæ de illis infidelibus, qui vtebātur circuncisione, sine eo, quod iustificationem consequerentur, ob fidei defectum. Bifariam, nimirum, posse fidē accipi; primo, pro intentione faciendi quod Deus instituit in circuncisione; quæ erat necessaria in Ministro: secundo, pro fide ipsiusmet Ministri de Christo vē-

Ad 1. arg.

Fauent. ex Aug. Resp. 1.

Quæ fides in ministro necessaria.

tuto.

turo, quam, inquit, non esse necessariam in Ministro. Et sic dicere possumus, Augustinum fecisse comparationem inter Baptismum, datum ab Hæretico, cum intentione, tamen, illa necessaria; & circuncisionem datam pariter ab infideli; idest, à non habente fidem in Christum venturum: habente tamen illam intentionem faciendi quod Deus instituit in circuncisione: & sic dixisse, talem circuncisionem non esse iterandam; sicut nec Baptismum.

11 Quod si subinferas pro Fauentino: Ergò non magis fides requirebatur in circũcisione, quam requiratur in Baptismo; & sic, sicuti Baptismus confert ex opere operato gratiam, independenter à fide suscipientis, vel ministri; ità & circũcisio. Neganda primo est cõsequẽtia, cuius negationis rationem infra assignabimus.

a. solutio ad idem argumentum. 2. fides, interna, & externa. nota.

12 Secundo, Respondo ad auctoritatem Augustin. not. quod quando nos dicimus, in circuncisione gratiam conferri ex fide Ministri; non loquimur de fide externa, sed de interna, idest, Ecclesiæ. Vel, non de fide illius hominis, qui ministrabat Sacramentum visibiliter; seu quatenus erat persona quædam particularis: sed de fide illius hominis ministrãtis nomine Ecclesiæ, vel quatenus erat, præcisè, minister Ecclesiæ; & sic Personã vniuersalis. Quæ fides concurrebat simul cum intentione faciendi, quod credit, & intendit Ecclesia vniuersalis, vel in vniuersali; quæ fides diuerso modo requirebatur in Ministro circuncisionis, ac requiritur modo in ministerio Baptismi (vt ex infra dicendis patebit.) Ita docet Montagnolius in defensionibus Angelicæ Theologiæ 3. p. q. 62. disputatio. 10. sect. 1. Quo adnotato, respondeo eodam modo ad authoritatem Augustini, quod ipse, eo loco contra Crescon. ait, circuncisionem datam a ministro, non habente fidem particularem; dummodo habuerit fidem internã, & vniuersalem non esse teiterandam.

Differtur solutio 2. arg.

13 Secundum argumentũ petit, examinemus; ad quid requirebatur, illa fides in ministro? & an fuerit necessaria fides viua, & charitate formata? an verò suffecisset quilibet fidei actus, etiam non gratuitus? At quia harum difficultatum resolutio pendet ex his, quæ dicenda erunt circa sententiam Suar. Ideo solutio huius argumenti pro eo loco differtur.

Ad 3. Resp.

14 Ad tertium respondeo conc. antecedens: distinguendo consequens. Ergò Circuncisio, applicata ab Infideli, est remedium sufficiens contra origin. eodem modo, quo Baptismus applicatus etiam ab Infideli .i. ex opere ipso operato: neg. conseq. Est remedium sufficiens contra origin. tãquam conditio requisita necessario, ex vi institutionis ipsius ad exterius protestandam fidem internam, & vniuersalem Ministri conferentis Sacramentum in fide Ecclesiæ; & cum intentione faciendi, quod Deus instituit in Circuncisione: conc. conseq. Ad loca autẽ adducta ex Aug. & Beda; siuè ex quocunq. alio adducantur, facilis etiam est Responsio; si dicamus, Circuncisionem idem præstasse, quod in lege gratiæ præstat Baptismus: non tamen eodem modo: nam Baptismus confert gratiam phisicè, & ex opere operato: Circuncisio verò dicitur, largo modo, gratiam conferre, & origin. peccatum delere; tãquam conditio necessario ex institutione Diuina requisita: iuxta ea, quæ inferius dicam.

Respondiius ad auth. Aug. & Bedæ.

§. V.

Nota contradictionem. Fauent. in solutione cuiusdam argumenti.

15 Circa Responsiones adductas à Fauent. ad loca SS. & PP. non est multum immorandum: licet aliquæ illarum possent facilè impugnari. In vltima solum, in qua sibi plurimum complacet, mihi videtur quod sibi ipsi contradicit: asserit .n. (*Quod ideo Concilia negãt, Circuncisionem conferre gratiam: quia non cõferebat gratiam, regulariter, & semper: sacramenta verò legis noua semper conferunt,*) & postea respõdens ad obiectionem, quã sibi ipsi obijcit: (*Ergo Circuncisio non est Sacramentum, cum non semper gratiam conferat.*) Ait ex Scoto (*Esse verum Sacramentum: quia semper significat gratiam, vel in fieri, si non sit obex: vel in facto esse, si iam subiectum Circuncisionis habebat gratiam: sicut Baptismus, si collatus fuisset B. Virgini, non contulisset ei gratiam, si totam plenitudinem habuisset in Conceptione, ad quam erat peruentura: & tamen fuisset verum Sacramentum: quia significasset gratiam, vel in fieri, vel in facto esse*) Hæc est Fauent. doctrina.

16 In qua apparet manifesta contradictio: prius .n. dixerat, hanc esse differentiam inter Circuncisionem, & noua sacramenta; quod hæc semper conferunt gratiam: illa non semper; & in hac respõsione

sione supponit;quod si fuisset Baptismus collatus B.Virg. non contulisset illi gratiam:& tamen Baptismus Sacramentum est nouæ legis : ergo nullum discrimen inter Circuncisionem,& noua sacramenta,quantum ad hoc.

Falsa suppositio. Fauent.

17 Prærerquam quod falsa est illa suppositio: nam de facto,non solum Baptismum, sed aliqua alia sacramenta B.Virgo suscepit, & per omnia illa,quæ suscepit,recepit gratiæ augmentum; non solum ex opere operantis; sed etiam ex opere operato,ex vi ipsorum Sacramentorum. Pro qua te.

Scot. Almayn.

18 Not.est breuiter contra Scot.in 4. dist.4.q.6. Almayn.in 3.dist.3.q.2.notat.2.& aliquos alios;B.Virg.toto tempore præsentis vitæ vsq. ad mortem,potuisse in gratia,& sanctitate proficere; & re vera profecisse. Quod dictum est hoc tempore, inter Theologos indubitatum, vt benè notat Vasq. 2.to. in 3.p.disp. 119. c.5.quo pacto autem profecerit,ex opere operantis? in sententia eorum,qui docent, per quodlibet bonum opus iusti, quantumuis minimum, augeri gratiam; non est difficile, respondere, dicendo, quod B.Virgo, cum non fuerit in termino,sed in via: licet fuisset in bono confirmata; ita vt non potuerit peccare; & sic nõ fuerit libera,quoad specificationem: sicut Christus Dominus,nec hac libertate, liber fuit: tamen fuit proculdubio libera,quoad exercitium actuum bonorũ, sicuti ipse Christus: ergo sicuti, per hanc libertatem, Christus potuit nobis mereri; ita per eandem libertatem potuit sibi B.V.per opera virtutum,tùm moralium, tùm infusarum,mereri. Non.n.ob aliam rationem Beati non dicuntur sibi posse mereri illis actibus, quibus & Deum diligunt efficacissima dilectione, & cętera propter Deum; nisi,quia sũt in termino, non in via,comprehẽsores,non viatores: ergo eo ipso, quo aliquis est viator, mereri potest.

B. Virgo viuès profecit in gratia. Vasq.

§. VI.

Obiectio.

19 OBijcies tamen. Potuit Deus,statim à principio,conferre Beatæ Virgini totam gratiam, & iustitiam, quã præuidit, ipsam suis operibus promeritùram; itaut,per sequentia opera,eam mereretur;non quidem obtinendam in posterum;sed iam obtentam; & hoc modo non cresceret in sanctitate; licet in dies beatitudinis augmentum promeretur: ergo ita factum est. Respondet Andr.de Vega l.10.in Trid.c.2.quod nullum assignari potest fundamentum, cur dicatur Deus contulisse Matri,præter cõsuetum morem, totam gratiã ab initio; & nihil reseruasse conferendum illi ex meritis. Deindè,id fieri minimè potuisset:quia,eo modo principium meriti caderet sub meritum: quia tota illa gratia supponeretur ex parte principij meriti; ac promdè,si meritis,etiam vt præmium, responderet, principium meriti caderet sub meritum. Postremo;quia si totam illam gratiam B.V. initio accepisset:sine dubio,statim,quouis actu,secundum totam intensionem illius,opus æquè intensum operaretur; ac proindè tota gratia, vt præmium ei adæquatè responderet; neq. quicquam,pro alijs meritis,superesset. Tandem Respondet Vasq.loco cit.id fieri non potuisse : quia quodcunq. opus bonum meritorium vitæ æternæ,eo ipso, quod fit ab homine iusto, non potest nõ reddere ipsum magis iustum,& sanctum, quam antea erat; ergo non potest non augere statum iustitiæ, & sanctitatis,quẽ habebat antea per habitum;ac proindè, non potest non mereri augmentum habitus gratiæ, supra id, quod antea habebat: sic autem fieri nequit,vt his meritis, intensio gratiæ,antea collatæ,tanquam sufficiens præmium respondeat.

Solutio 1. Vega.

2. solutio.

3. solutio.

4. solutio Vasq.

20 Atq. hinc etiam constat, nil omninò detogatum fuisse dignitati gratiæ, & iustitiæ B.V. quod in hac vita crescere potuerit,& verè creuerit;cum potius status ipse sanctitatis cuiusq. viatoris, suapte natura,id postulet.Neq. obstat,quod B.V.dicatur Gratia plena:quia non dicitur plena,sicut dicitur vas plenum aquæ; ex eo .f.quod tota ipsius capacitas,adeo plena sit,& completa,vt nil eius supersit, quod nouum aliquid recipere possit: sed gratiæ plenitudo, pro abundantia, vsurpatur;quanta,par erat,vt fieret Mater Filij Dei:non tamen fuit summa,cuiusmodi solum fuit gratia filij. Itaq. in sententia sic sentientiũ, facilè defenditur,quod B.V. profecerit in sanctitate, & iustitia, toto vitæ tempore.

Ad statũ viatoris pertinet crescere, dũ est in via, in sanctitate. Cur B.V. dicatur Gratia plena?

§. VII.

21. AT in nostra sententia, qui volumus, habitum non augeri, nisi per actus intensiores ipso habitu; non est adeò facilè; saluare talem sanctitatis augmentum ex opere operantis in B.V.

Cęte-

Ceterum, quia non est huius loci de hac re disputare; breuiter, ita possumus hoc idem probare. Nam sicut in via non potest dari habitus adeo intensus, quod nō possit intensior fieri: ita nec poterit dari actus aliquis adeo intensus, quin possit intensior esse; si, ex maiori auxilio voluntate præuenta, eliciatur: sed, credendum est, B.V. semper fuisse præuentam auxilijs intensioribus, ac intensioribus: ergo in dies eliciebat actus intensiores, ac intensiores ipso habitu gratiæ. Et ex consequēti, proficiebat in sanctitate, & gratia habit. & merebatur maius, & maius talis gratiæ augmentum.

B.V. suscepit Baptismum. 22 Item, ex opere operato, per nouæ legis sacramenta, potuit in eadem sanctitate, ac habit. gratiā B.V. proficere, ac de facto profecit: siquidem, primò, Baptismum suscepit, ex Euthim. in illud Io.3. *Respondit Iesus, &c.* vbi asserit Patres proximos temporibus Apostolorū, tradidisse, Petrum, & B. Virginem à Christo Domino baptizatos fuisse: cęteros autem Apostolos a Petro. Et licet Nicefor. l.2. histor. c.3. non longè à principio, ex Euodio, Apostolorum successore in commentar. ipsius; & præsertim, in epist. quam inscripsit (*lumen*) referat Petrum tantummodo à Christo fuisse baptizatū; loquitur tamen solum, de reliquis Apostolis, ac Discipulis, quos excludit. Vnde subdit, Andream, & filios Zebedei fuisse à Petro baptizatos: & ab his, reliquos Apostolos: septuaginta autem Discipulos, à Petro, & Ioanne. Immò idem Scot. (vt citat, & sequitur Fauent. in 4. dist. 4. q.6. disp. 13.) supponit, Beatā Virginem fuisse à filio suo baptizatam. Licet addat: nisi fortè illa excepta fuerit à lege, de suscipiendo Baptismo; & quod Christus Dominus dispensauerit circa illam, quoad hanc legem de suscipiendo Baptismo.

Euthim. Io.

Nicefor.

Scot. Fauent.

23 Quod autem circa illam fuerit ratio dispensandi, ex eo probat Scot. quia fortè in Cōceptione filij sui habuit illam gratiæ plenitudinem, ad quam Deus disposuit, eam peruenire. Quæ tamen ratio ruit ex supradictis. Et sic Fauent. nu.3. dicit, ipsum Scotum apertè tenere, & efficaciter probare de Apostolis, suscepisse Baptismum; & rationem, qua probat, nō fuisse congruum, Christum dispensasse cum Apostolis; probare etiam, non fuisse congruum, dispensare cum B.V. si n. dispensasset cum Matre sua, non fuisset illa gratior Christo, ex hoc; neq. Ecclesia, ex hac dispēsatione, consequuta fuisset aliquam vtilitatem; sed potius detrimentum: quia existimare potuisset, Sacramentum hoc, vel non esse valoris illius, de quo prædicabatur, ex eo, quod Mater Christi illud non suscipiebat: vel aliquid aliud simile. Ita habet Fauent. ex Scoto.

§. VIII.

B.V. habuit Sacramentum Confirmationis, & quā do. 24 Item dubitandum non est, B.V. sicut etiam Apostolis, collatum fuisse Sacramentum Confirmationis; & virtute illius, iustificationis gratiæ augmentum accepisse: non quod illud, sub forma consueta, & vnctione externa receperit; (vt optimè notat Vasq. loc. cit. c.7.) sed, quod in die Pentecostes, cū cęteris Apostolis, & Discipulis, sub visibili forma, pro Sacramento Confirmationis, Spiritū sanctum acceperit. Nam, sicut in exordio Euangelicæ nascentis Ecclesiæ (inquit Vasq.) hoc Sacramētum, sola impositione manus, conferebatur; ita etiam Aduētus Spiritus sancti sub forma illa sensibili, pro Sacramento Confirmationis, B.V. & Apostolis fuit; ac proinde, augmento gratiæ, ex opere operato; quod ipsi Sacramento sub forma consueta responderet, priuati non debuerunt. Vasq.

Non recepit Sacram. Extremę Vnctionis; & quare? Vasq. 25 De Sacramento Extremæ Vnctionis, non est adeò certum: sed in controuersia positum: an B.V. illud acceperit? Vasq. partem sustinet negatiuam loc. cit. c.8. cum alijs nonnullis: ex eo, præsertim: quia hoc Sacramentum est primariè institutum, non solum contra peccata: sed etiā contra reliquias peccatorum actionis: quas peccatorum reliquias (inquit) esse, fastidium, quod ex memoria peccatorum, in ipsa ægritudine, & fine vitæ generari solet; sicut etiam ex ipso morbo. Hoc igitur Sacramentum confert auxilium gratiæ, quo corroboret infirmitatē nostram, ex peccatis præteritis contractam; & ita ad eundem effectum inungimur, vt ita tentationibus Dęmonis, quæ, ex memoria illa peccatorum, grauiores esse solent, vehementius resistamus. Quo circa, ipsa forma verborum, quæ dicit, (*Indulgeat tibi Deus, quod peccasti per visum, &c.*) non solum remissio culparum venialium, sed etiam reliquiarum peccatorum aliorum, ad effectum, quem diximus, denotatur. Quarè cum B.V. nullum peccatum commiserit, nescio, quo pacto, hoc Sacramentum ei verè conferri po-

potuerit, aut contra venialia, quæ haberet, aut contra reliquias aliorum, quæ antea habuisset. Quo circa Patuulis, e Amentibus à natiuitate (iuxta omnium Theologorum sententiam) hoc Sacramentum conferri nequit: non quia ad hoc Sacramentum requiratur consensus: nam huiusmodi verè recipiunt Baptismum, & Cōfirmationem, & ipsorum Sacramentorum effectum; sed quia in his esse non possunt peccata venialia; aut reliquiæ aliorum peccatorum, contra quas hoc Sacramentum corroborat. Cum igitur B. V. quo ad spectat ad peccata, & reliquias peccatorum, fuerit innocens, velut infans vnius diei; consequitur planè, huius Sacramenti non fuisse capacem; ac proinde B. V. nullo modo iniungi debuisse, aut decuisse. Ità & egregiè Vasq.

§. IX.

Non suscepit B. V. Sacramēta matrimonij, & Ordinis.

26 Nec Sacramentum Matrimonij B. V. suscepit: nam licet verè contraxerit cum Ioseph: tamen, eo tempore, Matrimonium non erat institutum in Sacramentum. Neq; Sacramentum Ordinis; cum fœmina huiusce Sacramentis sit incapax. Nec tandem Pœnitentiæ; quod est solum pro lapsis, post peccatum: & eius materia remota sunt peccata post Baptismum commissa. Vnde id, quod docuit Siluest. in Rosa aurea tit. 3. casu 53. de quæstion. impertinentibus. §. B.V. re vera hoc Pænitentiæ Sacramentū suscepisse; Absurdum est. Rationes verò, quibus hoc probat, frinolas planè existimo. Neq; minus absurdum est, quod ait, Beatam Virg. nesciisse, an venialia committeret, an non? & ideo venialia sub cōditione confiteri consueuisse Beato Ioāni. Absurdum, inquam, hoc etiam est: Tùm quia credibile non est, Beatam Virg. dubitasse de sua innocentia, ac puritate; & proindè verisimile non est, sub dubio se de aliquibus venialibus accusasse: tùm etiam, quia, licet se hoc modo accusaret, absolutionis beneficium recipere non posset; nisi aliquod peccatum actionis determinatè confiteretur: quia super incertam materiam absolutio impendi non potest.

Neq; Sacramentum Pœnitentiæ cōtra nōnullos. Siluest.

27 Quòd verò aiunt Albert. Antonin. & idē Siluester, ipsam suscepisse hoc Sacramentum Pœnitentiæ; ita ut, pro confessione peccatorum, exhibuerit confessionem laudis erga Deum, & suæ humilitatis: & pro contritione habuerit vitæ innocentiam: perindè est, atq; dicere, aut hoc Sacramentum pro Beata Virg. fuisse alterius naturæ: quod commentitium est: aut illud non vere recepisse; sed aliquid, loco illius, habuisse. Ob id tamen nescio, quare prædicti DD. vna cum Canisio l. 1. de Maria Deipara c. 9. §. *Et si verò, &c.* dicant, Beatam Virg. omnia Sacramenta Ecclesiæ, præter Sacramentum Ordinis, recepisse; nisi de Sacramentis impropriè, intelligant. Ex quo discursu euidēter patet, falsum esse id, quod Fauent. adducebat de Beat. Virg. quod Baptismus ei non contulisset gratiæ augmentum.

Albert. Antonin. Siluest.

Canis.

§. X.

Alia confirmatio contra sententiam Scotistarum Fauent.

Ex quibus potest desumi alia confirmatio obiectionis contra hanc Scotistarum sententiam, argumento desumpto ex ipsomet Fauent. vt supra. Nam Sacramenta nouæ legis (vt ipse ait) conferunt gratiam, & omnibus non ponētibus obicem: Circuncisio verò non semper; vt exemplificat in Abramo. Sed non potest assignari alia ratio, quare Sacramenta noua semper conferant, & non vetera, nisi quia noua conferunt ex opere operato: non autem vetera: ergò, &c. Prob. min. quia si aliqua alia ratio esset, maximè ea, quam assignant Scotistæ; nimirum, *quia circūcisio habebat determinatum gradum gratiæ, vltra quem maiorem efficere non poterat; & sic si circuncisus, tempore circuncisionis, habebat tantam gratiam, quantā erat circuncisio apta nata conferre, nullū gradum gratiæ adiungebat: at Sacramenta noua non habent talem determinatam gratiam, vltra quam maiorem non causent.* Sed hæc ratio nulla est, & prorsus Chymerica: ergò, &c. Prob. min. Et primo quod sit nulla: nā maior gratia præexistens in circunciso non poterat esse obex ad nouum effectum circuncisionis; alias deterioris cōditionis esset, respectu receptionis Sacramēnti, qui accederet ad illud cum gratia, vt centum, v.g. eo, qui accederet absq; vllo gradu gratiæ, imò potius cum peccato: nam circuncisio conferabat gratiam accedēti cum peccato, & nil conferebat accedenti cum gratia, vt centum; quod esset, aliquo modo, impium; & iure occasionem dedisset circuncidendis, vt nemo procurasset, ante susceptionem talis

Sa-

Sacramenti, actibus intẽsis fidei, & charitatis, habitualem gratiam comparare: si quidem gratia intensa erat obex, & impedimentum, respectu effectus Sacramenti; & sic quilibet, sine labore, potuisset accedere ad circuncisionem, tutior, ac securior de suscipiendo, ex opere operato, gratiam Sacramenti, quam si accessisset cum magno labore, multis præuijs actibus intensis variarũ virtutum.

Concluditur fictitia Scotistarum sententia.

29 Quod autem chymerica prorsus sit ratio illa, patet: nã, vel habet id Scot. ex aliqua traditione antiqua; vel ex SS. quod nequaquam dicere audebit: cũ nil tale habeatur ex SS. nec adest aliqua traditio in Ecclesia Dei: Vel ipse, in institutione illius Sacramenti, consiliarius extitit Dei; quod neq; affirmabit: Vel tandem ex se ipso hoc finxit, quod verius existimo; & sic chymerica, & omninò fictitia est illa ratio.

§. XI.

Ratio.

30 Quod si dicas; hanc sententiam, de causalitate gratiæ, ex opere operato, in circuncisione, fundatam esse super illa verba, quibus circũcisio tradita fuit Abramo Gen. 17. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de Populo Dei.* In quibus videtur manifestè promissio facta fuisse ipsi signo sensibili; non autem actui interno, siuè fidei, siuè alterius virtutis: quæ verba non possent aliter saluari, quam dicendo, circuncisionem contulisse gratiam ex opere operato: Cumq; Abramo nõ contulisset ipsa circuncisio aliquẽ nouum gradum gratiæ tali modo; nam fuerat per fidem viuam iustificatus; hinc fit, quod, ad saluandum verumq; per probabilem coniecturam dici potest, non potuisse gratiam causare, nisi in determina gradu.

Gen.

Impugnatur.

31 Sed contra: & primo, iam habemus, rationem illam esse merè fictam, sine aliquo stabili fundamento, sed per coniecturam, nulla probabilitate probabilem. Addo, quod sine eo, quod inducerentur Scotistæ ad hoc asserendũ, facile potuissent saluare sensum verborum illorum; itaut voluerit Dominus, quod nemo potuisset mundari à peccato origin. nisi fuisset circuncisus: non, quod ipsa circuncisio deleuerit ex opere operato talem maculam: sed quia voluit illam adhiberi, vt *conditionem sine qua non*. Et sic, ad talem effectum sufficiebat illam habere, saltem in voto, si circuncidendus fuisset verè contritus, (vt infra dicam;) sicut fuit in Abramo. Vnde optime saluatur sensus legitimus illorum verborum, sine causalitate ex opere operato.

Cõfirmatur.

32 Et Confirmatur, quia si aliter intelligerentur verba illa, nemo potuisset ab origin. mundari sine actuali circuncisionis susceptione, & sic semper, ex vi ipsius circuncisionis. Vnde Abraham non diceretur fuisse iustificatus ante actualem circuncisionem: patet autem sequela: quia verba sunt: *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit.* Supponamus nunc, quod Abraham, per instans ante circuncisionem suam, mortuus fuisset; vel perijsset anima eius de Populo viuentium; vel non: si perijsset: ergò sequeretur quod mortuus fuisset in peccato; quod est contra SS. vt certum est: si non perijsset: ergo etiam, non obstante non susceptione actuali circuncisionis, gratiam iustificationis susceperat; & ex consequẽti signũ est, quod illi sufficisset ad iustificationem circucisio tantum in voto. Et hæc sufficiãt contra sententiam Scotistarum, & præsertim Feuent.

CAPVT V.

Quid sentiendum de sententia Suarez?

§. I.

Summa sententiæ Suar.

1 Quantum ad sententiã Suar. qui docet, *quod in circuncisione non dabatur gratia adultis, nisi habentibus fidem viuam, ac charitatem, siuè contritionem, & sic Adulti iustificabantur ex opere operantis: Paruuli autem, ex peculiari Dei Prouidentia in circuncisione, & etiam in Sacramento legis natura, gratiam recipiebant sine fide, & adhuc sine aliquo bono motu ministri, vel parentum. Nec hunc modum propriè dici* (inquit) *ex opere operato: sed ad modũ operis operati, solum, propter exclusionem operis operantis: idq; ob specialem necessitatem, cui diuina Prouidentia non statuit aliter subuenire; quæ necessitas tantum in*

in paruulis esse poterat. Hic est modus dicendi Suar.

In Circuncisione necessario requirebatur aliqua fides in Ministro, saltem vniuersalis. & si circuncisus erat adultus in ipso erat necessaria fides particularis.

2 Pro quo, illud certum esse debet apud omnes, quod ad Sacramẽtum Circuncisionis necessariò requirebatur fides in Ministro; saltem, vniuersalis, & Ecclesiæ: vt supra dicebamus. Et insuper, si suscipiens erat adultus; etiam in ipso suscipiente, aliqualis fides personalis, & particularis in Christum venturum, erat omninò necessaria. Quod apud ipsummet Suar. est adeò manifestum; vt dicat, per talem fidem, actui contritionis vnitam, adultum iustificari. Apud D.Th. etiam certissimum est; qui docet, Circuncisionem esse tãtum signum iustitiæ susceptæ per fidem. Et tandem, apud Scotistas debet hoc etiam esse receptissimum: nam, licet doceant, per ipsam Circuncisionem circũcisum quemlibet iustificari ex opere operato: non tamen excludunt dispositionem in adultis, ad recipiendam iustificationis gratiam: forma .n. recipitur in subiecto bene disposito. Quod non derogat causalitati ex opere operato: nam nostra sacramenta etiam causant gratiam ex opere operato: & tamen requirunt dispositum subiectum per fidẽ, & dolorem, saltem imperfectum. Solum ergo difficultas esse potest: qualis fides requirebatur: an s. fides viua: an verò sufficeret actus aliquis fidei mortuæ, seu existentis in peccato? & ad quid requirebatur talis fides?

D.Tho.

An talis fides debuerit esse viua.

1. dictum cõtra Suar.

3 Et primò, mihi videtur dicendum contra Suar. quod non erat necessaria in adulto fides viua; nec actus aliquis perfectæ dilectionis, ad hoc, vt in Circũcisione iustificaretur: sed sufficiebat quilibet actus fidei, & amoris, etiam imperfecti; qui, ad summum, esset attritio. Moueor autem ad hoc asserendum, primò: quia si perfecta contritio semper fuisset adultis necessaria ad susceptionem Circuncisionis: ergo antequam circuncideretur adulti, iam erant per contritionem iustificati: & sic, cum semper supponeretur peccatum remissum, nullius momenti illis extitisset Sacramenti susceptio. Et idem de Sacramento legis naturæ dicendum est.

Resp. 1. Suar.

4 Respondet Suar. Primò; concedẽdo, Circũcisionem, respectu adultorum, (& idem de Sacramẽto legis naturæ,) nõ fuisse propriè remedium peccati: sed solum signum externum.

Impugnatur Aug.

5 Sed contra hoc clamat Aug. loc. illo cit. l. 2. de nupt. & concupisc. vbi habet: *Ex quo instituta est Circuncisio in populo Dei ad purgationem huius peccati vetustis, valebat magnis, & paruis; sicut Baptismus valere cœpit, ex quo institutus est*; ergo sentit Aug. fuisse Circũcisionem institutam, non solum pro paruulis: sed etiam pro adultis. Addo, quod verba illa Domini; *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit, &c.* non tãtum includũt pueros: sed etiam adultos masculos: vt patet.

§. II.

6 QVarè secundò Respondet Suar. & melius: Circuncisionem potuisse esse remedium etiam adultis, ad remissionem originalis obtinendam, vt conditionem necessariam, sine qua ille effectus non daretur: voluit .n. Deus, omnes, etiam adultos, signo aliquo externo profiteri suam fidem, & deuotionẽ internam, vt remissionem originalis consequi potuissent: & ideo, sine tali signo, vel in re exhibito, vel in voto concepto, nõ poterat origin. remitti: & hoc, inquit, satis esse, vt dicatur remedium illius. 2. Resp.

7 Contra hoc tamen est non facilè argumẽtum: supponamus aliquem adultum non dum circuncisum, perfectè cõtritum, & habentem animum, & votum accedendi ad Circuncisionem. Iam iste, proculdubio, ex tali contritione perfecta, cum voto Circuncisionis, fuisset iustificatus, & à peccato mundatus. Supponamus etiam, quod post aliquod tempus, siue temporis instans, adsit occasio, & commoditas circuncidendi, & nolit amplius circuncidi: non est dicendum, quod peccatum origin. iam deletum, redeat, ex eo, quod nolit circuncidi: semel namq. deletum peccatum, cum omninò tollatur, & eradicetur: non aũt (vt aiebãt Hæretici) tegatur tantum, & non imputetur, non amplius redit: quod maximè locum habet in peccato origin. quod, semel remissum, temerarium esset asserere, ex quacunq. superuenienti causa, iterum redire: licet, ad summum, peccaret ille mortaliter, peccato inobediẽtiæ saltem, non accedẽdo ad Circuncisionem: ergo iste mundatus erit ab origin. sine eo, quod profiteretur suam fidem, ac deuotionem internam signo illo externo Circuncisionis: & ex consequenti, nullius momenti extitisset, respectu adultorum, quoad deletionem, præcisè, culpæ origin. Circuncisionis institutio: vtpotè, etiã si non Impugnatur.

ſi non adhiberetur, intelligebatur iam nihilominus remiſſa. Et ſic Circuncisio, per accidens, tantum, ſe habebat omninò in ordine ad adulti iuſtificationem ab origin. cum ordinarius modus, & neceſſarius, ex Suar. extitiſſet, per fidē perfectam, & actum perfectæ contritionis.

§. III.

Obiectio cōtra nos. 8 Neq. valeret dicere, quod hoc idē argumentum poſſet fieri de Sacramēto Baptiſmi, reſpectu adultorum: dictum eſt .n. eodē modo de Baptiſmo, ſicut de Circuncisione; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* & tamen poſſet adultus, ante ſuſceptionem Baptiſmi, perfectè conteri, cum voto accedendi ad Baptiſmum; & ſic, ex vi operis operantis, & contritionis iuſtificari ab origin. & poſtea, cum ſe offerat baptizandi commoditas, non accedat ad Baptiſmum. In quo caſu certè nec rediret peccatum origin. & tamen nemo audebit dicere, nullius momenti eſſe Baptiſmum, & per accidens ſe habere: ergo pari paſſu, non tenet argumentum de Circunciſione, eodem modo factum.

Solutio. 9 Non, inquam, eſt par ratio de Baptiſmo, & Circunciſione, inſtituta, modo, quo tenet Suar. reſpectu adultorum: nam ordinarius modus iuſtificationis adulti per Baptiſmum non requirit in adulto talem actum perfectæ contritionis: ſed ſufficit quælibet diſpoſitio, & remiſſus dolor, cum aliquali fide. Et ſic Baptiſmus fuit inſtitutus pro medicamento neceſſario ad iuſtificandum adultum ex opere operato, vltra meritum ipſius ſuſcipientis, quod non eſt condignū, ex ſe, tali iuſtificatione. Quod ſi aliquis, ante ſuſceptionem, perfectam habeat contritionem, per quam iuſtificetur, ſaltem diſpoſitiuè, & meritoriè: hoc per accidens eſt, & caſus extraordinarius, in quo caſu ſufficiet habere Baptiſmum in voto tantum; i. habere animum baptizādi, vt ſatisfaciat ex obedientia præcepto Diuino: nō autem vt recipiat peccatum origin. remiſſionem, quā iam receperat per Baptiſmum flāminis; quo pacto appellatur, in eo caſu, contritio à PP. & DD. Quod ſi accedat, non dicetur, virtute Sacramenti, ſeu ſuſceptionis illius actualis, præcisè, iuſtificatus ex opere operato: benè tamen recipiet ſacramentalem gratiam ex opere operato, ſupra eam, quam inuenit Baptiſmus. Et quemadmodum ſupra diximus, ex decreto Dei dari, vi Sacramentorum præcisè, tot gradus gratiæ ſuſcipienti Sacramentum: tunc totidem darentur baptizato, iam antea iuſtificato per contritionem, in augmentum tamen prioris gratiæ in baptizato repertæ. v.g. per contritionem, ante Baptiſmum, acceperat ſex gradus Gratiæ habitualis, cum qua Gratia accedens ad Baptiſmum, ex vi Sacramenti, ſuſcipiet alios quatuor, vel quinq. gradus eiuſdem Gratiæ habitualis. Et prætereа, per actum obedientiæ, quem operatur, accedendo ad Baptiſmum iuxta præceptum Dominicum, merebitur etiā nouos gradus gloriæ, ei, ſuo tempore, cōferendæ. Et, in ſententia aſſerentium, per quodcunq. opus iuſti augeri habitum gratiæ; merebitur etiam tot gratię nouos gradus, quot fuit actus ille obedientiæ intēſus. Et tādem recipiet charactērē, qui nō imprimitur, niſi in ipſa actuali ſuſceptione Sacramenti. Quod ſi iuſtificatus iam ante Baptiſmum nō accedat poſtea ad Baptiſmum, non ideo reincidet in origin. benè tamen cadet à gratia, propter peccatum inobediētiæ, vel contemptus, &c. & tranſgreſſionem præcepti: & nunquam gratiam recuperabit, niſi ſe baptizauerit, & adimpleuerit illud præceptum; vel denuo perfectum contritionis elicuerit actum, modo quo ſupra. Suſceptio vero Baptiſmi, in eo caſu, non deſeruiet ad deletionem peccati origin. quod iam ſupponeretur dimiſſum: ſed ad remiſſionem illius peccati inobediētiæ, & aliorum actualium, ſi quæ fuerint.

10 At verò, in ſententia Suar. taliter fuit inſtituta Circunciſio, reſpectu adultorum; vt, niſi habuiſſent perfectam contritionem, & fidem viuam; & ex conſequenti, niſi iuſtificati iam fuiſſent, ſaltem in priori naturæ, ante ſuſceptionem talis Sacramenti, nullius prorſus momenti extitiſſet illis Circunciſio. Et ſic ſemper neceſſario præſupponebatur remiſſa culpa, & circuncidendus, iam iuſtificatus. Ad quid ergo deſeruite poterat adultis Circunciſio? ſiquidem, ſuſcepta, nil noui addebat ſuſcipienti, quod antea non habuiſſet ſine illa: ergo tantum per accidēs ſe habebat illa Circunciſionis ſuſceptio.

§. IV.

11 Dices, Circunciſionem fuiſſe, reſpectu adultorum, inſtitutam, ad hoc, vt eſſet ſignum gratiæ ſuſceptæ, Effugium.

& remissionis culpæ, per fidem: voluit enim Deus, adultos, signo hoc externo, suam fidem profiteri, & internam deuotionem.

Impugnatur. 12 Sed contra; nam vel fuit instituta circuncisio in signum verum gratiæ susceptæ per fidem: vel in signum ambiguum, & indifferens; idest, no necessario significans talem gratiam. Hoc secundum dici non potest: nam signum determinatum à Deo, & ab eo institutum ad hoc determinatè significandum, debet esse certum signum veræ receptionis, ergò fuit instituta circuncisio ad hoc, vt esser certũ signũ gratiæ, verè susceptæ: sed non poterat à Deo sic institui, si requirebatur vera contritio, & viua fides in adulto ad gratiæ infusionem, & peccati deletionem (vt vult Suar. & videtur hodie esse ferè communis opinio iuniorum præcisè) ergò, &c. Prob. hæc min. nam cũ actus contritionis difficillimè eliciatur; ita vt, nil difficilius possit homo præstare; præsertim, existens in peccato, etiam cum auxilio Dei; nunquam potuisset esse certus, sine reuelatione peculiari, quæ tamen non aderat de tali actu contritionis; & ex consequẽti, neq; de suscepta gratia deletionis peccati origin. ergo nũquam potuisset ad circuncisionem accedere securus de non defraudando institutionem talis signi.

Cõfirmatur. 13 Adde; quod si quis accessisset ad circuncisionem adultus, sine tali contritione; certe, in hac sententia, gratiam non recepisset: ergò tunc circuncisio non fuisset verum signum; imò falsum gratiæ susceptæ, quæ alias suscepta non esset: ergò dicendum non est, fuisse circuncisionem institutam à Deo, respectu adultorum præcisè, in signum solum gratiæ susceptę per fidem viuam.

§. V.

Obiectio cõtra nos. 14 Neq; valet dicere, quod idem argumentum fieri posset in susceptione Sacramentorum viuorum nouæ legis, quæ prærequirunt gratiam in subiecto, vel saltem contritionem perfectam: & tamen si quis accedit v.g. cum dolore imperfecto, existimato tamen perfecto, dignè dicitur accedere, & non committet Sacrilegium.

Solutio. Non (inquit) hoc aliquid valet: nam ideo non indigne accedit ad Sacramenta viuorum nouæ legis, qui accedit cum dolore imperfecto: existimato tamen perfecto: quia Sacramentum, vi sua, & ex opere operato supplet valorem illius doloris, & facit de attrito contritum: quod non efficiebat in adultis circuncisio; iuxta sententiam Suar. & aliorum sic sentientium cũ illo.

Confirmatur contra Suar. 15 Præter quamquod; hoc effugium non euacuat vim argumenti, quæ præsertim, sita est in principali, & absoluta institutione circuncisionis, in sententia Suar. nempè, dumtaxat, ad significandam gratiam, repertam iam in suscipiente, collatam, intuitu viuæ fidei, & charitatis illius. Quod si quis tunc ad circuncisionem accessisset; ne dum cum aliquali dolore, & actu fidei mortuæ: sed adhùc, sine aliquo dolore; bene verum cum intentione recipiendi Sacramentum: rè vera, nullo pacto deletionem originalis culpæ recepisset, nec gratiam habitualem: cuius ergò gratiæ tunc signum fuisset illa circuncisio præcipuè instituta, ad hoc, vt esset gratiæ signum?

Item. 16 Addo tandem: quod satis difficilè extitisset remedium hoc adultorum, si positum fuisset in actu adeò difficili: & nunquam in toto tempore vitæ potuisset scire circuncisus, an verè esset de numero fidelium, & Populi electi? An sibi remissum esset origna. e? quia, non obstante circuncisione, poterat dubitare de actu contritionis, & fidei, & de intensione ipsorum, ac valore, quando ad circuncisionem accessit.

corollarium. 17 Quare concludo, quod non requirebatur talis fides viua, & actus perfectę contritionis: sed sufficiebat aliqualis fides, & aliqualis dolor, saltem, imperfectus. Quod si aliquis habuisset perfectum dolorem, viuamq; fidem, proculdubio, per hæc iustificatus fuisset: sicuti accedẽs ad Baptismum cum vera contritione iã intelligitur iustificatus, antequã accedat. Sed ille fuisset casus peculiaris, non ordinarius, & per accidens, vt fuit in Abramo. Et quod de circuncisione dictum est; idem dicendum de remedio contra origin. in lege naturæ.

§. VI.

2. conclusio contra Suar. de paruulis. 18 Dico secundo contra modum dicendi Suar. de Paruulis; quod eo modo, quo in adultis requirebatur illa aliqualis fides personalis, & particularis; sic requirebatur in conferente Paruulis circuncisionem, fides, saltem vniuer-

salis

falis, & Ecclesiæ, applicata ipsis circuncisis per signum illud externum; intuitu cuius fidei, sic applicatæ, conferebatur paruulis gratia remissionis peccati origin. Hæc assertio sequitur ex dictis, & solum indiget explicatione. Iam enim supposuimus, omninò requiri in ministro, saltem, fidem illam Ecclesiæ; defectu cuius, impiæ illæ gentes, & infideles, relatæ ab Epifan. Hær. 30. Ambr. ep. 77. & alijs: licet vterentur circuncisione: non tamen gratiam consequebantur, vt supra diximus, ex Fauent. non autem erat necessaria fides viua in ministro: nam vidimus ex Augustino contra Crescon. circuncisionem, collatam ab infideli; dummodò habuerit Ecclesiæ fidem; non esse iterandam: Vnde sequitur, quod fuisset validū Sacramentum, etiam si minister extitisset in peccato infidelitatis. Item hæc fides non erat, de se sola, sufficiēs, sine tali applicatiōne, ad causandam, seu impetrandam paruulis gratiam: quia fides vniuersalis Ecclesiæ, de se, non magis applicatur vni, quam alteri, & omnibus: & sic, nisi per aliquod peculiare signum applicetur modo huic, potius, quam alteri, non poisset huic in particulari prodesse, & nō alijs. Et ex alia parte, nec ipsa circuncisio, se sola, sufficiens erat ad conferendā gratiam, quam non continebat: non dū enim erat solutum ipsius gratiæ pretium: nam non dum erat Christi Passio exhibita, in cuius virture debuisset conferri talis gratia. Et futurum, vt futurum non potest agere per vsum externarum rerū: nam hoc habet rationem causæ efficiētis: sed solum operatur vt causa finalis, per apprehensionem, desiderium, & actū animæ internum. Et sic solum poterat Christi Passio applicari ad conferendam gratiam circuncisio per actum fidei, vt dicebamus ex D. Th. & Soto, impugnando Scotistarum sententiam; ergo non alio modo possumus intelligere, puerum circuncisum suscepisse in circuncisione gratiam, nisi dicamus, illam recepisse à Deo, intuitu illius fidei, sibi applicatę, à ministro per circuncisionem; itaut circuncisio fuerit signum necessarium, & protestatiuum talis fidei applicatæ pnero circunciso; seu conditio, sine qua non intelligebatur puero applicata fides: & ex consequenti, nec culpæ original. deletio. Tota hæc doctrina, in hoc discursu contenta, mihi videtur adeò vera, vt nulla possit inficiari calumnia. Et licet apud neminem DD. quos huc vsq; legi, hanc

Aug.

D. Th.

sententiam sic explicatam inuenerim, nec citatam: mihi tamen omninò consona rectæ rationi videtur.

CAPVT VI.

An hic modus causandi gratiam in circuncisione fuerit ex opere operato: an ex opere operantis?

§. I.

1 DIco tertio, contra Suar. Scotum, & alios. Hic modus collationis gratiæ, tam paruulis, quam adultis circuncisis, non poterat propriè, & absolutè dici, ex opere operantis: neq; propriè, ex opere operato: neq; per modum operis operati: sed si aliquem horum modorum velimus ei tribuere; proprius dicendus erat: ex opere operantis, non absolutè: sed cum aliquo addito. Explico sic, & pariter probo hoc meum singulare dictum. Et primò, non poterat dici propriè & absolutè, ex opere operantis: nam illa fides, non erat ex se proportionatum meritum talis præmij, & tale præmium non debebatur circunciso, pręcisè, ex vi exigentiæ talis fidei; quod requirebatur ad rationem operis operantis, sed dabatur ei vltra exigentiam, & meritum illius.

3. conclusio contra Suar. & alios de circuncisione tam paruulorū, quā adultorum.

Non conferebatur gratia ex opere operātis absolutè in circuncisione.

2 Secundo, nec poterat dici, aliquo modo, ex opere operato: nam (vt supra docuimus;) causare gratiam ex opere operato, est, illam causare, vel ex vi pretij iam exhibiti; id est, Passionis Christi, quæ poterat dici operatum opus; iuxta illud; *Operatus est salutem in medio terræ* Vel ex vi ipsius ceremoniæ, & vsus Sacramenti; cui sit collata virtus, ex ipsa Christi exhibita passione, gratiam conferendi: neutro autem modo (vt patet) poterat dic gratia circuncisi, ei collata ex opere operato. Non primo, quia Christi passio erat adhuc operanda, & pretiū exhibendum. Non secundo: quia non poterat applicari talis virtus circuncisioni (vt dictum est supra contra Scotistas: & etiam in probatione secundi dicti contra Suar.) quod etiam probat aliam partem huius assertionis; nimiū, quod

Nullo modo ex opere operato.

quod neq. poterat applicari aliquo modo Circuncisioni hic modus causalitatis gratiæ ex opere operato.

Bene verum, ex opere operantis, cũ aliquo addito.

3 Quod tandem potuisset dici illa gratiæ collatio, ex opere operantis, non absolutè, sed cum aliquo addito, sic explico. Et in primis, certum est omninò, fidem illam, siuè adulti, suscipientis Sacramentum; siuè Ministri conferentis, fuisse opus operantis: quod quia de se patet, superuacaneum esset demonstrare. (Nisi quis forsan velit illam fidem appellare, opus operatum .i. elicitum ab ipso circũciso adulto, vel Ministro, &c. in quo casu esset solum de voce discrepantia: nam in re ipsa conueniremus.) Cumq. talis fides non esset ex se condignum meritum collationis gratiæ, non poterat absolutè dici illa collatio, ex opere operantis.

4 At quia Deus, ex pacto, & promissione conferebat talem gratiam, intuitu illius fidei, sic exterius protestatæ, & significatæ per externam illam Circuncisionis cęremoniam; dici poterat illa collatio gratiæ, ex opere operantis, ex pacto tamen, & promissione Dei; siue Dei acceptatione liberali. Et hoc est illud additum. Et sic intelligo omnia Concilia, & Patres, quando assignant differentiam inter sacramenta noua, & vetera; in hoc, quod noua causant gratiam ex opere operato: vetera verò solum ex opere operantis. Item, iuxta dicta, interpretantur ea alia loca PP. quibus dicitur Circũcisio extitisse remedium contra origin. ante Christũ; sicut Baptismus post Christum: nam eo modo, quo dictum fuit; *Nisi quis renatus fuerit, &c.* eodem etiã modo dictum fuit: *Anima, cuius præputij caro, &c.* quia erat necessaria Circuncisio, vt conditio necessario requisita ad emundationem illius peccati. Et tãdem nil aliud voluisse fateor D.Th. cum asserit, Circuncisionem non contulisse gratiam, sed fuisse signum gratiæ fidei: intellige; modo, quo nos in his assertionibus exposuimus, & declarauimus.

Circuncisio conditio, sine qua non.

D.Th.

§. II.

Petitio.

Resp.

5 Dices: vnde colligitur tale pactum Dei, & promissio, seù liberalis acceptatio illius fidei? Respondeo: tùm ex SS. Concilijs, & PP. tùm etiam ex solidis coniecturis, & rationibus. Coniecturæ, & rationes sunt eæ, quibus reiecimus alios modos dicendi, & hunc probauimus. Loca autem possent innumera adduci, quæ videntur esse pro hac nostra sententia, sic explicata; præsertim omnia illa Pauli, adducta contra Scotum, satis consentanea sunt assertioni nostræ; & sic facilius, & germanius explicantur, sine sofisticis, & adeò extortis interpretationibus; vt patebit discurrenti per omnia. Illud præcisè ad Rom. 3. satis manifestũ videtur, & non obscurè annuere, quod docemus, dum ait: *Vnus est Deus, qui iustificat Circuncisionem, ex fide, & præputium, per fidem.* Et illud ibid. *Quid ergo amplius in Deo est? aut quæ vtilitas Circuncisionis? multum quidem per omnem modum: primum, quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.* Ita etiam videtur sensisse Concil. Florent. in decreto illo supra, sępius repetito, Eugen. IV. Et Trident. sess. 7. can. 2. Ex PP. autem, colligo, pręsertim ex Augustino l. 3. contra Iulian. Pelag. c. 18. & l. 5. c. 9. & l. 2. de nupt. & concupisc. c. 11. & alibi, vbi hæc habet: *Ex quo instituta est Circũcisio in populo Dei (quæ esset tunc signaculum iustitiæ fidei) ad significationem purgationis origin. peccati, valebat tam magnis, quàm paruis; sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est.* Vbi notat Soto in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. §. *Est autem mens.* Quod aliqui legunt; *Ad sanctificationem purgationis,* & malè legunt: nam non cohærent hæc verba: quæ legi debent; *Ad significationem.* Et ita (refert ipse) quod leguntur in vero textu. Imò in Codice, qui est apud me, Venetæ impressionis ex 1584. in fine dicti cap. 11. lit. G. habetur, *Ad significationem.*

Ostenditur pactum, promissio, & acceptatio Dei ex SS. Cõcilijs, & PP.

Paul.

Cõc. Florẽt.

Trid. Aug.

6 Ait ergo Sotus, illã comparationem inter Circuncisionem, & Baptismũ, non esse omnimodam: Baptismus namq. valet, vt est instrumentum phisicum: Circuncisio verò, vt signum iustitiæ fidei. Ita etiam D. Tho. q. 62. ar. 6. ad 3. glosauit testimonium simile Bedæ in homil. Circũcisionis supra à nobis citatum c. 2. §. 2. n. 5. quod refert, & Hugo l. 1. de Sacramẽtis c. 2. ita etiam Magist. in 4. dist. 1. nempè, *Idem salutifera curationis auxilium Circuncisio in lege, contra origin. peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere, reuelata tempore gratia, consueuit.* Vbi non docet Hugo, Circuncisionem habuisse virtutem efficiendi, & causandi gratiam: sed fuisse signum protestatiuum, & testificatiuum fidei, necessarium ad remissionem origin. Ex his ergo, & alijs locis colligimus, nil aliud tribui Circuncisioni,

D.Th. Beda. Hugo. Magist.

quam

quam esse signum, & conditionem necessariam, qua, vel debebat applicari puero fides Ministri, vt ei prodesse potuisset: vel propriam sui ipsius (si adultus fuisset) fidem protestari, ad hoc vt suscepisset promissam iustificationem.

§. III.

Explicatur magis nostra assertio. Scot. Dur.

7 ET hoc possumus magis explicare, ex doctrina Scoti de Sacramentis nouis: asserit .n. Scot. & cum eo Dur. Baptismum non conferre gratiam, ex se, & phisicè; nisi tanquam signum, ad cuius præsentiam, ex pacto Dei, gratia confertur. Ita nos ferè dicimus, quod ad præsentiam Circuncisionis, virtute fidei, à Deo acceptatæ, sic applicatæ, confertur circūciso gratia. Licet ipsi velint, cum hoc stare, Baptismum conferre gratiam ex opere operato. Quod tamen nos supra reiecimus, etiam supposita hac sententia: signum namq. nil causat: sed tantum, præter speciem sui, quam adingerit sēsibus, aliquid aliud a se facit in cognitionem venire; prout Augustinus signum diffinit.

Nota varia discrimina inter sacramenta Euangelica, & Circūcisionem.

8 Ex quibus patet discrimen inter sacramenta noua, & Circuncisionem, seù Sacramentum legis naturæ: & primum, in hoc, quod illa phisicè gratiam causant, vt instrumenta phisica: Circuncisio verò est tantum gratiæ signum, certum tamē; & conditio, sine qua non cōferretur gratia. Item discrepant: nam noua sacramēta requirunt fidem, & attritionem in suscipiente adulto, tantum, vt dispositionē ex parte subiecti: & sic, in genere causæ materialis; tātum; sine qua, proculdubio, sacramenta non conferrent suscipientibus gratiam sacramentalem. At Circuncisio requirit fidem in adulto, non tantum, vt dispositionem; sed etiam, vt causam meritoriam; & si non de condigno: ex pacto tamen, promissione, & acceptatione Dei. Item noua sacramenta requirunt in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, seù fidem illam vniuersalem, vt conditionem requisitam ex parte Sacramenti, ad hoc, vt validum sit: quæ tamen nil operatur in suscipiente; & sic, eodem modo omninò requiritur, si Minister baptizet infantem, ac si baptizet adultum. At verò Circuncisio, requirebat quidem fidem illam vniuersalem, & Ecclesiæ in Ministro, circumcidente puerum, non solum ad validitatem Sacramenti: sed etiam, quia intuitu eius, vt applicatæ puero per cæremoniam illam, conferenda erat gratia circunciso, ex pacto, & promissione Dei; siuè, ex liberali acceptione ipsius, iuxta dicta.

Nota hoc.

9 Et forsan nec necessario requirebatur hæc fides in Ministro Circuncisionis, quādo circuncidebat adultum: quia tunc gratia dabatur adulto, intuitu propriæ fidei, protestatæ per Circuncisionē; & sic, nil ei conferebat fides Ministri, in ordine ad talem effectum. Nec forsan requirebatur ad valorem Circuncisionis, respectu adultorum: nam si requiritur in Ministro Sacramētorum nouorum, ideo est: quia hæc sacramenta conferunt, ex vi sua, & ex opere operato, sacramentalem gratiam; & sic, ex pluribus constare debet eorum integritas. Circūcisio autē, non sic gratiam causabat; vnde forsan sufficiebat illa exterior cæremonia, vt sic facta; etiam sine alia explicita intentione Ministri: dummodo circuncisus habuisset fidē illam, quā diximus, in Christum venturum, & aliqualem peccatorū dolorem: nam cum Circuncisio illi esset tātum signum protestatiuum talis fidei, & conditio necessaria; hoc habebat Circuncisio ex ipsa Dei institutione; & sic, sine alia intentione Ministri, cæremonia illa exterior erat, respectu adultorū circuncisorum, talem fidem habentium, & dolorem, verè signum protestatiuum, &c.

10 Distinguuntur etiam ex eo, quod gratia, quæ dabatur in Circuncisione, non dicebatur sacramentalis; sicuti dicitur gratia, quæ confertur per sacramenta noua; cum quodlibet Sacramentum causet habitualem gratiam, cum ordine tamen peculiari, ad dandum, seù conferendū quædam peculiaria iuuamina ipsi suscipienti, in ordine ad varios effectus, ad quos non ordinatur ipsa sola gratia habitualis, secundum se, sine particulari auxilio (vt dictum est supra.) At in Circuncisione non dabantur talia auxilia, quæ seruabantur pro statu gratiæ.

Non esse improbabilem tertiam illā sententiā relatā à D.Th. vt supra in princ. huius disput.

11 Vnde patet, quod illa tertia sentētia, quam D.Th. refert ar. 6. ad 3. & quam ipse sustinuerat in 4. dist. 1. q. 2. ar. 5. quæstiuncula 3. non esse improbabilem; quātum ad id, quod asserit, (vt ipse refert) quod in Circuncisione cōferebatur gratia, quantum ad hoc, quod est, facere dignum vita æterna: non tamen quantum ad hoc, quod est, reprimere concupiscētiam, impellentem ad peccatum. Diximus .n. nos quodl. 8. Hominem, quātumuis iustum, indigere peculiaribus auxilijs

ad

ad resistendũ tentationibus quibuscunq; &c.& sic gratiam habitualam non esse ordinatam ad similes effectus: sed tantũ ad reddendum subiectum gratum, dignũ vita ęterna; & ad dignificanda opera elicita ab ipso habente gratiam. Quarè Diui Thomæ impugnatio, propter quam sententiam illam mutauit, ac correxit; nempè, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, in nostra sententia non currit.

12 Potest etiam, & addi aliud discrimen inter aliqua ex nostris Sacramentis; (præsertim Baptismum,) & circuncisionem: nam Baptismus imprimit caracterem, vt quodl. sequẽti dicam: non autem circuncisio. Hæc, & alia possunt innumera reperiri discrimina inter noua Sacraméta, & circuncisionem. Nec aliter videtur posse desiderari in hac grauissima cõtrouersia. Reliqua dicta Scotistarum, & Suar. quæ his nostris non aduersantur, nec à nobis refutantur, sunt satis probabilia. Restat tantum modo videndum de reliquis Sacramentis antiquis.

CAPVT VII.

Quid dicendum de reliquis Sacramentis veteribus?

§. I.

Non est certum in lege naturæ fuisse alia à remedio contra origin.

1 NOn est certum, in lege naturę fuisse alia Sacramenta, à remedio, pro eo statu dato cõtra origin. quod solet appellari, Sacramentum. Cæterũ, si alia fuerint, quod dicam de Sacramẽtis Mosaycis, idem appropriandum est ipsis. Sacramenta autẽ Mosoyca plura erant, vt constat ex Exod. Leuit. & Num. vt, tot lotiones, Sacrificia, Esus Agni Paschalis, &c. Quæ, certum est in primis, omnia contulisse sanctitatem legalem; seù, carnis, vt initio Quodl. præcedent. dictũ est, in quo non est controuersia aliqua inter DD.

2 Item, certũm etiam esse deberet; ꝙ si quis fidelis illius Populi, & iustùs, cum charitate, ac fide viua accessisset ad talia Sacramẽta, proculdubio recepisset augmentum prioris gratiæ, & charitatis, ex opere operãtis: quicquid dicat Magis. in 4. d. 1. vbi ait, Sacramenta veteris legis, exceptá circuncisione, instituta fuisse in onus, & ad absoluẽdum, tantum, ab irregularitate carnali, vel pæna temporali: vt Baptismata, & sacrificia. Et quia ad hoc solum erant instituta; etiam si ex fide, & charitate fierent, nõ erat in eis meritum. Quę sententia posset niti omnibus authoritatibus, quæ asserunt, illa Sacramẽta fuisse ęgena, inutilia, & infirma. Hęc tamen opinio communiter ab omnibus reycitur (vt videre est apud Suar. disp. 10. sect. 3.) Nam nimus durũ est (vt optime etiam Fauent. ex Scot. lo. cit. c. 4.) quod. s. aliquis, ex obedientia, & charitate, seruaret præceptum Dei: & tamen nil mereretur: quicunq; .n. seruat mandata Dei in gratia, meretur: quia est opus bonum factum in gratia; & ex consequenti, opus filij. Addit Fauent. quia videtur irrationabile dictũ, quod dederit Deus alicui pręceptũ; & postea noluerit, per obedientiã præstitã illi præcepto, fidelẽ mereri, quantũcũq; ex charitate obseruaret: at de illis Sacramentis, quæ, impropria Sacraméta vocat Scotus, data erant præcepta in illa lege; veluti de oblationibus, & purgationibus: vt Num. 15. & 19. vbi habetur: *Qui præterierit lustrari se de aqua prædicta, peribit anima illa de populo suo*. Quod præceptum, ex modo verborum, videtur importare necessitatẽ ad salutem: illa .n. comminatio nunquam ponitur, nisi ad designadum transgressionem, quæ sit peccatum mort.

Reijcitur q. dam sententiam Magist.

Suar. Fauent.

Num.

3 Ex quibus colligere possumus cũ Scoto, Fabro, Fauent. Suar. d. 2. & alijs, ꝙ illi Iudæi iusti, & grati Deo, qui obseruabant huiusmodi, & similia præcepta, & Sacramenta, merebantur gratiæ augmẽtum: siquidem innumeræ gratiæ, & beneficiorum promissiones fiunt in veteri testamento obseruãtibus Diuina pręcepta. Nec SS. authoritates aliquid detrahunt huic modo conferendi gratiam illorum Sacramentorum: sicut nec quicquam detrahunt circuncisioni; quæ proculdudio includetur in illis, de quibus SS. loquitur: nam ideò dicuntur infirma, & ægena, &c. quia nequeunt de se gratiam causare ex opere operato; sicuti nostra Sacramẽta causant. Numerum autem horum Sacramẽtorum videte apud D. Th. præsertim p. 2. q. 102. ar. 5. quare tantum posset esse aliqua difficulas: An, præter hunc modum augendi gratiam præexistentẽ, in receptione horum Sacramentorum, aliquo alio modo daretur habitualis Sãctitas, & prima gratia iustificans?

Iustus Iudeus accedens ad sua Sacramẽta merebatur augmentum præexistẽtis gratię.
Scot. Fauent. Suar.

4 In

§. II.

Eadem ratio erat de omnibus Sacramẽtis veteribus, ac diximus de Circuncisione.

4 IN qua re, breuissimè mihi videtur sentiendum (quicquid communiter dicatur) eodem prorsus modo philosophandum esse de his Sacramentis veteribus, quæ rationem verorum Sacramẽtorum, & propriorum habebant; ac diximus de Circuncisione. Hanc sententiam sustineo, consequenter; tùm ad ea, quæ huc vsq. dixi in hac disputatione: tùm etiam ad ea, quæ docui quodl. præced. disp. 2. vbi explicans, quam signi rationem habere debeat Sacramẽtum, vt Sacramentum? Et an semper ad rationem Sacramenti spectet, significare gratiam præsentem: an verò sufficiat ad Sacramenti rationem, significare solum gratiam dandam ex meritis Christi, & tantum significare legalem? Dixi, nec sufficere, significare tantum legalem; nec tantum gratiam dandam ex meritis seruatoris exhibendis: sed necessario requiri, significare gratiam sanctificantem præsentem, relegite ibiq. præsertim cap 3.

Aliqualiter videtur Dur. nostræ fauere sententiæ. not. distinctionẽ inter vetera sacramẽta ex Durand.

5 Cui sententiæ videtur etiam, ex parte, adhærere Durand. in 4. dist. 1. q. 5. citatus à Suar. sect. 3. §. *Secunda sententia.* Qui Durand. distinguit duplicia sacramenta veteris legis: quædam impropria; vt erant aliqua sacrificia, & oblationes, quæ; licet essent meritoriæ ex opere operantis, modo supra dicto; si videlicet fiebant in gratia: tamen in eis non conferebatur specialis gratia, secluso illo merito de condigno: quia non suscipiebantur, vt sacramenta: alia verò erant sacramenta propriè, quæ per Sacerdotes applicabantur fidelibus: & horum, quædam ordinabantur ad effectum: ad quem non erat gratia necessaria; vt erant illa, quæ solum ordinabantur ad legales expiationes. Et de his, etiam, negat Durand. contulisse aliquam gratiam: quia, nec ratione effectus, nec ratione significationis, illam postulabant. Alia verò, (inquit Durãd.) erant sacramenta, ordinata ad actus, qui, sine gratia, non poterant conuenienter exerceri: vt consecratio, seù ordinatio Pontificis, & Sacerdotis; & de his, asserit, contulisse gratiam aliquam.

Quæ placeãt, & quæ displiceant in hac Dur. opinione.

6 Discrepo tamen ab hac Durand. sententia: primò, quia ipse tenet, huiusmodi sacramenta contulisse gratiam, ex opere operato. Quod reijci potest eisdem rationibus, quibus supra impugnauimus sententiam Scotistarum. Item dissensio ab illo in eo, quod dat sacramenta propria prioris generis, & propriè sacramenta; & tamen non conferri gratiam in illorum susceptione: eo enim ipso, quo sacramenta propria sunt; & si non ratione effectus (vt ipse ait) ratione tamen significationis, necessario postulant gratiam collatam in vsu illorum. Recipio tamen libenter ab illo priorem Sacramentorum distinctionem, in propria, & nõ propria. Et etiam, quod sacramenta impropria, non necessario significauerint veram animæ sanctitatem præsentem; cum non susciperentur, vt sacramenta (sicut ipse discurrit.) At omnia sacramenta, propriè dicta, necessario fuisse semper gratiæ iustificantis certa signa: quæ tamen non conferebatur ex vi illorum, præcisè; neq. præcisè, ex vi dispositionum, & fidei suscipientis: sed ex vi pactionis Dei, intuitu fidei, & deuotionis, & obedientiæ actuum, protestatorum per illas externas cęremonias. Extant enim innumera SS. loca, Leuit. 4. & 5. Deut. 6. Exod. 28. 29. & alibi, quibus promittit Deus peccatorum remissionẽ vtentibus illis Sacramentis. Vnde Aug. q. 84. in Leuit. exponens illa verba Leuit. 20. *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* ait: *Quomodo Moyses sanctificat, & Dominus? Moyses, visibilibus Sacramentis, per ministerium suum: Dominus, inuisibili gratia, per Spiritum sanctum; vbi est totus fructus visibilium Sacramentorum: nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt?* & q. 25. in Num. inquit de eisdem Sacramentis: *Si per se ipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsa, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum.* Fauet Hieron. huic nostræ sententiæ, exponens Paul. ad Galat. 4. vocantem vetera sacramenta, ægena, & infirma: dicit; intelligendum esse de illis Sacramentis, prout iam cessarunt post Christi mortem, his verbis. *Respondebimus (inquit) infirma hæc esse, & egena elementa, qui ad ea, post Euangelij gratiam reuertuntur: in tantum enim nil prosunt cultoribus suis, vt ne hoc quidem exhibere valeant, quod antea præstiterant.* Ergo sentiunt hi PP. in illis Sacramentis, vel illorum susceptione, suo tempore, fuisse purgationem peccatorum collatam.

Leuit. Deut. Exod.

Aug.

Paul.

7 Suar. autem, consequenter ad ea, quæ de contritione docuerat, opposi- *Suar.*

tum sentit; nempè, non conferri gratiam in vsu illorum, nisi perfectè contritis. Quā sñam probat innumeris authoritatibus; quæ tamen non militant contra nos: sed tantum conuincere videntur, illa sacramenta non causasse gratiam ex opere operato, vt ponderari possunt apud ipsum Suar. quæ ipse adducit, ad probandum suum primum dictum. Nititur etiam Suar. satisfacere locis superius citatis: sed non satisfacit illis, ex ea parte, pro qua adducuntur à nobis: sed potius, quatenus adducuntur in fauorem sententiæ Durand. & aliorum, asserentium, illa loca probare, prædicta sacramenta causasse gratiam ex opere operato. & Suar. Respondet; non esse intelligenda de collatione gratiæ, ex opere operato: sed, ex opere operantis. Quæ solutio potius fauet, aliquo modo, sententiæ nostræ. Itaquè, in hac re, nil aliud videtur dicendum; nec plura iam dictis addendum. Argumenta, quæ contra nos fieri possint, nulla video, quæ non sufficienter maneant, ex huc vsq. dictis, soluta.

Finis Quodlibeti Decimisexti.



QVODLI-

QVODLIBETVM DECIMVMSEPTIMVM.

De Caractere sacramentali, Sacramentorum effectu.

DISPVTATIO PRIMA.

Ad quod Prædicamentum spectet caracter sacramentalis.

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur aliqua satis necessaria ad intelligentiam tractandorum.



§. I.

D.Th. 1 ISPVTAT D. Th. de hoc effectu Sacramētorum q. 63. per sex articolos, in quotum primo petit: *An Sacramenta imprimant aliquem caracterem in Anima?* In secundo; *An caracter sit spiritualis potestas?* In tertio: *An sit caracter Christi?* In quarto: *An sit in Potentijs animæ, tanquam in subiecto?* In quinto: *An insit Anima indelebiliter?* In vltimo tandem: *An imprimatur ab omnibus nouæ legis Sacramentis?* In qua disputatione, quædam, quia facilia, sunt supponenda: quædam verò breuiter examinanda.

1. supponendum fide, aliqua Sacramēta imprimere caracterē. 2 Illud ergò primò supponendum, aliqua ex nostris Sacramentis caracterem imprimere; nimirum, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Quod est de fide, contra Vbicleph l.4. Dialogi cap. 15. (referente Vbalden. tom.2. de Sacramentis c.18.) Caluinum, & Kemnicium. (vt refert Belarmin. l.2. de Sacramentis cap.18.) Et etiam id diffinitum est ab Innoc.3. in Cap. Maiores de Baptismo; Ab Eugen.4. in Concil. Florent. in decreto Fidei §.5. à Trident. sess.7. can.9. Quā veritatem potuit Ecclesia colligere ex duobus principijs: primo, ex perpetua traditione, & doctrina PP. secundo, ex quadam intimissima ratione, deducta ex principijs fidei (quicquid Scot. in 4. d.6. q.1. §. ad quæstionem; & Gab. q.2. artic.3. dub5.. qui, licet concedant, caracterem, iuxta fidei doctrinam: affirmant tamen, neq; certa ratione, neq; euidēri testimonio probari posse. Et quicquid ēt Belar. vbi supra c.20. & Suar. disp.11. sect.1. qui colligere hanc veritatem nituntur ex aliquibus SS. testimonijs, quę possunt aliter, atq; aliter explicari. Vnde non potuerunt esse Ecclesiæ firmum fundamētum ad statuendum articulum fidei.) Vbalden. Belarm. Innoc. 3. Eug. fl. Cōc. Florēt. Tridens. Scot. Suar.

3 Pro primò ergò fundamento, videantur authoritates PP. fideliter addu-

1. Ecclesię fundamentū pro sacramētalis charactere Cyril. Aug. ex à Suar. loc. cit. & Belarm. c. 21. Interquas, vel illa ponderanda est B. Cyrilli in Præfat. Catechet. §. *Magnum est.* Vbi ait, Baptismum esse vestimētum candidum, & signaculum Sāctum, & indelebile. Sed Aug. l. 6. de Baptismo c. 1. apertissime loquitur de charactere Baptismi, sub expresso nomine characteris; & sic Augustinus fuit huius nominis primus inuentor, ex antiquis Patribus, ad significādū in hanc veritatem, quam ibid. docet, probatam esse etiam à Patribus Concil. Africani. Conc. Afric. Eandem doctrinam prosequitur Epist. 23. 50. 204. & alibi sæpè. Et pro charactere Confirmationis, habetur etiam eiusdem Augustini præclarum testimonium, l. 2. contra litteras Petiliani c. 104.

2. fundamētum Ecclesię 4 Secundum Ecclesiæ fundamentū est, ratio, deducta ex principijs fidei, sic: De fide est, & nemo ex hæreticis (Anabaptistis exceptis) id vnquam negauit: Sacramenta Baptismi, confirmationis, & Ordinis iterari non posse, huius autem nulla alia ratio reddi potest; nisi, quia hæc tria Sacramenta imprimunt characterem: gratia enim quæ datur in illis amitti potest; & sic, ad restaurādam gratiam deperditam, repeti possent Sacramenta, nisi obstaret character indelebilis: nam Sacramentum, imprimens characterem, non posset repeti, nisi repeteretur character: quia character est effectus spiritualis, quē significat veritas formæ; & ita non existit verum Sacramentum, sine effectu supra dicto: plures autem characteres eiusdem rationis in eodem subiecto inueniri, otiosum esset; vt docet Aug. quē D. Th. sequitur ar. 1. Aug. D. Th.

Effugium Caluini. 5 Nec valet responsio Caluini l. 4. institut. c. 18. §. 19. scilicet, ideo Baptismum non iterari: quia est initiatio fidei, & ingressus in Ecclesiā: & quia vna est Ecclesia; & vna fides; vnum debet esse Baptisma. Ex hac, inquam, sola ratione non redderetur Baptismus irrepetibilis: quia Impugnatur. qui semel ingreditur Ecclesiam per fidē; potest exire per hæresim: ergò, nisi obstaret character, iterum baptizari posset, vt iterum admitteretur intra Ecclesiam. Plura de hoc argumento prosequitur Belarm. cap. vltimo. Belar.

2. suppositū D. Th. 6 Secundum suppositum est; characterem sacramentalem esse characterem Christi (vt docet D. Th. ar. 3.) idest, notā, qua cōsecramur Christo, tanquam Summo Pastori, Summo Duci, & Principi nostro: qua ratione dici solet; hoc vexillum in bello esse Imperatoris; illud Regis, &c. Est autem character in nobis indelebiter (vt est de fide) licet, de potentia Dei absoluta, deleri possit, per subtractionem concursus, quo conseruatur qualitas illa positiua, & realis in anima (vt optimè Caiet. ar. 5. Caiet.

Obiectio. 7 Neq; valet obijcere rationem D. Th. qui inde probat, characterem esse indelebilem: quia omnis consecratio, quæ fit à Deo, est perpetua (rē cōsecrata manente) vt constat de consecratione Calicis, & Altaris. Quæ ratio videtur probare, etiam de potentia Dei absoluta. Solutio. Sed certè non probat de potentia absoluta; nam per talem potentiam, potest etiam Deus à Calice, & Ecclesia tollere consecrationem, propter eandem rationem, quam modo fecimus, (vt bene vidit P. Suar. in comment ar. 5.) Suar. Vel secundo dicere possumus, non esse eandem rationem de charactere, & de cōsecratione Ecclesiæ: quia character est qualitas permanens; & ita potest tolli ab anima, salua manente animæ substantia, & entitate: at verò consecratio Ecclesiæ est relatio rationis, consurgens ex actione præterita: & quia ad præteritum non est potentia, non potest ab Ecclesia tolli consecratio.

Character manet adhuc in alia vita. 8 Imò adeò indelabilis est character iste, vt maneat, adhuc, in alia vita; in Beatis, quidem, ad gloriam, & ornatum: in damnatis, ad confusionem, & ignominiam: quia habentes tanti Regis characterem, dānati sunt. Vnde, si mortuus Christianus, suscitetur, non est iterum baptizandus. Et idem de Ordine, & Cōfirmatione: quarè modo est examinandum id quod magis controuertitur à DD. scilicet, in quo Prædicamento collocetur character istè? exominaturi postea: In quo subiectetur?

§. II.

Sentētia Duradi, & aliorum. 9 ET quantum ad Prędicamentum, not. est, quod Dur. in 4. d. 4. q. 2. n. 1. existimat, characterem esse relationē rationis, consurgentem ex institutione Diuina, per quam homo designatur ad actiones sacras: quemadmodum pecunia, & nummus destinatur à Rege, vt sit pretium commutationum; ex quo nulla qualitas realis imprimitur argumento; Et quemadmodum in Prætore, & Iudice resultat relatio rationis, ex deputatione ad officium Magistratus. A qua sententia non multum distat Scot. dis. 6. q. 10. vbi Scot. post-

postquam late impugnasset sententiam, quæ docet, caracterem esse qualitatem absolutam; concludit, esse respectum rationis extrinsecus aduenientem. In eadē sententia videtur esse Parisien. in tract. de Bapt. c. 1. vbi comparat caracterem consecrationi Ecclesiæ, quæ, tantum est relatio rationis; cuius sententiæ nullum aliud videtur adduci à Dur. fundamentum; nisi quia qualitas absoluta videtur illi difficilis, & non necessaria; & ad explicandam doctrinam fidei, satis esse, existimat, pro caractere, constituere relationem rationis. Vel ex Scoto (vt Pezantius refert:) quia caracter est signum: signum autem formaliter dicit relationem ergo, &c.

Parisien.

Pezant.

10 Quæ tamen sententia non est tuta: nam in Florent. & Trident. vbi supra diffinitur, caracterem esse signum spirituale, & indelebile: ergo non poterit esse relatio rationis: nam cum relatio rationis sit conficta à nostro intellectu, inepte dixeris, esse signum spirituale: hæc enim vox aliquid reale significat. Deinde ibid. diffinitur, caracterem imprimi in anima: ex quo Caiet. infert, esse realiter distinctum à substantia animæ; & in ipsa residere: quia, de eadem animæ substantia, inepte diceretur, imprimi in se ipsa; quatumuis sub diuersa consideratione vsurparetur. Rursus notat Belarm. dict. l. 2. c. 19. Hereticos non negare, posse, ex susceptione Sacramenti, resultare, in Baptizato v. g. relationem rationis; quemadmodum in Iudice, & Doctore resultat similis relatio, ex deputatione præcedenti, ad propria ministeria; ergo quod negant hæretici, est, caracter impressus per modum internæ qualitatis: cum ergo Concilia definiant contra doctrinam hæreticorum; planum est intelligenda esse de qualitate absoluta.

Reprobatur, Florent. Triden.

Caiet.

Belarm.

11 Quatè certum esse debet, caracterem esse qualitatem quandam absolutā, inhærentem animæ, & ab eius substantia realiter distinctam: Nec obstat illa ratio Scoti, de signo: nam, aliud est loqui de relatione signi: & aliud, derè ipsa significante: nam nota impressa pecudi; aliquid reale est; scilicet macula velleris: & tamen relatio signi est relatio rationis: sic igitur caracter potest esse qualitas vera; & si relatio signi, quæ est in caractere, sit relatio rationis. Et sic patet, sola relatione rationis, non satisfieri diffinitioni Ecclesiæ: nam de consecratione Calicis, vel Altaris, non potest dici, esse signum spirituale; & multo minus, ipsi calici, vel altari impressum. Et eadem ratio est de deputione Pecuniæ, Iudicis, & Doctoris. Quatè necessario dicēdum est, Sacramēta imprimētia caracterē, imprimere verā qualitatem. Neq; id difficile est, quandoquidem pendet ex mera voluntate, & facto Christi, cui, nil impossibile, Item certum est, caracterem esse qualitatem supernaturalem, quoad substātiam, vt constabit ex infra dicendis. Hæc igitur in hac controuersia vera supponenda sunt; nimirum, caracterem, non esse substantiam aliquam: sed accidens; non relatiuum: sed absolutum; & signanter, esse qualitatem supernaturalem. Restat tātum examinare, ad quam qualitatis speciem pertineat?

Caracter debet esse accidens absolutū, non, quid relatiuum.

CAPVT II.

Referuntur varia DD. sententiæ, & impugnantur.

§. I.

1 IN qua difficultate, prima sentētia est Marsil. in 4. q. 4. at. 1. concl. 7. asserentis, caracterem pertinere ad quartam speciem qualitatis, scilicet; ad figuram, aut formam: Quia per caracterem, inquit, configuramur Christo, cuius, vel oues, vel milites, vel ministri reddimur. Quam tamen sententiam impugnat D. Th. ar. 2. quia figura, quæ est quarta qualitatis species, non inuenitur, nisi in rebus, habentibus quantitatem: est enim figura modus quantitatis terminatæ, iuxta variam dispositionē partium secundum locum. Quod si, per caracterem, dicimut cōfigurari Christo, intellig debet per Metaphoram.

1. sententia Marsil.

Reijcitur.

D. Th.

2 Secunda sententia est Altisiodor. l. 4. tract. 3. c. 2. constituentis caracterem in tertia specie; scilicet, passibilis qualitatis: ex eo, quia caracter est lumen quoddam spirituale, quo anima illuminatur; vt intellectus melius videat, quid agendum, aut non agendum sit. Sed ruit sententia hæc ex eo; quod caracter non est principium Phisicum alicuius operationis (vt patebit ex infra dicendis) atq; adeò, neq; potest esse lumen intellectus; quia si lumen intellectui esset, manifestaret intellectiuum rem aliquam; atq; adeò, esset principiū intellectionis: quia omnis

2 sententia Altisiodor.

Reijcitur.

omnis manifestatio intellectualis intellectio est.

§. II.

3. sententia D.Th. & Thomistarum. Caiet. Sot. Ledes. Palud. Capreo. 3 Tertia ergo sententia est Thomistarum, Caiet. ar. 2. Sot. in 4. dist. 1. q. 4. ar. 2. Ledesm. 1. p. 4. q. 4. art. 2. Palud. dist. 4. q. 2. num. 11. Capr. dist. 4. q. 2. art. 1. concl. 2. & aliorum cum D.Tho. loc. cit. asserentium, characterem esse in secunda specie: nam character Baptismi est potestas recipiendi sacramenta. Character Confirmationis est potestas confitendi fidem coram Tyranno. Character Ordinis est potestas conficiedi, & consecrandi corpus Christi, eiusq. sanguinem.

Impugnatur 1. 4 Quæ tamen sententia, quæ multis satis plausibilis videtur, mihi non placet: eamq. possem impugnare, primò sic: character Baptismi non est potestas ad aliquid agendum: sed ad recipiendum cętera sacramenta: sed Arist. non constituit in secunda specie potentiam ad recipiédum: quia hæc potentia non est prædicatum speciale: sed transcendens varia genera, cum quibus identificatur: nam in materia est potentia ad recipiẽdum formam: & in corpore est potentia ad recipiendum accidentia corporalia; & in intellectu, ad recipiendum habitus; & in sensibus, ad recipiendas species intentionales: & prædictæ potentiæ receptiuæ nõ distinguuntur à rebus ipsis, quarum sunt potentiæ: sunt autem tes omnes prædictæ in varijs prædicamentis: ergo quod sub illa specie constituitur ab Arist. tantum est, naturalis potentia, vel impotentia; seu imbecillitas ad aliquid agendum, vel resistendum; in priori membro numerat Arist. potentiam pugillatorum, & cursorum: in posteriori, salubritatem, vel insalubritatem: nam aliqui, natura sua, sunt salubres, .i. potentes, ad resistendum morbis: aliqui, verò, sunt, natura, insalubres; .i. imbecilles ad resistendum morbis; sub eodé membro numerat durum, & molle: durum, sub naturali potentia ad resistendum diuisioni: & molle, sub naturali impotentia, in ordine ad eãdem diuisionem. Potentiæ autem receptiuæ ibi non meminit: ergo non est locus, ex ea parte, characteri baptismali, &c. in hac specie.

Soluitur impugnatio hęc facilè in nostra sententia. 5 Quæ ratio posset benè currere cõtra hanc Thomistarum sententiam; nisi in promptu esset quædam solutio, quam multi, & nos pariter cum illis tetigimus in Phisicis; nimirum, potétiam passiuam diuidi, in potentiam remotam, & radicalem; & potentiam proximam: in vniuersum, verum est, potentiam radicalem, & remotam posse dici prædicatum transcẽdens, & identificari cum re, cuius est potẽtia: & sic potentia passiua materiæ primæ nil aliud est, quam ipsamet materia prima, (de remota potentia loquendo.) Cęterum potentia proxima passiua, per quam proximè constituitur subiectum, potens recipere formam in actu primo proximo; vtiq; quid distinctum realiter est ab ipsa entitate subiecti: materia .n. prima v.g. habet potentiam passiuam remotam, & radicalem, in ordine ad quãcunq. formam; nec magis ad hanc, quam ad aliam: sed ad omnes, vt sic, & indifferenter: cęterum, quod dicat ordinem, ad hanc potius, quam ad aliam, quem non antea dicebat; quid aliud de nouo arguit in ipsa materia, quod prius nõ habebat; & sic, ab ipsa distinctum. Licet autem nõ sit eadem ratio de intellectu, sensibus, &c. cum sint ipsæ potentiæ naturales; vnde non videntur indigere alijs potentijs, ad recipiendos suos actus, & formas. Nihilominus possemus etiam, eodem modo, de ipsismet potentijs, philosophati; nimirum, vt dispositis dispositionibus, dicentibus potius ordinem ad hanc numero formam, quã ad aliam, distinctas esse à se ipsis, non dispositis huiusmodi dispositionibus. Et sic, cum intellectus v.g. indifferenter sit susceptiuus omnium habituum intellectualium; talis potentia indifferẽs ad omnes formas, non est quid distinctum ab ipsa entitate intellectus: at verò, quando respicit, potius, habitum scientiæ, quam artis; & proximè tantum ad recipiendum scientiæ habitum videtur dispositus, & ordinatus; certè hæc noua proxima ordinario, & habitudo potentialis, quid distinctum est ab ipsa entitate intellectus. Et sic, in hac nostra sententia, illa impugnatio non videtur satis sufficiens, si velimus dicere, hãc potentiam proximam pertinere ad secundam speciem: cuius tamen oppositum colliges ex sequenti argumento.

2. impugnatur. 6 Posset ergo secundò impugnari. Nam, & si character esset principium agendi, esset aduentitium, & extraneum; sicut Charitas, & Religio: ergo potius pertineret ad primam specie, habitus, .s. & dispositionis, quam ad secundam: antec. est certum: conseq. ptob. Quia in secunda specie tãtum constituit Arist. poten- Arist.

ten-

tentias natiuas, quæ oriuntur ex principijs naturæ; & ideo, consultò, vocat eas, naturales potentias, vel imbecillitates; vt, ex hac parte, distinguantur ab habitibus, quorum non est, præcisè, reddere potentem, vt sic, sed benè, vel malè disponere fundamentum potentiæ naturalis: vnde dici potest, quod non constituatur in secunda specie, potentia benè disposita, & expedita ad operãdum, vt sic: sed fundamentalis, etiam impedita, qualis est potentia currendi in homine ægroto. Ad charactet, quantumuis sit principium agendi, supponit primam potentiam naturalem. s. voluntatem, aut intellectum; sicut charitas, & aliæ virtutes: ergo potius pertineret ad speciem habitus operatiui, quam ad potentiam naturalem: quia hæc (vt dixi) tantum debet esse natiua, & intranea; non aduentitia, & extranea: qua ratione, licet calor in animali pertineat ad primam, & ad secundam speciem: quia disponit animal, vt benè se habeat; & alias, reddit potens ad operãdum: in aqua tamen solum pertinet ad secundam, quia nõ est principium naturale agendi in aqua; quamuis, etiam in aqua, sit principium calefaciendi.

Conf. 7 Et confirmatur, quia si character Confirmationis v. g. alicuius actus esset principium, maximè, confessionis fidei coràm Tyramno (vt dicunt Thomistæ:) sed hic actus non indiget alio principio phisico, ab auxilio Dei, & habitu fidei, & fortitudinis: vnde cõtingere potest, quod non confirmatus, maiori constãtia, confiteatur fidem, quam confirmatus; si maiori Dei auxilio roboretur: ergo talis character non est principium phisicum alicuius actus. Idipsũ probatur de charactere Ordinis: quia, vel est principium actionis materialis ipsius Sacramenti, vel valoris eius, & fructus: non primum, quia actio materialis Sacramenti sufficienter procedit ab imaginatione, & potentia externa vngente, abluente, & pronunciante formam: non secundum, quia valor, & fructus Sacramenti est efficacia verborum: hæc autem non habet principium phisicum in Ministro: sed tota pendet à Deo, eleuante verba ad producendam gratiam. Quod expressius apparet in charactere Diaconi, & Subdiaconi: nã omnia, quæ isti exterius agunt, possent à laico fieri, quamuis non essent eiusdem valoris, & meriti: sed valor illius operis non indiget principio phisico: sed morali; s. potestate, & licentia iure faciendi: ergo character Diaconi nullius actionis est principium phisicum. Idem probatur de charactere Baptismi, quem constat, non esse potentiam phisicam: quia, vel, esset potentia ad recipienda sacramẽta, vel ad recipiendum fructum Sacramentorum: non primum: quia, quod attinet ad actionem materialem Sacramenti, eodem modo reciperetur sine charactere Baptismi, & solum deesset illi actioni signum ex institutione Diuina conueniens, eo quod reciperetur à non habente characterem baptismalem: ad hoc autem, vt actio materialis Sacramenti habeat sacram significationem, non requiritur potentia phisica in Ministro, neq. in recipiente, sed moralis: quia significatio ex institutione, effectus moralis est, & non phisicus. Nec secundum dici potest: quia fructus Sacramenti, aut est gratia, aut character; vtrunq. autem recipitur immediatè in potentia obediẽtiali animæ: neq. character Baptismi est dispositio phisicã ad gratiam, neq. ad aliũ characterem, sed moralis; quatenus Deus, lege sua, statuit, non infundere characterẽ Confirmationis, & Ordinis, nisi habenti characterem Baptismi.

CAPVT III.

Verior sententia eligitur, & declaratur.

1 Statuitur ergo pro veriori sentẽtia, characterem esse in prima specie qualitatis: quia est per modũ habitus supernaturalis, disponentis subiectum in ordine ad esse, non ad operari: quemadmodum Gratia, quæ (in sententia D. Th.) distinguitur realiter à charitate, disponit animam, vt benè se habeat in esse Diuino, non verò in ordine ad operationem: vnde nós diximus quodl. 9. esse habilitatem quandam, ad modum habitus. Authores huius nostræ sententiæ videte apud Suar. disp. 11. sect. 3. & alios recentiores. Probatur autem primò veritas hæc: quia de natura characteris non possumus philosophari, nisi ex traditione Patrũ: sed PP. antiquiores nullum effectum tribuunt characteri, qui sit qualitatis operatiuæ: sed omnem effectum constituunt in bona dispositione subiecti, in ordine ad esse: dicunt n., nós, per characterem, signari, configurari Chri- Concl. character in 1. specie collocatur. D. Th. Suar.

Christo, & aggregari in corpus Ecclesiæ, scribi in militia Christiana, deputari in Ministros Dei: hæc,& similia significant prædictum effectum,quem ipsum characteris nomen præsefert. Addo,quia impugnatis cęteris speciebus, hæc sola videtur superstes,in qua constituatur.

Character habilitas supernaturalis. 2 Ex quibus collige, characterem esse habilitatem supernaturalem, eiusdē ordinis cum gratia: quod colligimus ex effectu formali eius:nam consignare hominem in ouem supernaturalis ouilis, nulla qualitas naturalis facere potest.

Obiectio. 3 Quod si dicas cū Thomistis: charactere possumus benè,& malè vti;non autem possemus,si esset habitus.

Solutio. Respōdeo,falsum esse assumptum:quia character non est qualitas visualis: siquidem non est principium visus,aut operationis: & ita qui conficit in peccato mortali,nō vtitur charactere, neq. benè,neq. malè: sed abutitur potestate sibi tradita ad cōficiendum. Sed, etiam si concedamus, charactere posse aliquem benè, & malè vti; non sequitur,non esse habitum: sed non esse habitum moralem: nam habitibus intellectualibus benè, & malè vtimur,cum volumus: Medicus.n.eadem arte,bona intentione vtitur,ad sanādum ægrotum; & aliquando mala,ad occidēdum,etiam sanum.

DISPVTATIO SECVNDA.

Quod nam sit immediatum subiectum characteris?

CAPVT VNICVM.

In quo, percursis aliorum sententijs, verior eligitur.

Titulus exponitur. 1 Vppositis his, quæ diximus, de distinctione reali animæ à suis potentijs; intellectu .s. & voluntate, agentes de subiecto Gratiæ supra quodl. 1. similiter, & quæ docuimus, tū ibid. tùm in Logica, de subiecto quo,& quod; seu, mediato,& remoto; & proximo,& immediato;id idem hic quęrimus de subiecto characteris, quod,& eo loco quærebamus de subiecto Gratiæ: an .s. anima non solum se habeat, respectu characteris, vt subiectum quod,& remotum; sicuti, diximus, se habere,respectu Fidei, Spei, Charitatis, & omnium habituum;qui immediatè subiectantur in potentijs ipsius;&,ipsis mediantibus,in animæ Essētia: verùm etiam,simul,& semel, vt remotum, & proximum; ita vt,ipse character in nulla potentiarum immediatè insit; sed immediatè inhæreat animæ: eo prorsus modo,quo de Gratia habit. dicebamus.

Sententiæ Scotistarum, Thomistarū, Alexandri, aliorum. 2 Et quia facilè est huius cōtrouersiæ veritatem,ex iam ibi dictis,deducere: quicquid dicat Scot. in 4. dist.6. q.11. §.Dico ergo. Vbi sustinet,characterem immediatè subiectari in voluntate:sentit .n. ipse, non esse habitum à charitate distinctum. Et quicquid Thomistæ,etiam, cum D.Th. qui fatētur,inesse intellectui, tanquam immediato subiecto;cum characterem, existiment,esse potestatem ad dandum, &, recipiendum ea, quæ sunt Diuini cultus: cumq. in intellectu sit Diuini cultus protestatio, in quo Fides est; ibi & characterem esse fatentur. Et quicquid, tandem,de opinione Alexand.4.p. q.8.membr.8.ar.2.§.3. & Bonauent.in 4. dist.6.1.p.distinctionis art.1.q.3.asserentium, characterem esse,mixtim,in intellectu, & voluntate, cum configuret nos ad similitudinem Dei; & sic debet esse in ea parte, ratione cuius facti sumus ad Diuinam imaginem,& similitudinem: hęc autem est vtraq. potentia,intellectus .s. & voluntas:ergo,&c.

3 Id, quod nobis, consequenter ad iam dicta, sentiendum est, & quod vero similius,in re tam incerta,existimādum; est, characterem inesse ipsi animæ Essentiæ,& tāquam subiecto remoto,& *quod*; & tanquam subiecto proximo, & *quo*, ita Concl. cum Suar. & Bellarm.

Character inest immediatè animæ. Suar. Belar. Côc. Florēt. Trident.

ita vt, nulla alia potentia mediante, ipsi animæ inhæreat. Ita Suar. disp. 11. sect. 8. Belarm. & alij, quos idē Suar. citat. Nec, ad hoc probandum, necesse est adducere definitiones Conciliorum Florent. & Tridēt. (sicut Belarm. adducit) in quibus videtur asseri, quod character imprimatur in anima: nam Concilia non curant de subiecto proximo, sed tantum contēdunt, characterem esse signum spirituale, animæ impressum: qua ratione dici possunt Fides, & Charitas imprimi in anima, licet Fides, proximè, sit in intellectu, & Charitas in voluntate.

Concilia nō curant de subiecto immediato.

Ratio pro nostra sententia.

4 Sed ex eo, breuiter, probanda est assertio nostra: quia (vt diximus) character non est habitus operatiuus, sed disponens subiectum in ordine ad esse, vt bene se habeat in se ipso: tales autem habitus non sunt in potētia, sed in Essentia animæ: quia in potentijs solum sunt principia operationum (vt satis diximus contra Scotum, agentes de subiecto Gratiæ, & Charitatis) hac. n. ratione communiter Theologi distinguunt Gratiam à Charitate, cum Charitas sit in voluntate, tanquam in principio proximo, quia est habitus operatiuus; principium. f. diligēdi: Gratia vero in Essentia animæ: quia non est operatiua, sed disponens subiectum, vt bene se habeat in se ipso.

5 Et sic patet, falsum asserere Scotū, dum ait, characterem non esse habitum à charitate distinctum. Quod si dicas, characterem esse signum obligationis, qua tenemur seruare legem: obligari autem, præcipuè, pertinet ad voluntatem; sicut obligare, & imperare: ergo, &c. Respōdeo, de solo charactere Baptismi verificari posse, quod sit signum contractæ obligationis ad seruandam legem: quia Ordo, & Confirmatio supponunt obligationem contractam in Baptismo. Sed etiam si id ipsum concederemus de hoc charactere, non sequeretur, esse in voluntate: quia nulla ratio cogit, vt signum cōtractæ obligationis sit in ea potentia, quæ est principium obediendi: nam habitus Clericalis, & Monachalis gestantur in corpore, & sunt signa peculiaris obligationis, quæ sequitur vtrunq. statum: & tamen obedientia præstatur à potentia voluntatis.

Obiectio Scoti.

Solutio.

6 Patet etiam, quam debile sit fundamentum Thomistarum, asserentium characterem esse potestatem ad dandum, & recipiēdum ea, quæ sunt diuini cultus; & sic, pertinere ad intellectum: diximus .n., characterem non esse principium alicuius operationis. Sed neque, si esset principium Diuini cultus, collocaretur in intellectu; sed potius, in voluntate: virtus .n. Religionis, ad quam pertinet cultus Diuinus, in voluntate est. In quo argumento soluendo, multum laborat Caiet. sed frustra.

Reijcitur Thomistarū sententia.

Caiet.

7 Ad id tandem, quod dicitur à Bonau. & Alexand. asserimus; quod, licet character configuret nos Deo; non inde sequitur, inesse intellectui, & voluntati, mixtim; vt ipsi dicunt: nam idem numero accidens non potest esse in pluribus subiectis, realiter distinctis; maximè, quia qualitates intellectuales non recipiuntur in voluntate; neq. qualitates affectiuæ, in intellectu.

Reprobatur sententia Bonau. & Alex.

8 Neq. valet dicere, pro Bonauent. sanitatem esse in pluribus subiectis; & imaginem Dei, similiter: & etiam numerum: quia sanitas nō est qualitas simplex (vt alibi dictum est) sed ordo quatuor primarum qualitatum. Similiter, imago Dei, est ipsa anima rationalis, cū vtraq. potentia. Et numerus, etiam, constat pluribus vnitatibus; ita tamen, quod non sit in singulis. At character est qualitas simplex; & sic vnicum subiectum expostulat.

Obiectio.

Solutio.

Finis Quodlibeti Decimiseptimi.

QVODLIBETVM DECIMVMOCTAVVM.

De Causa Sacramentorum.

DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum omnia sacramenta nouæ legis fuerint à Christo Domino immediatè instituta?

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur necessaria pro tituli explicatione.



D.Th.

1 Anc eãdem rem tractat D.Tho. q.64. per decẽ articulos. Et not. est, quod licet S.Doctor ar.1.dictæ quæstionis tangat difficultatem, de causa principali gratiæ, & characteris: non est tamen, cur nos immoremur in ea: satis.n.discussa à nobis est quodl. 10.de causa Gratiæ: vbi, Deũ solum esse Gratiæ causam principalem, ostẽdimus: sacramenta, instrumenta phisica; & alia etiam diximus, ad rem hanc spectantja. Ast, dictis, in præsenti tantum addere possumus, Ministros Sacramentorum ministerialem habere potestatem ad remittenda peccata, & conferendam gratiam, per sacramenta. Vnde illis dictum est a Christo; *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Et sic, in absolutione Pęnitẽtiali, licitum est Confessario dicere, *Ego te absoluo*: vel etiam, *Remitto tibi peccata.* Cęterum not. discrimen, inter Sacramentum Eucharistiæ, & reliqua: nam cętera consistũt in ipso vsu, qui includit actionem Ministri, per quã, tanquam per instrumentum, Deus gratiam confert non ponenti obicem: at in sumptione Eucharistiæ, dicitur Minister, valdè remotè, gratiam cõferre, quatenus applicat Sacramentum, iam à se factum, quod, susceptum, est causa gratiæ. Quæ tamen applicatio, neq. est actio propria sacramentalis, nec Sacramenti pars; sicut in reliquis, in quibus, ipsa actio Ministri est, quodammodo, instrumentalis effectio gratiæ, cum per illam actionem fiat gratia. Vnde colligo, Ministrum tantum dici conferre gratiam, conficiendo Sacramentum, per quod illa confertur, neq. aliter; & sic nullum alium phisicum influxum habere, præter verborum prolationem, ablutionem, vnctionem, &c. per quas actiones fit Sacramentum; & per illud dicitur gratiam conferre. Restat ergo in præsẽti examinare causas ipsorum Sacramẽtorum, tùm authoritatiuas, tùm ministeriales; & in præsenti, quod petimus est: an de facto nostra sacramenta fuerint à Christo absolutè, & immediatè instituta?

[Margin: Minister Sacramenti habet potestatem ministerialem tantũ ad conferendam gratiã.]

[Margin: Discrimen inter Eucharistiã, & reliqua sacramenta.]

2 Et notanter quærimus de nouis, & Euangelicis Sacramentis: nam certum est, vetera fuisse à Deo instituta. Et licet Io.1. dicatur, *Lex per Moysen data est*; intel-

[Margin: Deus, institutor pręcipuus Sacramentorum Mosaycorũ.]

reliqui Ministri, nec inde nostra sacraméta illis inferiora. intelligendum est, tanquam per Ministrum, & promulgatorem tantum; quo pacto dicitur etiam esse lex illa per Angelos data; id est, tanquam per Ministros, & Legatos, per quos Deus suam voluntatem manifestabat: Institutor tamen Sacramentorum, & legis præcipuus dator, solus Deus fuit. Neq. inde licet inferre, digniora fuisse vetera sacramenta nouis; saltem ratione Institutoris, & Authoris, cùm fuerint à Deo, vt Deus est, per Diuinitatem, instituta: noua verò à Christo homine, per humanitatem. Nam (vt optimè huic obiectioni Respõdet Suar. disp. 12. sect. 1. §. *Dices ergo quoad institutionem, &c.*) licet Christus per humanitatem instituerit hæc sacramenta: hoc tamen non excludit, quin prima, & principalis causa, & ratio huius institutionis fuerit voluntas Diuina, ad quam Christus, vt homo, suam voluntatem humanã conformabat. Imò nostra sacramenta digniora sunt illis, etiam, ratione Authoris; saltẽ, penès hoc, quod illa, per purum hominem immediatè data sunt, qui, circa illorum institutionem, nullam potestatem, & authoritatem habebat; sed nudum ministerium promulgandi voluntatem Diuinam: nostra verò, per hominem Deum, qui etiam in ipsa sua voluntate habuit potestatem Excellentiæ; quia, sicut potest leges ferre, & gratiam dare; ita & sacraméta potuit instituere, & gratiam, per ea dandam, promittere, & ad ea suscipienda obligare. Caiet. Suar.

3 De Euãgelicis ergo Sacramentis, adhuc, apud Hæreticos certum est, vera esse sacramenta, & à Christo instituta, proximè, vel remotè. Nam quod Caluinus, & Kemnicius dixerũt, solam Eucharistiam, & Baptismum instituta fuisse à Christo: quia existimauerunt, cętera non esse sacramenta, ideo & in illum alium errorem inciderunt: quod, si de reliquis credidissent, sacramenta esse, ingenuè etiam dixissent, fuisse pariter à Christo Domino instituta. Vnde inter Scholasticos controuersia est: vtrum aliquod Sacramentum fuerit institutum ab Ecclesia, vel Apostolis, potestate tamẽ à Christo accepta, & non ab ipso Christo immediatè? Caluinus. Kemnicius.



CAPVT II.

Veritas Catholica statuitur, & probatur.

1 Vgo Victor. lib. 2. de Sacramentis p. 15. c. 2. & Magist. in 4. dist. 23. videntur affirmare, non omnia sacramẽtà fuisse immediatè à Christo Domino instituta. Opinio Vgonis, & Magil.

2 Sed certè, in Trident. sess. 7. can. 1. ita diffinitur; *Si quis dixerit, sacramenta noua legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, anathema sit.* Et licet dicat P. Suar. disp. 12. sect. 1. quod Concilium in dicta diffinitione non absre abstineat ab his vocibus, (*Proximè, immediatè, aut per se ipsum;*) vt sustineri possit hactenus non fuisse diffinitum de Fide Catholica, ea instituta esse proximè, & immediatè à Christo. Tamen vix potest dubitari de mente Conc. quod existimauerit, instituta esse immediatè à Christo. Et sic communiter placet Doctoribus huius temporis, de fide Catholica esse, & Conciliũ id satis expressisse. Et hæc mihi videtur verior sententia, quam tamen, vt probemus. Sententia Catholica. Trid. Suar.

3 Not. aliquos Hæreticos docuisse, sacram Ordinationem esse figmentum, & imposturam humanam; ac proindè, neq. remotè à Christo institutam fuisse. Alios autem, non tam imprudenter, conuitiatos esse sacræ Ordinationi: sed dixerunt, non esse Sacramentum Ecclesiæ institutum à Christo: sed esse tantum Cęremoniam, & Ritum deligandi Ministros. Qui, communiter, tenebantur affirmare, institutam esse ab Ecclesia, potestate acceptà à Christo: atq. adeò, ab ipso Christo, remotè: & ab ipsa Ecclesia immediatè, & proximè. Contra hos omnes Hæreticos definit Concilium sess. 23. can. 3. *Sacram Ordinationem, neq. esse imposturam humanam, neq. ritum solum delegãdi Ministros: sed Sacramentum à Christo institutum.* Not. quid de ordinatione Hæretici.

4 Ex qua doctrina, quæ indubitabilis est, sic argumentor. Cum idem Conc. definit, sacramenta omnia Euangelica instituta fuisse à Christo: aut intelligit, de institutione immediata; & sic, habemus intentum: aut tantum intelligit, de institutione, vagè accepta; s. vel proxima, vel remota: & tunc sequitur, Concilium non Probatur ex Trid. Christũ immediatè instituisse sacramenta.

integrè damnasse errores huius temporis, aduersus institutionem Sacramentorum: nam Hæretici, qui de sacra Ordinatione dixerunt, esse ritum deligendi Ministros, non negassent institutionem à Christo, vel proximam, vel remotam: ergo cum Concilium existimauerit, hos Hæreticos sufficiéter damnari, per illam definitionem .s. quod Ordinatio sacra sit Sacramentum à Christo Domino institutum; signum est, Côcilium intellexisse, de immediata, & proxima institutione.

Conf. 5 Præterea idem Côc. sess. 14. can. 1. de Extrema Vnctione, damnat dicentes, Extremam Vnctionem non esse Sacramentum à Christo Domino institutum, & à B. Iacobo promulgatum. Quod si aliquod Sacramentum, remotè tantum, fuisset institutum à Christo, esset Sacramétum Extremæ Vnctionis; neq. ab alio esset institutum immediatè, nisi à B. Iacobo, potestate accepta à Christo: quia nullus alius mentionem facit huius Sacramenti: & tamen Concilium negat, fuisse institutū à B. Iacobo: sed promulgatum tantum; & à Christo institutum: ergo definit expressè, de immediata institutione: nam si circa hoc Sacramētum non præcessisset immediata institutio Christi, Iacobus non diceretur promulgasse: sed instituisse hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Amb. Aug. 6 Deniq. id ipsum videntur docere Patres, Ambros. l. 8. de Sacram. c. 4. Aug. l. 3. de Doctr. Christiana c. 9. & epist. 118. affirmat, *Nullum alium esse Sacramentorum Authorem, nisi Christum Dominū*, quibus verbis videtur excludi remota institutio.

Probatur ratione. 7 Probatur etiam hæc eadem veritas ratione: quia institutio remota non est satis, vt vera sit, in rigore, illa propositio (*Christus instituit sacramenta:*) nam leges Ecclesiasticæ, quam condit Summus Pontifex, & Conc. Generale Ecclesiæ, non dicuntur Diuinæ, sed humanæ, & positiuæ; quamuis, remotè, à Deo quoq. latæ sint, per potestatem, ab ipso traditā Pontifici, & Ecclesiæ: ergo vt Deus dicatur condere legem, necessario fatendum est, quod immediatè, & proximè ipse legem ferat; & non sufficit, quod, per potestatem acceptam ab ipso, leges ferantur: ergo simililiter, vt Christus dicatur instituisse sacramenta, necesse erit fateri, immediatè instituisse.

8 Sed obijciūt Hæretici Cyprianum ser. de ablutione pedum: vbi inquit; *Ipse Summus Sacerdos sui Sacramenti est institutor, & author: in cæteris, homines Spiritum sanctum habuere Doctorem.* Quasi dixerit, Christum Dominum solam Eucharistiam instituisse: cętera verò sacraméta orta esse ex doctrina Ecclesiastica. Veruntamen hoc testimonium nullam vim habet: nam, si ex eo aliquid colligitur, etiam Sacramentum Baptismi esse institutum ab Ecclesia, & non à Christo, dicendum foret: quod ipsimet Hæretici non admittunt. Respódeo ergo, Cyprianum, per illud verbum, (*In cæteris:*) non intelligere cętera sacramenta: nam paulo superius mentionem fecerat aliorum Sacramentorum, & ea, dixerat, instituta à Christo. Intelligit ergo, per verba illa, ea, quæ Apostoli, tāquam Canonici Scriptores, de eodem Sacramento Eucharistiæ, Spiritu sancto dictante, tradiderunt; vt sit sensus; Sacramentum Eucharistiæ Christus Dominus, per se ipsum instituit: cętera verò, quæ de ritu, loco, & tempore prædictæ institutionis Paulus scripsit, à Spiritu sancto edoctus est. Obiectio. Cyprian. Solutio.



DISPV.

DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum potuerit Christus communicare alicui creaturæ potestatem suam, quam habuit instituendi sacramenta?

CAPVT PRIMVM.

Certa præmittuntur, & titulus explicatur.

D.Th. Nota potestatem authoritatis, & excellentię.

1 DE hac re disputat D.Th. art.4. vbi in corpore docet, Christum, in Sacramētis, habuisse duplicem potestatem; alteram authoritatis, quæ competit ei, secundum quod Deus est: alteram excellentiæ, quę competit ei, secundum quod homo est: nō est in præsenti sermo de priori: nam certum est, eā non potuisse creaturæ communicari; sicuti, nec Diuinam Essentiam: tantum ergo quæritur de posteriori, s. Excellentiæ.

Nulli de facto hęc vsq. concessa, nec purę creaturę concedenda potestas excellentię.

2 Hæc autem potestas, de facto, nulli creaturæ concessa fuisse, apparet: siquidem vsq. adeò, scimus, nullam creaturā vsam esse hac facultate: cum eā, quæ habemus sacramenta, omnia immediatè à Christo fuerint instituta, (vt supra vidimus:) quæ institutio, perpetuò, vsq. ad finem mundi, duratura est; & sic, nunquam augenda, nec minuenda Ecclesiæ sacramenta. Ex quo sequitur, nullam puram creaturam habuisse, neq. habituram esse talem potestatem: potestas n. est propter vsum: vnde, cum talis vsus nunquam fuerit, nec erit futurus; neque, ex consequēti, talis potestas fuit vnquam concessa, nec concedetur. Atq. ita Ecclesia, sicut nunquam in se nouit facultatem mutandi Sacramentorum formas, vel materias; ita, neq. augendi, aut minuendi eorum numerum. Nec fuit necessarium, hanc potestatem communicare puris creaturis; sicuti non est necessarium, quod illis concedat Deus omnem possibilem facultatem; eo magis, quia Diuina omnipotentia, ac liberalitas, quoad præsens attinet, satis in hoc manifestata est, quod hanc potestatem humanitati Christi cōmunicauerit; cui soli decuit communicari; & ob singularem dignitatem, & excellentiam eius, & excellens meritum; & etiam propter alias congruētias; vt, propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem poneret homo: vt ait D.Th. ar.4. cit. ad 1. Item, ne varia sacramenta multiplicarentur; ex quo facilè nasci poterant diuisiones, & schismata in Ecclesia. Item, quia cum solus Christus sit Ecclesiæ caput, eiusq. Institutor, & Author: ad eum solum pertinuit illius iacere fundamenta, & dare sensibilia signa, quibus homines in Ecclesia congregarētur; & ab alijs Congregationibus secernerētur, vt idem D.Th. habet ad 3. Nam, licet sacramenta sola non sufficiant (vt optime aduertit Suar. disp.12. cit. sect.1. *§. Quartò afferre possumus.*) ad discernendam Ecclesiam; & ad veritatem, & vnitatem eius indicādam, nisi simul alia concurrant; præsertim, coniunctio cum Christi Vicario in terris, per fidem, & obedientiam: sunt tamen vnum, ex præcipuis signis, & maximè necessarijs ad fideles, in vno corpore Ecclesiæ congregandos, ex Aug. lib. 19. contra Faustum c.11. Quarè tantum restat examinanda quæstio, de possibili, quacunq. potentia.

D.Th.

Suar.

Aug.



CAP.

CAPVT II.

Referuntur aliorum placita, & verior sententia eligitur.

§. I.

Scot. negat. Suar.

1 IN hac controuersia, Scot. in 4. dist. 1. q. 5. ar. 2. cit. à Suar. sect. 2. Durand. ib. dist. 2. q. 1. n. 4. & alij, defendunt, non posse Deum, etiam de potentia absoluta; communicare puræ creaturæ talem potestatem excellentiæ instituendi Sacramentum aliquod. Horum ratio esse potest: quia ad institutionem Sacraméti requiruntur duo; & determinatio certi signi ad significádam gratiam; & efficacia gratiæ producendæ; vel saltem certitudo infallibilis in significatione signi, vt per illud significetur gratia: sed creatura hoc secundum efficere non potest: quia neq. potest conferre signo efficaciam producendi gratiam; neq. certitudinem infallibilem in significatione gratiæ, nisi ad id habeat Diuinam promissionem; ad quam creatura Deum cogere non potest: ergo neq. concedi potest creaturæ potestas ad instituendum Sacramentum.

Sotus affirmat. Suar. Aug.

2 Oppositam sententiam tenent Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 4. §. *At forsan.* & Suar. sect. 2. cit. Eam tamen primo probant testimonio Aug. tract. 5. in Io. dicétis: *Potuit autē Dominus Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret Baptismum suum, tanquam vice sua; & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo; & tantam vim dare Baptismo translato in seruum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino.*

Dilucidatur quędam locus Aug.

3 Sed certè (vt obiter dixerim) hoc testimonio non exactè probatur hęc sententia: nam in eo non agitur de potestate instituendi Baptismum, sed de potestate baptizandi, & dandi Baptismum, iam à Domino institutum. Sensus igitur Augustini est; potuisse Christum ita instituere Baptismum suum, vt daretur in nomine baptizātis, & non in nomine Christi: id tamen noluisse instituere, ne deciperentur baptizati, & ponerent spem suā in Ministro Sacramenti. Ex quo sequitur, Augustinum non sensisse, potuisse Christum concedere potestatem Apostolis, vt instituerent sacramenta; nec de hoc fuisse loquutum.

Ratio pro hac sentētia.

4 Sed probant hanc sententiam hi DD. ratione: quia potuit Deus concedere creaturæ facultatem eligendi signum aliquod, ad cuius præsentiam iustificarētur homines: hæc autem potestas fuisset potestas instituendi Sacramentum. Et ita PP. & Concilia affirmant de Christo, etiam quatenus homo est, habuisse potestatem instituendi sacramēta; nimirum, quia habuit facultatem determinandi certa quædam signa pro sanctificatione hominum.

Reijcitur hęc sentētia.

5 Hæc tamen sententia improbatur hoc tempore à nonnullis, hac præsertim ratione: quia facultas instituendi sacramenta ei solum potest conuenire, cui cōuenir primum decretum circa substantiam Sacramentorum: nam, instituere, est primò decernere; siue, ab initio statuere; quocunq. autem modo incipiant sacramenta, incipere debent ex primo decreto Dei, decernentis, ad præsentiam signi, quod elegerit creatura, iustificare homines: ergo, quicquid reliquum concedirur creaturæ, non erit institutio Sacramenti: sed determinatio signi pro Sacramento, iam instituto.

§. II.

Nota.

6 ET certè hic modus dicendi mihi non displicet: & licet hæc quæstio videatur Patri Suar. & ferè omnibus recentioribus, de solo nomine: tamen, re optimè considerata, non tàm de nomine est, quàm de substantia rei. Et sic breuiter not. est, negari non posse, Deum posse concedere creaturæ facultatem eligēdi quædam signa, quibus, cum effectu, homines iustificentur: hæc tamen concessio bifariam considetatur à Suar. ita, vt decretum Dei duobus modis possit præcedere; primò, circa fore Sacramenti: secundò, circa potestatem tantum, vt Sacramentum fiat. Exēplum primi; si Deus ita se haberet cum homine, vel Angelo. Volo deinceps esse signum aliquod, quo homines sanctificentur: tibi autem committo actionem prædicti signi, materiā, tempus, locum, &c. quæ polita erunt in tua voluntate. Exemplum secundi; si ita se haberet: committo tibi, vt, si volueris, sit deinceps signum aliquod pro sanctificandis hominibus, quale tu excogitaueris: si vero nolueris, nullum signum esto.

In

In quibus casibus, certum est, quod, in primo, Deus diceretur Sacramenti institutor, saltē, vagē, & in confuso; & tantum committeret creaturæ designationem materiæ, pro signo sanctificante. At in posteriori casu, aiunt nonnulli, quod verè diceretur, concessisse creaturæ facultatem instituendi sacramenta. Et ratio est: quia decretū primi casus versaretur, proximè, circa inceptionem Sacramenti: decretum, verò, secundi casus, versaretur tantum circa potestatem; & remotè, circa Sacramentum, ex inde futurum: quod non est satis, vt Sacramentum dicatur, proximè, institutum à Deo; alias omnis lex Ecclesiastica diceretur lex Diuina, non minus, quam lex Moysis, & lex Euāgelij; quod est absurdum.

Repugnat posse communicari puræ creaturę institutionem Sacramenti.

7 Cęterum, si perpendamus, quid requiratur ad Sacramenti Essentiam, & naturam, certè fatebimur, eius institutionem non posse puræ creaturæ communicari: (& loquimur de Sacramentis Euangelicis: nam de antiquis, non dubitatem asserere, potuisse eorum institutionem puræ creaturæ communicari; vtpotè, quæ gratiam non causabant, phisicè, & ex opere operato.) Itaquè, de Euāgelicis loquēdo, quæ sunt phisica instrumenta gratiæ, recipiuntq. virtutem causandi animæ sanctitatem ex meritis, & passione Christi; & sic habent phisicum, & realem influxum in ipsam gratiam, cum eam contineant, mediante qualitate, deriuata in illa à Deo, per modum motionis cuiusdam. Sed nulla pura creatura poterit talem virtutem causādi gratiam alicui rei sēsibili tribuere; cum hoc sit proprium Dei, (vt de se satis patet, & alibi à nobis dictum est;) ergo neq. poterit alicui puræ creaturæ communicari potestas instituendi Sacramentum.

§. III.

Ostēditur fictitius quidā casus positus a Suar.

8 Et sic secundus ille casus, positus à Suar. vel omnino chymericus est; vel non ostendit, id esse, dare potestatem instituendi Sacramentum: sed solum, si Deus ita decerneret, (prout ponitur in exemplo illius secundi casus,) illud esset, remittere voluntati alicuius, si vellet, vel ne, quod Deus hominem sanctificet, eo modo. Explico sic: si Deus ita decerneret: (Committo Francisco, vt, si ipse voluerit, sit deinceps signum aliquod, pro sanctificandis hominibus, quale ipsemet excogitauerit: si vero noluerit, nullum signum esto.) Hoc non esset dare authoritatem, & potestatem Francisco instituēdi Sacramentum: nam, supponamus, quod Franciscus, in tali casu, eligat, ad sanctificandum Petrum, pro signo, lapidem: tunc, vel ille lapis phisicè causaret Petri sāctitatem, ex vi præcisè talis electionis: vel Deus tunc daret illi lapidi, electo à Francisco, talem virtutem, sicut de facto dat aquæ Baptismi. Vel, demum, ex pacto inito cum Francisco, ad præsentiam illius signi, causaret gratiam in Petro. Primum dici non potest, nec ipse Suar. concedet; cum dare alteri potestatem causandi gratiam soli Deo conueniat. Tertium non erit instituere Sacramentum; ni velis, esse alterius rationis Sacramentum, & ad modum veterorum: nam, in eo casu, lapis ille esset tantum signum quoddam morale gratiæ, ad cuius præsentiam Deus illum conferret; & non Sacramentum nouæ legis, vt constat ex dictis. Si tandem secundum dicas; neq. illud est, instituere Sacramentum: sed tantum, eligere signum ad libitum, cui Deus, ex pacto, conferret virtutem sacramentalem; & sic Deus diceretur verè, & propriè institutor Sacramenti, vt Sacramētum est; Franciscus autem, elector signi, tantum, sacramentalis, non Sacramēti institutor: nā is, propriè, diceretur institutor Sacramenti, qui daret lapidi illi, hoc, q; est, esse Sacramentum: sed, ex sola electione Frācisci; nisi Deus, ex pacto inito, tribueret illi lapidi virtutem causandi gratiam sacramentaliter, non haberet ille lapis, quod esset Sacramentum: nam, ex sola illa electione, præcisè, non posset causare, vt instrumentum phisicum, gratiam, quam non cōtineret, ex vi solius electionis, ergo, &c.

§. IV.

9 Nec, meo videri, est par ratio, de lege Ecclesiastica: nam, inter alia discrimina, quæ possent assignari; potestas condendi legem positiuam, est quædā potestas moralis; & lex ipsa, quid morale est; moraliterq. dumtaxat, ligat, & obligat ad eius obseruantiam; & sic, nec legis dator, necesse est, aliquid influat in legē, quam fert: nec lex ipsa aliquid phisicè influit in subditos: vnde potest vtiq. ferri lex à puro homine; & puro homini communicari potuit hæc potestas. At verò potestas instituendi Sacramentum est potestas phisica: & ipsum

Discrimē inter legem Ecclesiasticam ferēdā; & inter institutionem Sacramēti, in ordine ad institutionem.

Sacra-

Sacramentum est causa instrumentalis phisica gratiæ; & sic,Sacramenti institutor phisicè debet virtutem phisicam ipsi Sacramento influere: & Sacramentum, pariter,phisicè gratiam, non ponentibus obicem,causare. Quarè talis potestas nō potest puræ creaturæ communicari. Et sic cōuenio cum Scoto,citato pro prima opinione,quantum ad hoc:tamen,explicata sententia,hoc modo.

Scot.

Alia ratio pro nostra sententia.

10 Et potest etiam confirmari secundo argumento,quod sibi obijcit D.Tho. & non sufficienter eius responsione (si verum fatear) euacuatur.Inquit August. tract.72.in Io.post med.to.9. super illa verba Io.14. *Maiora horum faciet,&c.* *Prorsus maius hoc esse dixerim; s. vt ex impio iustus fiat,quam creare Cœlum, & terram.* Sed Christus nō potuit communicare Discipulis,quod Cęlum,terramq. crearent: ergo neque quod iustificarent impium. Cum igitur iustificatio impij fiat per potestatem Christi, quam habet in Sacramentis; sequitur quod eam non potuerit Christus Discipulis communicare.

Aug.

Solutio D.Th.

11 Respondet D.Th. obiectionem hanc procedere, de potestate authoritatis,quæ conuenit Christo,secūdum quod est Deus: licet, & potestas excellentiæ, possit potestas authoritatis etiam nominari, per comparationem ad alios Ministros. Et adducit Glosam ordinariam,super illud 1.ad Corint.1. *Diuisus est Christus,&c.*dicentem,potuisse Christum dare Discipulis authoritatem Baptismi, quibus contulit ministerium.

Paul.

Friuola quorundam impugnatio.

12 Cęterum hæc solutio (pace sanctissimi Præceptoris)non videtur satisfacere. Contra quam,friuolè aliqui insurgunt,eadem proportione:quia maius est iustificare,quam creare: sed potestas instrumentalis creādi non potest communicari, (vt ferè communiter sensēt DD. & nos pariter alibi dicemus:) ergo nec potestas instrumentalis iustificandi.

Solutio impugnationis ex Suar.

13 Cui argumenro facilè Respondet Suar. in comment. dicti art.non esse eandem rationem: nam licet creatio, & iustificatio æqualem potentiam requirant in principali operante: iustificatio tamē est opus maioris misericordiæ (vt Aug. tract.72. in Io.) atq. ita,in causa instrumentaria non reperitur hic excessus respectu iustificationis, & aliundè creationis opus,in sententia D.Th.habet specialem difficultatem, propter modum,quo fit; ex nihilo.s.& sine concursu subiecti.

Aug.

§. V.

14 Quarè melius sic impugnatur illa Responsio D.Tho.nam vel hæc potestas excellentiæ ad iustificandum impium est per modum phisici influxus in gratiam iustificantem;vel,per modum meriti:neutro autem modo potuit puræ creaturæ communicari: ergo, &c. ma. cum consequentia patent: min. prob. & primò non potuit, per modum meriti de condigno(de hoc.n.loquimur) nam,vt dici solet 3.p.q.1.ar.2. Purus homo, quantumuis habituali gratia suffultus,nō potest alteri gratiam mereri; cum hoc sit proprium Christi, qui meruit nobis iustitiam habitualem, per gratiam vnionis,quæ est gratia capitis; nostra autem gratia est gratia filij adoptiui, quæ non exit personam operantem; prout etiam & nos supra diximus.) Quod neq. potuerit communicari potestas hæc ad iustificandum, per phisicum influxum in gratiam;probatur tertiò argumēto,quod contra se obijcit D.Th. quia Christo, inquantum est caput Ecclesiæ,competit,vt ab ipso gratia deriuetur ad alios; secundum illud Io.1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed hoc non fuit alijs communicabile: quia sic Ecclesia esset monstruola, multa capita habens: ergo Christus potestatem suam hanc non potuit Ministris communicare.

Melius impugnatur solutio D.Th.

Io.

15 Neq. videtur satisfacere solutio eiusdem D.Tho. asserentis;quod, ad hoc inconueniens euitandum; ne.s.multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suam excellentiæ Ministris communicare: si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter; alij verò, secundariò.

Euasio D.Th.

16 Non,inquam; satisfacit hæc solutio:nam vel in hæc secundaria capita influeret Christus gratiæ plenitudinem; vel non: hoc secundum dici non potest, vt de se patet:nam,alias,tàm capita principalia,ipsa essent,quàm,idem Christus:si quidem non dependerent in ratione capitum à Christo:si primum dicatur:ergo non essent capita, sed membra capitis: non.n. excogirabile est,quo pacto essent capita, & dependerent à capite eiusdem ordinis? Quarè concludendum est;nullo pacto potuisse hanc potestatem puræ creaturæ communicari.

Precluditur.

17 Et ad authoritatem Glosæ (si tamen velimus,illam valere) possumus respōdere,tātum asserere,potuisse conferri

Satisfit authoritati glose nu.11.adductæ.

Disci-

Discipulis authoritatem Baptismi, non præcisè, secundum rationem Sacramenti: sed solum, secundum electionem signi sensibilis; ita ut potuerit Christus eis concedere, vt valuissent ad libitum baptizare, vel aqua, vel lapide, vel quocunq. alio signo: cui tamen ipse Christus, ex pacto contulisset virtutem sacramentalem: vel sicuti de facto contulit aquæ: vel, ita ut, ad præsentiam signi electi, contulisset gratiam baptizato: quo pacto fuisset solum signum quoddam morale.

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum Angeli possint sacramenta ministrare?

CAPVT VNICVM.

Refellitur error Hæreticorum, & Catholica veritas, veraq; sententia statuitur, & probatur.

§. I.

Summa doctrinæ D. Th.

1 
Anc eandem quæstionem disputat D. Thom. ar. 7. in cuius corpore habet, totam Sacramentorum virtutem à passione Christi deriuari, quæ ei conuenit, secundum quod homo est; vt sic autem non conformari Angelos, sed homines tantum: & sic, solos homines posse esse Sacramentorum Ministros. Sed insuper aduertit, quod sicut Deus non alligauit Sacramentis virtutem suam; quin possit, etiam sine Sacramentis, virtutem Sacramentorum conferre: ita nō alligauit virtutem suam Ministris Ecclesiæ, quin etiam Angelis posset virtutem ministrandi in Sacramētis tribuere. Cumq. boni Angeli sint veritatis nuncij; si aliquod sacramentale ministeriū à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habēdum; quia deberet constare, hoc fieri Diuina voluntate; sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si vero Dæmones, qui sunt spiritus mēdacij, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. Hæc est doctrina D. Th. in dicto art. quæ ferè communiter à recentioribus amplectitur, & probatur.

Error Luteri.

2 Cæterum Lutherus lib. 2. *de abroganda Missa priuata.* Existimat, non solum bonos Angelos: sed etiam Dæmones esse Ministros Sacramentorum: vnde repræhendit Catholicos, quod affirment, neq. bonum Angelum, neq. B. Virginem posse sacramenta ministrare. Qui error Lutheri oritur ex altero, quem habet in lib. *de Captiuitate Babilonis.* Somnes homines habere æqualem potestatem in sacramenta: vnde excludit sacram Ordinationem, & Ordinem Episcopatus, & Præsbyteri. de quo alibi. Probat autem suum hunc errorem: quia efficacia Sacramenti non pendet ex qualitate Ministri: sed ex verbo Dei: & ita omnes homines, & Angeli erunt æqualiter Ministri Sacramentorum. Ratio Luteri

§. II.

3 Catholica tamen doctrina affirmat, solos homines esse Ministros ordinarios Sacramentorum. ita D. Th. & omnes Scholastici. Et quamuis de hac re non extet expressa definitio Ecclesiæ: tamen communis consensus DD. & ratio euidens desumpta ex principijs fidei, efficiunt, vt, sine errore, oppositum nequeat affirmari. Ratio autem sit eadem, qua Lutherus vtitur; nimirum, quia tàm efficacia, quàm Minister Sacramenti pendent ex solo verbo Dei, qui solus est Sacramentorum author: sed Angeli non habent verbum Dei in ministerio Sacramentorum: homines autem habent: ergo soli homines, & non Angeli sunt Ministri ordinarij in Sacramentis. Ma. est certissima. Min. verò prob. indu- Veritas Catholica D. Th. Ratione batur.

 ctio-

ctione: nā primo, de Baptismo, solis hominibus dictum est, Matth. 28. *Baptizātes eos in nomine Patris, &c.* de Eucharistia, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* de Pœnitentia, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* de Confirmatione constat Act. 8. manus impositionem datam esse Apostolis, qui missi sunt ad confirmandos eos, qui fuerant in Sammaria ad fidem conuersi. De Extrema Vnctione Iacob. 5. dicitur, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*. De sacra Ordinatione, constat ex testimonio Paul. ad Titum: vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manus Presbyterij. Et de Sacramento Matrimonij, patet etiam, solos homines posse contrahere; & ex consequenti, esse huius Sacramenti Ministros; cum Ministri, in hoc Sacramēto, sint ipsi contrahentes. Et tandem, perpetua traditione Ecclesiæ, constat, solos homines habitos esse pro ordinarijs Ministris Sacramentorum.

Matth. Luc. Io. Act. Iacob. Paul.

4 Quę ratio potest etiam confirmari congruentia, quam D. Th. tangit: nam Sacramentorum Ministri debent conformari Sacramētorum authori in natura: sed Christus præcipuus Sacramentorum author est verus homo: ergo Ministri eius homines esse debēt. Adde, nam cum Ecclesia Catholica humana sit, & visibilis; & fideles, quibus conferuntur eius sacramenta, sint homines: congruum fuit, vt & illa, per Ministros sensibiles gubernaretur; & homines sacramēta ministrarent hominibus. Hinc Paul. Hebreor. 5. loquens de Ministro Ecclesiæ; præsertim, de Sacerdote, inquit: quod, *Oportet, vt sit ex hominibus assumptus, vt pro hominibus cōstituatur in his, quæ sunt ad Deum.*

Probatur cōgruentia. D. Th. Paul.

§. III.

5 NEq. obstat testimonium Augustini l. 2. cōtra epist. Parmeniani c. 15. dicentis, Deum dare gratiam Baptismi, vel per semetipsum, vel per Angelum: quia sensus Augustini non est, Sacramentum Baptismi aliquando ministrari ab Angelis: sed, Deum mouere cor hominis, vel per se ipsum, vel per Angelum, ad suscipiendam gratiam, quæ est effectus Sacramenti. Et est idem, ac illud, quod D. Th. annuit loc. cit. nimirū, Deum non alligasse virtutem suam taliter Sacramentis, quin possit, sine Sacramentis, virtutem Sacramentorum conferre: hoc que, vel per se ipsum, vel per Angelos, &c. modo dicto. Et simile quid docet idem D. Tho. eod. art. ad 1. quod erat sic: quicquid potest Ministret inferior, potest & superior: cumq. Angeli sint superiores Ministri, in ordine Hierarchico, quocunquè homine; & homo potest sacramenta ministrare: ergo & Angeli. Respondet S. Doct. quod illud, quod faciunt homines inferiori modo; s. per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturę ipsorum, faciunt Angeli, tanquam superiores Ministri, superiori modo; s. inuisibiliter, purgando, illuminando, & perficiendo.

Satisfit cuidā testimonio Aug. D. Th.

§. IV.

6 SEd obijcit D. Tho. homines sancti assimilantur Angelis in Cœlo: vt dicitur Matth. 22. sed aliqui Sancti, in Cœlo existētes possunt ministrare sacramenta: quia character sacramentalis est indelebilis: ergo & Angeli poterunt. Respondet ipse ad secundum; homines sanctos in Cœlo esse similes Angelis, quantum ad participationem gloriæ: non autem quantum ad conditionem naturæ; & per consequens, neq. quantum ad sacramenta.

Obiectio. Solutio D. Th.

7 Sed certè hæc solutio est satis difficilis, & non videtur euacuare difficultatem: nam, si sermo sit de animabus tātum, à corporibus separatis, quæ sunt in Cœlo (vt benè notat Suar. disp. 13. sect. 1. §. Atq. ex his: & etiam in commentar. illius art.) nullo pacto possunt Sacramentorum esse Ministræ: cessat. n. in illis omnis ratio, & congruentia supra adducta, quibus probauimus, solos homines esse Ministros ordinarios: anima namq. separata non est homo: quicquid sit de charactere indelebili: esse. n. hominem, non conuenit animæ, quæ pars dicitur hominis, & non homo, quięcōstat ex ea, & carne. Vnde in Symbolo Athanas. dicitur, *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo.* Et vt sic, nō solum potest dici anima similis Angelo, secundum participationem gloriæ: sed etiam, in aliquali conditione naturæ: idest, in actuali abstractione, & separatione à corpore, (vt inquit Suar.) & in esse spirituali substantiali. Quod autem talis anima v.g. D. Augustini, Episcopi, & Sacerdotis, habeat characterem, adhuc in Cęlo, non obstat: siquidem signum illud indelebile non est, sufficiens ad ministrandum Sacramenta, sine corpore: cum requiratur, ad tale mini-

Ponderatur difficultas huius solutionis. Suar. Anima non est homo. Athan. Non potest anima in Cęlo ministrare sacramenta.

niste-

nisterium, verborum prolatio, & aliqua alia vitalis actio; vt, ablutio, in Baptismo: Vnctio, & manuum impositio, in Confirmatione, & Extrema Vnctione, &c. quæ sine corpore perfici, & absolui nequeunt.

Probabile est, posse Beatum hominem in Cęlo ministrare.

8 Quod si sermo sit de hominibus sanctis in Cęlo existentibus in corporibus suis: (est.n. satis probabilis opinio, & multum pia, multos sanctos, præsertim eos, quorum corpora surrexerũt in Christi morte, & apparuerũt multis in sancta Ciuitate, assumptos etiã esse cum Christo, in die Ascẽsionis, in Cęlum, & secum ibi, in corporibus suis, regnare: sicuti dicitur similiter de B. Ioanne Euangelista, & alijs:) de illis ergo probabile esse poterit, posse conficere sacramenta: cum nil videatur deesse eis ex requisitis ad rationem Ministri Sacramentorum: quod .n. sint in termino, vel in via, nõ videtur cõdirio necessaria, cum nullibi habeatur, Christum restrinxisse hoc munus ad viatores tantum: licet viatoribus illud commiserit: nam eos tantum præsentes habebat; & per eos, re vera, exercenda erant, & suæ Ecclesiæ dispensanda sacramenta: non tamen alicubi exclusisse legitur homines comprehensores: nec Sacramentorum ministerio apposuit aliquam circumstantiam, seu conditionem, quam non possent exercere Beati homines: nec hoc per aliquam antiquam traditionem habemus. Cumq. potestas hæc data sit hominibus, præcisè, sine aliqua limitatione status; videtur satis probabile, Beatos homines, in Patria, posse sacramenta ministrare. Et de his, si intelligatur solutio D. Th. prout Suar. intelligit, & alij; sistendo in ista sententia, vera est, & argumento satisfacit.

§. V.

Pariter probabile, non posse.

9 Ceterum non minus probabile est, nec tales Beatos posse sacramenta conficere, ex lege ordinaria: cũ viatoribus Christus dixerit, *Quorum remiseritis peccata, &c. Baptizantes eos, &c. Hoc facite in meam commemorationem, &c.* Item huiusmodi sacramenta non dicuntur sacramẽta Ecclesiæ triumphantis, sed militantis: & conferuntur tantummodo mortalibus, & viatoribus: ergo Ministri esse debent membra eiusdem militantis Ecclesiæ: comprehensores non sunt huius Ecclesiæ membra, sed triumphantis cultores. Itẽ addo ex Paul. Hæb. 4. vbi vniuersaliter loquens de omni Sacerdote, seu Pontifice, ait: *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis; qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant, quia & ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum & pro populo; ita etiam & pro semet ipso offerre pro peccato.* Hæc Paul.

Paul.

Vnde sic rationem efformo. In rebus dependentibus à sola Dei voluntate, & libera institutione, non possumus ad libitum philosophari, nec in aliqua naturali ratione fundari: sed consultare debemus Scripturam, PP. Concilia, reuelationes, & antiquas Apostolorum traditiones: sed nullibi inuenimus potestatem ministrãdi Ecclesiæ sacramenta posse conuenire Beatis; imò, ex adducta authoritate Paul. & ex Christi institutione, euidenter colligitur, solis viatoribus illam esse concessã: ergo, &c. De Christi institutione, iã patet, elegisse in Ministros viatores dũtaxat. Paulus etiam indicat manifestè; omnem Pontificem debere, nedum pro populorum, sed etiam pro proprijs offerre peccatis; & esse infirmitate circundatum, vt condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: Beati autem sint circundati gloria, nõ miserijs: nec peccare possunt; vnde debeant pro proprijs delictis offerre sacrificium: nec possunt condolere, aut compati; cum compassio, & dolor, species tristitiæ sint; & in Patria, neq. dolor est, neq. luctus, neq. clamor: ergo ex lege ordinaria, concessio potestatis ministerialis non se extendit ad illos.

10 Adde; quod, de his, quæ à libera Dei voluntate dependent, non debemus aliud inuestigare, præter ea, quæ facta sunt, vel dicta: non autem, quæ facere posset Deus, vel instituere; vbi aliquod fundamentum non habemus firmissimum: decreta .n. Dei non aliunde nobis innotescere possunt, quam ex his, quæ facta sunt, fiunt, & futura sunt; cum nemo ipsius Consiliarius extiterit: cumq. neq. ex huc vsq. peractis; neq. ex aliquo alicuius necessariæ coniecturæ capite colligere valeamus, Deum decreuisse, nedum viatores; verum & comprehensores posse ad libitum Ecclesiæ sacramenta ministrare: imò potius oppositum: siquidem, huc vsq. factum non esse credimus: nam, aliquando factum esse, non legimus. (Excepto casu Amphilochij, qui miraculosè ab Angelo fuit ordinatus ex Niceph. infra cit. n. 15.) Et alias nulla pro- Conf.

babilis coniectura nos cogit: imò, innumeræ potius oppositæ; cum ibi nulla adsit necessitas ministrandi; nec miracula sunt absq; graui necessitate, à Deo probanda, facienda. Vnde ergò possumus colligere comprehensores talem habere potestatem?

Non obstat caracter, qui adhuc remanet in patria: sed ad ornatum. Suar.

11 Nec aliquid contra hoc facit character indelebilis Ordinis, quem adhuc retinent in Patria sancti Sacerdotes: nam (vt ait Suar. sect. 1. cir. disp. 13. *§. Atq. ex his omnibus sequitur*) cum character non sit potestas phisica, nec datur ad operandum (vt supra dictum est) sed solum sit signum quoddam, seu habilitas ordinata ad dandum tale esse; potuit dari ad deputandum hominem ad tale ministeriũ, pro statu viæ, & non pro statu beatifico; in quo sufficit, remaneat ad ornatum. Quæ opinio mihi maximè probatur.

§. VI.

Soluitur arg. D.Th.

12 Quatè ad argumentum, quod sibi obijcit D.Th. supra n.6. facilè, in hac sententia, Respondetur; negãdo min. non enim aliquis sanctus in Cœlo, ex lege ordinaria, potest Sacramentum aliquod conficere: licet, de potentia absoluta, id non implicet: & vt sic, non est par ratio de ipsis, & Angelis, propter rationes superius adductas, cum probabamus, solos homines esse Ministros Sacramentorum, à n.3.

Obiectio.

13 Dices: ergo neque, de potentia absoluta, poterunt Angeli esse Sacramentorum Ministri. Respondeo, quod, si considerentur sacramẽta, eo modo, quo fuere à Christo instituta; vt s. perficerentur rebus sẽsibilibus, & humanis verbis: nec,

Solutio.

An de potentia absoluta Angelus possit tamen ministrare

de potentia Dei absoluta, possunt Angeli esse Ministri Sacramẽtorum; cum non possint huiusmodi humana verba proferre: nam, licet possint corpora assumere, & in illis efficere sonum similem verbis hominum: illa tamen loquutio non esset verè loquutio, & vniuocè: sed æquiuocè tantum; vel solummodo secundum similitudinem, ad maximum, analogicã;

D.Th.

vt videtur annuere D.Th. p.1. q.51. art.3. ad 4. Cum autem dicitur, Sacramentum constare essentialiter rebus, & verbis; intelligendum est, de veris, ac proprijs verbis; quæ sũt voces ex ore hominum prolatæ, ad significandos certos conceptus. At sonus ille, quem efficeret Angelus in corpore assumpto, nõ posset dici vox, ex ipsa vocis diffinitione, quam tradidimus lib.1. nostræ paruæ log. punct.3. & ex consequẽti, neq. verba, quæ videretur proferre, essent propriè verba, sed apparenter: non n. emanarẽt ab organis vitæ, &c. sicut, nec reliquæ vitales actiones, quæ videretur facere, essent veræ actiones vitales, sed similitudinariè, & apparenter: prout legitur de Angelo Tobiæ 12. qui inquit: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere.* Hoc est: videbatis me manducare; sed visu vestro: idest; putabatis me, eo modo, quo & vos cibos sumitis, necessitate reficiendi corporis, manducare: sed certè nõ alebar tali sumptione; cum corpus, quo talem cibum sumebam, ali non posset: nam altrici potestate carebat. Tob.

14 At verò, quia Deus non alligauit taliter virtutem suam Ministris Ecclesiæ, quin etiam & Angelis, & Beatis possit eandem tribuere potestatem (vt docet D.Th. vbi supra, & Ioan. de Turrecremata super c. Romanus. De consecratione dist.4. relatus à Bartholom. Sibilla in suo speculo peregrin. quæst. decade 2. quæstiuncula 3. c.7.) ideo dicẽdum est; quod, sicut Deus instituit sacramenta, quæ rebus, & verbis constarent; posset eadem sacramenta taliter instituere; itaut, applicato eodem sensibili signo ab Angelo, per solam intentionem ipsius Angeli, seu voluntatem faciẽdi, quod Dominus iubet, per illam suam creaturam facere, verè diceretur is, cui conferretur tale Sacramentum, vel cui applicaretur tale signum, Baptizatus, Ordinatus, Confirmatus, &c. non tamen hoc esset, seruato rerum ordine, secundum prius decretum diuinum, quo voluit, Sacramentum constare debere rebus, & verbis: sed præter illum ordinem, & secundum aliud decretum nouum: & in tali casu, Sacramẽtum illud non diceretur esse, secundum essentiam, eiusdem rationis cum nostris: nam non esset eadem forma, quæ, in nostris, consistit in verbis: esset tamen eiusdem rationis, quantum ad effectum, & etiam quantum ad materiam. D.Th. Turrecrem. Sibilla

15 Et hoc solũ voluisse, credo, D.Th. in eo ar. cum ait; quod si à bonis Angelis perficeretur aliquod sacramentale ministerium, esset ratum habendum: quia deberet constare, hoc fieri voluntate Diuina. Cui veritati cõsonat historia Amphilochij, quam refert Nicefor. l.11. c.20. relatus à Suar. lo. cit. qui, cum in solitudine vitam monasticam ageret, electus est in Episcopum: non tamen est ordinatus ab D.Th. Amphilochius ordinatus ab Angelo. Nicef. Suar.

Epi-

Episcopis, sed ab Angelo: vnde Episcopi, qui ad eum ordinandum conuenerât, intelligentes, ipsum per Angelum ordinatum fuisse, ratam habuerunt illam ordinationem.

16 Non autem est sic sensiendum de Angelis malis, qui sunt spiritus mêdacij, & cum sint peruersissimi, nullo modo intenderent procurare salutem baptizati, quæ est spiritualis regeneratio: sed facerent intentione decipiendi.

DISPVTATIO QVARTA.

An, ad hoc, vt validum sit Sacramentum, sufficiat in Ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia?

CAPVT PRIMVM.

Intentio faciendi, quod facit Ecclesia, necessario requiritur ad valorem Sacramenti.

§. I.

De fide est, requiri hanc intentionem Concil. Florent. Trid.

1 Vpponimus, tanquam certum, in primis, hâc intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, necessario requiri ex parte Ministri, ad valorem Sacramenti. Ita definitur expressè in Conc. Florent. in Decretis Eugen.IV. §.5.& in Tridêt.sess.7.can.11.de Sacram. in gen. Fundamentum autem huius veritatis, ex quo Ecclesia hausit hanc definitionem, nullum aliud esse potest, præter Christi institutionem, de qua inferius agemus. Definit autem hanc veritatem Concilium côtra Luther. lib.de captiuit. Babilonica c.de Baptismo,& in ar.12.inter damnatos à Leone X.& alios Hæreticos nostri temporis, qui existimarût, sacramenta nouæ legis perfici tantum rebus,& verbis; etiam si irrisoriè à Ministro adhibeantur. Fundamentum Hæreticorum erat: quia existimabant, virtutem Sacramenti, non tâm in fide,& intentione ministrantis, quâm suscipientis, esse positam. Ita docuit Luther. in lib. de abroganda Missa priuata; & cum eo Caluinus in antitodo Côcil.Trid.ad can.11.de Sacramentis in gen.sect.7. Kemnicius in 2.p.examinis. Quem errorem colligunt etiam ex alio, quem impugnauimus supra; s. sacramenta non esse instituta ad iustificâdos homines,& causandam gratiam: sed ad excitandam fidem suscipiêtis: ad quem effectum; modo res, adhibeantur,& verba; nil aliud videtur esse necessarium;& sic,neq. intentio Ministri.

Error Luteri, & aliorum.

Leo X.

Luther. Caluin. Kemnic.

§. II.

2 Ceterum Hæreticorum fundamentum facilè ruit, ex eo: quia sacraméta non sunt instituta ad excitandam fidem suscipientis: sed ad renouandam animam per infusionem veræ iustitiæ, vt supra ostendimus; præsertim, ex Baptismis paruulorum, in quibus fides excitari non potest. Cum igitur sacraméta sint vera instrumenta Dei ad productionem gratiæ, necesse est, ita administrentur, vt Minister conformetur cum principali agente; &, iuxta intentionem illius, operetur. Quod si semel Hæretici nobis concedant. s. sacraméta esse instrumenta iustificationis, credo, non negaturos consequentiam. s. requiri ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; &, secûdum quod ea Christus instituit.

Euertitur fũdamentum Hæreticorũ.

3 Valet etiam ad corroborandam hanc Catholicam veritatem ratio D.Th. art.8. in corp. vbi ait; quod, quando aliquid se habet ad multa; oportet, quod per

Ratio D.Th. pro Catholica veritate.

per aliquid determinetur ad vnum; si illud cadere debeat; cumq. ea, quę in Sacramentis aguntur, possint diuersimode agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad refrigerandum, & ad multa alia huiusmodi: sequitur, quod oporteat determinari ad vnum. i. ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis; quæ intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur; puta, cum dicitur, *Ego te baptizo, &c.* hæc D. Th. Cui rationi addi potest & alia, quam ipsemet adducit in argumēto, *Sed contra*; nimirum: quia ea, quæ sunt præter intentionem, sunt casualia.

Obiectio. Solutio.

4 Neq. valet Respondere, actionem non perfici secundum intentionem instrumenti; sed secundum intentionem principalis agentis. Quia contra hoc est: quod instrumentum inanimē non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus, quo mouetur à principali agente: instrumentum autem animatum (sicut est Minister) non solum mouetur; sed etiam, quodammodo, mouet se ipsum, inquantum, sua voluntate, mouet membra ad operandum; & ideò requiritur eius intentio, quæ subiaceat principali agenti. Hoc ergo supposito; quæstio nostra est cōtra alios Hæreticos: an s. vltra hanc intentionem, requiratur aliquid aliud, ex parte Ministri, ad hoc, vt validum sit Sacramentum? vtpotè, bonitas vitæ, & fides ipsius?

Status quæstionis.

CAPVT II.

Vitam, & fidem Ministri non esse necessaria ad valorem Sacramenti.

§. I.

Error Agrippini.

1 FVit antiquus error, cuius author fuit Agrippinus Episcopus Carthaginensis, qui asserebat, Baptismum datū ab Hæreticis, etiam sub forma Ecclesiæ Catholicæ, non esse Sacramētum. In quam sententiam postea adductus est Cyprian. Martyr eius successor; quamuis sine pertinacia (vt constat ex Epistolis Cypr. & ex libris Augustini de Baptismo contra Donatistas.) Deindè alius error extitit asserentium, sacramenta, administrata à publicis peccatoribus, irrita esse. Deinceps alij, peius allucinati, dixerunt, inualida esse sacramēta, administrata à quocūq. peccatore, etiam occulto. Quinimò Vbicleph dixit, Ministrum non prædestinatum, etiam si esset in statu gratiæ, non conficere Sacramentum. Authores horū errorum legite apud Valent. disp. 3. de Sacramentis q. 5. puncto 3. Suar. disp. 13. cit. sect. 4. & alios iuniores.

Cyprian.

Alij errores.

Vbicleph.

Val. Suar.

2 Contra hos omnes errores Fides Catholica docet, Ministrum peccatorē, Hæreticum, aut Scismaticum validum efficere Sacramentum, si adsit legitima intentio ex parte sui, & cętera requisita ex parte Sacramenti. Ita definitum est à Stephano Papa, tempore Cypriani; ab Innocēt. I. epist. 22. à Leone Magno epist. 77. à Concilio Niceno can. 19. à multis alijs Concilijs, & Summis Pontificibus; & nouissimè in Cōcilio Trid. sess. 7. can. 12. Id ipsum docuerunt omnes Sancti PP. & Scholastici omnes cum D. Tho. art. 5. ex supra cit. q.

Veritas Catholica.

Stephan. PP.
Innocent. I.
Leo Magnus.
Cōc. Nicen.
Trid.

D. Th.

§. II.

3 SEd petes: vnde potuit Ecclesia colligere hanc veritatem: nam in SS. nullus videtur esse locus, ex quo apertè deducatur? Respondeo (quicquid sit de illis locis, quæ solent communiter circūferri; videlicèt Matt. 23. *Super Cathedram Moysi, &c. quæcunq. dixerint vobis seruate, & facite: secundum, verò, opera eorū nolite facere.* 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, &c. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Vbi videtur sentire Apostolus, Ministrum Christi, etiam si prauè, & infideliter fungatur suo munere, nihilominus dispensatorem esse Ministeriorum, seu Sacramentorum Dei. Hæc igitur, & alia similia communia loca omittēdo, ex quibus non ita manifestè, vt possit desiderari, hæc veritas colligitur.) Dico, eam deduxisse Ecclesiam ex antiqua traditione à tēpore Apostolorum. Ita docet expressè Augustinus l. 5. de Baptismo cap. 23. & Vincent. Lyrinens. contra hæreses cap. 9. Et colligitur ex definitione Stephani, in hęc verba: *Nihil innouetur, sed, quod traditum est, custodiatur.* Quam in hunc sensum interpretatur Baron. to. 2. Annal. anno Christi 258. in fine.

Vnde colligatur.

Matt.

Paul.

Aug. Vincēt. Lyrinen.

Stephan. PP.

Baron.

4 Vtuntur autem PP. & Scholastici

Ratio Theologica.

hac

hac ratione. Quia Minister Sacramenti non est causa principalis, sed instrumentum: Deus autem, qui est author principalis gratiæ, idem omninò est per Ministrum Hæreticum, & Fidelem; bonum, & malum: quia, ex institutione Christi, non est facta promissio, iustificationis Fidei, aut probitati Ministrantis Sacramētum: sed ipsi operi externo, taliter facto; s. cū intentione Christi, & Ecclesiæ. De qua institutionis forma constitit Ecclesię per traditionem, ab Apostolis acceptam. Hinc Aug. to. 9. tract. 5. in Io. circa medium, super illud Io. 1. *Super quem videris spiritum, &c*, inquit: *Quod in Christo non nouerat Ioannes, potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum: sed ministerium, planè trāsiturum in bonos, & malos. Quid tibi fecit malus Minister, vbi bonus est Dominus?* Vel (prout legitur in alijs codicibus ex impressione Venet. apud Baptistam Sessam, & fratres 1584.) *Quid in Christo nō nouerat Ioannes? quia sibi retenturus erat baptismatis sui potestatem, & non eam transmissurus, & trāslaturus in aliquem seruum: sed, siue baptizaret in ministerio seruus bonus, siue baptizaret in ministerio seruus malus, non sciret se, ille qui baptizaretur, baptizari, nisi ab illo, qui sibi tenuit baptizandi potestatem.* Et paulò supra idem Aug. ait: *Ideo si sit & malus, & contingat illi habere ministerium; & si eum homines non nouerunt, & Deus eum nouit, permittit Deus baptizari per eum, qui sibi tenuit potestatem.*

Aug. Io.

Nazianz.

5 Et Nazianz. orat. 40. ait. *Si annulus aliquis habeat Regium characterem, idem omninò signum imprimet in ceram, siue aureus sit, siue ferreus: quia tota illa differentia in materia est, non in signo: eadem ratione, si eidem baptismum, & ex eadem intentione administret vir sanctissimus, quem administrat Infidelis, idem sequetur effectus gratiæ: quia signum idem; & sanctitas, ac fides administrantis est differentia materialis in Ministro.* Et D. Tho. art. 5. in corp. hoc idem, quod Nazianz. ferè asserit, dum docet, *Ministrum, quia causa instrumentalis est, non agere secundum propriam formam, aut virtutem: sed secundum virtutem agentis præcipui: & sic accidere instrumento, inquantum est institutum, qualēcunq. formam, vel virtutem habeat, præter id. quod exigitur ad rationem instrumenti.* Assignatq. duplex exemplum, dicens. *Sicut, quod corpus Medici, quod est instrumētum animæ habentis artem, sit sanum, vel infirmum: & sicut, quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea, parum refert. Ita Ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali.*

D. Th.

6 Vbi illud adnot. est; quod præcipua causa, quare bonitas, & malitia Ministri non est necessaria ad substantiam Sacramenti, pendet ex Christi institutione, & volūtatem nam si Christus voluisset, potuisset instituere, quod sacramenta nō essent rata, nisi à bonis Ministris cōferrētur, quod certum est apud omnes: nos autē præsupponimus, ex doctrina fidei, Christum, ex speciali sua institutione, nō postulasse hāc Ministrorum probitatem, vt quid necessarium ad valorem Sacramenti: siquidem probitas hæc non erat futura principium, vel causa sanctitatis conferendæ per Sacramentum. Nota.

CAPVT III.

Soluuntur nonnulla argumenta Cypriani, & aliorum.

§. I.

1 OPus modo est soluere argumēta Cypriani, & aliorum, contra hanc Catholicam veritatem militantia. Primum est: quia nemo dat, quod non habet: Hæreticus autem non habet gratiam iustificationis: ergo nequit eam conferre per Sacramentum. Respondeo, propositionem illam, & si vera esset, non esse intelligendam de instrumento, sed de causa principali. Deindè, etiam si de instrumento intelligeretur, Respondet eleganter Augustinus lib. 6. de Baptismo c. 1. Ad summum colligere, Baptismum datum ab Hæretico non conferre gratiam: nihilominus validum esse: quia aliud est, Sacramentum ipsum: aliud, fructus Sacramenti: quod non distinguens Cyprian. in errorem adductus est. Hæc tamen Augustini solutio non est intelligenda, simpliciter: sed cum cautela, & moderamine. Docet. n. quod si illud argumentum aliquid probaret, ad summum esset, Hæreticum, confitendo Sacramentum, non conferre gratiam sacramentalem; licet verum Sacramentum daret, & efficeret. 1. arg.

Solutio 1.

2. solutio ex Aug.

Exponitur mens Aug.

Non

Non quod, absolutè, neget Augustinus, baptizatum ab Hæretico non recipere gratiam; nisi, in casu, quo baptizatus eo animo Baptismum recipit, vt cum eo in errorem conueniat: tunc.n.quia suscipiens ponit obicem effectui Sacramenti, licet verum suscipiat Sacramentum: non tamen gratiam sacramentalem recipiet. Quod aũt sit ista Augustini mens, patet ex alio loco: nam lib.1. de Baptismo cap.2. dicit, eum, qui in extrema necessitate sacramẽtũ ab Hæretico accipit; catholicè, sãctè, atq. fructuosè accipere. Et hoc idem etiam expresse docet lib.6. de Baptismo c.5. Eodemmodo Respondet D.Th. ad hoc argumẽtum ar.9. ad 2. cuius doctrina valdè notanda est: dicit .n. quod quando Hæreticus confert Sacramentum, seruans Ecclesiæ formam, conficit, & confert proculdubio verum Sacramentum: sed non confert rem Sacramenti. subdit tamen ad hæc Sanctus Doctor hęc verba. *Et hoc dico, si sunt manifestè ab Ecclesia præcisi tales Hæretici: quia, ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat; & per hoc impeditur, ne effectũ Sacramenti consequatur.* Vnde Augustinus dicit l. de fide ad Petrum: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, Baptismo cumulari perniciem.* Et art.6. ad 2. videtur magis se explicare D.Tho. dũ ait: *Quod ille, qui ad Sacramẽtum accedit suscipit sacramẽtũ à Ministro Ecclesiæ non inquantum est talis persona, sed inquantum est Minister Ecclesiæ. Et ideo quandiù ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius: sed communicat Ecclesiæ, quæ eũ tanquam Ministrum exhibet: si verò ab Ecclesia non toleratur (putà, cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur.) peccat qui ab eo accipit Sacramentũ: quia communicat peccato eius.* Itaq. tota ratio, quarè, & si verum Sacramentum suscipiat, non tamen suscipit gratiam, non est præcisè, Ministri improbitas, seu infidelitas: non.n. hæc possent effectum veri Sacramẽti impedire: sed certè obex, & impedimentum, quod apponit ipse suscipiens Sacramentum: nam suscipiendo, scienter, à tali Ministro, ab Ecclesia non tolerato, peccat: accedens autem cũ obice ad Sacramentum, non potest gratiam sacramentalem consequi; quam vtiq. consequeretur, non obstante infidelitate Ministri, & vitæ improbitate, nisi ipse, accedendo, peccaret: cum illa sacramentalis gratia profluat ab ipso Sacramento ex opere operato, & vi ipsius Sacramenti. Vnde optime Caiet. ar.6. §. *Ad hoc dicitur*, inquit; *Quod actio sacramentalis potest sumi dupliciter, & secundum rationem operis operati; & sic, non exigit bonitatem, vel malitiam Ministri, nisi secundum quãdam decẽtiam; & propterea, siue bonus, siue malus sit Minister, Sacramentum verum, & efficax est.*

D.Th.

Caiet.

2 Quod si vrgeas ex Augustino, qui sæpè contra Donatistas, ait, potestatem remittendi peccata concessam esse Ecclesiæ, quatenus constat ex iustis, & sanctis. Intellige Augustinum docere, nemini remitti peccata, nisi quatenus charitate iungitur Ecclesiæ, quæ ex iustis, & sanctis principaliter constat, propter quam data est potestas Ministris Sacramentorum: & ideo illi spiritualiter data, & specialiter; ea Minister dicitur specialiter, & spiritualiter operari; vt Minister huius Ecclesię, quæ principaliter constat ex iustis, & sanctis; quibus per charitatem cõiungit eos, quos per sacramenta sanctificat, eisq. peccata remittit. Ita etiam intelligendus est Ambros. lib. *de his, qui initiantur*, cap.4. vbi asserit, quod non sanat Baptismus perfidorum: sed polluit. Ita Leo Papa, Athan. & alij Patres, qui hæc, vel similia asserunt.

Explicatur sensus aliorũ verborum Aug. & aliorum Patrum.

Ambros. Leo Athan.

3 Illud etiam verum est, quod aliquando Athanas. scribẽs contra eos Hæreticos, qui circa mysterium sanctissimæ Trinitatis errabant, præsertim, contra Arrianos ser.3. circa med. & alibi, videtur asserere, Baptismum ab eis datum, vanũ, & inutilem esse; & tantum speciem, atq. simulacrũ Baptismi, illum vocat, & inane. Hoc autem, quia (vt nos supra vidimus quodl.13.) inuocatio explicita personarum sanctissimæ Trinitatis pertinet ad substantiã formæ Sacramenti Baptismi, & sic, qui erraret in talis mysterij fide, facilè posset committere defectum essẽtialem, aut in forma, aut in debita intentione: vnde inanis esset Baptismus, & inualidum Sacramentum. Quarè loc. cit. inquit Athan. *Sicut creatura diuersum quid est à Filio: ita diuersum quiddã est, quod ab illis dari existimatur: tametsi nomen Patris, & Filij: quia illa in scripturis vident, simulent, se nominare. Non n. qui simpliciter ait, Domine, is est, qui legitimũ tribuit baptisma: sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet. Ideoq. Saluator, non quouis modo baptizandum præcipit: sed*

Exponuntur quędã Athanas. verba.

sed prius dixit, docete: deinde, Baptizate; vt ex doctrina recta fides crearetur. Quæ verba nil aliud volunt, præter id, quod nos docuimus:non.n.valorem destruunt Sacramenti Arrianorum; sed,dumtaxat, gratiæ collationem: nam ij, qui baptizabantur ab Arrianis, consentiendo,tamē, in fide,& errore Arrianorum; proculdubio,licet verè baptizati essent:non tamē sanctificationem recipiebant;ex eo,quia opponebant obicem peccati infidelitatis ipsi gratiæ sanctificanti.

Communis, & generalis interpretatio nõnullarum authoritatum Sãctorum PP. Nazianz.

4 Quod si apud aliquem ex Patribus; vt apud Nazianz.orat.40. vel alium inueniatur, non esse suscipiēdum Baptismũ ab eo, qui apertè alienus est ab Ecclesia; vel quid simile: debet id intelligi, extra necessitudinis casum: non.n.absq. necessitate,debet quis accedere, pro Sacramento suscipiendo, ad Ministrum indignum, seu Hæreticum; cũ semper prohibitum fuerit commercium, & conuersatio cum Hæreticis, præsertim,in rebus, sacris. Et sic,regulariter loquendo,non debet quis Sacramentum suscipere à Ministro Infideli: licitum tamen est in extrema necessitate,& non aliter:põ quod, si suscipiatur extra necessitatem, verum Sacramentum non fit:sed,si scienter fiat, licet baptizatus Sacramentum susciperet verum: non tamē effectum reciperet sacramentalem: peccaret.n., ad minus, ratione communicationis cum Hæretico, contra voluntatem Ecclesiæ; & sic, poneret obicem gratiæ.

§. II.

2. arg. Io.

5 SEcundum argumentum, & quasi Confirmatio prioris esse potest: nam Io.20. dictum fuit à Christo Ministris Sacramentorum: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* Cum ergo Christus, vt Apostoli possent peccata dimittere, dat eis Spiritum sãctum, videtur apertè sequi,ex ipsa Christi institutione, requiri sanctitatem, & fidem in Ministro: & non,nisi habentem Spiritum sanctum posse peccata dimittere, & sacramenta ministrare. Confirmatur ex Ecclesiast.34. vbi dicitur, *Ab immundo quis mundabitur?* Et infra eodem cap. *Qui baptizatur à mortuo, quid profuit lauatio eius? ergo, &c.* (Eccl.)

Solutio argumenti Vasq.

6 Ad argumentum principale Respondeo cum Vasq. disp.137.c.3. Christũ contulisse Spiritum sanctum, & sanctitatem Apostolis,ad remittenda peccata: non quod hæc sanctitas sit aliquid simpliciter necessarium ad validitatem Sacramenti:sed benè,secundum quid:idest, ad hoc,vt dignè,& sanctè tractarent sancta,& meritoriè:cum alias, etiam si dentur à peccatore sacramenta, & ministrētur à pessimo homine; dummodo adsit debita intentio, & reliqua requisita, sit validum, & verum Sacramentum ab ipsis collatum (iuxta dicta.)

7 Ad primam authoritatem Ecclesiast. Respondeo; Ministrum Sacramenti, cum sit merè instrumentum, agens in virtute Christi agentis principalis, non dici, mundare, virtute sua, & quantum est ex parte sua; si immundus ipse sit: sed prout gerit Christi vices, qui vtitur eo, non precisè, quatenus immundus est: sed quatenus eius creatura est; & sic poterit sanctitatem, quam ipse in se non habet, alteri præbere, vt instrumentum Christi. Ad 1. authorit. SS.

8 Ad alteram authoritatem Respõdeo cũ Suar. loco supra cit. sect.4. *§. Superest, vt fundamẽtis, &c.* literalē sensum illorum verborum, esse; itaut particula illa (*A mortuo*) non significet ordinem ad Ministrum, itaut sit sensus verborum (qui baptizatur à Ministro mortuo in infidelitate, vel in peccato, &c.) sed potius significet ordinem ad terminum a quo; itaut verborum sensus sit. (Qui baptizatur, vt mundetur ab immunditia, quam contraxit ex contactu mortui, & iterum tãgit mortuum, nihil ei prodest ablutio.) Vbi, per Baptismum, eo loco, non est intelligendum Sacramentum Baptismi: sed potius ceremonia illa veteris legis, qua, per ablutionem, legales immunditias abluebant Iudęi: Numer.19. Vnde, hoc exemplo, videtur sapiens detestari eos, qui, licet, nunc, de peccatis iam commissis conterantur, & doleant: tamen statim postea redeant ad euomitum. Et sic ait: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?* Quarè patet, nihil facere hæc testimonia contra Catholicam veritatē. (Ad 2. Suar.) (Num.)

§. III.

3 obiectio ex Donatistis.

9 TErtiò obijciunt Donatistæ. Extra Ecclesiam non sunt sacramēta: quia solius Ecclesiæ est, vera sacramenta habere: ergo Baptismus datus ab Infideli non est Sacramentum. Respondet Augustinus lib.7. de Baptismo c.23. & lib.6. c.9. (Solutio ex Aug.)

c.9.10.21.& 28. solius Ecclesiæ esse vera sacramenta habere; sed non intra solam Ecclesiam vera sacramẽta reperiri; quia B. primus datus ab Hæretico, extra Ecclesiam est; & tamen solius Ecclesiæ est; quia est Sacramentum Christi, qui est Sponsus Ecclesiæ; & ita administrari debet cum intentione Ecclesiæ, & Christi. Sicut aqua fluminis Eufrate, qui egreditur de Paradiso ad irrigandam terram, solius Paradisi est; quia soli Paradiso datum est flumẽ illud: sed extra Paradisum etiam fluit, & reperiri potest. Quam solu-

Vasq. tionem amplectitur etiam Vasquez loco citato in solutione ad tertium argumentum.

4. obiectio. 10 Quartò obijci potest: quia Hæreticus non est membrum Ecclesiæ; cum fide careat, quæ est primum vinculum membrorum Ecclesiæ: ergo non potest operari, vt Minister Ecclesiæ; nã corpus operatur per sua dumtaxat membra: ergo non potest Hæreticus sacramenta ministrare: Ministri n. Sacramentorum operantur, vt Ministri Ecclesiæ, & Christi.

Conf. Confirmatur: Vbi non est vera Ecclesia, non possunt esse vera sacramenta; sed inter Hæreticos non est vera Ecclesia: ergo neq. vera sacramenta conficiunt. Ad hæc,

Solutio Suar. Respondet Suar. §. *Quarta obiectio esse potest*. Et ad principale argumentum dicit; quod licet Hæreticus non sit membrum Ecclesiæ, quoad formam constituentem tale membrum, in esse membri Ecclesiastici; cum Christi vera Ecclesia ex Fidelibus constet: tamen, quoad ministerium, Hæreticum se gerere, vt Christi Ministrum: nam Christus, non solum per membra, sibi coniuncta; sed etiam per abscissa operatur, eisq. vtitur in suæ Ecclesiæ vtilitatem. Et in hoc sensu ait

Aug. Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 10. Christum assistere Hæretico homini cõferenti Sacramentum, iuxta ritum ab ipso institutum, propter ipsius ministerij, & Sacramenti sanctitatem.

Ad conf. 11 Ad confirmationem patet solutio ex Respõsione ad tertiam obiectionem; licet n. sacramẽta soli Ecclesiæ data sint; possunt tamen ab his, qui sunt extra Ecclesiam, impiè, atq. iniustè vsurpari; & sic possunt vera sacramenta adhuc extra Ecclesiam inueniri: licet, vbicunq. sint, veræ Ecclesiæ sacramenta sint. Sicut Euãgelium, proprium Ecclesiæ dicitur, cui datum fuit: & tamen inter Hæreticos idẽ Euangelium reperitur, iniquè tamẽ vsurpatum, ac malè intellectum.

Solutio D.Th. 12 Vel dicas, & melius ad argumentum principale, cum D.Tho. art. 5. ad 2. quod duplex est instrumentum: alterum vita carens, & separatum à principali agente, quantum ad corporis vnionem; dummodo sit coniunctum per quãdam motionem: alterum viuum, & coniunctũ cum ipso agente principali, quantum ad corporis vnionem. Artifex autem potest per vtrumq. instrutum operari: v.g. per manum, tanquam per instrutum viuum, & sibi vnitum, per coniunctionem corporis; quod instrumentum, verè dicitur membrum artificis: & per securim, tanquam per instrutum separatum à se: vnitum tamen per quandam motionem; quod quidem instrutum nõ est membrũ artificis. Ita Christus operatur in Sacramentis, & per bonos Ministros, tanquam per instrumenta, & vera membra viuentia, sibi vnita per Fidem, & Charitatem; saltèm, per fidem; & per malos, tanquam per instrumenta vita carentia, & abscissa ab ipso corpore Ecclesiæ mistico; cuius caput est Christus; licet tamen cõiuncta, in ratione ministerij, per quandam motionem, qua, per similia instrumenta, vera confert sacramenta, & Sacramẽtorum gratiam non ponentibus obicem.

2. solutio D.Th. 13 Aliam adhibet solutionem idem D.Tho. art. 9. ad 3. dicens, quod potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualẽ characterem, qui indelebilis est: & ideò, per hoc, quod aliquis ab Ecclesia vera separatur, vel excommunicatur, vel suspẽditur, vel degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramẽtum; sed tantum facultatem, seù licentiam vtendi ea potestate: & ideo Sacramẽtum verum confert: peccat tamen conferendo. Et similiter ille, qui, extra necessitatẽ, scienter ab eo accipit Sacramentum; licet verum recipiat: tamen ratione peccati, quod committit, non recipit effectũ Sacramenti, s. gratiam.

Accommodatur hęc vltima solutio nostræ doctrinę. 14 Cęterum: quia nos supra diximus, characterem non esse potestatem ministrandi; possumus hãc solutionem, eiusq. doctrinam aliter accommodare, si dicamus, per caracterem constitui hominem in esse Ministri Christi: cum character sit habilitas quædam supernaturalis, constituens habentem in tali esse; & si non sit principium operandi: & cum character sit indelebilis, semper poterit quis dici Minister, & ministrare vera sacramenta, eaq. verè conficere, atq. conferre; si adsint cœtera.

15 Sed

Defenditurã calumnia Cyprianus. 15 Sed expedit aduertere, quod, licet Cyprian. in eo fuerit errore: non tamen censetur Hæreticus, nec eius sanctitati, aut authoritati derogat, quod in re, tunc temporis non dum apertè definita, recta intentione, ac Religionis zelo potuerit errare. Imò Augustinus epist. 48. dicit, Aug. facilè credi posse, tantum virum, & sanctum hominem, ante mortem se correxisse, ac mutasse sententiam; quam etiam mutasse Patres, & Episcopos Africanos, qui prius in suo Concilio subscripserant; annuit Hieron. in Dialog. contra Luci. Hieron. Author etiam libri de car. Christi operib. Qui Cypriano tribuitur c. de Baptismo Christi, sententiam Catholicam apertè docet. Prætérquam quod Aug. lib. de vni. Bapt. c. 13. ait. *Martyrē Cyprianum, qui apud Hæreticos, vel Scismaticos datū Baptismum nolebat cognoscere, tanta merita vsq. ad triunphum martyrij sequuta sunt; vt charitatis, qua excellebat, luce, obumbratio illa fugaretur: & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.* Quæ authoritas adducitur à D. Th. ar. 9. ad 2. in fine.

16 Extat etiam, in fauorē Cypriani, insignis locus Vincent. Lyr. loc. supra cit. Vinc. Lyrin. qui ait: *O rerum mira conuersio; authores eiusdem opinionis Catholici: consectatores verò, Hæretici iudicantur: absoluuntur Magistri, condemnantur Discipuli: conscriptores librorum filij Regni erūt: assertores verò Gehenna suscipiet. Nam quis, illud Sanctorum omnium, & Episcoporum, & Martyrum lumen beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum cum Christo?* quæ verba citantur à Suar. loc. cit. Suar. *§. Ad Cyprianum dixerunt quidam, &c.*

DISPVTATIO QVINTA.

Vtrum obiectum necessarium intentionis necessariæ ad Sacramentorum validitatem capi debeat formaliter: an verò satis sit materialiter capiatur?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur titulus, & refertur sententia Catarini.

Quid intētio faciendi materialiter: & verò faciendi formaliter quod facit Ecclesia? 1 Vius disputationis titulus videtur obscurus: sed certè facilis est: licet nō ita facilis eius veritatis inuestigatio. Sensus igitur quæstionis est: An ad validitatem Sacramenti sufficiat intentio seruandi externū ritum, quem in rebus, & verbis seruat Ecclesia, quouis fine fiat? an verò requiratur, præcisè, intentio faciendi Sacramentum, vel mysterium sub illo ritu; quemadmodum Christus instituit, & Ecclesia facit? Prior intentio, dicitur intentio faciendi, quod facit Ecclēsia, materialiter tantum: secunda verò, formaliter. Vt, si, Episcopo ieiunante, singulis sextis ferijs, contingat, vt populus etiam ieiunet, adductus exemplo Pastoris, & propter bonum animæ, & virtutis: in hoc casu, diceretur populus formaliter facere, quod facit Episcopus, qui ex eodem fine operatur. Quod si contingat, aliquem de populo ieiunare, nō ad imitationem Episcopi: sed propter salutem corporis: vel præ fastidio carnium: dicitur hic materialiter tantum facere, quod facit Episcopus. Et hic est sensus præsentis difficultatis.

2 In qua, Catarinus in opusc. de intent. Ministri Sacramentorum, existimat, Sententia Catar. sufficere intentionem seruandi ritum externum, quem Ecclesia obseruat: & præter hanc, nullam aliam requiri. Pro qua sententia citat Palud. in 4. dist. 6. q. 2. ar. 3. Palud. Angel. verbo, *Baptismus*, 5. n. 7. sed certè Angel. hic

hic docet oppositum, si legatur attentè. Et Palud. tantum affirmat, sententiam illam esse probabilem. Verum illam sequitur expressè Syluest. verb. *Baptismus*; 3. n. 12. & existimat esse D.Th. in locis infra citandis.

Syluest.

Probatur 1. ex Chrisost.

3 Probatur autē primò testimonio Chrisostomi homil. 85. in Io. vbi ait, *Sacerdotem adhibere linguam, & manus; quia non est iustum, vt propter malitiam alterius, offendantur accedentes ad Sacramentum.* Ac si clarius diceret, in Ministro non requiri aliam intentionem, nisi adhibendi manus, & linguam; ne, si alia requiratur, qui accedat ad Sacramētum, defraudetur illo, sine culpa, propter malitiam Ministri, non habentis intētionem, quam debebat.

2 ex Aug.

4 Deindè, testimonio Augustini l. 7. de Bapt. c. 53. vbi de Baptismo, qui confertur per iocum, non audet diffinire, vtrum sit validus, vel ne: sed expectandā, inquit, esse Dei reuelationem. Quæ authoritas confirmatur ex historia Athanasij, qui (vt inferius videbimus) baptizauit per ludum pueros sibi coetaneos; & talis Baptismus pro valido habitus est ab Alexandro, & alijs Episcopis: ergo satis est ad Sacramentum intentio faciendi materialiter, quod facit Ecclesia.

Athan.

3. ratione.

5 Tertio probatur ratione, quia in contractibus humanis non requiritur, ex parte Ministri, intentio contrahendi: sed satis est intentio proferendi verba, quibus Dominus, intentione sua, contrahit per Ministrum: ergo similiter in Sacramentis.

Probatur 4.

6 Quartò, quia sequeretur, Hæreticum, qui non assentitur doctrinæ de Baptismo, non posse validè baptizare: quia non potest habere intentionem faciendi mysterium, per illa verba; eo quod intentio est affectus efficax, qui non potest ferri in rē, quæ existimatur impossibilis: sed Hæreticus ille existimat impossibile, sub illis verbis latere mysterium: ergo nō potest intēdere formaliter facere Sacramentum.

Probatur 5. ex alia histo ria. Suar.

7 Possumus addere huic, in corroborationem historiæ Athanasij, aliam historiam, quam refert Suar. disp. cit. sect. 2. §. *Potest autem*. ex Nicefor. l. 3. histor. c. vlt. de quodam puero Hæbreo, per ludum, ab alijs pueris baptizato; qui Baptismus, in Ecclesia Constantinopolitana approbatus est, & non fuit iteratus, sed solum additæ cęremoniæ, quæ defuerunt: ergo signum est, à Patribus dictę Ecclesiæ fuisse iudicatum, quod ad veritatem Baptismi nil aliud requiritur, præter ablutionem, & debitam formam; nā de his tātum, in tali casu, & in illo Athanasij poterat constare; cum de interna intentione, non solum constare non potuerit; verum, neq. satis probabili ratione præsumi: quod tamen necessarium erat, si existimaretur talis intentio necessaria, præsertim in re tàm graui, & in Sacramento tàm necessario ad salutem.

CAPVT II.

Ostenditur non sufficere intentionem materialiter sumptam.

§. I.

1 Cœterum opposita sententia communis est apud DD. nimirum, non sufficere illam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, materialiter tantum sumptam, modo explicato: sed necessario requiri intentionem faciendi formaliter; idest (vt optimè explicat Suar. loc. cit. § *Dicendum nihilominus est*.) Ad faciendum Sacramentum non sufficere externam effectionem cęremoniæ sensibilis, nec voluntatem efficiendi illam actionem, quasi materialem: sed requiri intētionem faciendi Sacramentum; vel sub hoc conceptu; vel sub aliqua ratione, saltem confusa, & communi, seu ęquiualenti: s. intendendo facere, quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt; vel aliquid simile: quilibet .n. ex his modis intentionis, absq. controuersia, sufficit, & reperiri potest in Hæretico, vel alio Infideli, & in homine ignorante. Ita hoc dictum explicatur à multis alijs Doctoribus, quos refert idem P.Suar.

Conclusio, requiri intentionem formaliter sumptam.

Explicatur.

2 Huius autē fuisse sententiæ D.Th. non est cur vertatur in dubium: nam licet in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 2. in contrariam opinionem videatur esse propensus; siquidem, referēs opinionem asserentium, in Baptismo, & alijs Sacramentis, quæ habēt in forma actum exercitum, non requiri mentalem intentionem; illi adhærere videtur; cum eam secundo loco referat, nec reijciat: cęterum 3. p. q. 64. art. 8. satis clarè huic communiori

Quid sentiat D.Th.

niori fauet. Quod patet primò, nam in corp. art, quod *cum ea, quæ in Sacramentis aguntur, possint diuersimodè agi; ideò oportet, quod determinentur ad vnum; idest, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis*. Ex quibus verbis, patet, D. Tho. requirere intentionem faciendi formaliter, quod facit Ecclesia; nam habere tantum intentionem abluēdi, & proferendi verba, non est, habere intentionem faciendi sacramentalem effectum: quia intentio abluendi tantum, indifferens est; & tota illa actio posset fieri per ludum; vel ad obtinendam sanitatem corporalem, &c. D. autem Tho. requirit intentionem ita determinatam, vt hanc indifferentiam tollat, & determinet actionem ad esse sacramentale: quia sola verba, per se, ad hoc non sufficiunt; cum possent etiam ipsa ad varios fines proferri.

3 Item in solutione ad primum, postquam dixisset, instrumentum inanime non habere aliquam intentionem, respectu effectus: sed, loco intentionis, esse motum, quo mouetur à principali agente: instrumentum verò animatum, quale, inquit, esse Ministrum, non solum moueri, sed etiam quodammodo mouere se ipsum, in quantum, sua voluntate, mouet membra ad operandum. Ex quibus verbis tantum posset Catarinus inferre: ergo D. Th. videtur tantum requirere voluntatem mouendi membra ad operandum in Ministro; & ex consequēti, intentionem faciendi externas illas cæremonias. Verum Sanctus Doctor statim subdit, *(Et ideò requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti; s. intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia)* quid clarius? intentio, qua se Minister subijcit principali agenti, non est sola intentio faciendi illas externas cæremonias: sed est interna intentio: ille .n. qui per ludum, & iocum habet intentionem faciēdi illas externas res, & proferre verba, non dicitur se subijcere, illa intentione, principali agenti sic etiam, ex alijs locis eiusdem quæstionis colligi potest (vt optimè vidit Suar. in commēt. art. 8. & sect. 2. cit.) hanc esse D. Th. legitimam mentem.

§. II.

Obiectio. 4 NEq. valet dicere, D. Tho. non requirere hanc intentionem faciendi, s. Sacramētum; sed, ad summum, conferendi sacramentalem effectum: ita explicat D. Thomam Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 8. circa solutionē ad 2. ex eo, quod S. D. ait; *Oportet, quod determinetur ad vnum, idest, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis*; vbi *(ad sacramentalem effectum)* dicit, non, *(ad Sacramentum.)* Soto.

5 Respondeo tamen, intentionem, præcisè, conferendi effectum sacramentalem; quatenus distinguitur ab intētione conferendi Sacramentum, non esse necessariam ad perfectionem Sacramenti; imò, neq. ad eius effectum; si quis .n. intendat conferre alteri Sacramentum Baptismi; etiam si nolit ipsum sanctificare, & gratiam sacramentalem illi conferre, Sacramentum validum erit, si non ponatur à suscipiente obex. Quarè D. Tho. per *sacramentalem effectum*, non intelligit, præcisè, gratiam, aut characterem, primò, & principaliter: sed ipsum esse Sacramenti, quod est effectus Ministri. Itaque, intendere sacramentalem effectum, nil aliud est, quam intendere cōstitutionem Sacramenti, perficiendam, mediante actione ipsius Ministri. Patet ergo D. Th. fauere potius huic communiori sententiæ. Solutio.

§. III.

6 PRobatur autem modo facilè conclusio nostra, ratione Theologica: quia Hæretici, quos damnat Tridentinum, non negabant priorem illam intentionem adhibendi res, & verba: imò eam expressè confitebantur: negabant ergo aliam intentionem; s. faciendi mysteriū, quod facit Ecclesia: quam, Tridentinum definit, esse omninò necessariam. Et confirmatur ratione à priori: quia sacramenta instituta sunt à Christo per modum cæremoniæ sacræ, ad cultum Dei, & medicinam animarum: ergo ex parte Ministri requiritur intentio faciendi cæremoniam sacramentī: constat autem, intentionem adhibendi res, & verba, non sufficere ad cæremoniam: quia cæremonia dependet ex intentione deferēdi cultum per opus externum; & inductione cōstat in omnibus Sacramentis: nam in Baptismo eligitur homo ad ouile Ecclesiæ, cuius charactere designatur: ergo necessaria est in Ministro intentio aggregandi ad Ecclesiæ gregem. In Confirmatione, & Ordine eligitur miles ad militiam; & Minister ad functiones sacras: ergo necessaria Probatur concl Theologicè. Probatur à priori.

saria est intentio eligendi ad prædicta ministeria. In Pœnitentia impenditur absolutio, tamquam sententia iudicialis: ergo requiritur intentio absoluendi. In Eucharistia Sacerdos profert verba ex persona Christi, & in memoria passionis eius: ergo requiritur intentio repræsentādi personam eius. In Extrema Vnctione forma est deprecatiua; & ita pendet ab intentione orantis. Et idem iudicium est de Matrimonio. Et in vniuersum omne Sacramentum oportet administrari cum intentione deferēdi cultum, saltem, in confuso, & generaliter.

Probatur à posteriori. 7 Probatur etiam à posteriori. Quia si ad valorem Sacramenti sufficeret intentio adhibendi res, & verba, sine intentione efficiendi cæremoniam sacram; sequeretur, cum in comœdia tragicè, vel comicè simulatur Baptismus, perfici Sacramentum; quod est absurdum: consequentia probatur, quia tunc adest intentio adhibendi res, & verba, & sufficiēs Minister: ergo, &c.

CAPVT III.

Satisfit argumentis in contrarium adductis.

§. I.

Satisfit 1. obiectioni. 1 Oportet satisfacere obiectionibus, in fauorem oppositæ sententiæ adductis: & primo ad primam Respondeo ad testimonium Chrisostomi; sensum eius esse longè diuersum: (Exponitur Chrisostom.) repræhendit. n. ibi quosdam laicos carpentes vitam Sacerdotum, eo prætextu, quod ab ipsis accepturi essent sacramenta: & docet, populum, illa de causa non debere esse sollicitum de moribus Ministrorum: quia Sacerdos in Sacramento adhibet linguam, & manum: quasi dicat; non adhibet necessariò vitam, & meritum: & ita, propter malitiam vnius non debere offendi eos, qui accedunt ad sacramenta. Vbi, nomine, *Malitia*, non intelligit defectum intentionis: sed defectum virtutis, & vitæ laudabilis. Nomine autem *Lingua, & Manus*, tacitè comprehendit intentionē faciendi, quod facit Ecclesia, modo explicato: quia loquitur de Sacerdotibus Catholicis; quos, & si contingere potest, aliquandiu in vitia prolabi; credendum tamen non est, sine legitima intentione administrare sacramenta.

2 Ad testimonium Augustini, cuius mens perplexa videtur, atq. difficilis; Respondeo, Augustinum in eo cap. duas quæstiones proponere: alteram, de Baptismo, fallaciter, & per iocum collato à Ministro: recepto autem à suscipiente verè, & ex animo; alteram, de Baptismo fallaciter dato, & per iocum etiam accepto. Et ad priorem quæstionem Respondet, nil esse temerè diffiniēdum; eo quod Ecclesia illuc vsq. eam quæstionem non definierat; neq. in Concilio Regionali, neq. in plenario, & vniuersali. Quod si Augustinus ipse in Concilio interrogaretur, existimat, se responsurum, iuxta ea, quæ sensiebat, cum hæc scriberet, s. validum esse Sacramentum. Hæc est sincerè mens Augustini. Ex quo constat, nōdum ipsum satis perspectam habuisse veritatem, quam postea probauit Ecclesia. Sed ex hoc loco, non solum nil potest colligere Kemnicius: verum nos ipsum acriter possumus vrgere: quia si Augustinus vidisset diffinitiones Conc. Florent. & Trident. quas vidit Kemnicius; apertè ibi confiteretur, se in eandem venturum sententiam. Ad 2. Exponitur Aug.

3 Ad posteriorem quæstionem Respondet Augustinus, expectandum esse Diuinum oraculum; & à Deo postulaturum precibus continuis, vt veritatem reuelaret. Quorum verborum sensum male intellexerunt Durand. in 4. dist. 6. q. 2. nu. 10. & Soto dist. 1. q. 5. art. 8. §. *Ad aliud*; (Dur. Soto.) quasi Augustinus senserit, expectandum esse oraculum, quo reuelaretur intentio baptizantis; vtrum s. fuerit iocosa, vel seria? hoc. n. Augustinus nunquam dixisset: quia si prodenter dubitaretur de intentione baptizantis, ad manum erat remedium, s. repetere Baptismum sub conditione. Sensit ergo Augustinus, expectandum esse oraculum, quo reuelaretur, vtrum Baptismus validus esset, vel non? quod oraculum iam habemus, s. Baptismum validum esse, in eo casu, ex Concilijs citatis.

4 Ad obiectionem verò de Baptismo Athanasij, cuius mentionem facit Euseb. lib. 10. histor. c. 14. Rufinus, & Sozomenus, relati à recentioribus; Respondetur ex doctrina Vgon. Victor. lib. de Sacramentis p. 6. c. 13. quem rectè dilucidat Caiet. super hunc art. D. Th. duobus modis posse aliquid fieri per ludum, & iocum: primo, sine animo faciendi; sed (Ad casum Baptismi Athanasij per iocū. Euseb. Rufin. Sozomen. Vgo. Caiet.)

solum

solum simulandi factum; veluti, cum in Comędijs datur anulus, vel aliud munus, sine voluntate donandi: sed solum repręsentandi rem gestam. Secundo vero dicitur aliquid fieri per iocum, cum animo faciendi; sed ex fine præpostero; vt, si Sacerdos in conuiuium velit consecrare panem, & vinum, eo solo fine, vt illudat conuiuis, & eos ex proprijs sedibus surgere faciat, propter reuerentiam Sacramenti. Si Sacramentum fiat per iocum primo modo, inualidum est: quia non adest intentio faciẽdi, quod facit Ecclesia: sed simulãdi dumtaxat factum illud. Si verò fiat per huiusmodi posteriori modo, validum est Sacramentum, quia adest prædicta intentio; licet desideretur debitus finis. Et hoc posteriori modo baptizasse Athanasiũ; nimirum, propter delectationem capiendam ex facto illo, & cum intentione faciendi, quod faciebat Episcopus Alexandrinus, colligit Durand. (Duri) vbi supra ex eo, quod solos Cathecumenos baptizauit (vt referunt prædicti Historiographi.) Et ita ab Alexandro Episcopo Baptismus pro valido declaratus est. Et eodem modo Respondet Suar. ad casum Baptismi pueri Hebrei, per ludum, ab alijs pueris baptizati; vltimo loco, pro contraria sententia adductum.

§. II.

Ad 3. 5 AD tertium ex ratione contractus desumptam, Respondeo, ad valorem contractus satis esse, si innotescat de voluntate contrahentis per Ministrũ, per verba, aut per Scripturam: in Sacramentis tamen, sicut non sufficit exprimere formam in scriptis; ita neque satis est, quod constet de voluntate Dei, per sola verba Ministri, sine intentione administrandi: hoc autem ex eo prouenit, quod Christus decreuit, vt voluntas sua insinuaretur per sacramenta, religioso modo; atq. adeò per Ministrum, proferentem verba, tanquam ceremoniam sacram.

Obiectio. 6 Sed obijcies: subsistente significatione verborum, & rerum, subsistit Sacramentum: sed signum non pendet ex intẽtione proferentis: sed ex intentione imponentis res, & verba ad significandum: ergo sine intentione Ministri potest constare Sacramentum. Solutio. Respondetur, significationem rerum, & verborum non dependere proxime ex intẽtione Ministri: sed ex intẽtione Dei: cęterum quia Deus noluit, res, & verba significare gratiam, nisi adhiberentur cum intentione Ecclesiæ; inde est, quod signum rerum, & verborum in Sacramentis, remotè, saltem dependeat ex intentione Ministri; & ex consequenti, etiam Sacramentum ipsum.

7 Ad aliam rationem, Respondeo; Ad 4. intentionem faciendi, quod facit Ecclesia non pendere ex fide facientis: quia potest quis intendere facere id, quod facit Ecclesia, quodcunq. illud sit; etiam si existimetur illud fore nullius vtilitatis. Quod, vt melius percipiatur, not. est; tribus modis posse haberi intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: primò si cognoscatur Ecclesia vniuersalis, & sciatur, quæ sit eius intentio, distinctè, & in speciali. Nota triplicem intentionem faciẽdi quod facit Ecclesia. Secundò si ignoretur Ecclesia vniuersalis; cognoscatur tamẽ Minister particularis Ecclesiæ, & habeatur intentio faciendi id, quod facit Minister ille: nam cum particularis Minister veram intentionem habeat vniuersalis Ecclesiæ; eandem etiam habebit intentionem, qui Ministrum illum imitatur. Tertiò si ignorata Ecclesia vniuersali, & particulari; sciatur tamen, res, & verba adhiberi solere apud aliquam Rempub. pro ritu, & cęremonia sacra; & ex hac notitia, habeatur intentio adhibendi res, & verba, tãquam cęremoniam; quæ apud aliquos creditur esse in vsu. Et quocunq. ex his tribus modis intentio habeatur, perficitur Sacramentum. De primis duobus, nulla est difficultas. De tertiò constat, quia in illa intentione faciendi ritum sacrum, saltem confuse includitur id, quod facit Ecclesia: quia Ecclesia sub rebus, & verbis exhibet Deo cultum Sacramenti, & ritum sacrum: igitur quamuis Hæreticus ille non habeat prædictam intẽtionem priori modo, neq. secundo; ad minus, tertiò modo habere potest: quia potest intendere facere ritum, quẽ scit, apud aliquos esse in vsu, sub rebus, & verbis sacris, cuiuscũq. vtilitatis, aut inutilitatis illæ sint, quia quamuis existimet, esse impossibilẽ fructum prædictæ cęremoniæ, & illum nequeat intendere affectu efficaci; tamẽ, cęremoniam ipsam esse impossibilem, iudicare non potest: quia videt, apud aliquos esse in vsu; & ita obiectum suæ intentionis requisitæ ad Sacramentum, nõ manet impossibile.

8 Sed obijcias: saltem Hæreticus ille Obiectio. existimat, eam cęremoniam superstitiosam esse, & vanam: ergo non potest habere

bere intentionem deferendi Deo cultum per illam; & ex consequenti, neq. faciendi mysterium sub illis verbis. Respondeo

Solutio.

conc. antec. & neg. primam consequentiam: quia potest habere intentionem faciēdi cęremoniam, quantumuis vana, & superstitiosa credatur, propter finem extrinsecum, s. vt complaceat petenti: & ad veritatem Sacramenti, non requiritur intentio faciendi id, quod Deo gratum existimatur: sed faciendi id, quod, tanquam gratum Deo, creditur fieri, aut dicitur ab aliquibus; quamuis sine spe fructus, quem alij ex prædicta cęremonia sperant.

§. III.

In collatione Eucharistiæ nulla requiritur intentio.

9 SEd not. quod in Sacramento Eucharistiæ, postquam confectum est; ad illud s. conferendum, non requiritur aliqua intentio; cum sit Sacramētum permanens in facto esse: vnde etiam si casu sumatur, verum Sacramentum sumitur in te; non n. ab illa collatione, seu intentione pendet, siuè in fieri, siuè in conseruari, tale Sacramentum; cum supponatur iam antea factum.

Non requiritur in Ministro intentio conferendi gratiam.

10 Item not. quod non requiritur in Sacramento intentio conferendi eius effectum: nam etiam si Minister non adhibeat intentionem dandi gratiam; imò & habeat intentionem non dandi; dummodo ex alia parte adsit intentio faciēdi Sacramentum, & non ponatur obex ex parte suscipientis; proculdubio Sacramentum collatum habebit suum effectū: quia Sacramentum factum, & collatum se habet, vt causa naturalis, & nō libera; & sic naturaliter operans, independenter à voluntate Ministri, si non inueniat obicem.

Sacramētum ab Hęretico susceptum, potest esse dubium.

11 Item not. tertiò, quod licet sacramenta, suscepta ab Hęretico habeant aliqualem incertitudinem, cum posset dubitari de eius intentione: vnde, quoad fieri potest, non debet ab Hæretico Sacramentum sumi: tamen non est adeo inconueniens, quod tale Sacramentum sit aliquo modo suspectum, ex conditione personarum res humanæ habeant quasi semper aliquam incertitudinem annexā. Cęterum non est simpliciter dubium tale Sacramentum, si nullus alius euidentior defectus intercedat, vel timeatur, præter defectum intentionis; cum possit Hæreticus illam habere (vt vidimus.) Neq. obstat locus Augustini super Psal. 31. vbi ait; quod *Intentionem rectam non nisi recta fides facit*: nam Augustinus intelligendus est de rectitudine honestatis

Aug.

meritoriæ, & quæ ad vitam æternam cōducat. Quarè moraliter certus esse debet sic baptizatus de veritate Sacramenti. Et hæc certitudo moralis sufficit ad sedandas conscientias.

§. IV.

Quid si Minister malitiosè nō habeat necessariam intētionem?

12 QVod si Minister aliquis iniquè, & malitiosè tali careat intentione, quid sentiendum? Ad hoc bifariam possumus Respondere: primò, ex ipsa lege ordinaria, & institutione Christi: & sic dico cum communiori sententia; sic baptizatum à non habente necessariam intētionem, ex ipsius Ministri iniquitate, & malitia proculdubio damnari. Quod quidem nullo negotio tribuendum foret Deo, qui sufficiēter omnibus prouidit de medijs ad omnium salutem; modo tamen ipsis hominibus accommodato; vt nimirum, homines hominibus ministrarent remedia ad ipsorū salutem necessaria. Et licet in illo casu ille sic baptizatus priuetur suo spirituali medicamine, iniustitia hæc, & iniquitas tribuenda est iniquissimo Ministro, & nō Deo. Cur autem consentiat Deus huiusmodi iniquitati? iam supra expositum est quodlib. 14. agentes de permissione peccati, & reprobatione aliquorum. Neq. is, qui tali remedio priuaretur in tali casu, diceretur propriè alterius culpa damnari, nisi per accidens, & merè negatiuè: nam, per se, propriè, & ratione sui peccati origin. quo demerebatur talem cōsequi gratiam, damnari diceretur. Ita etiam Respondet P. Suar. Quę doctrina, præscindendo à summa Dei bonitate; sola ipsius lege inspecta, atq. iustitia, verissima est, & optima.

1. sententia.

Suar.

2. sententia magis pia.

13 Cęterum magis consonum Diuinæ pietati, ac miserationi videtur dici etiam posse; in tali casu, Deum supplere, sua immensa bonitate, malitiæ, & iniquitati Ministri. Siquidem baptizandus, bona fide, vel ipsiusmet, vel parentum accedit, facit quicquid ex parte sua faciendū præcipitur; & bona fide credit, se illo Baptismo baptizatum: cur non piè credendum est, quod videns Deus illam impij Ministri impietatem, non ipse occurrat sua clementia, & suppleat omnem defectum, qui interponitur à Ministro peruerso? Hæc autem sententia aliud funda-

men-

mentum non habet, ab ipsa immensa Dei misericordia, ac pietate summa. Aliqua ex parte videtur huic sententiæ fauere D.Tho. art. 8. ad 2. vbi referens primam opinionem, dicit (*Circa hoc est duplex opinio. Quidam n. dicunt quod requiritur mentalis intentio in Ministro, qua si desit, non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum, in pueris qui non possunt habere propriam intentionem accedendi ad Sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & deuotio.*) Et subdit, aliquid approbando in hac sententia, & aliquid reprehendendo, dicens. (*Sed hoc satis posset dici, quantum ad vltimum effectum qui est iustificatio à peccatis: sed quantum ad effectum, qui est res, & Sacramentum: s. quantum ad characterem, non videtur, quod per deuotionem accedentis possit suppleri: quia character nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum.*) Quibus verbis apertè D.Th. fatetur, quod si quis baptizetur à non habente intentionem, suscipiet, ex misericordia Dei, iustificationem à peccatis: quia, ex sola sua pietate immensa, loco intentionis Ministri, quæ deesset, respectu paruulorum, ipse, interius paruulum baptizãdo, suppleret: &, respectu adultorum, dignaretur, loco illius intentionis Ministri, quæ deesset, acceptare eiusdem adulti fidem, & deuotionem, quibus ad baptismum accederet, & sic illum sanctificaret. Sentit ergo D.Th. quod, licet nullum esset Sacramentum, in rei veritate collatum, ob defectum intentionis necessariæ: cęterum ne damnaretur illa anima illius, qui bona fide accessit ad suscipiendum Sacramentum; & bona fide postea se credit baptizatum; & habet ignorãtiam inuincibilem talis maliriç Ministri, & defectus intentionis, Deus illum iustificaret; & sic reciperet gratiam iustificantem, absq. tamen Sacramento. & ex consequenti, absq. impressione characteris sacramentalis, qui nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum: in eo casu, nullum esset Sacramentum: ergo nulla characteris impressio.

Not. ex D. Th.

14 Quarè ad saluandum pariter Sacramentum, subdit secundam sententiã, dicens. (*Et ideò alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est Minister: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.*)

15 Casus secundæ solutionis doctrina, in eiusdem S.D. sententia, est satis difficilis; ex ea namq. videtur posse inferri, non requiri in Ministro aliquam propriam intentionem mentalem: sed sufficerę illam intentionem, quam exprimit ipsa Ecclesia per Ministrum in prolatione, dumtaxat, verborum. Quod est contra eundem Sanctum Doct. qui art. 10. q. 64. cit. in corpore, sic ait: (*Intentio Ministri potest peruerti dupliciter: vno modo respectu ipsius Sacramenti; puta, cum aliquis non intendit Sacramentum conferre; sed derisoriè aliquid agere*) hic est casus noster, vbi subdit: (*& talis peruersitas tollit veritatem Sacramenti.*) Quod si sufficeret illa sola verborum prolatio, qua exprimitur intentio Ecclesiæ, nunquam non perficeretur Sacramẽtum, ex defectu intentionis, quantumuis peruersę peruersitatis Ministri: ergo mẽs D.Th. alio tendit.

Obiectio contra hanc doctrinam D. Th.

16 Ad quam difficultatem subtilissimè (vt solet) Respondet Caiet. sensum D.Tho. esse sumendum ex proposito, ad quod loquitur, nimirum, difficultatis motæ in argumento; quod quidem argumentum videbatur inferre, quod, si mentalis intentio Ministri esset necessaria, nullus esset certus, se esse verè baptizatũ. Ad hoc ergo propositum Respondens D.Th. ait; quod, quantum attinet ad hãc certitudinem nostram, de susceptis Sacramentis, sufficit intentio Ecclesiæ, per Ministri verba expressa; nisi per Ministrũ, aut suscipiẽtem contrarium exprimatur exterius. Itaq. (inquit Caiet.) *Non intendit S.D. quod hæc intentio Ecclesiæ sit sufficiens ad perfectionem Sacramenti, simpliciter, sed ad perfectionem eius, secundum humanam certitudinem*; ne baptizati cõtinuò crucientur dubitatione sui Baptismi, an verè sibi fuerit collatus? Et quidẽ solutio doctissima, & ingeniosissima est. Cui tamen liceat addere, quod in argumento à D.Tho. proposito, non supponitur Minister habere contrariam intẽtionem: imu potius oppositum: nam dum ait (*quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est Minister:*) hęc verba, puto, non esse intelligenda simpliciter, & specificatiuè; sed in sensu reduplicatiuò: s. (*quod Minister Sacramenti agat, vt Minister totius Ecclesiæ; & quatenus gerit vices Ecclesiæ totius:*)

Solutio ex Caiet.

Adde ex authore doctrinæ Caiet. intelligentiam particularẽ mẽtis D. Th.

tius:) &, vt sic, exprimit intentionem Ecclesiæ in prolatione verborum.

Ratio huius explicationis.

17 Moueor autem ad sic intelligendum D.Th. ex his, quæ paulò antea dixerat; dum in prima solutione, quam refert ad illud secundum, probauit, quod in casu, quo deesset intentio mentalis in Ministro, respectu paruulorũ, suppleret Christus, interius baptizando: respectu vero adultorum, supplerent intentionis defectum, baptizati fides, & deuotio; quãtum .f. ad iustificationem à peccatis: non autem, quantum ad characterem, qui non imprimitur, nisi verum Sacramentum suscipiatur. Vnde apertè colligitur, D.Tho. expressè sentire; quod, si desit mentalis intentio, non confertur verum Sacramẽtum: quomodo ergo ex sola prolatione verborum, in casu deficientiæ internæ, & mentalis intentionis Ministri, poterit baptizatus certificari, se verum Baptismũ, verumq. suscepisse Sacramentum? Igitur non loquitur D.Th. de Ministro non habente intentionem mentalem; cum iam vbiq. supponat, illam omninò esse necessariam. Et sic art. 10. ad 2. dicit, quod si quis Minister habeat tantum intẽtionem iocosam, non conficiet Sacramentum. v.g. (prout exemplificat idem Caiet. ibi.)

Caiet.

Si quis, non intendendo facere, quod facit Ecclesia: sed facere tantum actum exteriorem, similem actui, quem facit Ecclesia, vel derisoriè, vel delectationis socialis gratia: huiusmodi iocosa intentio tollit veritatem Sacramenti: quia tollit intentionem Ministri. Hæc Caiet. Ex quibus verbis, infero; ergo si quis, sic iocosè, baptizet aliquem, & proferat verba Baptismi, ex tali prolatione, dumtaxat, non poterit certificari de veritate Sacramenti; quia potuit baptizari à Ministro, tantum iocosè baptizante: igitur non potuit D.Th. excludere veram intentionem mẽtalem Ministri; nec.n. id postulabat argumentum, prout optimè hoc particulariter vidit Caiet.

Nũquam debet baptizatus anxius esse de veritate sui Baptismi.

18 Item addo (& pro immensa Domini misericordia hoc dictum sit) quod, dato casu, in quo Minister verè non habeat intentionem illam mentalem; imò oppositam; dummodo adhibeat cętera essentialiter requisita ad Sacramentum; nec apponatur obex à suscipiente; nunquam tamen suscipiens debet anxius esse de suo Baptismo, absolutione, &c. tùm quia Deus, facienti, quod in se est; ex auxilio, tamen, ab ipso met Deo gratissimè collato; non denegat pientissimus gratiam suam; idquè, ex fidelitate, non ex iustitia: non.n. vult homines perire, qui omnes vult saluos esse: & sic, etiam si deesset in Ministro intentio illa necessaria, ipsa tamen Diuina clemẽtia, (piè credẽdum est) suppleret illius intentionis defectum, absolutè; & hoc, nedum in paruulis; sed etiam in adultis, debitè tamen accedentibus. De pueris, fatentur etiam authores primæ solutionis relatæ à D. Tho. & etiam ipse met D.Th. non discrepat. De adultis autem, non est cur consentiam cum dictis authoribus, qui asserunt, suppleri in adultis defectum intentionis per eorum fidem, & deuotionem, nisi in casu, quo adultus accedat verè cõtritus: tunc enim nulla esset inter nos dissensio. At verò si accedat attritus cum aliquali fide, & imperfecto dolore; vel saltem absq. obice, nõ poterit hæc attritio, de se, talem intentionis supplere defectum: quid.n. plus habet hæc eadem fides, siue deuotio, siuè dolor, in casu deficientiæ intentionis Ministri, quod non haberet, si intentio non deesset? sed sic est, quod idem, in quantum idem vbicunq. ponatur, semper natum est facere idem: ergo si, de se, non est apta talis imperfecta attritio ad impetrandam gratiã iustificationis attritio; nunquam, de se, apta erit; & sic minus apta in casu deficientiæ intẽtionis necessariæ in Ministro ad Sacramentum. Et ex consequenti, nõ poterit talis imperfecta fides, seù deuotio suscipientis Sacramentum supplere defectum illum intentionis. Dicendum ergo est, talem defectum, etiam in adulto, (piè credi potest,) suppleri à summa clementia Saluatoris.

Nota hanc qiam doctrinam.

Diuina pietas nedũ suppleret defectũ intentionis in ordine ad iustificationem: sed etiam in ordine ad collationem veri Sacramenti.

19 Neq. (in priuatis tamen concertationibus) inconueniens, iudicaui, asserere, (piè tamen;) nedum Diuinam miserationem immensam, in tali casu, supplere illum intentionis defectum, in ordine ad iustificandum accedentem ad Sacramẽtum: verum etiam, ad hoc, vt verum suscipiatur Sacramentum. Motus non alia ratione, nisi: quia illa collatio gratiæ, in casu præsupposito, non esset ex vi operis operantis, vt certum est; vbi non adsit vera contritio, saltem, & cum voto Sacramenti: ergo ex vi alicuius operis operati: sed nullum aliud ibi intercedit opertum opus, præter cęremoniam illam externã sẽsibilem rerum, & verborum; licet absq. debita, & necessaria intentione à Ministro peruerso, prolatorum. ergo vi huius cęremoniæ confertur iustificatio: ergo

illa

illa externa ceremonia erit verum Sacramentum: patet consequentia: non.n. intuitu illius, gratia conferretur, nisi esset Sacramentum: nam hæc est ratio essentialis Sacramenti, signum esse gratiæ præsentis: vel (prout nos Sacramentum diffiniuimus quodl. 15. disp. 2. c. 4. §. 5. nu. 16.) *Sacramētum est sacrum sensibile signum Diuinæ gratiæ, stabili lege institutum, aliquam suscipienti conferens sanctitatem.* Sed, in casu posito, illa ceremonia est signum sensibile gratiæ, à Deo ad conferendam gratiam institutum; & pariter confert sanctitatem suscipienti: quid ergo illi deest ad rationem Sacramenti?

Nota benè pro clemētia immensa Domini.

20 Dices; deesse Ministri intētionem faciendi, quod facit Ecclesia. Et hic illustrem facit Deus misericordiam suam, & nimis speciosam; qui, cum instituisset sacramenta sua, & voluisset, illa, etiam, aliquo modo, ab intentione Ministri depēdere; cum potuisset velle, non depēdere: videns, in eo casu, frustrari finem suæ institutionis ab iniquitate peruersi Ministri; ex vi illius sapientissimæ voluntatis suæ, qua voluit, per sua sacramenta, homines saluare; piè credibile est, quod tūc moueatur (illius animæ, quæ pro salute, ad sacramenta salutis accedit, absq. alio obice; misertus) & pietate sua suppleat defectum intentionis Ministri, pro tunc legi ordinariæ dispensando; ita vt verum recipiat Sacramentum, gratiam sacramētalem, & omnia alia ad verum Sacramentum consequentia; nempè, characterem sacramentalem, auxilia, &c. Et pro benignitate Domini hoc dicebam. Neq. video, quid possit in contrarium adduci; cur.s. potens sit Diuina pietas ad supplēdum intentionem illam, quæ in Ministro deest; ad hoc, vt conferatur gratia accedenti ad Sacramentum; & impotens ad supplendum defectum eiusdem intētionis in ordine ad conferendum verum Sacramentum. Benè verum est, quod id misericordiæ specialis, quod erga aliquem præstaret omnipotens, non esset necesse, conferret omnibus æqualiter; nam cui vult miseretur. Ita opinionem hanc non semel sustinui in familiaribus cum doctissimis viris colloquijs. Attamen, ne pariat nouitatem, non audet humilitas ingenij mei huiusmodi doctrinā palàm statuere, nec eam hic assero: licet certè mihi videretur, esse tantum de nomine quæstio, in casu posito. Ceterum si veritas hæc aliundè constaret, eam satis congruam existimarem clementiæ clementissimi Dei, quæ summa est, & ineffabilis; &, quantum est ex se, non suffert perire animas suas, quæ obicem, ex earum parte, non ponunt saluti Seruatoris potentissimi, qui plus cupit nos saluare, quam nos ipsi saluari cupiamus.

§. V.

Cur Christus non instituit sacramenta absq. dependentia ab intentione Ministri?

21 Dices: si Deus potuit sic instituere sacramenta, vt independenter ab intentione Ministri, ex sola platione verborum, & ministerio rerum perficerētur, cur non ita instituit? nam tutior potuisset esse suscipiens de veritate suscepti Sacramenti; & nemo anxius esset de suo Baptismo. Imò congruentius sic factum esset: hoc autem sic potest suaderi: nam Sacramentum est signum sensibile ex institutione significantis: sed de ratione talis signi est, quod id, quod ad aliquid significandum imponitur, & instituitur, si exterius exhibeatur, erit verum signum sensibile, quacunq. intentione fiat; ergo cum Sacramētum sit sensibile signum à Christo Domino institutum ad significādum in talibus rebus, & verbis; eo ipso, quo huiusmodi res, & verba exhibeantur, habebunt illam significationem, ex sola Christi institutione; etiā si Minister aliud intendat: nam dum exterius exhibet talē ceremoniam, velit, nolit, facit signum à Deo institutum: & per consequens, facit Sacramentum: quia illa exhibitio rerum, & verborum habet inseparabilem significationem, & rationem veri Sacramēti: ergo congruentius ad naturam signi sensibilis, ad aliquid præcisè significandum ab aliquo instituti factum esset, si ita Christus instituisset.

Videtur q fuisset conueniētior talis institutio.

22 Adde: quia cum Minister non possit præbere illi ceremoniæ formalem significationem; quæ omninò independēs est ab eius voluntate; cum sit tantum denominatio quædam extrinseca, ex Christi institutione resultans: sequitur quod congruētius factum esset, quod Minister tātum illud opus externum faceret: nam, eo exhibito, statim fuisset signum, & ex consequenti, verum Sacramentum, quicquid aliter Minister facere intendisset. Confirm. 1.

23 Et confirmatur secundò, nam de ratione Ministri alicuius alterius, qui nomine sui principalis aliquod exequi munus debet, impertinens est asserere, quod necesse sit, illud munus exequatur propria intentione; sed sufficit illud exequatur nomine sui principalis, etiamsi alias Confirm. 2.

 ipse

ipse contrariam habeat intentionem v.g. si Princeps per seruũ dono mittat æquũ, vel gemmam Petro; etiam si seruus non habeat intentionem, quod transferatur dominium illius doni à Principe ad Petrum; sufficit, quod Petro det gemmam, vel æquum; nomine sui Principis, quo dono exhibito, iam intelligitur translatũ dominium, non obstãte opposita intentione Ministri: ergo pari modo, iuxta hanc rationem proprij ministerij, congruentius factum fuisset, vt Christus in institutione Sacramentorum, non requisiuisset intentionem Ministri; sed quod tãtum Minister exhibuisset res, & verba; & illis exhibitis, verum, & perfectum Sacramentum perfecisset; etiam si in exhibitione rerum, seù prolatione verborum ipse contrariam intentionem habuisset.

§. VI.

Conuenientius instituta sunt sacramẽta cum depẽdentia ab intentione Ministri. Prob. ex absurdo.

24 Dico tamen, congruentius Christum Dominum sua sacramenta instituisse, sicut de facto voluit instituere, dependenter ab intentione Ministri; itaut, illa deficiente, non possit perfici Sacramentum. Quod dictum potest suaderi: quia si Sacramentum consisteret in sola illa externa cęremonia, & exhibitione externa rerum, & verborum, absq. aliqua dependentia ab interna, & mentali intentione Ministri; à quocunq. fieret illa cęremonia externa; & exhiberentur exterius res, & verba, verè Sacramentum perficeretur: hoc est absurdum: ergo &c. Sequela probatur: si n. vera Sacramẽti ratio consisteret in sola exhibitione illa externa sensibilis cęremoniæ; eo ipso, quo talis cęremonia fieret à quocunquè, esset significatiua eius rei, ad quam significandam fuisset à Deo instituta: cum in tali ratione signi significantis à sola Dei institutione penderet: ergo eo ipso esset verum Sacramentum. Huius autem absurditas patet: quia posset in tali casu laicus, vel quilibet alius Ecclesiasticus non Sacerdos exhibere panem, & vinum, & verba consecrationis proferre, & sic quilibet non Sacerdos, etiam laicus posset cõsecrare, absoluere à peccatis, & quodcunq. aliud Sacramẽtum verè conficere; quod esset absurdissimum: ergo conuenientior institutio fuit, cum dependentia ab intentione Ministri, vt talis.

2. prob.

25 Secundò suaderi potest: quia cum fuerint instituta sacramenta ad hoc, vt per homines hominibus ministrarentur, congruentius fuit, vt Minister humano modo ministraret, & per humanas operationes sacra tractarent: sed operatio humana includit libertatem, in quantum humana actio est, & moralis; (vt vidimus quodl. 8.) ergo per operationem liberè elicitam, & humano more, conueniens fuit, ministrarentur hominibus sacramenta per homines: ergo dependenter à libera intentione mentali Ministrorum.

Conf.

26 Et confirmatur: quia tale Ministerium, conuenientius fuit, exequi potestatiuè: instrumentaliter tamen: hoc est potestate accepta à primo institutore; alias non liberè Ministri sacramenta ministrarent: sed qui habet potestatem aliquid faciẽdi, dum illud facit, necesse est, habeat voluntatem, seù intentionem illud faciendi, vel formaliter, vel virtualiter: ergo conuenientius fuit instituere sacramenta dependenter ab intentione Ministri.

§. VII.

Respõdetur ad rationem dubitandi.

27 Quarè ad rationem dubitandi adductam n. 21. Respondeo: baptizatum, vel quodcũq. aliud Sacramentum recipiẽs debere moraliter non esse anxium de veritate suscepti Sacramenti, nec dubitare de intentione Ministri: quemadmodum, cum de ratione veri Sacramenti sit, quod conficiatur à Ministro, habente authoritatem: & tamen ordinatus non dubitat, regulariter loquendo, de potestate Episcopi; an sit canonicè electus, vel consecratus? nec absolutus, de potestate confessarij, &c. & licet nemo possit absolutè certus esse de veritate suscepti Sacramenti; cum talẽ incertitudinem, vniuersaliter, habeant omnia illa, quæ ab humana voluntate dependent: nihilominus non est inconueniens (vt benè Suar. dicta sect. 2. *§. Ad tertium negatur, &c.* in responsione ad tertiam probationem) sacramenta, ex hoc capite, habere aliquam incertitudinem, quasi Metaphisicam; cum sufficiat certitudo illa humana, qualis esse potest in actione, quæ per homines, & humano modo exercenda est.

Non est incõueniens, sacramẽta habere aliquãlem incertitudinem. Suar.

Ad arg. quo probabatur congruentia independentię Sacramẽti ab intẽtione Ministri.

28 Et ad argumentum, quod probabat, congruentius fuisse, instituere sacramenta, absq. dependentia à mentali intentione Ministri; Respondetur conced. mai. distinguendo min. si absolutè, & independenter à quocunq. alio sit facta

talis

talis signi institutio; concedo min. si verò sit facta cum aliqua dependentia; nego min. & sic nego etiam consequētiam. Et ratio est: nam Christus instituit sua sacramenta, vt per homines ministrarentur hominibus: more tamen humano: hoc est, quod actio, qua Minister exhibet exterius res, & verba, sit actio verè humana: & non sufficiat ad veritatem Sacramenti; quod Minister, tanquam simpliciter, causa phisica, phisicè exhibeat illas phisicas entitates rerum, & verborum: sed quod procedat humano modo; si velit, illam externam ceremoniam esse cæremoniam sacram: alias non erit sacra ceremonia, & per consequens, neq. Sacramentum. Et ideo ratio Sacramenti non habet necessariam connexionem cum illa ceremonia exteriori, vt sic considerata præcisè; sed quatenus exhibetur ab homine liberè, & modo humano. Quod potest confirmari ex eo, quod diximus n. 26. tale ministerium datum fuisse hominibus à Deo; itaut, in eius esset potestate conficere, vel non conficere Sacramentum. Et hoc voluisse, censendum est, quando volens ordinare discipulos suos in Sacerdotes, dixit: Io. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* in quibus verbis apertè videtur prius potestatem dedisse remittēdi peccata, quibus ipsi remittere voluissent. Et illud Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; non ne arguit manifestè, exigere Christum à Ministris suis mentalem intentionem consecrandi? Et cum D. Iacob. 5. præcipit Sacerdoti, vt pro forma Extremæ Vnctionis, oret super infirmū; non ne supponere videtur mentis eleuationem, in qua oratio consistit? Et quando Episcopus, in forma Sacramenti Ordinis, per modum imperij dicit ordinando; *Accipe potestatem, &c.* non ne hoc expressius manifestat? Itaq. dicimus, illam externam ceremoniam exhibitam à Ministro, cōsideratam phisicè: hoc est, quatenus phisicè procedit ab homine phisicè operante, & exhibente illam, non esse ceremoniam sacram, nec habere significare aliud, quam id, quod naturaliter significat; & ex consequēti nec esse Sacramentum: at vero consideratam moraliter: hoc est, quatenus exhibetur ab homine potestatem habente à Christo, & moraliter, sine humano modo operante, & exhibente illam, esse verè sacram ceremoniam, & significare, ex diuina institutione, rem sacram, & ex consequenti esse Sacramentum; & vt sic dependere ab intentione Ministri.

Minister Sacramenti debet humano modo exhibere ceremoniam sacramēta, ad hoc vt sacra ceremonia sit; q. Minister est cum potestate, &c.

Io.

Luc.

Iacob.

29 Et per hoc patet etiam ad primā cōfirmationem, ad quam dicimus, illam formalem significationem illius ceremoniæ externę non dependere principaliter à voluntate Ministri: sed à Christo principali institutore: dependere tamen connotatiuè, siuè instrumētaliter; siuè ex institutione: quia [.s.] sic illam ad significandum Christus instituit, cum connotatione intentionis Ministri, & non aliter: quia sic congruentior iudicauit illā instituendam.

Ad 1. conf. Significatio Sacramenti, quomodo dependeat ab intentione Ministri.

30 Ad secundam confirmationem placet distinctio Ministri, ex Suar. lo. cit. *§. Fundamentum huius sententiæ.* post med. quod duplex potest intelligi Minister: primus, qui absolutè nil aliud facit, quam, ad instar simplicis nuncij, referre, vel exequi sui principalis voluntatem. Secundus, quando accipit à principali, non præceptum, absolutè, aliquid exequēdi: sed potestatem, vt ipsiusmet principalis nomine, arbitrio tamen, & iudicio suo, illud faciat, prout sibi videbitur expedire, & quando placuerit; itaut, in sua libera potestate tale negotium situm sit, & à sua voluntate immediatè dependeat, quātum ad exequutionem. Ad hoc vt prior Minister suum munus exequatur, nil refert, nec obest praua, vel bona ipsius intentio: (Et sic est in exemplo allato in argumento.) At verò ad exequutionem ministerij secundi ordinis, necessario requiritur Ministri intentio. Sacramenti ergo institutio sic à Christo Domino facta fuit, vt omninò dependeat ab ipsius Ministri intentione, qui Minister non est ad modum primi, sed secundi, nempè, cum potestate, ad eius libitum conficiendi, vel non conficiendi Sacramentum.

Ad 2. conf. Nota hanc Ministri distinctionem. Suar.

§. VIII.

31 AD calcem huius disputationis soluenda sunt duo dubia ab ipso Suar. proposita dicta sect. 2. alterum in *§. Tertio argumentor.* post medium: alterum verò in *§. Superest, vt respondeamus.* in principio. Primum est: si duo baptizati velint contrahere matrimonium in facie Ecclesiæ; & expresè nolint facere Sacramentum; contrahendo, erit ne perfectum Sacramentum illud? secundum est: si aliquis ministrando Sacramentum, inten-

Proponūtur duo dubia. Suar.

1. dubium.

2. dubium.

intendat facere, quod fecit Christus: non tamen quod intendit Ecclesia Romana; quid sentiendum de tali Sacramento?

Not. pro solutione. 32 Pro solutione vtriusq; dubij not. quod contrarietas hæc potest bifariam considerari: primò; itaut Hæreticus ille sensiat, Sacramẽtum non fieri eo modo, quo Ecclesia Romana illud facit, nequè sic Christum instituisse: sed aliter; & ita ipsum intendere efficere Sacramentum, prout institutum à Christo, eo modo, quo ipse credit, & non prout intẽdit Ecclesia Romana v.g. si Caluinista consecraturus Eucharistiam, ex falsa, & erronea opinione credat, Christum noluisse verbis illis (*Hoc est corpus meum*) denotare, illud esse verum corpus suum: sed tãtum signum corporis ipsius: & sic, cum Ecclesia intendat illis verbis consecrare verum Christi corpus, Caluinista ille nolit habere talem intentionem, quam habet Ecclesia, à se, vt falsam, existimatam: sed benè aliam, quam putat (pariter falsò) fuisse Christi, in institutione ipsius Sacramenti; nimirum, efficiendi Eucharistiam, quæ sit tantum signum corporis Christi: & in tali casu contrarietas ista omninò destruet intentionem faciendi Sacramentum: quia non solum nõ adesset intentio faciẽdi, quod facit Ecclesia: sed neq. intentio faciendi Sacramẽtum, quod Christus instituit: sed potius, quod ipse Hæreticus falsò credit, Christum instituisse, vt patet: & sic esset illa intentio tantum quædam propria, & erronea existimatio.

33 Secundò verò considerari potest illa diuersitas intentionis; itaut procedat ex quadam ignorantia mera. v.g. si quis existimet, vel dubitet: an in rei veritate Ecclesia Romana intendat idem omninò facere, quod Christus instituit? & dicat, nolo intendere facere, quod talis Ecclesia facit: sed solum, quod verè instituit Christus Dominus. In eo casu ignorantia hæc non sufficit ad destruendam moralem intentionem, à qua effectio Sacramenti procedit: siquidem falsa illa existimatio, de diuersitate intentionis Ecclesiæ ab intentione Christi, non excludit formalem, & sufficientem intentionem Sacramenti: nam intendendo facere, quod verè Christus instituit, procul dubio conficiet Sacramentum; licet erret circa veram Ecclesiam: quarè clara est solutio secundi dubij. Soluitur 2.

Soluitur 1. 34 Et sic patet etiam ad primum dubium; ad quod dicimus, quod si illi contrahentes existimant (vt benè Suar.) ex peculiari errore, Matrimonium non esse Sacramentum: tamen eos velle contrahere in facie Ecclesiæ Matrimonium, prout fuit à Christo institutum; non tamen Sacramentum: error hic peculiaris non faciet, quin sit verè Sacramentum illud Matrimonium: nam ad hoc sufficit illa voluntas vniuersalis contrahẽdi Matrimonium institutum à Christo: voluntas autem particularis non est propriè ex intentione non faciendi Sacramentũ, sed solum ex errore: quia existimant, in re, Matrimonium non esse Sacramẽtum: tamẽ cum se remittunt institutioni Christi, qualitercunquè, & qualiscunq. fuerit illa, vtiq. Sacramentum perficietur. At verò, si existiment Christum nequaquam Matrimonium instituisse in Sacramentũ: sed tantum in contractum quendam sacrum, &c. & cum hac falsa existimatione habeant intentionem contrahendi tãtum: non autem Sacramentum conficiendi; cum in tali casu non habeant intentionem faciendi, quod verè Christus instituit: sed potius, quod ipsi facto credunt instituisse Christum, nullum conficient Sacramentum, defectu necessariæ intentionis.

DISPV-

DISPVTATIO SEXTA.

An ad Sacramentum requiratur intentio actualis; vel virtualis: an verò sufficiat habitualis?

CAPVT PRIMVM.

Titulus explicatur.

Duplex voluntarium; directum, & indirectum.

1 Otandum primò, quod cum duplex sit voluntarium: alterum, ex complacentia expressa rei faciendæ; quod dicitur directum: alterum, indirectum, quod est circa euentum, volitum tamen in causa. Certum est, & sine controuersia apud DD. volũtarium indirectum non sufficere ad Sacramentum: vnde si quis sciens, & prudens; quod in somnijs, vel ebrietate soleret adhibere res, & verba alicuius Sacramenti, voluntariè inebriaretur, vel somnum caperet: & si indirectè esset illi voluntaria exhibitio rerum, & verborum, non faceret Sacramentum. Ratio est: quia illa administratio rei, & verborum non procederet ex intentione faciendi ceremoniam sacram, sed ex voluntate capiendi somni, vel ebrietatis: quinimò etiam si quis in somnijs soleret vti rebus, & verbis cum intentione imitandi Ecclesiam, non satis esset ad Sacramentum: quia illa intentio non esset libera, & humana.

Idem voluntas, ac intentio.


2 Requiritur ergo ad Sacramẽtum voluntarium directum. Sed dubium est modo: Vtrum sit necessaria actualis voluntas? pro quo, secundo notandũ, quod, in hac re, idem est voluntas, ac intentio: est. n. intentio actus liber voluntatis in finem. Et in hoc differt intentio ab attentione: quia attentio est actus intellectus considerantis ea, quæ homo agit: Intentio verò est actus voluntatis, quo homo se determinat ad aliquid faciendum. Hæc autem intentio triplex est, actualis, habitualis, & virtualis. Actualis est, quando quis actualiter, intendit, & vult conficere Sacramentum, dum illud conficit. Virtualis est, quæ, postquam actualis præcessit, adhuc virtualiter durat, aliquo opere inchoato, virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per longam temporis morã interpositam. Qua propter, si quis habens intentionem baptizandi infantem, accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, incipiat ceremonias, abluat infantem, proferat formam Baptismi, absq. noua actuali intentione, dicitur baptizare cum intentione virtuali: quia prior illa intẽtio baptizandi virtualiter durat in his omnibus actionibus; nec est moraliter interrupta, (vt suppono) Intentio habitualis est illa, qua quis facit aliquid ex habitu, nulla præcedente intentione; vel si intẽtio præcessit, non amplius virtualiter perseuerat in aliquo opere externo, cum sit moraliter interrupta; vt, si quis dormiens proferat formam consecrationis ex illo habitu iam acquisito, dicitur habere intentionem habitualem; sicut etiam, qui externa die habuit intẽtionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat, absq. noua intentionẽ (si casus possibilis sit) dicitur potius habere habitualem, quam virtualem intentionem; cum intentio elicita externa die fuerit interrupta per somnum, & non dicatur virtualiter perseuerare. Ita explicant DD. has intentiones; & nouissimè Bonacin. tract. de Sacramentis disp. 1. q. 3. in 2. proposit. in num. 3.

Differentia inter intentionem, & attentionem.

Triplex intẽtio q. d. actualis, quid virtualis?

Quid habitualis?

Bonac.



CAP.

CAPVT II.

Requiri, ad minus, ad Sacramentum intentionem virtualem.

§. I.

Non esse necessariam ad valorem Sacramenti intentionem actualē, conueniunt DD.

1 EX his intentionibus, conueniunt DD. non esse necessariam, ad validitatem Sacramenti, intentionem actualem; nam si illa esset necessaria, sequeretur, eum, qui tempore proferendæ formæ, diuertitur naturali distractione, non conficere Sacramentum: quod est absurdum: nec .n. credendum est, Christum ita instituisse sacramenta sua, vt subiecta essent periculo naturalis distractionis: tūc .n. frequenter contingeret, vt adhibitis materia, & forma; sine culpa Ministri, & suscipientis Sacramentum redderetur irritum; quod redundaret in maius detrimētum certitudinis circa administrationem Sacramentorum; nedum ex parte suscipientium; verum etiam ex parte ipsorum Ministrorum. Quarè quæstio tantum procedit de reliquis duabus.

Non sufficere habitualem: sed ad minus requiri virtualem. D. Th.

2 Verùm, etiam hodie videtur communiter substineri, nō sufficere habitualem: benè tamen, ad minus, esse necessariam virtualem, illamq. sufficere. Ita explicatur à DD. D. Th. ar. 8. licet pro eodē ipse sumat intentionem virtualem, & habitualem: nam ad tertium, habitualem intentionem vocat virtualem. Videantur Suar. disp. 13. sect. 3. Pezant. super illū ar. 8. disp. 2. Bonacin. lo. cit. in 4. proposit. nu. 21. & alij recentiores. Et ex antiquis Scholasticis, Scot. in 4. dist. 6. q. 6. Gab. q. 1. art. 3. dub. 1. & alij. Prima pars huius dicti prob. Quia intentio sola habitualis non facit actum deliberatum, & humanum, ac directè voluntarium, qualem Deus voluit esse actum, quo sacramenta conferantur, siuè conficiantur. Item, quia ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio, quæ sit causa confectionis Sacramenti: talis autem non est intentio habitualis; cum hæc sit moraliter interrupta: intentio autem sic interrupta non est causa confectionis Sacramenti.

Suar. Pezant. Bonac. Scot. Gabr.

§. II.

Obiectio ex Bonac.

3 SEd obijcit Bonacin. Qui tenetur hodie sacrificium Missæ applicare pro Francisco, & externa die in mente sua dixit; (*Volo crastina die sacrificium offerre pro Francisco*) satisfacit obligationi, etiam si postea non habeat aliam intentionem, seu voluntatem applicandi sacrificium: sed illa prior voluntas est tātum habitualis; cum fuerit externa die elicita, & per somnum, aliasq. impertinentes actiones discontinuata, & interrupta: ergo sicut sufficit voluntas habitualis ad applicandum sacrificium: ita etiam sufficere videtur ad conficiendum Sacramentum.

Solutio eiusdem ex Suar.

4 Respondet ipsemet ex doctrina, quam tradit P. Suar. sect. 3. cit. in concl. 2. illum, qui tenetur hodie sacrificium offerre pro Francisco, satisfacere obligationi, si externa die habuit voluntatem, ex tunc, applicandi fructum sacrificij; modo illa intentio non sit reuocata ante applicationem: si verò non habuit voluntatem absolutam ex tunc applicandi sacrificium: sed solum habuit desideriū, vel propositum applicandi, pro eo tunc quando celebraturus est, non satisfacit: quia propositum applicandi non est applicatio.

5 Quarè ad argumētum negat Pater Suar. consequentiam: nam ad applicandum sacrificium non requiritur intētio, quæ virtualiter duret tempore sacrificij; sicut requiritur ad conficiendum Sacramentum. Ratio disparitatis assignatur: quia voluntas applicandi sacrificium nō concurrit ad sacrificium, cum fieri possit sacrificium absq. applicatione: voluntas verò, & intentio conficiendi Sacramentū debet concurrere, & cooperari ad ipsum Sacramentum: non potest autem ad Sacramentum concurrere, & cooperari, nisi actualiter, aut virtualiter existat, quando conficitur Sacramentum; & consequenter, ad conficiendum Sacramētum requiritur intentio actualis, vel virtualis; quamuis ad applicandum sacrificium sufficiat habitualis. ita Bonac. explicat mentem Suar.

§. III.

Non placet Resp.

6 COeterum licet hæc doctrina sit ingeniosa: mihi tamen non probatur: existimo .n. & sacrificij, & Sacramenti æqualem esse rationem, quantum

ad

ad voluntatem, seu intentionem) & ita ad sacrificium requiri saltem volũtatem virtualem, quæ habeat influxum aliquẽ in ipsum opus, & oblationem: quia non alia ratione Sacerdos applicat alicui valorem sacrificij, nisi quia pro illo offert sacrificium: nec.n. alia potestate applicat fructum sacrificij, nisi per potestatem offerendi: sed voluntas habitualis non est sufficiens, vt quis dicatur offerre pro alio: ergo neq. vt dicatur applicare sacrificium illi. Prob. min. quia, vt quis offerat pro alio, oportet offerre ex intentione illius finis, quem per sacrificium nititur impetrare: quia sacrificium impetratorium assumitur, vt medium, ad finem impetrandum: sed ex illa voluntate præterita non offertur sacrificium pro aliquo: quia illa voluntas non fuit causa offerendi: intentio autem est causa eligendi medium. Deniquè: quia si illa voluntas non est sufficiens, vt ex illa dicatur fieri Sacramentum; neq. erit sufficiens, vt ex illa offeratur sacrificium: quia sacrificium altaris in eadem actione consistit, in qua Sacramentum. Quod autẽ afferunt Suar. & Bonac. voluntatem applicandi sacrificium non concurrere ad sacrificium; si de illa voluntate habituali loquantur, verum afferunt; falsum verò, si de actuali, vel virtuali: & licet verum sit, quod potest fieri sacrificium, absq. aliqua illius applicatione; non tamen potest fieri applicatio sine sacrificio. Nec tamen absolutè asserimus, voluntatem applicandi esse necessariam ad offerendum sacrificium, cum siue tali volũtate possit offerri: non.n. in vniuersum eadem est voluntas offerendi, & applicandi: sed quando quis habet voluntatem applicandi, in eadem voluntate includitur voluntas offerendi; ni velis, quod in tali casu eadem voluntas applicandi sit, & offerendi; & sic dicimus, voluntatem applicandi etiã aliquo modo influere in ipsum opus sacrificij. Vnde patet, nullam esse obiectionem, cum ex falso principio procedat. Et sic intentionem illam habitualem nõ sufficere ad confectionem Sacramenti.

Aequa ratio de sacrificio, & Sacramento, quoad intentionem, &c.

In vniuersũ non est eadẽ voluntas offerẽdi, & applicandi: omnè verum eadem est sæpè sæpius

Obiectio superior nulla colligitur.

§. IV.

7 SEd obijce Augustinum tract. 5. in Io. dicentem, *Baptismum ab ebrioso datum validum esse*: sed ebrius nullam aliam potest intentionem habere, præter habitualem: ergo sentit Aug. illam sufficere. Respondeo; aliud esse loqui de ebrio; nempè, qui actu ebrietate laborat: aliud de ebrioso, .i. qui solitus est inebriari vino; licet non actu ebrius sit: de hoc posteriori loquitur Augustinus, non de priori: & sic ebriosus potest, nedum virtualem habere intentionem, sed actualẽ: non tamen ebrius.

Obiectio ex Aug.

Solutio.

8 Nec valet, quod Baptismus susceptus ab ebrio, vel amente; si ante amentiam, vel ebrietatem voluntatem habuerit baptizandi, validus sit: ergo & Baptismus ab ebrio collatus, si ante ebrietatẽ pariter habuerit voluntatem conferendi Sacramentum. Nam dispar est ratio de suscipiente, & conferente: suscipiens.n. cum nil influat efficienter in Sacramentum, non est necesse, quod habeat intentionem, quæ sit actionis liberæ, & humanæ principium: sed sufficit habeat intentionem dispositiuam ad susceptionem Sacramenti: secus in Ministro conferente; vt dictum est.

Replica.

Solutio.

§. V.

9 POtest etiam probari nostra sententia, quoad vtramq. partem; nimirum, ad valorem Sacramenti requiri virtualem intentionem, & non sufficere habitualem. Quia, vt Sacramentum validè administretur, oportet adhiberi materiam, & formam, ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia: sed habitualis intentio non est sufficiens, vt ex illa dicatur adhiberi materia, & forma: posterior autem sufficiẽs est: ergo, &c. prob. min. quia particula (*Ex*) denotat causalitatem, & influxum in opus; quem, uoluntas habitualis, in administrationem Sacramenti, neq. proximè, neq. remotè habet: uirtualis autem, saltem, remotè moraliter intelligitur influere, cum moraliter intelligatur adesse actu. Secundò probatur sufficere uirtualem: quia alias aperiretur uia infinitis scrupulis circa ualorem Sacramentorum: nam sæpissimè dubitaretur, Ministrum Sacramentorum non habuisse intentionem actualem, cum illa difficilis sit. Tum quia ad conficiendum Sacramentum sufficit ea intentio, quæ sufficit ad operandum humano modo: sed ad operandum humano modo sufficit intentio uirtualis: ergo, &c.

Alia ratio pro veriori sententia.

10 Quid si quis absq. aliqua intentione proferat uerba: & post prolationẽ aduertat, non habuisse debitam intentionem; & inde incipiat eam habere?

Dubium.

Vuuu dico

Item not. 5 Secundò not. non esse eandem rationem in omnibus actibus humanis, quantum attinet ad ipsum *Quid*: nam quædam conditiones sunt substantiales vni contractui, quæ sunt accidentales alteri: v.g. qualitas personæ est accidentalis in Matrimonio; & ideo, ignorata, nô reddit contractum inuoluntarium; vt cum quis contrahit cum muliere, quam existimabat diuitem, vel nobilem, & si oppositum deprehenderit, nihilominus manet firmum Matrimonium: at verò in emptione, & venditione, locato, & conducto, qualitas rei pertinet ad substantiã contractus; & ideo vitium rei ignoratum dissoluit emptionem: ratio est: quia in his contractibus venditur, & locatur res, cum tota sua vtilitate: conditio autem, & qualitas reddunt rem vtilem, vel inutilem. In Matrimonio verò traditur corpus ad copulam coniugalem; respectu cuius, diuitiæ, vel nobilitas accidentariè se habent; & ita error in illis non vitiat Matrimonium.

Cur error circa personam non irritet Sacramentum; vniuersaliter loquendo. 6 Ex dictis sequitur ratio, quam inquirimus, nimirum; ideo in administratione Sacramenti, error circa personam non reddit actum inuoluntarium: quia persona singularis non pertinet ad substantiale obiectum operationis.

Petitio. 7 Sed petes: quid nã erit illud, quod pertinebit ad ipsum *Quid*, in administratione Sacramenti, quod, ignoratum, reddat actum inuoluntarium? Respondeo,

Responsio. non esse idem omninò pro omnibus Sacramentis: nam pro Sacramento Baptismi, requiritur homo viator, non habens characterem baptismalem: cætera accidentalia sunt. Pro Sacramento Ordinis, requiritur homo virilis sexus, cum charactere Baptismi, non insignitus charactere Ordinis suscipiendi. Pro Sacramẽto Matrimonij, requiritur persona certa alterius sexus ab altero contrahẽte, cum charactere baptismali, & potentia naturali ad coeundum: quicquid ex his contigerit ignorari, irritum est Matrimoniũ. Pro cæteris Sacramentis, requiritur homo viator baptizatus.

§. III.

Ad 1. rationẽ Syluest. 8 AD duas rationes Syluestri Respondeo, & ad primam; in Sacramento Matrimonij personam singularem ingredi substantiam obiecti: quia Matrimonium est cõtractus amoris mutui, per quem fit traditio corporis ad copulam coniugalem; & ideo si erratum sit in persona, non adest voluntas contrahendi: quia amor determinatam personam requirit; & ad tradendum corpus, necessaria est cognitio eius; cum quo contrahitur. Quę ratio locum non habet in cęteris Sacramentis.

Ad 2. 9 Ad alteram Respondeo; propositionem illam esse falsam: nam qualitas personæ cognita à principio impediret Matrimonium; quæ tamen ignorata non vitiat. Plura exempla adhibent DD. in tract. de circumstantijs apud D. Tho. p. 2. q. 7. Regula ergo firma est ad dignoscendum, quæ ignorãtia reddat actum inuoluntarium, examinare, quid pertineat ad substantiale obiectum operationis?

Finis Quodlibeti Decimioctaui.



QVODLIBETVM DECIMVMNONVM.

De Necessitate Sacramentorum.

DISPVTATIO VNICA.

An ante Christum debuerint esse sacramenta?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur titulus; & quid sentiendum de statu innocentiæ: an fuissent futura sacramenta, si perseuerasset?

§. I.

D. th.

1 Isputant communiter recentiores de necessitate Sacramentorum cum D. Tho. q. 61. vbi S. D. per quatuor articulos satis clarè, & facilè explicat quicquid oportet. Sed supponendum est primò; cum de Sacramentorum necessitate disseritur, non loqui de necessitate ex natura rei, siuè simpliciter: sed ex diuina institutione, & ad melius consequẽdam animæ salutem. Assignat autem D. Tho. tres rationes necessitatis Sacramentorum, desumptas ex Vgone Victor. lib. 1. de Sacramentis p. 9. cap. 3. prima desumitur ex eruditione hominis: conueniens .n. fuit, vt per signa sensibilia duceretur in cognitionem rerum spiritualium. Secunda desumitur ex humiliatione eiusdem: dignũ quippè erat, vt qui per peccatum se subiecerat creaturis sensibilibus, ibi inueniret medicinam, vbi expertus erat morbum. Tertia desumitur ex exercitatione hominis; nimirum, vt qui alligatus est sensibus, & in solo cultu spirituali non potest acquiescere, salubriter exercitaretur in cultu Sacramẽtorum, quo facilius se abstraheret à cultu superstitioso idolatriæ. Quas rationes latius prosequuntur Soto in 4. dist. 1. q. 2. art. 1. Alan. lib. de Sacramentis cap. 24. Belarm. lib. 1. c. 22. Valentia disp. 3. q. 2. puncto 1. Suar. Vasq. dicta q. 61. & alij recentiores. Ceterum (meo videri) huiusmodi rationes tãtum inferunt quandam congruentiam: non verò necessitatem; quæ sit propriè necessitas; vt facilè ponderanti eas patebit. Quarè nullam aliam in Sacramentis necessitatem propriè agnoscimus, præter Christi institutionem, & Dei, ante Christi aduentum; qua institutione semota, omnis Sacramentorum tollitur necessitas; immò &, forsan, congruentia etiam.

Necessitas Sacramentorũ. nõ ex natura rei: sed ex diuina institutione.

Tres rationes necessitatis Sacramentorũ ex Vgon. Victor.

Soto. Alan. Belarm. Val. Suar. Vasq.

Hę rationes potius sunt congruẽtię, quam necessitatis.

2 Eodem modo intelligendum est; cum dicitur, tria sacramẽta esse simpliciter necessaria ad humanam salutem; Baptismum .s. & Pęnitentiam, pro singulis hominibus: Ordinem, autem, pro tota communitate (supposita .s. institutione) vt sic .n. sine Baptismo salus obtineri nequit; iuxta illud Christi: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* nec, sine Pęnitentia, post peccatum actuale. Et consequenter, pro tota

Tria sacramẽta sunt necessaria simpliciter, modo exposito: necessitate medij: reliqua necessitate precepti tantum, & secũdum quid.

Com-

Communitate, nisi esset Ordo, & potestas huiusmodi sacramenta administrãdi, nõ possent haberi nostræ salutis remedia, à Christo Domino instituta. Vnde dicuntur hęc tria sacramenta, necessaria, necessitate medij: reliqua autem quatuor dicuntur esse necessaria, necessitate præcepti. Non quod illa tria non sint etiam necessaria ex pręcepto: sed vtroq. modo, .s. & præcepti, & medij necessitate: cum reliqua solum sint necessaria necessitate præcepti, & sic, nõ necessaria simpliciter; sed ad melius .i. vtilissima ad suos fines: vel, vt melius se habeat homo cum illis, quam sine illis: nam, ea suscipiens, crescit in charitate, & gratia iustificationis. Quęrimus ergo in præsenti disputatione; an ante Christi aduentum fuissent necessaria sacramenta?

3 Et quia, ante aduentum Christi, possumus considerare & statum innocentiæ; qui fuit in primis parentibus, antequam peccaret; statum naturæ, qui durauit à peccato primi Parentis vsq. ad Circũcisionem datam Abrahæ; & statum legis scriptæ, qui statuitur à Circuncisione vsq. ad Christi aduentum, & mortem. Certum est, statum legis nõ caruisse suis sacramẽtis à Deo institutis, saltem, Circuncisione, quæ fuit celeberrimum Sacramentum ex antiquis, teste Cyprian. ser. de ratione Circũcisionis in principio. Quarè tantum controuersia esse potest de reliquis duobus statibus; nempè, de tempore status innocentiæ; & de tempore status naturæ. Et primo de statu innocentiæ.

§. II.

opinio Alen. Dur & aliorum.

Scot. Alan. Valq.

4 DE quo extat opinio Alex. Alen. 4. p. q. 1. memb. 2. art. 1. cui videtur adhærere Durand. in 4. dist. 1. q. 2. n. 9. nec multum distat Scot. q. 3. art. 3. quam sententiam etiam probabilissimam putant Alan. lib. cit. de Sacramentis c. 27. & Valentia q. 2. puncto 2. nimirum, in eo statu futura sacramenta. Probari autem potest, primo ex Augustino lib. 13. de Ciuit. c. 20. dicente, æsum ligni vitæ futurum pro Sacramento illius status: quia significaret spirituale alimentum, & recreationem animæ.

Ex Aug probant.

Declaratur Aug.

5 Sed nisi pro se habeat hæc opinio aliam rationem, authoritas hæc nil facit in fauorem illius: nam Augustinus eo loco accipit ly (*Sacramentum*) in latiori significatione; quatenus Sacramentum significat mysterium; siuè archanũ quoddam; qua ratione Tertull. lib. contra Iudæos; secutum Iudęi vocat Sacramentum. Et sic sensus Augustini est; cętera ligna Paradisi nil significasse: at lignum vitæ significasse Dei sapientiam, quę præseruat homines à morte æternæ damnationis. Et hanc esse mentem Augustini constat ex eodem tex. & ex lib. 1. contra aduersarium legis, & lib. 8. de Gen. ad lit. c. 3. & 4.

Tertull.

6 Quarè secũdo potest probari hæc sententia; quia in eo statu futurus esset vsus sacrificij in protestationem supremi dominij: quo Deus est Dominus vitæ, & mortis: ergo etiam futurũ fuisset aliquod Sacramentum. Sed neq. hæc ratio conuincit: non tamen propter solutionem Soti in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. dicentis, in eo statu non futura sacrificia: tum quia sunt medicina contra peccatum; ordinantur q. ad placandum Deum. Tum quia, tunc nõ fuissent templa, neq. Ministri, in quorum vsum cederent res immolatæ. Tum etiam, quia cum omnia in eo statu fuissent communia, nemo obtulisset aliquid de suo, neq. amitteret dominiũ rei oblatæ; ac proinde cessaret meritum oblationis.

Probant ratione.

Reijcitur hęc ratio a Sot.

7 Nõ, inquam, id verum est (vt optime Alan. c. 27. Suar. disp. 3. sect. 2. & Valentia disp. 3. q. 2. punct. 2.) Et sic facilè impugnatur illa solutio: nam ex D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 1. Sacrificium est de iure naturæ; .i. non est ortum præcisè, ratione peccati: sed debetur in recognitionem supremi dominij; quatenus est author animæ, & corporis: & Dominus vitæ, & mortis: ergo in eo statu locum haberet, saltem, pro gratiarum actione. Neq. necessarius esset vsus templorum ad sacrificandum: quia Abraham Gen. 22. Saul. 1. Reg. 14. Elias 3. Reg. 18. Sacrificauerũt in Montibus. Neq. constat, in eo statu nõ esse futura templa. Neq. necesse esset, rẽ immolatam, cedere in vsum Ministrorũ: quia holocaustum totum incendebatur in lege veteri. Neq. tandem meritum sacrificij consistit in amissione dominij rei oblatæ: sed in excellentia cultus, quo Deum profitemur supremum Dominũ vitæ, & mortis nostræ. Quarè sacrificium Altaris pręstantissimum est, ex hoc respectu, propter repræsentationem mortis Christi: & si in consecratione nullius rei æstimabilis dominium amittatur: nã valor panis, & vini, quæ consecrantur, per exiguus est, & considerari non debet.

Non placet Soti solutio. Alan. Suar. Val.

Gen. 1. Reg. & 3.

8 Sol-

Vera solutio.

8 Soluitur ergo illa secunda ratio ex supradictis: disparitas ratio est, de Sacramento, & sacrificio: Sacramentum.n. suapte natura supponit morbum; quia est medicina contra peccatum; & ita locum non habuisset in statu innocentiæ. Sacrificium autem abstractiorem rationem habet; quia est cultus debitus Deo iure Religionis, etiam independenter à peccato; & ita vtiliter exerceretur in eo statu.

Matrimonium in statu innocentiæ fuisse institutum in officium naturæ tantum, non in Sacramentum.

9 Neq. valet pro tertia ratione adducere, ad hanc sententiam probandam, Matrimonium in illo statu fuisse institutum: nam fuit institutum in officium naturæ, non in Sacramentum Ecclesiæ (vt optimè D.Tho.ar.2.) Et quamuis significabat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ in se est res quædam sacra; non tamen significabat gratiam in contrahentibus, quæ est res sacra sanctificans nos formaliter; & ita non erat Sacramentum.

§. III.

Vera sententia D.Th.

Suar.

Not.

10 QVarè hac opinione relecta: dicimus; in eo statu sacramenta non fuisse futura. Quę sententia hodie communior est D.Th. & aliorum multorum, quos refert Suar.disp.3. sect.3. Sed vt certa ab incertis separemus: not. est, institutionem Sacramentorum pendere ex libera Dei voluntate, de qua nil certi statuere possimus, nisi per reuelationem, vel firmam consequentiam, quæ deducatur ex reuelatis. Quarè cum de voluntate Dei, quam haberet in illo casu non habeamus reuelationem; neq. in SS. sit verbum aliquod, ex quo illam colligere possimus; restat, vt in hoc dubio, tanquam ex vnico fundamento, filosophemur ex natura illius status, si perseuerasset: nam si institutio Sacramentorū habet repugnantiam aliquam cum illo statu, aut conditionibus illius, manente eo statu, non essent futura sacramenta: quod si hanc repugnantiam non habeat, in eo omninò libera, nil possumus asserere, tanquam certum; cum posset Deus quamlibet partem, sine contradictione, vel inconstantia eligere; & quam esset electurus? cum reuelatum nō sit, penitus ignoretur.

Vnicum fundamentū verioris sententiç.

D.Th.

11 Hoc supposito, ad probādam nostram sententiam, vnicum fundamentum est, tactum à D.Th.ar.2.in corp.& in arg. *Sed contra*, & pluries à nobis in præcedentibus disputationibus .s. quia institutio Sacramentorum, suapte natura, est institutio medicamēti contra morbum, aut reliquias peccati: sed in illo statu nō fuisset morbus: ergo inutilis medicina; iuxta illud Lucæ 9. *Non est opus valentibus Medicus; sed malè habentibus*. Mai. satis ex huc vsq. dictis clara est; & clarior apparebit discurrenti per singula sacramenta, tum noua, tum vetera; & primo; Circuncisio fuit instituta, vel in remediū peccati origin. & sic manifestè medicina fuit; vel ad distinguendum populum Hebreum à Gentili; & sic etiam medicinæ rationem habet: quia censetur, vt sic, instituta contra vulnus ignorantiæ, quod incurrit genus humanum per peccatum primi Parentis; ex quo vulnere factum est, vt facilè homo decipi posset in vera Religione cognoscenda. Cui vulneri, magna ex parte, medetur consecratio populi peculiaris ad cultum legitimum veri Dei. Deindè, de Sacramentis Euangelicis, res magis manifesta est. De Baptismo, & Pęnitentia nil certius. De Extrema Vnctione dicitur Iacob.5. *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Eucharistia etiam instituta est per modum alimenti, quod est medicina contra leuem ægritudinem: & ita Conc.Florent.in Decreto Eugen.IV. tribuit huic Sacramento virtutem reparandi, ex analogia, quam habet cum alimento corporali; & fatentur omnes Theologi, remittere venialia, ex vi suæ institutionis. Matrimonium etiam institutum est in remedium concupiscētiæ. Confirmatio ad roborandum nos ad opus fortitudinis, profitendo fidem audacter coràm Tyranno: nam infirmitas irascibilis fuit etiam vulnus peccati, ex D.Th.p.2.q.85.ar.3. Tandem Ordo institutus est ad creationem Ministrorum Ecclesiæ, qui sunt Medici spirituales contra morbos peccatorum. Et sic omne Sacramentum, hactenus institutum, supponit vulnus peccati.

Luc. 9.

Iacob. 5.

Cōc. Florē.

D. Th.

12 Dices: in illo statu non nascerentur homines confirmari in gratia, ex D. Th.p.1.q.100.art.2.ad 1. ergo peccare potuissent: ergo vtile fuisset Sacramentū pro reparatione lapsorum. Respondeo peccata in illo statu fore singularia, & non nocitura toti propagini; & remediū fore præsentissimum, per actum Pęnitentiæ, & charitatis, quem Deus inspirasset, gratia sua; & sic non oportuisset cōstitui Sacramentum stabile pro reparatione vnius, vel alterius delicti.

Obiectio.

D. Th.

Solutio.

Obiectio. 13. Iterum dices: vtile saltem fore ad augmentum gratiæ ex opere operato.

Solutio. Respondeo, per hanc solam rationem, fore superfluam institutionem Sacramentorum, quia modus habendi gratiam ex opere operato vtilissimus est hominibus infirmis, qui difficile mouentur ad contritionem, & ad opera hæroica virtutum. In eo autem statu non fuisset homo infirmus, & facilè potuisset moueri ad actū heroicum, supposita rectitudine innocentiæ.

CAPVT II.

Quid dicendum de statu naturæ?

§. I.

In statu naturæ fuisse institutum pro paruulis aliquod remedium contra orig. in. 1 IN tali naturæ statu, & si nil certi statui possit; nihilominus mihi videtur primò sentiendum, fuisse procul dubio institutū à Deo aliquod paruulorum remedium contra originale. Cum n. Deus velit omnes saluos fieri, omnibus, in omni tempore, auxilia ad salutem sufficientia præparasse, credendum est. Cumq. non potuerit paruulis præparari auxilium in actibus charitatis, & pœnitentiæ, quorum erant incapaces, præparari debuit in aliqua extrinseca cęremonia, qua applicaretur ipsis fides parentum suorum, quam Sacramētum appellat Augustinus lib. 5. contra Iulian. Pelagian. c. 21. post med. vbi ait. (*Nec ideo tamen credendum est, & ante datam Circuncisionē famulos Dei,) quandoquidem in eis erat Mediatoris fides in carne venturi, (nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis; quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa sacram Scripturam latere voluerit.*) Et hoc etiam remedium, quod profuit infantibus legis naturæ, profuisse paruulis fęminei sexus legis etiam scriptæ, quæ nō circuncidebantur, fatentur ferè omnes DD. & præsertim Suar. disp. 4. Vasq. 3. p. q. 70. disp. 165. c. 1. vbi adducit testimonium Vgonis de S. Victor. lib. 1. de Sacramentis p. 12. Maior autem pars DD. Sāctorumq. PP. videtur sentire, illud remedium extitisse solam parentum fidem. Videatur Vasq. disp. cit. c. 3. & disp. 130. c. 4. Qualis autem debuerit esse fides illa? prolixè discutit cap. 4.

Aug.

Idem remedium pro fęminis legis scriptæ.

Suar. Vasq. Vgon.

Quale illud remedium sit ex Vasq.

2 Cęterum, si in re tam incerta licet aliqua rationabili causa philosophari; mihi videtur dicendum, (conformiter ad verba adducta ex Augustino,) illam cęremoniam debuisse esse signū aliquod externum sensibile, in quo non solum remitteretur peccatum origin. sed etiam constitueretur paruulus membrum visibilis Ecclesiæ: cum n. & animo, & corpore constemus, necessarium videtur ad veram Religionem, vt Deum non tantum corde, sed etiam colamus, & corpore; signis, nimirum, sensibilibus, quibus fidem profiteamur. Et sic (vt optime docent Canus, & nonnulli alij) opus fuit, vt vera Religio non sine aliquo sacrificio, vel Sacramento esset externo. Addo: quia cum in expiatione peccati original. paruuli Deo dicarentur, & initiarentur, opus fuisse videtur, vt eorum consecratio non solo spirituali signo, sed etiam corporeo fieret.

Quid sentiat author.

Can.

3 Nec valet id, quod Respondet Vasq. disp. 165. c. 5. Deum, illo tempore, noluisse adstringere efficaciam fidei alicui signo exteriori; licet lateatur, quod, quia corpore constamus, conueniens sēper fuit, vti non sola fide interiori: sed signo aliquo exteriori. Velim ab hoc doctissimo viro scire: an ipse consiliarius Dei fuerit? qui in re adeò incerta; dum aperte confitetur, expediens semper fuisse humanæ naturæ, vti non solis interioribus actibus, sed signis etiam externis; eximit tamen tempus naturæ; & hoc, inquit, quia noluit Deus, pro eo tempore tantum, vsum signorum externorum: vnde quæso ipse potuit colligere hoc diuinum propositum, decretum, siuè dispēsationem peculiatem? Et licet verum sit, non constare, quodnam illud signum fuerit, ob occulta Dei iudicia (vt fatetur Augustinus) sufficit, semper fuisse conueniens nostræ naturæ, signis vti; vt non sentiamus, aliter se habuisse Deum in aliquo peculiari tempore: dummodo id non colligatur ex SS. vel antiqua Ecclesię traditione. Vnde dicere possumus, quod illud signum reuelabat Deus, & secretius inspirabat; & quod non fuerit institutum in aliqua determinata materia, seu verbis; sicuti sacramenta, & vetera, & Euangelica.

Occurritur cuidam Responsioni

Vasq.

4 Vnde colligere possumus, illud signum, seu remedium nō habuisse veram rationem Sacramenti, in rigore: de ratione namq. Sacramenti, diximus esse, quod sit institutum certa lege, & in determina-

Illud remedium nō habebat veram rationem Sacramenti, in rigore.

ta materia, & forma; licet potuerit dici largo vocabulo, Sacramentum; prout dicitur ab Augustino, & alijs multis Patribus, quos referunt Vasq. & Suar.

Vasq. Suar.

Not. quandã Suar. parum firmam opinionem de Sacramento familię Melchisedech.

5 Ex quibus etiam patet, parũ probabiliter afferere Suar. qui cum fateatur, adultos temporis naturæ non habuisse aliquod Sacramentum; cum non adfuerit, respectu illorum, aliqua necessitas, quam diximus, fuisse in pueris: docet nihilominus, ex peculiari priuilegio concessum fuisse familiæ Melchisedech, pro Sacramento, ipsius Melchisedech sacrificium, à multis Patribus Sacramentum nuncupatum. Non, inquam, est constans hæc sententia, cum non conueniant dicto sacrificio rationes Sacramenti, in rigore sumpti (vt discurrẽti patebit.) Quod si à Patribus vocatum est Sacramentum, debent PP. intelligi eodem modo, quo intelligendus est Paul. cum vocat Matrimonium Adami, & Euæ, Sacramentum. Videatur Vasq. quãtum ad hoc: qui optimè reijcit hãc opinionem Suar. disp. 130. cap. 4.

Finis Quodlibeti Deciminoni.



QVODLI-

QVODLIBETVM VIGESIMVM.

De Incomprehensibilitate Dei.

DISPVTATIO VNICA.

An Deus sit omninò incomprehensibilis à quocumque creato intellectu.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit notitia comprehensiua, & in quo adæquatè consistat.



§. I.

1 
Rauissima ab omnibus iudicatur hęc controuersia, & maximis inuoluta difficultatibus, de qua cōmuniter Antiquiores disputant apud Magistr. in 3. 14. & Recentiores apud D. Thomam 1. par. q. 12. ar. 7. Ego autem nitar à confusionibus abstinere; & ea, qua maiori valuero facilitate, ac breuitate, meam in hac re proferre sententiam, ac disputationem absoluere. Quare pro intelligentia tituli, & eorum, quæ tractanda sunt. Suppono, hic non esse sermonem de illa comprehensione loca, secundum quam omnes Beati comprehensores dicuntur, ex eo, quod terminum attingūt, ad quem consequendum, & possidendū, vti cursores, & viatores nos currimus omnes, iuxta illud Paul. 1. Cor. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis.* In quo sensu, *comprehensio*, non dicit formaliter actum intellectus, vt sic; sed vt habet rationem consuetudinis, & possessionis. Sed sacros Theologos, cum de comprehensione loquuntur, intelligere quādam claram, perfectam, exactam, & adæquatam cognitionem obiecti; ita vt taliter illud cognoscatur, & intelligatur, quod quantum est ex se, nō requirat, exactiùs, clariùs, perfectius, & adæquatiùs cognosci.

[Marg.: Magistr. D. Thom. — comprehensio largè sumpta. — D. Paul. — comprehensio propriè dicta.]

2 Dixi (quantum est ex se) nam ad hanc propriè dictam comprehensionem non requiritur, quod obiectum cognoscatur quantum cognoscibile est à quocumque intellectu, & optimo modo, quo videri potest, quæ comprehensionis vsurpatio, ponitur à Nominalibus tertio loco, apud Vasq. par. 1. q. 12. art. 7. disp. 53. c. 3 num. 10. nam si comprehensio vsurparetur ità strictè, & rigorosè, certum esset, neq; Angelum supremum posse comprehendere infimam creaturam; non enim illam posset cognoscere optimo modo, quo cognosci potest; quemadmodum solus Deus diceretur omnia comprehendere: & tamen com-

[Marg.: Non requiritur quod cognoscatur obiectum, quantum cognoscibile est a quocūque potētia, sed quantum ex se est cognoscibile. — Nominales apud Vasq.]

munis DD. fert sententia, posse à creatura aliquam comprehendi creaturam; saltem ab Angelo, &c. alias attributum incomprehensibilitatis non esset propriũ solius Dei: sed commune omnibus creaturis; omnis namq. creatura esset incomprehẽsibilis, sicut Deus: quemadmodum .n. Deus à solo Deo comprehenditur; ita à solo Deo posset in tali casu creatura comprehendi; quia data quacunq. possibili cognitione creata ad aliquam, etiam infimam, creaturam terminata, illa non esset optima cognitio, qua illa creatura cognosci posset; nam posset cognosci, & de facto cognoscitur a Deo cognitione, in infinitum perfectiori.

De qua incõprehẽsibilitate loquantur DD,

3 Igitur communis Doctorum sensus, quando disputant de incomprehensibilitate Dei, est, loqui de incomprehẽsibilitate illa proprie dicta, quæ opponitur comprehensioni, qua .s. obiectum taliter cognoscitur, vt (quantum est ex se) nõ requirat, exactius, clarius, perfectius, & adequatius, cognosci. & de hac nos inquirimus quid sit, & in quo consistat hęc comprehensiua notitia? vt inde argumẽtari valeamus: An Deus aliquo modo possit comprehendi (saltem de potentia absoluta,) per aliquam cognitionem creatam, qua cognoscatur ita perfectè, & adæquatè, sicut ipse petit cognosci?

§. II.

4 IN explicanda ratione huius comprehẽsionis multum laborant authores, & rem adeò confundunt, vt nil possit ex eis colligi, quod animum sedet. Legantur Suar. lib. 2. de attrib. neg. c. 29. Vasq. disp. 53. cir. Fasol. p. 1. q. 12. art. 7. à dubit. 2. ad 8. Lusitan. in fine tertij tomi de Beatitudine in Appendice q. 1. ar. 1. & alij, tùm recentiores; tùm antiquiores, quos isti citant. Omnisq. difficultas, & confusio videtur manare à quibusdam Augustini verbis, quibus, communiter dicitur diffiniri comprehensio, quæ habentur to. 2. epist. 112. de videndo Deo, quam scribit ad Paulinam Anuam Religiosam, respondens quibusdam, qui carpebant Epistolam ipsius, in qua scripserat, Deum non videndum oculis humanis; vbi declarat. varijs modis videri Deũ. Et cum cap. 7. docuisset, Moysem, qui vt amicus, cum Deo, facie ad faciem, loquebatur, adhuc desiderasse Deum videre, cum diceret Exod. 33. *Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temet ipsum.* Vnde hæc infert: *Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat: non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat: ea quippe promittitur Sãctis in alia vita. Vnde quod responsum est Moysi, verum est: quia nemo potest faciem Dei videre, & viuere .s. nemo potest eum in hac vita videre viuens, sicuti est: nam multi viderunt, quod volũtas elegit, non quod natura formauit.* Quibus verbis apertè demonstrat, Deum non se manifestasse Moysi, præsertim, in mortali carne viuenti, in proprio esse, & sicuti est: sed in aliqua specie, in qua sibi placuit se ostendere. Postea subdit, Deum videndum à Beatis non sic, sed sicuti est, & in proprio esse, quemadmodum dixit B. Ioan. 1. c. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* Et statim, in fine dicti cap. 7. & initio cap. 8. in hæc verba prorumpit, *Non quia Dei plenitudinem quisquam, non solum oculis corporis; sed vel ipsa mente aliquando comprehendit: aliud est n. videre* (alludens ad verba Ioan. videbimus eũ, sicuti est:) *aliud est, totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens vtcunq. sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem; aut cuius fines circumspici possunt.* Vbi nota, quod duplicis visionis comprehensiuæ mentionẽ facit .s. mentalis, dum ait (*quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem*) & corporalis, cum sequitur (*aut cuius fines circumspici possunt*) licet per hæc verba magis explicet August. mentalem; vt ex D. Tho. infra referam n. 19. & 35. In cuius veritatis comprobationem, duplex affert exemplum: alterum visionis intellectiuę, subdens (*sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ*) Alterum visionis corporalis, dum dicit (*& circumspicere potes fines anuli tui.*) Quod ipsemet sanctus Parens explicans, ait (*exempli gratia, duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum: alterum ad corporales oculos pertinet: visus .n. ad vtrunq. referendus est, .i. & ad oculos, & ad mentem*)

Suar. Vasq Fasol. Lusitan.

Aug.

Exod.

B. Ioan.

5 Fideliter hæc ex fonte adduxi, propter aliquos, qui volũt, Augustinum illa descriptione comprehensionis .s. (*totum autem comprehenditur vidẽdo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat vidẽtem.*) tantum voluisse describere comprehensionem corporalem. Vel saltem visionẽ mentalem Dei in hac vita. Vtraq. hæc opinio manifestè apparet falsa ex ipso

Au-

Augustini contextu: nam in posterioribus verbis, satis se explicat, loqui de omni visione *(visus .n. (inquit) ad vtrunq. referendus est .i. & ad oculos, & ad mentem.)* & in prioribus, dum loquens de Moyse, qui adeo familiariter cum Deo loquebatur facie ad faciem, non quod videret ipsum Deum, sicuti est, sed in quadam specie, sicuti ipsi Deo placuit illi apparere; & hoc, ex eo probans, quia, si vidisset Deum sicuti est, non petiisset à Deo, vt ostenderet sibi semet ipsum; subdit, hanc visionem Dei sicuti est, promitti Sāctis in alia vita; & sistens in hoc probando, deq. hac visione loquens, addit relata numero praecedenti verba omnia, & comprehensionis diffinitionem. Itaq. certum esse debet, (quicquid praesertim Vasq. quem optime impugnat praecipuè Fasol.) Augustinum loqui de omni comprehensione, tàm intellectuali, quàm corporali; tàm in via, quàm in patria.

Vasq. Fasol.

§. III.

6 HAec ergò Augustini verba, quibus communiter asseritur, cōprehensio diffiniti, Theologis omnibus occasionem dedere, diuersimodè comprehensionis rationem explicandi; vt inde deducere valeant, Deum omninò incomprehensibilem esse cuicunq. intellectui ereato, etiam de potentia Dei absoluta. Attamen illud omnibus certum esse deberet, quod illud propriè dicitur aliqua cognitione comprehendi, quod secundum se totum ita adaequatè illius cognitioni respondet, vt nihil intelligibilitatis eius extra maneat: sed tota quanta, quanta res intellecta est, adęquetur intellectioni. Non tamen est de ratione cognitionis comprehensiuae, quod intra sui limites rem intellectam includat: semper .n. includens maius est re inclusa; vnde Deus non posset se ipsum sic comprehēdere: quia esset se ipso maius; & cum inclusum terminetur ab includente, & finiatur; Diuinaq. essentia terminari, & finiri non possit, neq. per consequens cōprehendi: cum tamen certum sit, Deum propriè se ipsum comprehendere. Vnde Augustinus talem inclusionem solum admisit in comprehensione corporali, illis verbis: *(aut cuius fines circumscribi possunt.)* licet haec verba à D.Tho. art. 7. aptentur etiam comprehensioni intellectuali, (vt infra referam.) Consistit ergò ratio comprehensionis intellectiuae in positiua adaequatione intellectus cum re intellecta; ita vt, non excedat res intellecta intellectionem: sed quod omnis intelligibilitas obiecti, quanta est, tota respondeat cognoscitiuitati potentiae, & nil illius talem cognoscitiuitate fugiat; & sic potest intelligi illa Augustini descriptio, quod illud dicitur comprehendi, cuius nihil latet videntem. Vbi, per negationē excessus cognoscibilitatis obiecti ad cognoscitiuitatem potētiae, potius videtur loquutus, quam per inclusionem positiuam obiecti in operatione potentiae.

Quid sit propriè comprehendi?

7 Et hoc videtur annuisse D.Tho. q.14. ar.3. vbi quaerens: An Deus se ipsum comprehendat? proponit pro parte negatiua hoc argumentum ex Augustino lib.83. quaestionum; *Id quod comprehendit se, finitum est sibi.* Et respondet, *huiusmodi loquutiones per negationem esse exprimendas: sicut .n. Deus dicitur esse in se ipso: quia à nullo exteriori continetur, ita dicitur comprehendi à se ipso, quod nihil est sui quod lateat ipsum.* Licet subdat ad secundum, *posse secundum proportionem Deum dici finitum sibi: quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquod finitum in non excedendo intellectum finitum.* D.Th. Aug.

8 Nec existimo sustineri posse id, quod aliqui Theologi affirmant, nimirū, de ratione comprehensionis esse, vt, entitatiuè, sit ita perfecta comprehensiua cognitio, quam perfectum est obiectum comprehensum. Nam cognitio, qua Angelus comprehendit formicam v.g. non est eiusdem perfectionis in genere entis cum ipsa formica: cū haec ad genus pertineat substantiae: illa verò ad genus accidentis. Benè verum est, quod requiritur tanta perfectio in cognitione comprehensiua, in ratione cognitionis; quanta perfectio est in cognoscibilitate obiecti comprehensi, in ratione cognoscibilitatis. Quod à nemine Theologorum potest rationabiliter verti in dubium. Et sic si obiectum comprehensibile sit cognoscibilitatis vt octo, cognitio comprehensiua, ad minus, debet esse cognoscitiuitatis, vt octo: non .n. si esset vt sex, aut vt septem, posset comprehendere illud obiectum, aliquid .n. esset extra cognitionem. Et si obiectum comprehensibile sit cognoscibilitatis, vt centum: tantundem cognoscitiuitatis debet esse in notitia illius comprehensiua. Et consequenter, si esset obiectum infinitae intelligibilitatis,

Nō est de ratione cōprehensionis, vt sic, çquari in entitate cum recōprehensa.

infinitæ pariter cognoscitiuitatis deberet esse cognitio. Hoc videtur apertè annuisse Scotus in 3. dist. 14. q. 2. ad secundam probationem, in hæc verba: *Videtur solus ille intellectus comprehendere aliquod intelligibile, cuius tanta est perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio, vel intelligibilitas intelligibilis, & ideo ibi est commensuratio, & adæquatio.* Scot.

Ad quãcũq. cognitionem requiritur proportionatum lumen. 9 At, sicut ad quantumque cognitionem requiritur proportionatum lumen, sub quo intellectus fertur in obiectum; ita ad perfectiorem cognitionem, clarius, & perfectius lumen requiritur; & consequenter ad perfectissimam notitiam, qualis est comprehensio, clarissimum, & perfectissimum lumen requiritur proportionatum eidem cognoscibilitati obiecti. Et maximè si potentia indigeat eleuari extra sphæram sui obiecti proportionati, ad intuẽdum, & comprehendendum aliquod ens supernaturale, requiritur tunc lumen ordinis supernaturalis, quod non solum se teneat, aliquo modo, ex parte ipsius obiecti, quod debet manifestare; sed etiam sit virtus, vel augmentum virtutis potentiæ, iuxta dicta Quodlib. 5. de lumine gloriæ. Habemus ergo tria commẽsurari debere in comprehensione alicuius obiecti; nempè, intelligibilitas passiua ipsius obiecti; cognoscitiuitas actiua potentiæ, & lumen.

§. IV.

Communis sententia Recentiorum. 10 EST hodie communis in scholis sententia asserens, tunc dici obiectum aliquod comprehendi, quando quidquid in eo est formaliter, vel eminenter, adæquatè cognoscitur; ita vt non solum sit necessè cognoscere attributa, seu prædicata, quæ sunt de ratione formali obiecti, sed etiam ea quæ ad ipsum pertinent, tanquam id, à quo aliqua alia dependent, ita vt possint ab eo dimanare, & produci. Et eo ipso, quo sic obiectum cognoscitur, dicitur comprehendi, nec aliquid aliud requiri ad rationem comprehensionis propriè dictæ. Itaque videtur hæc sentẽtia tantum exigere, ex parte rei cognitæ, rationem, quare comprehendatur, non verò ex parte ipsius cognitionis, nisi quod ipsa extendatur, & ad obiectum, & ad omnia ipsius prædicata tam formalia, quam eminentialia; ad hoc est ad omnia quæ ab ipso dependent, vel possunt dependere. Et hoc esse (ait hæc opinio) obiectum videri totum, & totaliter: ita vt ly *totaliter*, se habeat tantum extensiuè.

11 Sed cuiuscunque sit hæc sententia, illam, pace eorum, capere non possum; & primo mihi videtur impertinenter se habere cognitio terminationis ad effectus, siuè futuros, siuè possibiles rei cognitæ ad comprehensionem, nam sequeretur, vel Deum comprehendi, vel omnem creaturam esse incomprehẽsibilẽ eodem modo, quo Deus incomprehẽsibilis est. Primum, sic ostendo primo, nã vel terminatio omnipotẽtię Dei ad suos effectus, etiam possibiles est Deo essentialis, vel accidentalis; non accidentalis, quia nil accidentaliter illi propriè competit; si essentialis; ergo quilibet Beatus Deum comprehendit: cum quilibet Beatus videat Deum, & quicquid essentialiter Deo conuenit: alias non videret totum Deum, sicuti est. Secundò, nam, vel per ea, quæ sequuntur ab aliquo, & pendent ab illo, intelligit hæc sententia, quæ necessariò fluunt, vel quæ libere possunt emanare, & produci; si primum, ergo Deus comprehẽditur à Beatis: siquidem omnia, quæ necessario fluunt à Deo ab ipsis videntur: à Deo enim propriè, nil dicitur necessario dependere, nisi abusiuè loquamur, secundum formam, & modum loquendi Patrum, qui aiunt, Deum esse à se, & Personas ad intra dimanare, Filium scilicet à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, quæ omnia clarè à Beatis videntur. Si verò loquatur de his effectibus, qui possunt liberè produci, sequitur secundum absurdum primi argumenti, omnem creaturam esse incomprehensibilem, sicut Deus, qui à se ipso tantum comprehenditur; quod patet, nã nullus intellectus cognoscere põt quæcumq; contingenter possunt alicui conuenire, & liberè. Item nullus potest cognoscere quot, & quantæ cogitationes possunt à causa libera manare; nec quot, & quanta alicui cõuenire, per absolutam Dei potentiam.

12 Secundo principaliter arguo; nã sancti Patres, non solum asserunt, non posse comprehendi Deum, sed neque aliquod ipsius attributorum, nempe, Aeternitatem, Immensitatem, &c. sed si ad rationem comprehensionis tantum requireretur, quod obiectum cognoscatur secundum omnia sua prædicata formalia, & eminentialia, sequeretur posse comprehendi reliqua omnia 2. Reijcitur.

Reijcitur. (margin, ¶11)

omnia Dei attributa (excepta omnipotentia) patet: nam quodlibet Diuinum attributum, iam, secundum se, videtur totum, sicuti est, à quolibet Beato; & alias nil est, quod pendeat ab eo; vel ab ipso causari possit, quod lateat videntem: quid .n. ab æternitate, vt sic (quatenus æternitas est; seu ab immensitate, sub ratione formali immensitatis, depēdet, vel produci potest?) ergo Beatus hęc attributa, vt sic videndo, ea comprehendit.

3. impugnatio. 13 Tertiò arguo: nam certū est apud Sanctos Patres, omnesq. Doctores; quod si Deus posset comprehendi, illa notitia deberet esse infinita simpliciter: hoc .n. videtur apertè, inter alios, annuisse D. Gregor. lib. 18. moral. c. 27. & 28. præsertim illis verbis: *Longè quippè dispariliter, & videt Creator se, quam videt creatura Creatorem: nam, quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis; quia ipso pōdere circumscribimur, quo creatura sumus*. vbi per hæc vltima verba (*quia creatura sumus*) ideo excludit nos à comprehensione Dei: quia illa debet esse notitia infinita, cuius incapax est intellectus creatus, eo ipso, quo creatus est. Et ita omnes Theologi concludunt, Suar. Vasq. Fasol. Lusitan. locis cit. Oregius tract. 1. c. 9. quæsit. 5. Lanfrancus to. 1. opusc. Theolog. opusc. 12. & alij. Quo tanquam certo supposito, dico, quod si nil aliud requireretur ad notitiā comprehensiuam, quam cognitio obiecti, & dependentium ab illo, siuè actu, siuè potentia: etiam si Beatus videret in Deo omnia possibilia, non ideò diceretur comprehendere Deum; quod est cōtra eosdem huius sententiæ authores. Hoc autem sic probo: ex eo, quod Beatus videret omnia possibilia in Deo non esset eius cognitio infinita simpliciter, qualis requiritur ad Dei comprehensionem: sed ad summum, secundum quid, extrinsecè, & terminatiuè; sicut quæcūq. visio beata infinita dicitur: ergo non esset cognitio comprehensiua. probo antecedēs: nam quemadmodum, ex eo, quod Beatus videt clarè Deūm sicuti est, obiectum simpliciter intensiuè infinitum, non ideo illa visio est simpliciter infinita, sed tantum obiectiuè, & extrinsecè: ita ex eo, quod eadem visio terminaretur ad omnia possibilia, etiam infinita, ad summum posset dici infinita terminatiuè: quæ .n. maior ratio adduci potest, vt asseramus, visionem terminatam ad infinitum secundum extensionem, esse infinitam intensiuè, & simpliciter; & terminatam ad infinitum intēsiuè, esse tantum infinitam extrinsecè? ergo etiam dato, quod posset intellectus creatus omnia possibilia intueri, nō proindè diceretur, comprehendere Deum. Et ex consequēti, impertinenter se habet cognitio omnium possibilium, vel effectuum dependentium, siuè actu, siuè potentia, ad rationem comprehensionis, si præcisè nil aliud addatur, ex parte ipsius uisionis.

D.Greg.

Suar. Vasq. Fasol. Lusit. Lanfranc. Oreg.

Etiam si Beatus videret in Deo omnia possibilia, non ex hoc, præcisè, comprehenderet Deum.

§. V.

14 Quarè ego existimo, rationem præcipuam, & à priori comprehēsionis consistere non ex parte obiecti præcisè, & primariò: sed potius ex parte ipsius cognitionis, & modi cognoscendi; ita ut ad hoc ut intellectus creatus dicatur aliquid propriè comprehendere, non sufficiat nosse obiectum, & quicquid in obiecto est, quomodolibet ad ipsum attinens: sed requiratur, quod modus cognoscendi sit ita perfectus, & clarus, ut potius excedat modum cognoscibilitatis passiuæ rei comprehensę; uel ad minimum non excedatur ab illo. Et hoc est, quod diximus supra n. 1. 3. 6. & 8. quod obiectum aliquod comprehēdi propriè nil aliud sit; quam illud taliter cognosci, quod (quantum est ex se,) non requirat exactius, clarius, perfectius, & adæquatius cognosci: itaut ly (*exactius, clarius, perfectius, & adæquatius &c.*) se teneāt primariò ex parte ipsius uisionis, quæ debet esse exacta, perfecta, completa, clarà, adæquata, &c. prout Sancti Patres explicant.

In quo vera ratio cōprehensionis cōsistat.

15 Imò, licet à Moderniori bus citatis, & alijs, in oppositum adducatur cōmuniter Sanctus Thom. Et Vasq. disp. 53. cap. 4. nu. 16. dicat, Sanctum Doctorem duplicem modum comprehensionis assignasse: alterum ar. 7. illius q. 12. alterum art. 8. tamen, parcat Vasq. non .n. uidetur benè ponderasse D. Thomam, qui utrobiq. ipsissimum comprehensionis modū assignat, & proculdubio meæ fauet sententiæ; quod autem ita sit, placeat uerba D. Th. adducere, quæ certè non indigent alia dilucidatione. Et primò at. illo 7. petit, *Vtrū uidētes Deum per Essentiam, ipsum comprehendant*? ubi in corp. sic ait. *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autē cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognosci-*

D. Th. Vasq.

scibile. Vnde si id quod est cognoscibile per scientiam demonstratiuam, opinione teneatur, ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur; puta, si hoc, quod est, triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis, aliquis sciat per demonstrationem, comprehēdit illud; si verò aliquis eius accipiat opinionem probabiliter, per hoc, quod à sapientibus, vel pluribus ita dicitur, non comprehendet ipsum: quia non pertinget ad illum perfectum modum cognitionis, quo cognoscibilis est. Quibus verbis, quid clarius dici potuit?

Ratio ex verbis D. Th. deducta.

16 Ex eis formo hanc rationem: In tantum cognoscens aliquod principium notitia opinatiua non dicitur ex D. Th. illud comprehendere, licet totum principium, & quicquid in illo quomodolibet sit, opinatiuè cognoscat: & alias, qui illud idem cognoscit demōstratiuè, illud comprehendere: quia notitia demonstratiua clarior, perfectior, exactior, & nobilior est opinatiua, & illud obiectum non solum petit totum cognosci, sed omni meliori modo, quo, quantum est ex se, est cognoscibile, nempè per demonstrationem: sed hoc quod est aliquid nō posse comprehendi, nisi per cognitionem ità perfectā, tenet se ex parte ipsius notitiæ: nam etiam si per aliam imperfectiorem videatur illud idē obiectum, & totum, non proindè diceitur cōprehendi: ergò ratio comprehensionis primaria potius tenet se ex parte ipsius cognitionis, quam rei cognitæ, quod mihi euidētissimum est ex D.Th. contextu.

17 Addo, quod subdit statim S.D. deueniēs ad incomprehensibilitatem Dei. *Nullus intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis Diuinæ essentiæ, quo cognoscibilis est, quod sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur cuius esse est infinitum, infinitè cognoscibilis est; Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinitè cognoscere. In tantum enim* (nota) *Intellectus creatus Diuinam essentiam perfectius, vel minus perfectè cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocunquè creato intellectu receptum non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinitè cognoscat*, ex quibus verbis etiam manifeste colligitur impossibilitas Diuinæ comprehensionis prouenire ab imperfectione cognitionis creatæ, quæ quia finita est, & sic, imperfecta, non potest adæquari cognoscibilitati Dei, quæ, cum sit infinita, petit adæquari, & cognosci, quantum est ex se, cognitione infinita, atq; adeò infinitè perfecta in ratione cognitionis.

18 Addo ex eodem ar. ad secundum vbi eadem claritate procedit S. Thom. dicens; *non propter hoc Deus dicitur incomprehensibilis, quasi aliquid eius sit, quod non videatur: sed quia non ità perfectè videtur, sicut visibilis est; sicut cum aliqua propositio demonstrabilis, per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid eius, quod non cognoscatur; nec subiectum; nec prædicatum; nec compositio, sed tota non ità perfectè cognoscitur, sicut cognoscibilis est*. Ergo (Infero ego) cognosci, sicut cognoscibile est, non est totum cognosci: sed cognosci cognitione adeo clara, exacta, & perfecta, sicut ipsū obiectum ex se petit cognosci.

19 Quod si obijcias Augustini diffinitionem, quæ tantum petit in comprehensione, quod nihil lateat videntem eius, quod videtur, & comprehenditur. Obiectio

Respondet idem met S.Thom. ideò Augustinum statim subdere præfatis verbis illa alia .s. *(aut cuius fines circumspici, vel circumscribi possunt.)* & ait, *tunc finis alicuius circumspici, quando ad finē, in modo cognoscendi illam rem, peruenitur*. Itaq; *circumspicere fines alicuius rei*, non solum est (ex D.Th.) illam rem materialiter complecti cognitione: sed etiā formaliter; ita vt cognoscibilitas passiua illius adæquatè circumscribatur, diffiniatur à cognoscitiuitate potentiæ. Solutio.

20 Adde tandem ex eodem artic. ad tertium, vbi videtur quasi clarius se explicare, dum dicit. *Qui igitur videt Deum per essentiam videt hoc in eo, quod infinitè existit, & infinitè cognoscibilis. Sed hic infinitus modus non cōpetit ei, vt scilicet, ipse infinitè cognoscat. Sicut aliquis probabiliter scire potest aliquam propositionē esse demonstrabilem, licet eam ipse demonstratiuè non cognoscat*. Ex quibus verbis potest hæc doctrina firmari, quod aliud est, esse cognoscibile infinito modo, quod se tenet ex parte obiecti: aliud, cognoscere modo infinito, quod se tenet ex parte cognitionis, & potentiæ. Cōprehensio nō consistit in cognoscere totum obiectū, & quicquid est in obiecto, & modum cognoscibilitatis ipsius obiecti; alias cognoscens principium aliquod, cognitione opinatiua tantum; ex eo quia cognosceret totum ipsum principium, omnia den-

ad ipſum ſpectantia, & ab ipſo dependentia; imò adhuc cognoſceret, dictum principium eſſe cognoſcibile notitia demonſtratiua, comprehēderet illud, quod negat S. D. nam hæc omnia non ſufficiūt, niſi ipſa cognitio ſit adæquata cognoſcibilitati; ita vt ſi petat ex ſe obiectum cognoſci notitia demonſtratiua, demonſtratiuè, & non opinatiuè cognoſcatur ab intellectu; & ſic ratio præcipua comprehēſionis potius ſe tenet ex parte modi cognoſcendi perfectè, & magis perfectè. Et certè minor Doctiſſimos viros, qui D. Th. tam clarè loquentem, nituntur aliter interpretari.

§. VII.

21 NOn minus clarè, cōſequenter ad hæc, quæ docuerat ar. 7. loquitur ar. 8. (quicquid Vazq.) vbi quærens: *vtrum videntes Deum per eſſentiam omnia in Deo videant*? in corp. hanc ægregiam ponit doctrinam, dicens. *Sic videntur omnia in Deo, ſicut effectus in ſua causa*: (loquitur enim de creaturis.) *Sed manifeſtum eſt, quod quantò aliqua cauſa perfectius videtur, tanto plures eius effectus in ipſa videri poſſunt*, nota, hanc eſſe cauſalem, & à priori. (*Ideo hic intellectus plures effectus videt in hac cauſa, quam alius: quia perfectius videt*.) cur ergò allucinantur multi intelligentes, ideo dici à D. Th. perfectius cauſam videri: quia plures effectus in illa videntur; itaut nil aliud ſit apud D. Th. perfectius videre, quam extenſiuè ſe habere viſionem ad plures effectus; & ſic, ly (*perfectius*) dicere ſolum quandam maiorem extenſionem ex parte obiecti; certè nimis violenta extorſio ſenſus eſt hæc.

22 Audite ea quæ ſequitur S. D. *Qui enim habet intellectum eleuatum, ſtatim vno principio demonſtratiuo propoſito, ex ipſo multarum concluſionum cognitionē accipit. Quod non conuenit ei, qui debilioris intellectus eſt: ſed oportet, quod ei ſingula explanentur*. En quomodo ſublimiori vi intelligendi, & perfectiori cognoſcitiuitati intellectus tribuitur pluriū concluſionum cognitio in aliquo principio cognito. Itaq; hæc cauſalis eſt à poſteriori, & ab effectu: *Ideo perfectius quis aliquod principium videt: quia in eo plures videt concluſiones*, & hæc alia à priori. *Ideo quis plures concluſiones in aliquo principio videt: quia perfectius videt*. ergò, quod primario in comprehenſione conſideratur, eſt, quod comprehēſor attingat obiectum cognitione perfectiſſima, hoc eſt, perfectione, ſe potius tenente ex parte ipſius viſionis. Et hoc eſt, quod in fine corp. ſubdit. *Eorum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tanto aliquis intellectus plura cognoſcit, quanto perfectius Deum videt*. quid clarius?

23 Quod ſi in eodem corp. dicit. *Ille igitur intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit: nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere poteſt: ergo nullus intellectus creatus, videndo Deum, poteſt cognoſcere omnia, quæ Deus facit, vel facere poteſt*. In quibus verbis videtur D. Th. quaſi per cauſam ad effectum argumentari, ex comprehenſione ad cognitionem omnium effectuum in cauſa. Reſpondo tamen, quod imò totū oppoſitum arguit; & in illis verbis, à poſteriori concludit cognitionem omnium effectuum, & rationum effectuum in cauſa, à totali comprehenſione, vt dictū eſt, quod ipſemet explicat in reſpōſione ad tertium in hæc verba. *Iam oſtenſum eſt, quod multitudo cognitorum in Deo cōſequitur modum videndi ipſum, vel magis perfectum, vel minus perfectum*; ergò ex eo quod quis perfectiori cognitione videt, ſequitur, quod plura videat: non è contra: ergò in vtroq; art. vniformiter D. Th. noſtrum modum explicandi rationē comprehenſionis docet, non alium, & alium.

24 Et nota; quod, tùm in hoc corpore; tum vbicunq; da propria comprehēſione loquitur S. D. ſemper ponit particulam, (*totaliter*) *non totaliter comprehēdit; non totaliter cognoſcit*. non autem dicit, *non totum comprehendit; non totum cognoſcit*, quia optimè poteſt cognoſci totum aliquod obiectum, & omnia quæ in eo ſunt, (vt pluries dictum eſt) abſq; eo quod dicatur comprehēſum: at cum *totaliter* cognoſcitur: hoc eſt, quando tāta, & ità perfecta, exacta, & adæquata cognitione cognoſcitur, quanta ipſum, ex ſe, petit cognoſci; & quando cognoſcitiuitas actiua potentiæ adæquat cognoſcibilitatem obiecti; tunc dicitur *totaliter* illud comprehendi: quia tunc cognoſcitur omni modo, quo cognoſcibile eſt, ex ſe, intrinſecè, formaliter, & ex natura ſua, præſcindendo ab ordine ad hunc, vel illum intellectum. Et in hoc eodem ſenſu concordabis omnia loca D. Th.

Quid ſigni. fi. et apud D. Th ly totali. ter.

Fasol. Lanfranc. D.Th. quæ solent adduci à Fasol. præsertim, Lanfranc. & alijs.

§. VII.

Ratio fundamentalis. 25 PRæter adducta ex D.Tho. potest fundamẽtali ratione probari hic modus explicandi comprehensionem, suppositis his, quæ supra diximus. Tunc dicitur propriè, & in rigore aliquid comprehendi, quando tanta, ad minus, est cognitio, eiusq. cognoscitiuitas actiua, vt adæquet cognoscibilitatem passiuam obiecti: ergo quando obiectum est cognoscibile cognitione perfecta, vt quatuor, nunquam dicetur comprehendi, nisi cognitio sit in se perfecta, vt quatuor: alias excedetur in perfectione cognitio à cognoscibilitate, in ratione cognoscibilis: ergo requiritur perfectio ex parte cognitionis in comprehensione.

Obiectio ex Vasq. & Lanfranc. 26 Dices, sufficere extẽsionem ipsius cognitionis: Comprehensio.n. spiritualis comparari debet cum corporali: nam ex corporea comprehensione translatum nomen est ad spirituale (vt philosophantur Lanfranc. opusc. 12. cit. c. 5. n. 1. Vasq. disp. illa 53. c. 2. nu. 6. & alij recentiores) inter corpora autem, vnum alio comprehenditur, quando latera superficiei conuexæ vnius, intra latera cõcauæ alterius continentur: & hac ratione dicitur, contentum, continenti diffiniri, (iuxta dictũ Augustini 12. de Ciuit. c. 18.) & sic ambo inuicem æquantur: quatè quoties vna sfera intra manum, vel intra aliam sferã ita continetur, vt nihil illius non contineatur, comprehendi dicitur ab ea. (sunt verba Vasq. à quo sumpsit Lanfranc.) Perindè autem comparatur spiritualiter repræsentatio cognitionis cum re cognita, sicut superficies concaua corporis cõtinentis cum conuexa contenti: ergo sicut superficies continens, secundum extensionem, æquatur superficiei contentæ, quoties tota intra illam corporaliter cõtinetur: sic etiam cognitio adæquari dicitur rei cognitæ; & intra sinum, & quasi concauitatem suam illam continere, quoties tota res repræsentatur & cognoscitur. Sinus. n. & capacitas cognitionis, qua obiectum dicitur contineri, est ipsa repræsentatio: tunc igitur finitur res cognita cognitione, quãdo nihil non illius cognitione repræsentatur: neq. n. alia quantitas spiritualis, aut extensio in cognitione excogitari potest, ratione cuius dicatur cognitio obiectum finire, aut cõplecti, quam repræsentatio: neq. in re cognita aliquid aliud est, quam entitas, quæ cognoscitur: atq. in hoc tantum æquatio vtriusq. consideranda est, vtres ipsa dicatur comprehendi: non autem in vtriusq. perfectione essentiali: sicut .n. vt vnum corpus aliud comprehendat, corporea comprehensione, parum refert, esse eiusdem naturæ, & perfectionis: Auri .n. sfera, optimè, à ferrea comprehendi potest: sed opus tantum est, vt quantitas conuexa quantitati cõcauæ adæquetur, vt intra illam tota esse dicatur: ita etiam, vt obiectum intelligibile intellectione comprehendatur, non est opus, ipsam intellectionẽ eiusdem esse perfectionis, secundum esse, cuius est, ipsum intelligibile: sed oportet, & satis est, si repræsentatio illius ita latè pateat, vt intra se, quicquid in ea re repræsentari potest, distinctè, & sicuti est, contineatur: tunc autem, etiam si obiectum sit infinitum secundum esse; & cognitio, secundum esse, finita; repræsentatio tamen, quoad extensionem, finita esse dicetur, & intra ipsam, obiectum etiam infinitum finiri. Et in hoc sensu explicandum, & intelligendum esse Augustinum illis verbis l. 12. de Ciuit. c. 18. (*Id quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.*) contemnit Vasq.

27. Confirmat hanc suam rationem idem Doctor. Vt cognitio dicatur obiectum comprehendere, opus non est, esse æqualis perfectionis secundum intensionem cum ipso: quia sicut non respondet perfectio secundum esse, perfectioni secundum esse, vt adæquentur, & vnum aliud comprehendat: sed quantitas, & latitudo, latitudini: sic etiam nec intensio, intensioni: ergo attenditur comprehensio intellectualis secundum latitudinem suæ repræsentationis, & eius, quòd repræsentatur: & ita optimè constat diffinitio tradita à Patribus. Idcircò omninò accidentarium, & extra rem est, vt aliquid comprehendatur, cognosci omni modo, quo potest, & debet; si modus ille esse debeat ex parte ipsius cognitionis, siuè secundum esse, siuè secundum intensionem. Quarè, vt infinitum comprehendatur, non est necessaria cognitio infinitè perfecta, secundum esse, siuè secundum intensionem: sed requiritur, vt res ipsa, omni modo, quo potest cognosci, appareat: hoc est, vt in ipsa, quicquid est, & sicuti est videatur: hic autem modus est ex parte rei cognitæ, non ex parte cognitio- Confirm.

Aug.

tio-

tionis: atq. hoc pacto Beatus videt substantiam Dei omni modo, quo videri potest: hoc est, totum, quod est in ipso, & prout in ipso est. (Sunt ipsissima verba Vasq.) quibus subdit, eo magis, hanc doctrinam, & explicationem sibi probari, quo plus accedit ad d. finitionem traditam ab Augustino; imò esse eandem omninò cum illa; nimirum, vt comprehensio sit cognitio rei, ita perfecta, vt omni modo, res tota, sicuti est, videatur; & sic explicatam, (inquit) manere difficultatē prædictæ sententiæ nostræ, & D.Th.

Aug.

28 Vt autem excludat cognitionem Beatorum à comprehensione, c.4. suam sententiam explicans nu.15. docet, quod licet Beati videant totum Deum, sicuti in se est; & eo modo, quo cognoscibilis est, secundum omnia prædicata, quæ in ipso formaliter sunt; cum tamen non videant quicquid ab eo pēdere potest: (nō n. omnia possibilia, neq. futura, quæ ex consilio Dei pendent, Beati vident;) sit vt non dicantur propriè Deum comprehēdere. Et hæc sunt potissima, quæ possunt obijci contra nos.

§. VIII.

29 SEd certè, attentis his, quæ statuimus, nullius momenti, aut roboris sunt. Et primò aduertat Vasq. nos nō dicere, cognitionem comprehensiuam, ex ratione formali, qua comprehensiua cognitio est, debere esse eiusdem perfectionis entitatiuæ cum obiecto: imò hāc sententiam omninò reiecimus supra n.8. sed solum, eiusdem perfectionis esse debere, secūdum suam cognoscitiuitatem, cum perfectione cognoscibilitatis obiecti. Quod clarum esse debet propter rationes adductas ex D.Th. ideo n. qui aliquod principium, & totum quantum est, cognoscit notitia opinatiua, non dicitur illud comprehendere: quia notitia opinatiua, licet terminetur ad totum principium, & ad omnia ad illud pertinētia, non potest adæquare cognoscibilitatem illius principij, cum sit notitia imperfecta, & illud principium petit cognosci perfectiori cognitione. s. demonstratiua; & sic, qui demonstratiuè cognosceret, vtiq. comprehenderet. Quis doctus dicet, demonstrationem esse solum perfectiorem opinione, extensiuè, & non intēsiuè? siquidem, ad idem omninò obiectum, secundum se totum, vtraq. extenditur. Ergò maior perfectio requiritur ex parte cognitionis, non secundum entitatem: sed secundum intensionem.

Redarguitur Vasq. 1.

30 Addo, optimè valere hanc supputationem; ad videndum aliquod obiectū, perfectè, vt duo, requiritur notitia perfecta, vt duo (& loquor secundum gradus intensionis obiecti, non extensionis tantum) ad videndum illud perfectius, vt octo, requiritur perfectior notitia, vt octo, &c. & hoc intra eosdem naturæ terminos, sicuti ad videndum obiectum ordinis supernaturalis, requiritur dignitas supernaturalitatis in notione: & ad illud cognoscendum, vt quatuor; necesse est, eleuetur potentia per lumen supernaturale, vt quatuor; & sic discurrendo in infinitum. Sed diximus in quodl.5. de lumine gloriæ, lumen eleuans potentiam, augere intrinsecè vires ipsius, ad intensius, & intensius videndum obiectum supernaturale, & non solum ad plura obiecta videndum: ergo quo intensius videt, eo perfectior intensiuè erit uisio. Sicuti perfectior extensiuè, si eleuetur ad plura obiecta videndum. Vnde docuimus ibi, totam intensionem uisionis commensurari intensioni luminis eleuantis, qui illā intrinsecè perficit. Multa alia possem ad hoc probandum congerere: sed quia mihi res hæc uidetur satis apertè, & euidēs ex dictis: ideo ad ulteriora transeo.

§. IX.

31 NOlo cum his Doctoribus contendere, circa analogiam comprehensionis spiritualis, & corporalis: sed libenter, & gratissimè admitto translarum. Miror tamen sublime ingenium Vasq. adeò defecisse in illa comparatione: debuit n. sic proportionaliter procedere: comprehensio spiritualis comparatur corporali: ergo sicut in corporali, quantitas tota corporis continentis adęquat totam quantitatem corporis contenti: ita in spirituali: sed quod est quantitas molis in corporalibus, est quantitas uirtutis; & perfectionis in spiritualibus: ergo sicuti in corporea comprehensione, in comprehendente, debet esse tanta quantitas molis, quanta in comprehenso; ita ut adæquet comprehensum, & secundum longitudinem, & secundum latitudinem, & profunditatē; taliter quod, si in corpore comprehenso sit longitudo ut decem; pariter in comprehendente sit ad minus ut decem, & ultra: si latitudo ut octo; tantundem sit latitudinis, & ultra in-

defecit Vasq. in analogia comprehensionum.

Quod in corporalibus est quātitas molis, in spiritualibus est quantitas virtutis.

in comprehendente, & sic de profunditate: ita proportionaliter in comprehensione spirituali, ad hoc vt intellectio sit comprehensiua alicuius obiecti, debet esse tantæ quantitatis virtutis eius cognoscitiuitas, quantæ est cognoscibilitas obiecti, quam debet adæquare: ergo sicut necessario supponi debet illa tota quantitas, & quoad longitudinem, & quoad latitudinem, & quoad profunditatem, ex parte corporis comprehendentis, vt secundum omnem dimensionem respondeat adæquatè singulis dimensionibus corporis contenti: ita necessario supponi debet, ad minus, ex parte cognitionis tāta quantitas virtutis, & perfectionis, & secundum extensionem, & secundum intensionem, quanta est in obiecto cognito; alias, quomodo posset adæquatè respondere dimensionibus virtutis ipsius obiecti, si nulla esset virtutis dimensio; vel non tanta, in cognitione? & hæc est vera, realis, & legitima proportio, quam aduertere debebant Vasq. Lanfranc. & alij inter vtramq. comprehensionem.

Ostenditur deficientia argumenti Vasq. 32 Et sic tota vis argumenti principalis ruit: concedimus n. antecedens totum: negamus autem consequentiam, in qua dicitur (*ergo sicut superficies continens, secundum extensionem, æquatur superficiei contentæ; sic etiam cognitio æquari debet rei cognitæ, secundum, tantum, extensionem, vel repræsentationem obiecti, &c.*) cum n. tota ratio quantitatis molis in extensione consistat, non potest aliter quantitas quantitati adæquari, nisi secundum extensionem: at vero quantitas virtutis non consistit, præcisè, in aliqua extensione; imò potior ratio virtutis in intensione sita est. &, quasi secundario, in extensione: hinc fit, vt adæquatio quantitatum virtutum attendatur potissimè in ipsa intensione, & secundario, in extensione.

33 Præterquam quod, non capio vnde colligat Vasq. nil dicere comprehensionem spiritualem, ex parte comprehēdentis; sed solum, ex parte rei comprehensæ, considerati ipsam repræsentationem: non. n. hoc sequitur ex comparatione ad comprehensionem corpoream, in qua non solum est tanta quantitas in comprehenso, sed quanta est in corpore comprehenso, tanta, imò maior, necessario esse debet in corpore comprehendēte. Ergò (inferre debuerat) quanta repræsentatio passiua, quantaq. extensio est in obiecto cognito comprehensiua notitia, tanta esse debet in ipsamet cognitione: & sic curreret, absq. claudicatione, paritas, & comparatio.

34 Ita exemplum adductum de sferis non facit ad rem: non. n. dicimus, debere esse, notitiam comprehensiuam, & obiectum, eiusdem entitatis: sed eiusdem perfectionis, in esse intelligibili; sicuti illas duas quantitates, in esse quantitatiuo, & secundum quantitatiuas dimensiones, iuxta dicta. Exemplum Vasq. inutile

35 Ex quibus etiam patet euidenter solutio ad confirmationem. Illud autem Augustini dictum l. 12. de Ciuit. cap. 18. scilicet (*Id, quod scientia comprehēditur, scientis comprehensione finitur*) intelligēdum est eo modo, quo D. Tho. att. illo 7. intelligit illa alia Augustini verba in epist. 112. de videndo Deo, & nos retulimus supra nu. 19. nempè (*cuius fines circumspici, vel circumscribi possunt.*) dicēs: (*tunc fines alicuius circumspici, quando ad finem, in modo cognoscendi illam rem peruenitur*) quod est dicere, ad comprehensionem non sufficere, materialiter tantum, totum obiectum nosse: sicut sufficit continentia materialis totius contenti intra latera continentis, ad corpoream comprehensionem: sed vltra requiri, quod ita formaliter, & totaliter cognoscatur, vt tota intelligibilitas passiua illius adæquetur, diffiniatur, & circumscribatur à cognoscitiuitate actiua potentię, & uisionis. Et idem est, *finiri scientis comprehensione, quod scientia comprehenditur*. Ad confir. Aug.

§. X.

56 Tandem non aliud ab hoc voluisse censeo Aegidium nostrum Columnium Quodl. 1. q. 21. quæ est vltima in corp. licet non ità clarè id doceat, sicut D. Th. ibi enim postquam retulisset, quot modis creaturæ dicantur esse in Deo, ex D. Dionis. subdit in hæc verba: *Videntes Deum, non oportet, quod videant omnia quæ sunt in Deo, nec quod cognoscant omnes effectus, qui possunt ab ipso procedere: vnde, & communiter dici consueuit, quod aliud est cognoscere Deum totum: & aliud est cognoscere Deum totaliter. Sancti enim in Patria totum Deum vident: non tamen intelligunt ipsum totaliter: quia non comprehendunt eum, nec intelligunt eum omni modo, quo intelligi potest, & ideo non intelligunt omnia, quæ relucent in ipso, vel omnia quæ possunt ex ipso procedere*. Assignat huius Aegid. Rom. ponderatur.

doctri-

doctrinæ triplex exemplum, in numero, in vnitate, & tādem in principijs, in quibus dicit, hoc magis manifestè patere, & vt reliqua duo priora omittam; de principijs exemplificans, ait: *Potest quis intelligere totum illud principium*, (omne totum est maius sua parte:) *quia potest intelligere subiectum, & prædicatum: non tamen intelligit totaliter ipsum nisi intelligat omni modo, quo est intelligibile illud principium, & nisi intelligat omnes conclusiones, quæ possunt roborari per ipsum.* Hæc Aegid.

Aliud est videre in obiecto modos, quibus cognoscibile est: aliud illud cognoscere eo modo, quo ipsū ipsum ex se cognoscibile est.

37 In quibus verbis aduerto iterum, aliud esse videre obiectum aliquod, & in illo omnes modos, quibus visibile, & cognoscibile est, (& in hoc sēsu, omnis modus se tenet omninò ex parte obiecti.) Aliud est obiectum videre, & in illo omnes modos, quibus visibile est, omni modo quo visibile est: (& in hoc sēsu ly *omni modo* se tenet ex parte visionis.) Beati vident Deum, totum Deum, quicquid formaliter est in Deo, omnes modos quibus Deus videri potest nempè perfectius, atq; perfectius, clarius, atq; clarius in infinitum: non tamen dicuntur ipsum cōprehēdere, quia non vident omnimodo quo visibilis est totus Deus, quo visibilia sunt omnia formalia ipsius prædicata, & quo sūt visibiles omnes modi visibilitatis ipsi: quia non est ea perfectione, & claritate visio quæcunque perfectissima in patria, qua petunt ex se videri, & modi, & attributa, & Deus ipse.

38 Hoc est quod ait Aegid. quòd licet intelligēs intelligat totū hoc principium (*omne totum &c.*) & quantum ad subiectum, & quantum ad prædicatum, & quantum ad connexionem: at pariter cognoscat quot modis illud principium est ex se cognoscibile; nēpè, clariori, perfectiori, & demonstratiua cognitione; si tamen non cognoscat illud ea cognitione demonstratiua, & clara, qua petit ex se cognosci, & omnes conclusiones, quæ ex illo possint emanare, non dicetur illud cōprehendere. En quomodo Aegid. supponit in comprehensione cognoscitiua perfectionem intensiuam in visione ipsa. Quando autem probat, Sanctos in patria non intelligere Deum totaliter, ex eo, quod ipsum non comprehendunt: probat à posteriori potius, & quasi ab effectu, non à priori. At cum subdit (*Ideo non intelligunt omnia quæ relucēt in ipso, vel omnia, quæ possunt ex ipso, procedere.*) videtur effectum per causam probare, ac si dicat: vis scire, quare Beatus, vidēdo Deum, non videat in eo omnes effectus, qui ab ipso possunt produci? quia (en causalis) non videt Deum totaliter, & omni modo, quo visibilis est: nam si sic videret, proculdubio cognosceret in illo omnia possibilia, & Deum comprehenderet. Itaque certum mihi est, Aegid. huius fuisse sententiæ loco cit. sunt & alij grauissimi Theologi, quos citat Vasq. c. 2. qui huic nostræ fauent sententiæ, quam satis clarè explicauimus, vt inde deduci possit Dei incomprehensibilitas. Vasq.

CAPVT II.

Deum esse omninò incomprehensibilem à quocunque creato intellectu, etiam de potentia Dei absoluta, qua certitudine credendū sit?

§. I.

Incomprehensibilitas Diuinæ Essētiæ supponitur ab omnibus.

1 VNVM in titulo supponitur aliud quæritur. Quod supponitur est, omnimoda Diuinæ essentiæ incōprehensibilitas. In quo omnes cōueniūt. Nec im moror in detestanda insania Aetij, & Eunomij, qui asserere temerè ausi sunt, Deum non solum à creatura posse comprehēdi, sed se etiam ità perfectè Deum comprehēdisse, sicut Deus ipse se ipsum: vel sicut se ipsi videbant, & cognoscebāt, secundum suas sensibiles qualitates, ex Epiph. hæres. 76. & Baron. ad ann. 360. cōtrà quos D. Basilius inuehens epist. 168. ad Eunomium, ità affatur. *Qui se inquit, existentium scientiam assecutum esse gloriatur, exponat nobis quomodo, quod minimum est eorum, quæ in lucem prodierunt, natura habeat? & quæ formica sit natura, dicat. An spiritu, vel anhelitu vita ipsius contineatur? An corpus habeat ossium distinctione concinnatum, atque discretum? neruis nè, ac nodulis iuncturarum roborata sit? An musculorum, ac glandularum cōplexu neruorum natura vndequaque construatur? Vtrum ex neruosa pellicula complexione motis*

Insania Aetij, & Eunomij Epiphan Baron. conuincitur à D. Basil.

membris sit progrediendi facultas? Habeatnè hepar; an sub hepate sit flaua bilis folliculus? Vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & membranas, & diaphragmata? Nudanè sit an erinita? Vnius tantum generis? An multifariis vtatur pedibus? Quandiù viuat? Et quæ sit illius propagandæ posteritatis ratio? Quotuplo fœtu, dum generat; fœcunditur? Et quomodo nec pedestres omnes sint formicæ, nec alatæ omnes, sed aliæ humi repant, aliæ vero per aera volitẽt? Dicat itaq. formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ in natura sunt, scientiam, cum fastu, se prædicat assequutum; atq. ita, demum, de potentia illa, omnem intellectiuam superante, disputet. Si verò scientia minutissimæ formicæ nondum es assequutus naturam; quomodo incomprehensibilem Dei potentiam, imaginatione tua, comprehensam esse gloriaris?

Itē ab Epip. 2 Et Epiphan. loc. cit. contra Aetiū, & eius sequaces, sic inuehit, interrogando. *Dic, ac recense mihi fundamenta terræ, promptuaria abyssi, venas maris, inferni locum, aeris mensuram, calorum formā, & crassitudines, quod est summū supernorū? quod est extremū infernorum? quid in dextra? quid in sinistris? creationem, ac formationē tui ipsius mihi disserẽ; & eorū, quæ in terra sunt inenarrabilia, numerū, ac mẽsuras. Per causllum dicit. Omnia hæc corporalia sunt; & nosse non possumus. Deum autem, qui ipsa fecit, nouimus clarè quis est, & qualis est, & quomodo est? Quis autem, his auditis non statim risum effuderit? Stolidum enim est hoc totum, quod opificem incomparabilē, ac inenarrabilem dicit, se nosse, & exactè scire: quæ vero ab ipso incōparabili facta sunt, dicit, se ipsum, & suos non scire, &c.*

3 Quare suppositum, tantum, est, de comprehensione intellectus eleuati in patria; & non de comprehensione illa latè accepta, qua omnes Beati dicuntur Deum comprehendere, prout cap. præcedenti diximus num. 1, sed de propriè dicta, & à nobis supra explicata. Et de hac dicimus, nec de potentia absoluta fieri posse, vt creatura aliqua eleuetur ad comprehendendum Deum. Ità omnes catholici, qui videri possunt apud iuniores. Ratio autem fundamentalis huius veritatis desumitur ex his, quæ statuimus cap. præced. de ratione comprahensionis; quæ potest sic efformari. Notitia comprehensiua illa propriè dicitur, quæ, in ratione comprehensiuæ notitiæ, adæquat vniuersam intelligibilitatem obiecti; ita vt non solum sit de obiecto, & de omni contento in obiecto, etiam eminēter: sed tendat ad illud omni præfectiori modo, quo petit ipsum obiectum, quantum est ex se, cognosci: hoc enim est, *nil obiecti latere videntem, &, cuius fines circumspici possint, &c. &, scientis comprehēsione finiri, &c.* prout cum D. Th. exposuimus. Sed nulla creata cognitio esse potest huiusmodi: ergò, &c. prob. min. tūc dicitur sic esse notitia, quando tantæ, in se, cognosciriuitatis est, quantæ est cognoscibilitatis obiectum; itaut tam perfectè cognoscatur, quam perfectè petit ex se illud cognosci: sed Deus est obiectū infinitę cognoscibilitatis, & sic, perfectissimè in infinitum cognoscibile: ergò cognitio Dei comprehensiua debet esse infinitæ perfectionis, qualis est sola cognitio Dei, quam se ipsum comprehendit: Vnde omnes Theologi, & Sancti Patres affirmant, solam Dei cognitionem posse sui ipsius esse comprehensiuam: quia tātus est Deus, quanta eius cognitio; & tāta Dei cognitio, quantus Deus; itaut, nec Dei cognitio Deum excedat; nec Deùs suam ipsius excedat cognitionem. Quarè omnis alia immaginabilis notitia, inferior ad notitiā Dei, non poterit æquari ipsi Deo: sed semper ab obiecto excedetur, & superabitur: ergò nulla est dabilis creata notitia, etiam de potentia Dei absoluta, quæ sit Dei comprehensiua: sicuti nulla est dabilis, quæ æquetur notitiæ Dei, cum Dei notitia sit ipsa substātia Dei.

Ratio fundamentalis incomprahensibilitatis Dei.

4 Et nota primo, quod licet diximus, non esse de ratione comprehensionis; vt sic, quòd notitia adæquetur obiecto, in esse entitatiuo: sed solum in esse intelligibili. In comprehensione Dei, necessario dicendum est, debere in ipso esse entitatiuo adęquari cum obiecto cōprehensi; non qua comprehensio est, sed qua comprehensio Dei est: eo prorsus modo, quos nos diximus Quodl. 7. disp. 2. cap. 6. ℣. 3. num. 15. Intellectionem, vt sic formaliter, habere solum facere simile in esse intelligibili, non in esse reali: at quia in Deo idem est, esse, & intelligere: idem etiam erit facere simile in esse intelligibili, ac in esse reali: & hoc habere intellectionem, non ex eo quod intellectio est: nec ex eo tantum, quod Diuina est: sed ex eo, quod Diuina intellectio est; vt sic enim petit similitudinem in ipso reali esse. Ità proportionabiliter in præsenti dicendum est; quod licet non sit Nota 1.

de

de ratione notitiæ comprehensiuæ, vt sic, quod adæquetur in esse entitatiuo, & substantiali cum obiecto comprehenso: tamen, quatenus comprehensio Dei est; necessario debet sic adæquari, alias omnis alia notitia esset inadæquata Deo, & ex consequenti, non comprehensiua ipsius Dei.

Not. 2 currere ratio nem nostram, possint, vel non possint cognosci omnia possibilia in Deo.

5 Item nota secūdò, quod siuè possint cognosci, de potentia absoluta, omnia possibilia in Deo, siuè non possint, currit hæc ratio: nam si possunt cognosci, non ideo posset comprehendi Deus, vt diximus cap. præced. §. 4. à n. 11. & deinceps. Si nō possunt cognosci, neq. ex hoc à priori colligitur, non posse comprehēdi: sed quia illa cognitio non esset adæquata: tunc .n. adæquata censetur, quando, & secundum intensionem, & secundum extensionem respondet toti obiecto, & omnibus modis, quibus ipsum cognoscibile est. Vnde frustra contra hanc veritatem argueret, qui probaret, posse omnia possibilia in Deo cognosci, de potentia absoluta. Et non probaret à priori, sed ad summum à posteriori hāc veritatem, qui ostenderet, ex eo non posse comprehēdi Deum: quia non possunt à creato intellectu cognosci in illo omnia possibilia. Et his euaditur omnis difficultas, quæ fieri posset contra incomprehensibilitatem Dei.

Not. 3. Etiam si posset dari lumē infinitum, vera nostra ratio. Lusitan. Conimbr. Ruuius, Scot.

6 Tertio not. cum Lusit. in append. & quæst. cit. ar. 2. §. 3. n. 11. ad 4. arg. quod licet nos non admittamus, posse dati de potentia absoluta infinitum lumen, cum probabiliori sententia, vt videre est apud Conimbric. 3. phis. cap. 8. q. 2. art. 2. & 3. & Ruuium eodem lib. & c. 8. in tract. de infinito q. 3. cui & nos etiam adhæremos in eodem 3. phis. Adhuc tamen admissa Scoti opinione in 3. dist. 13. ad 3. & 4. nō indè sequeretur Dei comprehensio. Attamen ratio, qua hoc probat Lusit. non videtur nimis solida: ait .n. cum Aliaco in 1. q. 13. art. 3. quod illud lumen infinitè intēsiuū, si crearetur à Deo, non posset in aliquo subiecto produci: sed extra. Nec hoc (inquit) esse nouū: quia, apud nōnullos, posset Deus producere intellectionē sine intellectu: extra tamen ipsum, non vero in ipso: quia in intellectu dari non potest, nisi intellectu actiuè concurrente.

Aliac.

Non placet ratio Lusit. & Aliaci.

7 Non inquam hæc solutio placet: nam si Deus poneret intellectionem meam in intellectu alterius, illa intellectio nō haberet rationem intellectionis in alio intellectu, à quo non dependeret in fieri; quia non esset illi vita: vt dictum est non semel in quodl. *de verbo mentis*. Sed se haberet per modum cuiusdam simplicis qualitatis: neq. indè aliquod inconueniens posset oriri. Item dicerent Neruinales, & Scotus, quod lumen cum non dependeat, nisi à Deo in fieri, & à subiecto apto ad illud recipiendum, in quo ab eodem Deo solo conseruaretur; ex qua parte repugnaret in subiecto produci? non ex parte Dei, qui sicuti illud posset extra subiectum create, independēter a quocunq. alio agente: ita & posset in subiecto producere. Neq. ex parte subiecti potest assignari repugnantia, supposita potentia obedientiali ipsius, quæ est quodammodo infinitæ capacitatis, & habet pro obiecto suo adæquato omne id, quod non implicat contradictionem: ergo, si aliunde non implicet tale lumen infinitum produci, neq. implicabit posse in subiecto recipi.

8 Quarè melius probat Cabrera 2. to. ad 3. p. q. 10. ar. 1. disp. 2. ad 3. nu. 19. quia lumen illud infinitum, cum esset creatum non comprehenderet Diuinam Essentiam: nec .n. adæquaret ipsam Dei cognoscibilitatem, quæ solum adæquari potest per lumen simpliciter, & absolutè infinitum, quale non est lumen creatum. quam doctrinam desumpsit etiam ex eodem Aliaco loc. cit. col. 3. §. *Pro isto dico quarto*. Et est conformis his, quæ nos diximus paulo supra nu. 5. not. 2. & videtur satis indicata à D. Greg. lib. 18. moral. c. 28. in illis verbis cap. præcedenti relatis; nimirum; ***Quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus***. ergo quicquid creatura est, nō valet Dei comprehensionem attingere.

Ratio Cabr. probabilior, ex eodem Aliaco.

D. Greg.

9 Vnicum tamen posset esse argumentum. Intellectus Beati comprehendit ipsam visionem beatam, quæ in se comprehensibilis est: sed hæc comprehendi non potest, quin comprehendatur ipsa Diuina Essentia, quæ est illius obiectum specificatiuum, cum non possit cōprehendi actus, quin comprehendatur obiectum illud specificans: ergo, &c. Ad hoc tamen; quicquid, multis, dicat Cabrera vbi supra ad 8. nu. 43. Respondeo, Diuinam Essentiam non specificare visionē beatificam secundum adæquatam suam intelligibilitatem: sed secundum inadæquatam, & finitam; cum Deus non contineatur sub obiecto intensiuè adæquato

Obiectio.

Quomodo Diuina Essētia specificet visionem.

quato

quato intellectus creati, sub ratione Dei infinitè visibilis; sed tantum visibilis finito modo, sicuti finito modo videtur.

§. II.

An sit de fide? Vazq. 10 Quod autem quæritur est: An hæc veritas sit de fide? Vel vnus Vazq. disput. 52. conatur, in hac controuersia, ostendere, omnia loca, aduci solita ex Sacra Scriptura, Concilijs, & Patribus posse interpretari, vel de viatoribus, vel etiam de Beatis, tamè per vires naturæ, Deum dici incomprehensibilem: non verò in sensu à Theologis omnibus intento, & per potentiam absolutam: licet cap. 2. velit, esse planè temerarium, id absolutè negare, propter vnanimem omnium Scolasticorum consensum. Verùm subdit, esse hanc veritatem de fide, si comprehensio (vt à nonnullis, inquit ipse, malè explicatur) significet visionem æqualis perfectionis cum ipso obiecto. Quarè, etiam ipse Vazq. sumpta comprehensione in sensu, quo nos illam explicuimus; nobiscum, cum reliquis omnibus Theologis, (qui videri Fasol. Lusit. possent apud Fasol. supra articul. 7. disputat. 1. dubit. 1. num. 1. & Lusit. in Append. q. 1. ar. 3. n. 3.) consensit, qui resolutè dicimus, esse de fide.

Non bene Patres expēdūtur à Vazq. 11 Et quamuis verum sit, quod ex locis Sacræ Scripturæ veritas hæc clare deduci non possit, si ex se considerentur: tamen non bene Patres ponderantur à Vazq. Et vt innumeros ommittam, quorum dicta optimè expenduntur à Recentioribus, ponderanda sunt verba, tùm Gregor. supra num. 8. adducta: tum Chrisostom. homil. 14. in Ioann. quæ coincidunt cum verbis Gregor. dum ait, *si omnis natura creata est, qua nam ratione increatum videre poterit? & si corpoream naturam, quamuis genitam non possumus manifestè conspicari: & hoc sapè numero in Angelis ostensum est, multò minus incorpoream, & ingenitam substantiam*. Tùm Hieron. in illud Isaiæ cap. 1. *Audite Verbum Domini Principes Sodoma*. Vbi sic habet: *Neq; enim creatura potest aspicere creatorem*. Et aliorum Sāctorum Patrum consimilia dicentium, qui omnes, dum non videntur alia ratione moueri ad incomprehensibilitatem Dei tuendam, nisi quia quilibet intellectus creatus est creatura; & ob hoc, quod creatum est, excluditur à comprehensione Diuina. (Non enim loqui possunt

Greg. Chrisost.

Hieron.

Patres de alia visione Diuinæ essentiæ, quam creatus intellectus, non obstante, quod creatus sit, eleuatus, proculdubio attingit:) ergò si *esse creaturam*, impedimento est, vt possimus Deum comprehendere; & de fide est, *creatum esse*, non posse esse *increatum*; sequitur solam visionem increatam posse Deum comprehendere, & non aliam quamcunq; intellectionem: & hoc ex expresso sensu, & vi verborum Sanctorum Patrum: ergò malè interpretantur à Vazq. quod loquātur vel de viatoribus; vel, etiam de Beatis, sed de potentia ordinariā: hæc n. ratio, quam adducunt, manifestissimè probat, de potentia absoluta. Ergò non male explicamus nos (vt inquit Vazq.) rationem comprehensionis, dum afferimus (loquēdo de Dei comprehensione,) debere esse æqualis perfectionis cū ipso Deo. Quod etiam videtur annuisse Basil. l. 1. contr. Eunomium; dum ait: *Ego vero arbitror, non homines solum, sed omnem etiam rationalem naturam ipsius comprehensionē excedere. Rationalem, autem, nunc creatā dico: nā soli Filio notus est Pater, & Spiritui sancto: nemo enim nouit Patrem, nisi Filius: & Spiritus omnia scrutatur etiā profunditates Dei. Quid igitur eximium cognitioni vnigeniti, aut Sancti Spiritus relinquent; siquidem ipsi essentia ipsius cōprehensionem habent?* Nimis igitur violēter Vazq. Patrum mentem extorquet. Basil.

12 Valent. etiam 1. tom. quæst. 12. pun. 5. videtur loqui solum de potentia ordinaria, nec de potentia absoluta mentionem facit, & agens de comprehensione præfectissima, nec de hac audet dicere, esse de fide, Deum non posse comprehendi. Valen.

13 Cæterum, absolutè dicendum, nullum intellectum creatum, quantumuis eleuatum in patria, & per quamcumq; potentiam Deum comprehendere posse propria comprehensione, de qua Patres, & Theologi consensu vnanimi loquuntur, de fide, esse. Dixi (*propria cōprehensione*) ad excludendā illam impropriam, qua quilibet Beatus dicitur comprehensor; cum enim fides aliquid determinat, non assumit improprias vocabulorum significationes, sed proprias, ne fideles in rebus fidei æquiuocent. Et hoc modo videtur hæc veritas definita in Conc. Lateranen. sub Innocent. 3. in cap. *Firmiter de Summa Trinitate* sub his verbis, *Firmiter credimus, & simpliciter cōfitemur, quod vnus solus est Deus,* Esse de fide.

Conc. Later.

Aeter-

Coarctat Vasq. diffinitionem Côc.

Suar.

Aeternus, Immensus, Incomprehensibilis. Licet Vasq. coarctet Concilij diffinitionem ad comprehensionem, quæ habetur, vel secundum vires naturæ; vel in via, vel secũdum legem ordinariam. Et Suar. l.2. de attrib. negat. cap. 5. nu. 6. dicat, non esse certum; an Côcilium id diffinierit, etiam de potentia absoluta: tamen existimo, Concilium eodem modo diffinire, Deum esse incomprehẽsibilem; sicut, Deum esse Vnum, Aeternum, & Immensum: non. n. ad libitum interpretandum est Concilium, ita ut, dicens, *Deum esse Vnum, Aeternum, Immensum, & Incomprehensibilem*; intellexerit, esse *Vnum, Aeternum, & Immensum*; simpliciter, & absolutè, taliter quod nec per ipsius omnipotentiam possit nô Esse *Vnus, Aeternus, & Immensum*, & solum, esse *Incomprehensibilem*, de lege ordinaria: alias posset quis ad libitum etiam dicere, Concilium tantum de lege ordinaria diffiniuisse, Deũ esse *Vnum, Aeternum, & Immensum*; & sic de potentia absoluta, posse non esse talem: vnde tueret Catholica fides.

Conc. Basil. Arrubal.

14 Sic etiam Conc. Basiliense, teste Lusit. art. 3. cit. n. 10. damnauit quendam Augustinum de Roma, qui docebat, *Deum, saltem, ab anima Christi, comprehendi.* Licet idem Lusit. fateatur, tale Côcilium Basiliens. in illa sess. 22. vbi hunc errorem damnat, non esse legitimum: nihilominus magnam authoritatem habere, desumptam ex communi Theologorum sententia, quatenus iudicarunt, propositionem illam dignam esse damnatione. Qui plura circa hoc desiderat, adeat citatos authores, & Arrubal. super art. illum 7. q. 12. 1. p. dist. 23. vbi diffusissimè, & eruditissimè hanc statuit veritatem. Sit laus summo, & incomprehensibili Deo.

FINIS.



INDEX

INDEX RERVM,

In quo, primus numerus, paginam: Secundus, columnam: Tertius, columnæ numerum ostendit.



At


Adam.

Aegyptij.

INDEX.

Licet

I N D E X.



INDEX.

Nul-

Sex

I N D E X.

Christus.

Christianus.

Circumcisio. Vide Sacramentum.

Cogitatio. *Vide* Auxilium.

Cognitio, Cognoscere, *vide* Intellectio Intelligere.

Compositio.

Comprehensor, Comprehensio.

Con-

I N D E X.

Credere.

D

Damnatio, Damnatus, Dæmon.

Decretum.

Delectatio.

Demonstratio.

Denominatio.

Destinare.

Deus, Deitas.

sum

Dispositio.

Doctrina, & sacra Doctrina.

Vide Theologia.

Donum.

E

Educere, Eductio.

Vide Gratia.

Effectus. *Vide* Causa.

Electio, Electus, Eligere.

Eminenter.

Ens.

Aequiuocum.

Error.

Esse, & Existentia.

Essentia.

Cum

Aeternitas.

Eucharistia.

Euidentia.

Ex-

INDEX.

Forma, Formaliter, Informare.

Formido.

Futurum.

Sex

I N D E X.

Christus.

Christianus.

Circumcisio, *Vide* Sacramentum.

Cogitatio. *Vide* Auxilium.

Cognitio, Cognoscere, *vide* Intellectio Intelligere.

Compositio.

Comprehensor, Comprehensio.

Con-

Conceptus.

Conclusio.

Confirmatio, *Vide* Sacramentum.

Conseruatio.

Continere.

Contingens.

Contritio.

Cor.

Corpus.

Creatio, Creatura, Creatum.

 in

Credere.

D

Damnatio, Damnatus, Dæmon.

Decretum.

Delectatio.

Demonstratio.

Denominatio.

Destinare.

Deus, Deitas.

Diligere.

Discursus.

Dispositio.

Doctrina, & sacra Doctrina.

Vide Theologia.

Donum.

E

Educere, Eductio.

Vide Gratia.

Effectus. *Vide* Causa.

Electio, Electus, Eligere.

Cum

Aeternitas.

Eucharistia.

Euidentia.

Ex-

INDEX.

Nota

G

Generatio.

Gloria. Glorificatio.

Gratia, Gratus, Gratitudo.

Gra-

H

Habitus.

Homo. Humanitas.

Per

INDEX.

Vide Circa hoc, quod adnoto in littera V. Verbum, ne æquiuoceris.

In-

Intentio.

Vide Sacramentum.

Iuramentum.

Iustitia, Iustus, Iustificatio, Iustificare.

Vide Gratia.

M

Malitia, Malum.

Maria Virgo.

Materia.

Matrimonium. *Vide* Sacramentum.

Medicamentum.

Meritum. Mereri, Meritorium.

Nota

Quid,

Pœna.

Po-

Practicum, Praxis.

Præceptum.

Prouidentia, & Praeuidentia.

Puer.

Q

Qualitas.

R

Relatio, Relatiuum, Referre.

Idem

Remissio.

Reprobatio, Reprobare, Reprobus.

Reuelatum.

S

Sacramentum. Sacramenti Minister.

Vide Præceptum.

Sacra-

ex

Nul-

INDEX.

Sensus.

Signum.

Similitudo.

Simplex, Simplicitas.

Sol.

Species.

Tentatio. *Vide* Auxilium.

Theologia.

Terminus.

V

Velle. Velleitas. Volitio. Voluntas. Voluntarium.

I N D E X:

An

FINIS.



L E C T O R I.



OMnium sæculorum prodigium, illud esset opus (candide Lector) quod sine menda prodiret è Prælo. Octauum mundi fore miraculum, existimauit eximiæ eruditionis vir Altobellus Gagliarus, mei amantissimus, in sua Arte: partim enim Authoris incuria: (maximè si Author sit, & Corrector:) partim indiligentia Impressorum: & partim deniq; iniuria Torcularium, Torculariorumq; desidia, multis scateat liber lapsibus, necesse est. Fateor, plura, quàm putaram, in hoc opere inuenies errata; in quibus, cui potius indulgendum tibi, affectui ne meo, qui, nimis auidus, & immoderatè ambitiosus, vt reliquis emendatius exiliret, nolui purgatioribus; sed potiùs hallucinatis oculis meis illud corripiendum subdere: vel nostri temporis arti Tipographicæ (quæ, non nisi à peritis, tractanda foret,) penitùs ignoro. Sed tanta tua erit humanitas, vt parces vtrisquè; & ea, quæ parui erunt momenti, facilè tua prudentia corriges: reliqua verò aliquantisper morosiora, hic inuenies emendata.

ERRATA.

Pag.17.n.7.ver.2.foere. *lege*, fore.pag.41.n.5.ver.5. extrinseca. *lege*, ex intrinseca. pag.60.n.2. ver.14.non latent, *lege*, nos latent. pag.84.n.4.ver.15. Eam. *lege*, iam. pag.90.n.39. ver.vlt.potuit; *lege*, potiùs. pag.94.n.4. ver.19. vsq; adeò non. *lege*, vsq; adeò videtur non. ibidem n.5. ver.4.primum; *lege*, præmium.pag.106.n.8.ver.2.supra cap.1.n.20.*lege*, supra disp.1.c.1.n.19. pag.114.n.7.ver.27. disp.4.c.4. *lege*, quodl.5.disp.2.c.4. pag.118.n.19.ver.14. actualem. *lege*, actuantem.pag.119.n.13.ver.8.quo.*lege*, quod.pag.120.n.20. ver.55.assistat &.*lege*. assisteret. pag.126.n.26.ver.9.secunda.*lege*, re. pag.128.n.8.ver.4. disp.4.c.4.*lege*. quodl.5.disp.2.cap.4. pag.135.n.2.ver.2.intrinseca; *lege*, intuitiua.pag.148.n.16.ver.vlt.vis, *lege*, vi.pag.162.n.6. ver. 21.accipere, *lege*, augere.pag.171.n.1.ver.37.cap.2.n.5.*lege*, disp.2.cap.1.n.5.pag.172.n.7.ver. 22.Deum. *lege*, Eum. pag.185.n.7.ver.12.argumentum.*lege*, argumento. pag.211.n.12.ver.8. Arist.42.met.*lege*. Arist.12.met. pag.215.n.7. ver.19.actum. *lege*, actu. pag.265.n.26. ver.36. tantum corpus sit ex vi verborum in calice.*lege*, ex vi verborum in hostia: & tantum sanguis in calice.pag.316.n.20.vet.13.sentire, *lege*, sitire. pag.333.n.1.ver.15.effectu.*lege*, affectu.pag. 344.n.20.ver.9.principales.*lege*, plures.pag.389.post n.5.cap.5.*lege*, cap.2.pag.395.n.6.ver.3. spirituale.*lege*, supernaturale. pag.398.n.9. ver.6.principalibus.*lege*, pluribus. pag.403.n.11. ver.1.& 6. cadens.cedenti. *lege*, candens.candenti. pag.406.n.27. ver.30.§.4.n.9. *lege*, c.3.§.4. n.9. pag.417.n.11. ver.4.non acquirit.*lege*, non arguit.pag.439. n.29. ver.12. proprium.*lege*, propositum. pag.440.n.1. ver.21.si debilis. *lege*, si dabilis. pag.454.n.28. ver.31. contractus. *lege*, contactus.pag.458.n.49.ver.45.§.10.n.25.*lege*, §.10.n.26. pag.473.n.5.ver.5.nequè.*lege*, namquè. pag.474.n.1.ver.13. calor.*lege*, causaliter. pag.477.n.1.ver.13. quodl.6.*lege*, quod.8. pag.495.n.5.vet.5. quodl.7.*lege*, ;quodl.9.pag.496.n.7. ver.13.quodl.illo 7. *lege*, quodl.illo 9.

pag.

pag.497. n.8.ver.4.iutia. *lege*, iustitia. pag.505. n.10.ver.14. quodl.6. *lege*, quodl.8. pag.506. n.16.ver.13. quodl.7.*lege*,quodl.9. pag.513.n.15. ver.39.nisi Patris. *lege*,nisi prius. pag.515. n.23.ver.5.immutandum. *lege*,immundum. pag.535.col.1. n.2.ver.6.sumptis. *lege*,sumptorũ. pag.545.n.13.ver.14.quoniam.*lege*,quando.pag.579.n.2.ver.10.propriæ. *lege*,primæ.ibidem n.4.ver.14.hunc modum.*lege*,hunc mundum.pag.580.n.5.ver.penult.quæ. *lege*,præ. pag.585. n.11.ver.vlt.communiter. *lege*,consequenter. pag.602.n.1.ver.7. significatam. *lege*,significantem.pag.608.n.2.ver.2.non communi.*lege*,cum communi.ibidem.ver.4.cum haberent. *lege*, non haberent.pag.612.n.9.ver.10.quem.*lege*,quia. pag.622.n.7.ver.14.probata.*lege*, prolata. pag.627.n.10.ver.6. ad inæquatam.*lege*, ad inæqualem. pag.630.n.19.ver.penult. vetustate. *lege*,venustate.pag.647.n.3. ver.3.rem esset accommodorum.*lege*, nõ esset accommodatum. pag.656.col.1.n.25.ver.3.e armentibus.*lege*,& amentibus. pag.667.n.2.ver.11.inuistissima. *lege*,inuictissima.pag.668.n.9.ver.9.argumenro.*lege*,argento.pag.669.n.2.ver.13.intellectiuũ. *lege*,intellectui.Et n.20.ver.10.sapientissimæ. *lege*,pientissimæ. pag.713.n.1.ver.18. loca.*lege*, lata.ibid.col.2.n.3.consuetudinis.*lege*,consequutionis.